13
1 D
8

13-20, 9, 41

Digitized by Google

PRIVILEGIORUM
IN PERSONA
SANCTI PETRI
ROMANO PONTIFICI
A CHRISTO
DOMINO
COLLATORUM
VINDICIÆ

In duas Partes, & quinque Tomos distributæ

A F. HIEREMIA A BENNETTIS
CAPPUCCINO

PARS I. TOMUS II.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ROMÆ MDCCLVI.
TYPIS HÆREDUM JO: LAURENTII BARBIELLINI

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

APPROBATIONES.

OPus, Cui Titulus: *Privilegiorum in Perſona S. Petri Romano Pontifici a Chriſto Domino collatorum Vindiciæ in duas Partes, ac Tomos quinque diſtributæ a* R. P. F. Hieremia a Bennettis noſtri Ordinis Cappuccinorum Prælectore, ac Guardiano, ſumma vi, acri ingenio, ordinata methodo, ac luculentiſſimo ſtylo elaboratum, attente, nec non jucunde perlegi, jubente Reverendiſſimo P. Seraphino a Capricolle meritiſſimo Generali. Et quia nil Catholicæ fidei diſſonum, nil Chriſtianis moribus adverſum in eo offendi, ideo publicis Typis dandum nedum exiſtimo, imo peropto: in hac etenim ſum ſententia: Polemicum Armentarium iſtud eſſe, quo ſive gladios ad feriendum, ſive ſcuta ad hoſtilia tela retundenda Studioſi cuncti deſumere poſſunt, ac præcipue debent S. Franciſci Filii, pro illius nimirum Cathedræ defenſione, ac munimine, cujus infallibili veritati, ac conceſſæ divinitus poteſtati Seraphicus S. Pater illos ſubditos eſſe ſpeciali lege devovit.

Romæ hac die 21. Januarii 1756.

F. Hilarion à Feroleto Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Cappuccinorum Ex-Provincialis, ac Definitor Generalis.

QUod de Privilegiis Romani Pontificis a primis uſque ſæculis ſenſit, tenuitque ipſa univerſalis Eccleſia a Reverendo P. Hieremia a Bennettis Concionatore, ac Philoſophiæ, & Theologiæ Exlectore, nec non Guardiano Cappuccino in opere, cui Titulus: *Privilegiorum in Perſona S. Petri Romano Pontifici a Chriſto Domino collatorum Vindiciæ in duas Partes, ac Tomos quinque diſtributæ*: de mandato Reverendiſſimi Patris Seraphini a Capricolle totius noſtri Ordinis Miniſtri Generalis, ſumma animi mei voluptate perlecto, mira eruditione in lucem prolatum, plurimiſque undique petitis argumentis confirmatum, conſtabilitumque ſum admiratus. Ea propter quum nihil, quod vel mores, vel fidem lædat, offenderim, quo Romani Pontificatus, vel Heterodoxis Oſoribus, vel Orthodoxis Cenſoribus omne præcludatur effugium, atque ad eorum omnium utilitatem, qui ad capeſſendam veritatem optime ſunt inſtituti, ac comparati, publica luce dignum cenſeo.

Romæ apud Immaculatam Conceptionem die 15. Januarii 1756.

F. Joſephus Maria a' Savorniano Ordinis Minorum S. Franciſci Cappuccinorum Ex-Provincialis, & Definitor Generalis.

NOS

NOS F. SERAPHINUS CAPRICOLLENSIS
Totius Ord. Fratr. Min. S. FRANCISCI Cappuccinor.
Miniſter Generalis (licet immeritus).

Reverendo in Chriſto P. F. Hieremiæ a Bennettis Concionatori, & Prælectori noſtræ Provinciæ Cappuccinorum Pedemontanæ ſalutem, & omne bonum.

CUm juxta Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones per duos idoneos, ac Definitores Generales, veluti Theologos Cenſores reviſum fuerit quoddam a te Opus compoſitum, cui Titulus: *Privilegiorum in Perſona Sancti Petri Romano Pontifici a Chriſto Domino collatorum Vindiciæ in duas Partes, ac Tomos quinque diſtributæ* &c. Tenore præſentium ad ſalutaris obedientiæ meritum, facultatem tibi impertimur, quatenus, ſervatis ſervandis, pro utilitate publica Typis mandare poſſis.

Datum in noſtro Conventu Urbis die 24. Menſis Januarii anno 1756.

F. SERAPHINUS, *qui ſupra*.

A. M. D. G.

OPus hoc Rev.admodum Patris Hieremiæ de Bennettis ex Ordine Minorum Cappuccinorum juſſu Reverendiſſimi Patris Joſephi Auguſtini Orſi S. P. A. Magiſtri accurate, cogitateque a me lectum *Omnia Privilegia B. Petro Apoſtolorum Principi, in ejuſque Perſona Romano Pontifici a Chriſto collata* ita copioſe, & orthodoxe explicat, ita erudite, ſolideque confirmat, ut non immerito pulcherrimum, abſolutiſſimumque Opus appellari poſſit; ac dignum mihi propterea viſum ſit, quod ad majorem Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem Typis edatur; quum in eo nihil offenderim, quod a Fide Catholica, aut bonis moribus abhorreat.

Ex Aracæli 16. Kalend. Junii anno 1756.

F. Johannes de Luca Venetus Epiſcoporum Examinator.

IMPRIMATUR
Si videbitur Revmo Patri Magiſtro Sacri Pal. Apoſtol.
F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinopolit. Viceſg.

IMPRIMATUR
Fr. Vincentius Elena Ordinis Præd. Reverendiſs. Patris
Mag. Sacri Pal. Apoſt. Soc. EX

EX TRADITIONE SS. PATRUM ECCLESIÆ ORIENTALIS

ARTICULUS VII.

DE AUCTORITATE SS. PATRUM

PROLEGOMENON.

ANimo natura recte comparato, qui præjudiciis nullis, nulloque ſtudio partium abſtractus ſit, & abreptus, ſtatim, ſatiſque perſpicuum, perſuaſumque ſit in rebus ad Religionem, moreſque ſpectantibus, Majorum illorum maximi ponderis fore, magnique facienda dicta, qui cum ſapientiæ, tum ſanctitatis laude exornati, locoque Patrum proinde habiti, a Chriſto Servatore noſtro, cui coævi vixerunt, vel ab iis, qui coævi, continua ſucceſſione, quæ nobis tradiderunt, dogmata accepta referunt, aut ſe accepiſſe teſtantur; quique quum Traditionis teſtes ſint liquidi, & locupletiſſimi, quominus decipi, aut decipere potuerint, aut voluerint, prohibet qua ſapientia, qua ſanctitas, quibus excelluerunt. Dixi dum in rebus ad fidem, moresque pertinentibus traditioni teſtimonium perhibent: nam alia

de iis nobis insidet menti sententia, dum audiunt illi ut Doctores, qui suum de rebus dubiis judicium proferunt, aut alienum exquirunt: dum ut Oratores, qui nihil certo definiunt, sed de rebus ornate, eleganterque differunt: dum ut Historici, qui rerum gestarum narrationes subtexunt, aut temporum ætates narrationibus adsignant: dum ut Philosophi, qui in rebus ad supradicta non attinentibus proprias opiniones proponunt, aut alienas infectantur. Quibus in rebus quanti Patrum dicta fieri debeant apprime docent S. Augustinus lib. 1. contra Julian. cap. 2., lib. 2. de peccato origin. cap. 23., & epist. 19. ad S. Hieronymum; S. Hieronymus epist. ad Ctesiphont.; & Vincentius Lirin. Commonit. cap. 39: nempe non tanti, atque de rebus fidei. Et quidem magis eorum dicta, & dogmata pendenda fore, si ipsa dogmata ab illis ad nos demandata undequaque dispiciantur, hincque, & illinc nil nisi sacrum, orthodoxum, sanctum, institutæ Religioni apprime consentaneum, instituendisque moribus appositè conducentissimum, reique christianæ pro loco, & tempore consonum redoleant, & referant. Quid enim in iis latere periculi, aut imminere ex iis piaculi, inferrique incommodi potest, ut ad Traditionis nomen trepidetur, & paveatur? Et quidem maxime, si inter se illorum cohors cohæreat, æqualisque sit; si in eo scribendi, docendi, & credendi genere illorum multam partem non peccasse perspicuum sit; si summa diligentia, studioque curatum, cautumque ab illis sit, ne sibi ullo modo subreperetur, aut obreperetur; unde falli ipsos fraude, aut falsis alios fallere possent: si uno verbo istæ tres regulæ serventur, non est cur Traditiones in dubium revocentur, vel concedentibus Critices intemperantioris viris Launojo differt. de Sulpitio Severo §. 16., & Richardo Simonio hist. crit. lib. 1., scilicet 1. Si de re tradita diversis & temporibus, & locis scriptum sit a pluribus exploratæ fidei viris, qui producantur in testes. 2. Si scriptores illi, si non verbis, certe sensu conveniant in testimonio de re accepta per Traditionem. 3. Si iidem scriptores ad rei gestæ originem, quæ veritatis caput est, continua serie rem traditam referant; vel ipsimet continua successione reducantur. Si iterum, ut morosiori cuique Critico occurram, ac satisfaciam, si, inquam, aliæ nonnullæ in summam veniant regulæ, quæ emunctioris

ctioris naris viris arrident, Dupinio de doctrina Chriſti cap. 11., & Thjerio diſſert. 1. de Lacryma Vindocinenſi, & in exercit. adverſus Launojum, videlicet 1. Si illud, quod traditum Patres teſtantur a priſco ævo obtinuit, deinde ab uno ad alium in Eccleſia manavit, deque illo omnium, aut penes omnium ſæculorum, iique graves ſcriptores teſtati ſunt. 2. Si Eccleſiæ univerſæ illud a prioribus ſæculis in more poſitum concorditer habuerint; pro illoque Patres plurimi teſtimonium perhibuerint; neque contra ab aliis Patribus pugnatum ſit. 3. Si moris iſtiuſmodi initium, & inſtitutio ab Apoſtolis deinceps non adpareat, in eoque more tradito appareat nihil vanum, nihil ſuperſtitioſum, nihil vitioſum, nihil inutile, nihil incredibile, nihil veritati, temporibus, uſibus, moribus, ritibus adverſum. 4. Si qui tradiderunt, non inconſulta ratione, non incaute, ac ſine cauſſa tradidiſſe conſtet: nec e contra ſint, qui ab iis tradita oppugnarint, difficultateſque oppoſuerint difficillime eludendas; iique fuerint vel ejuſdem, aut proximi ævi, paris ferme auctoritatis, diligentiaque haud abſimili in eo ſtudio verſati. Tandem Traditionis, ac certæ, indubiæque quidem auctoritatis loco habenda ſunt juxta Vincentium Lirinenſem Commonit. cap. 3., quæ ſemper, quæ ab omnibus, vel fere omnibus Patribus retenta, prædicata, ac propugnata ſunt: ex quo tres regulas eſſe obſervandas circa Traditiones, *Univerſalitatem*, videlicet, *Conſuetudinem*, & *Conſenſum* colligit Gravina de præſcript. lib. 4. art. 6: vel juxta S. Auguſtinum lib. 4. contra Donatiſt. cap. 24. *Quod univerſalis tenet Eccleſia, neque a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*: ideoque ejuſmodi Traditionis indubii ſunt teſtes SS. Patres. Ex quo tres regulas depromit doctiſs. Melchior Canus de loc. Theolog. lib. 3. cap. 4: ſcilicet ſi Patres juxta temporum ſuorum ſucceſſionem illam doctrinam tenuerint, oppoſitamque ut hæreticam impugnaverint. Si ejuſmodi doctrina Patrum communi conſenſione fidelium probata fuerit, neque fluere potuerit ab humana poteſtate. Si Patres uno ferme ore teſtentur talia dogmata ab Apoſtolis dimanaſſe. Vel juxta S. Irenæum lib 3. adverſus hæres. cap. 3., ex quo eam laudat Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 9., pro dogma-

te ab Apoſtolis tradito procul dubio habendum, ſi illud ſemper cuſtodierit, ſervarit, & tenuerit Eccleſia aliqua, in qua integra, continuata, & illuſtris ſit ſucceſſio Epiſcoporum ab aliquo Apoſtolo: (cujuſmodi præ ceteris eſt Romana a S. Petro Apoſtolorum Principe, cujus proinde præ ceteris ſummo loco habendæ ſunt Traditiones:) hoc eſt, in qua aſcendendo per Epiſcopos ſibi ſuccedentes pervenitur demum ad Apoſtolum aliquem, a quo ejuſmodi Eccleſia immediate eſt inſtituta; nec adparet ab aliquo ex Epiſcopis illis novum dogma introductum. Si iſta ſcilicet interveniant, [ampliora enim deſiderare neſcio ſi Criticus vel faſtidioſior poſſit,] SS. Patrum dicta, & dogmata ceu Dei verbum traditum indubie habenda eſſe, atque a verbo Dei ſcripto ſecundum locum obtinere aſſeverantiſſime ajo.

Atque ut ita ajam, efficit 1., Quod id ſacra Scriptura jubeat: 2. Quod id ipſa divina Traditio doceat: 3. Quod id Catholica Eccleſia teneat: 4. Quod id ratio Theologica ſuadeat. Equidem principio in Lege naturæ, qua nondum Scriptura ſacra exſtabat, Traditiones extitiſſe divinas Adamo adſpiratas, ab eoque in poſteros diffuſas oportet, quibus homines ad Deo cultum impendendum, & ad æternam ſalutem aſſequendam dirigerentur. Quum enim id ſine fide divina fieri nequeat; neque ſine revelationibus fides divina eſſe poſſit; palam ſit revelationes divinas viva voce dumtaxat traditas, & conſervatas; neque ullo ab auctore ex Dei inſpiratione conſcriptas fuiſſe, quum omnium primus ſit Moyſes, qui a Deo inſpiratus ſacra volumina litteris conſignavit. Traditione igitur divina in Lege naturæ docebantur homines exiſtentiam unius Dei, qui juſtorum, & impiorum eſſet remunerator, & vindex: immortalitatem animæ, quæ pro meritis in cælis præmium æternum, pro demeritis in infernis pœnam æternam conſecutura eſſet: originale peccatum, ejuſque expiationem: pro expiatione peccatorum, hominumque redemptione adventurum Meſſiam: actus fidei, ſpei, charitatis, & contritionis perfectæ ad expianda peccata: actus religionis, ſacrificia, & ritus colendi Deum, aliaque ejuſmodi. In lege Moſaica præter Scripturam ſacram extitiſſe divinas Traditiones perſpicuum fit ex Scriptura ipſa ſacra Deuter. 32, 7; Pſal. 43, 1; Pſal. 77, 5, 6; Eccleſiaſtici 8,

11;

11; Isaiæ 38,19; Jeremiæ 6, 17: Malachiæ 11, 7, &c: atque ex eo, quod pleraque fide divina credebant Judæi, quæ nonnisi Traditione divina tenere poterant: quemadmodum S. Scripturæ libros in canonem relatos auctoritatis esse divinæ, atque a Deo revelatos; peccatum originale expiari, ac deleri per remedium aliquod a Deo institutum cum pro fœmellis, tum pro masculis ante diem octavum obeuntibus. Origenes equidem hom. 6. in Johann., & S. Hilarius enarrat. in psal. 2. auctores sunt Moysem quamvis Pentateucho legem digessisset, quædam tamen separatim ex occultis Legis secretiora mysteria 70. Senioribus, a quibus reliquum Judæorum vulgus oretenus edoceretur, tradidisse, traditione deinceps tantummodo conservanda: hujusque traditæ doctrinæ meminisse Christum D. Matth. 23, 2, *Super cathedram Moysis &c.* Non is sum ego sane, qui fabellis delecter Judæorum; non ero tamen, arbitror, ingratus, nec præter rem, eamque adeo gravem agere putarim, si arrepta opportunitate, quod alibi operosius agam (Deo dante, & vita comite) nonnihil de Judæorum traditionibus promam.

Judæi itaque traditiones suas legem oralem appellant, sicuti Pentateuchum Moysis legem scriptam: quam perduravisse ajunt usque ad obitum Simonis Justi, quo tempus scripturæ desiit; ab obitu Simonis vero, videlicet ab anno 292. ante Christianam Æram incepisse tempus legis oralis, seu traditionis, seu Misnæ; adeo, ut qui traditionibus hujusmodi minus deferrent, uti Caraitæ, continuo veluti hæreticos haberent. Videlicet ad tempus usque, quo magna Synagoga permansit, (permansit vero usque ad Simonem Justum Synagogæ magnæ postremum,) nulla ferme præter Scripturam Judæis erat fidei, morum, rituum, religionisque norma, & regula: ab eo autem tempore cœpit id esse lex oralis, seu Traditio, seu Misna, seu secunda lex, quique eam tradebant Doctores Misnici audire cœperunt. Verum ab ovo, ut ajunt, sive ab exordio res est repetenda. Moysi igitur in monte Sinai una cum lege digito scripta, a Deo traditam oretenus legem alteram, exinde oralem dictam, eamdemque deinde a Moyse velut depositum Senioribus populi traditam ad posteros transmittendam jactant Judæi. Utramque esse divinam, parique jure servandam ajunt,

ajunt: ſcriptam, ſubdunt, obſcuram eſſe, implexam, & ambiguam, ac proinde nec intelligi ſine orali poſſe; nec obſervari abſque modo ab orali præſcripto oportere. Quo fit, ut traditionem facile Legi ſcriptæ præferant; factumque ut ſcripta poſthabita orali dumtaxat adhæſerint adeo, ut ad ſcrupulum non modo, ſed ad ſuperſtitionem traditiones ſuas colant, & conſectentur. Qua de re a Chriſto Domino Marci 7, 13. graviſſimis verbis objurgati ſunt. Poſt Moyſem a laxata captivitate, ſicut Eſdræ reſtauratam legem ſcriptam referunt, ita eidem referunt acceptam legem oralem. Subinde ſola Seniorum traditione ſervatam ajunt; quæ ita facile quoque augeri potuit uſque ad tempus Rabbi Judah filii Simonis Juſti (qui Judah ob vitæ ſanctimoniam dictus a ſuis eſt Haccadosh, ideſt Sanctus, atque ſcholam Tyberitenſem regebat, ac Synedrio præerat) a quo primum lex oralis in libros digeſta eſt. Hic igitur Haccadosh hacce in ſe ſuſcepta provincia legem oralem, ſeu traditiones in volumina colligendi, eas omnes 6. libris complexus eſt, quibus 63. tractatus comprehenduntur: hoc eſt celebre Miſna circa annum 150. a Natali Domini adornatum, Judæiſque adeo carum, ut cum Hieroſolymis, tum Babylone commorantes in illud ſtudium omne ſuum contulerint, illudque commentariis illuſtrarint. Ejuſmodi commentaria in Miſna una cum textu, ſeu Miſna conflant illa duo Judæorum *Thalmuda*, ideſt Hieroſolymitanum, & Babylonicum; quæ commentaria vocant *Gemmara*, hoc eſt ſupplementum, quod nimirum Miſna illuſtret: unde *Miſna* eſt lex oralis, *Gemmara* ejuſdem legis explanatio. Ex utroque vero, ut innui, conſtat Thalmud, vel Hieroſolymitanum an. 300. Æræ chriſtianæ eo loci elucubratum, conſtatque vol. 1. in fol.; vel Babylonicum an. 500. Babylone adornatum, cujus poſtrema editio Amſtelodamenſis eſt vol. 12. in fol.; quibus duobus Thalmudis univerſa Judæorum lex comprehenditur: ſed quanto nunc a Judæis Hieroſolymitanum ob ſui obſcuritatem poſthabetur, tanto majori in pretio habetur Babylonicum, cui Judæorum ſuperſtitio omni modo coaptare ſe ſtudet. Qui vero in traditiones ſtudia ſua Hebræorum doctiores contulerunt, vocati ſunt quando *Tannaim*, hoc eſt traditionem dantes; quando *Amoraim*, hoc eſt traditiones Miſnæ dictantes; quando *Seburaim*, vide-

videlicet opinantes circa Thalmud ; quando *Geonim*, ſcilicet Doctores ſublimes: nunc jam uſitato nomine Rabbi donantur.Si plura aveas, poteris adire (ſi licet) Majmonidem in præfat. ad *Seder Zeraim* , qui Thalmud in epitomen redegit , inſcripſitque *Jad Hachazakah* , ideſt digeſtum legis , opus Judæis apprime acceptum ; David Gantz in *Zemach David* ; Calmetium in diction. Bibl. V. *Maſſora* ; *Cabala &c.*, Buxtorfium de opere Thalmudico, & Synagoga Judæorum; Schichardum in *Bechinath Happerushim*; Hottingerum in Theſauro ; Ligtfoot in harmonia 4. Evangeliſt. ; Pridæum hiſt. Judæor. , & popul. vicin. lib. 16. ; Baſnagium in contin. Joſephi tom. 6. lib. 9. cap. 7. ; Vorſtium in obſerv. ad *Zemach David* , alioſque . Jam enim pudet , pigetque in his diutius, quam par eſt,immoratos eſſe , pretioſumque adeo tempus in hæc triviſſe. Niſi ea ratione trivi, ut tandem intelligant Hetherodoxi quanto in pretio apud Hebræos Traditiones habitæ ſint.

In lege Evangelica Traditiones a Chriſto Domino accepiſſe Apoſtolos , Eccleſiæ univerſæ concredendas , ideoque ab eadem religioſe cuſtodiendas liquet ex Johan. 16, 12, & 13: *Adhuc multa habeo vobis dicere , ſed non poteſtis portare modo ; quum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem* : ex Johan. 20, 30. *Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus , quæ non ſunt ſcripta in libro hoc* ; quem locum ipſe Johannes Clericus diſſert. 2. canon. 3. intelligendum ait , non de ſolis Chriſti miraculis , ſed etiam de Chriſti doctrina verbis tantummodo tradita ; quamvis more ſuo ſubdat eadem dicta verbo tradita , nec ſcripto concredita ad ſalutem neceſſario non ſpectare : ex Act. 1, 3, *In multis argumentis per dies* 40. *apparens eis , & loquens de regno Dei* : quibus illud exprimitur, quod ait Tridentinum ſeſs. 4. decreto de Canon. ſcript. Apoſtolos , quas nobis traditiones reliquerunt, quarumque Patres teſtes ſunt locupletiſſimi , partim ex Chriſti ore , partim ex Spiritus S. afflatu accepiſſe . Liquet ex Act. 15, 40, Paulus electo Sila . . . *Perambulabat Syriam , & Ciliciam confirmans Eccleſias , præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum* : ex Act. 16, 4, *Quum pertranſirent* (Paulus,& Timotheus) *Civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata , quæ erant decreta ab Apoſtolis* . Quibus illud ſignificatur traditiones , quas uno conſenſu Patres pro-

fe-

ferunt, ab Apoſtolis profluxiſſe. Liquet ex Johann. epiſt. 2, 12; & epiſt. 3, 13. *Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam, & atramentum, ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui*: ex Corinth. 11, 2. *Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis... cetera quum venero diſponam... Accepi a Domino, quod & tradidi vobis*: quæ Apoſtoli loca de traditionibus interpretantur SS. Patres Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 29; Epiphanius hær. 61; Chryſoſtomus hom. 26. in 1. ad Corinth.; atque Auguſtinus epiſt. 118. ad Januarium. Liquet ex epiſt. 2. ad Theſſalon. 2, 14. *Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones; quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram*; & cap. 3, 6. *Denuntiamus vobis fratres... ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt a nobis*. Quibus locis traditiones ab Apoſtolis relictas Eccleſiæ, quibus edoceretur, affirmant S. Cyprianus in epiſt. ad Pompejum; S. Baſilius lib. 3. contra Eunomium; Ambroſiaſter in 2. Theſſalon. 2; S. Chryſoſtomus hom. 4. in epiſt. ad Theſſalon.; S. Johannes Damaſcenus lib. 4. de fide orthod. cap. 17.; Oecumenius, & Theophylactus in cit. epiſt. 2. ad Theſſalon. cap. 2. Liquet tandem ex 1. Timoth. 6, 20. *Depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates*; ex 2. ad Timoth. 1, 13. *Formam habe ſanorum verborum, quæ a me audiſti in fide, & dilectione in Chriſto Jeſu... bonum depoſitum cuſtodi*; cap. 2, 1, 2, *Quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*: & cap. 3, 14. *Permane in iis, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens a quo didiceris*. Quo loco depoſiti nomine ſignificatas traditiones interpretatur Vincentius Lirinenſis in Commonit. cap. 27.

Appoſite auctor Euſebius eſt lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 18. a S. Matthæo non antea Judæis conſcriptum Evangelium, quam prædicatum: lib. 2. cap. 15. a S. Marco Romanorum rogatu Evangelium exaratum: lib. 6. cap. 14. a S. Luca exemplo aliorum permoto Evangelium litteris demandatum: & lib. 3. cap. 24. a S. Johanne multo poſt tempore a prædicato Evangelio iſtud publici juris factum; ob idque, ut de Chriſti Divinitate, de qua ceteri parce, ipſe liquido, & luculentius ſermonem texeret.

Sat

Sat erat ergo ſola Traditio Eccleſiæ inſtituendæ: nec ullo Chriſti præcepto compulſi ſunt publicis litterarum monumentis Evangelium commendare. Audiatur Hugo Grotius in vot. pro pace Eccleſiaſt., ubi plurimum Rivetum perſtringit, efficaciterque exagitat: *Cur ergo eadem*, inquit, *quæ tradiderunt Apoſtoli non & ſcripſere? Dicam, quia ſcripſere ex occaſione nata, & quæ tempus ferebat, non aliquod corpus doctrinæ, ac regiminis: illa autem quæ ad regimen, & pacem Eccleſiarum pertinebant, magnis ſane ſcripta erant litteris, uſu conſpicuo earum Eccleſiarum, quas Apoſtoli fundaverant.* Et infra. *Jam vero non omnia, quæ ſic dixere Apoſtoli fuiſſe perſcripta, teſtatur ipſe Paulus, quum obediri vult iis, quæ docuerat ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam.... Par ergo doctrinæ utriuſque jus eſt.* Ibidem Riveto objicienti reſpondens Grotius, *At vult*, ſubdit, *de ſcriptis nobis conſtare, de dictis non item: id vero ego pernego: in ſcriptis varietates ſunt innumeræ... particulæ non paucæ in aliis codicibus apparent, in aliis non apparent: in vocibus, tum ſingulis, tum conjunctis magna diverſitas. Quid in his verum ſit diſcernere ingens labor, nec ſemper felix. Traditionem autem eſſe Apoſtolicam quomodo probetur, quærit D. Rivetus: dicam: primum juſta præſumtio eſt ab Apoſtolis tradita, quæ ubique in Eccleſiis reperiuntur, & quorum alia origo non apparet. Deinde ſi accedant teſtes aliquot pii, prudentes, atque magnæ in Eccleſia auctoritatis, qui affirment hoc velut ab Apoſtolis traditum, jam probationem habemus tantam, quanta in hac materia ſufficit; nec minorem ea, per quam ſcripta Apoſtolica a non Apoſtolicis dignoſcimus.* Quod invenerunt in Eccleſia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt, *ait Auguſtinus... Si quis ſit tam pertinax, tam facile effugia contra libros reperiet, quam contra Traditionem. Sed conveniebat Divinæ providentiæ curare, ne aut libri in rebus maximis, aut etiam Traditio adulteraretur; & id præſtitit.* Ita Grotius ille, quem æque atque Hammondum SS. Irenæo, & Juſtino facile præfert impudentiſſimus Clericus. A Grotio vero, dic, ſodes, non ab homine communionis noſtræ dicam, quid his expreſſius, diſertius, efficacinſque deſiderare eſt? Ex dictis autem hactenus liquet tam impudenter, quam

perperam affirmasse Kemnitium de 7. gener. Tradit., Brentium in prolog. de Tradit.; Hamelmandum lib. de Tradit.; alioſque plures e grege Proteſtantium Apoſtolos omnia prorſus, quæ oretenus a Chriſto acceperunt, aut de quibus interius a Spiritu S. inſtructi fuerunt, in ſuis epiſtolis ad epitomen regeſſiſſe.

Poſt hæc idem docet auctoritas Patrum, quorum ſi quæ, ac ſicubi, in hac Traditionum doctrina, major deſiderari conſenſio nequit, una voce divinis Traditionibus teſtimonium dantium. Per ſingulas Eccleſiæ ætates curſim excurram, atque ex eis, qui præcipuo in honore habiti ſunt, nonnullos attingam, ex quibus quæ ceteris ſententia inſederit ſimiliter intelligatur; ſiquidem perſequi ad unum omnes velle, nec vacet, nec præſtet. Itaque ex I, & II. ſæculo Eccleſiæ S. Ignatius Martyr in ſuis genuinis epiſtolis de Quadrageſimæ jejunio, de die Dominico, de minoribus Ordinibus, deque aliis in Eccleſia receptis diſciplinis, & ritibus, non ex Scriptura, apud quam ne vola quidem, ſed ex ſola Traditione perſpectis, atque in Eccleſia receptis agit: atque ut de illo narrat Euſebius lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 36, per Aſiam captivus pertractus Chriſtifideles hortabatur, inter alia, ut Apoſtolorum traditionibus tenaciter inhærerent. Legendæ S. Ignatii epiſtolæ ad Magneſianos, ad Smyrnenſes, ad Philadelphios, &c. quas quidem Dalæus, Salmaſius, Blondellus &c. pſeudo-epigraphas contendunt, vindicarunt tamen, genuinoſque S. Ignatii fœtus demonſtrarunt Pearſonius, Hammondus, Vedelius, Iſaacus Voſſius, Uſſerius; Petavius de Eccleſ. Hierarch. lib. 5. cap. 8, Du Meſnil diſcipl. Eccl. lib. 3. n. 30, Natalis hiſt. Eccl. ad ſæcul. I. diſſert. 23; & recens P. Mamachius orig., & antiq. Chriſt. lib. 4. cap. 4, quem præ aliis ut adeas tibi auctor ſum. S. Polycarpus, ut eſt apud Euſebium lib. 5. cap. 20., & apud S. Irenæum in epiſt. ad Florinum apud cit. Euſebium, & lib. 3. adv. hær. cap. 3, multa referebat, quæ a Chriſto Domino dicta de Apoſtolorum ore ipſemet audierat, ſubditque S. Irenæus: *Studioſe audiebam, non in charta, ſed in corde meo ea conſignans, & ſemper per Dei gratiam exacte ea mente revolvo*. S. Papias lib. 4. expoſit. ſerm. Domini, & apud Euſebium lib. 3. cap. 39. Apoſtolorum dicta ab his, qui cum illis verſati fuiſſent, ſe excepiſſe refert. Papiam autem

Jo-

Johannes Erneſtus Grabbius vir e Proteſtantium grege in ſuo Spicilegio Patrum ſæculi II, quamvis quoad opinionem de millenario Chriſti regno laudibus ſe temperet, quoad reliqua præconiis cumulat; contenditque contra Valeſium Euſebii lectioni lib. 3. cap. 36. intruſa minime eſse verba illa de Papia, quibus appellatur, *Vir imprimis diſertus, ac ſcripturarum peritus*. S. Clemens Romanus, ut eſt apud S. Irenæum lib. 3. cap. 3, ad Corinthios, quos diro ſchiſmate divexatos intellexerat, epiſtolam inſcripſit, *Annuntians, quam in recenti ab Apoſtolis acceperat Traditionem*. S. Juſtinus in apologia 2. prope fin. pleraque a Chriſto Domino Apoſtolis dicta, & tradita refert, quæ religioſe in Eccleſia cuſtodiuntur, nullibi autem in Scriptura ſacra leguntur: inter quæ de aqua vino miſcenda in calice; de Euchariſtiæ non communicando ante Baptiſmum; quam quidem traditionem de calice offerendo aqua temperato Dominicam quoque appellat S. Cyprianus lib. 2. epiſt. 63. Hegeſippus, ut eſt apud Euſebium lib. 2. cap. 22; lib. 3. capp. 20, & 32; & lib. 7. capp. 8, & 12, Apoſtolorum traditiones, ut audire poterat ab eorum diſcipulis, quibus coævus fuerat, quinque libris comprehendit: cujus tamen cave, ne exiſtimes eſſe, quæ circumfertur, hiſtoriam excidii Hieroſolymitani libris quinque digeſtam. A laudibus hic abſtineo S. Dionyſii Areopagitæ in lib. de Eccleſ. Hierarchia cap. 1, ubi aſſerit ab Apoſtolis Eccleſiaſticas inſtitutiones partim ſcriptis, partim non ſcriptis traditas, quia quamvis ipſius opera genuina reputent inter alios Baronius, Bellarminus, Sixtus Senen. bibl. lib. 2, Poſſevinus in appar.; Abraham Echellenſis in epiſt. ad Johan. Morinum; Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. I. diſſert. 22; Laurentius a S. Laurentio Ord. Minor.; Nourius, Corderius &c. Contra tamen pugnant poſt Laurentium Vallam, Rivetum, Scultetum, Pearſonium, Dalæum, Blondellum, Eraſmum, Cavæum, Dupinium, Launojum, Morinum, Lequiennium, Tillemontium, Labbeum, Bollandum, Sirmondum, Pagium, &c. eruditi Critici; quam in rem vide Cabaſſutium notit. Eccleſ. ad ſæcul. VII. in Concil. Conſtantinopol. II; & Scriptorem *Problematis ſapientibus propoſiti* anno 1708. de Auctore oper., quæ S. Dionyſii Areopag. nomine circumferun-

tur; unde incerto auctori nolim tantam concredere cauſſam.

Ex III, & IV. ſæculo S. Irenæus lib. 3. adv. hær. cap. 2, 3, 4, & 5. multis celebrat Traditiones, maxime Romanæ Eccleſiæ, quibus hæreticos illas pernegantes, ac præſertim Marcionitas perſtringit, ajens inter alia: *Maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, & a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per ſucceſſionem Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos*. Clemens Alexandrinus in lib. hypotipoſ. apud Euſebium lib. 6. cap. 13. Pantænum magiſtrum ſuum laudat, quod traditiones a Majoribus acceptas poſteris commendans exponeret; & Stromat. lib. 1, 6, & 7. ſcribit a Chriſto D. Apoſtolis non omnia ſcribenda contradita; nec ab Apoſtolis omnia omnibus, ſed pleraque, ac paucis in occulto tradita. Origenes in præfat. lib. 1. Periarchon Traditionem Apoſtolicam certiſſimam veritatis regulam affirmat: tract. 29 in Matth. Traditionem eſse regulam ad diſcernendas ſcripturas apocryphas, quas obtrudunt hæretici, ab authenticis, quas uſurpat Eccleſia, monet: lib. 1. expoſit. in Evang. S. Matth. ait traditione ſe accepiſse quatuor tantummodo Evangelia admitti in Eccleſia; & in cap. 6. epiſt. ad Roman. aſserit ab Apoſtolis traditione accepiſse Eccleſiam etiam parvulis baptiſmum eſse conferendum. S. Serapion Antiochenus Epiſcopus in lib. de Evangelio Petri, cujus fragmentum exhibet Euſebius lib. 6. cap. 12, illud Evangelium a Marciano quodam hæretico obtruſum ideo rejicit, quod Traditio illud S. Petro falſo adſcriptum doceat. Tertullianus lib. de Coron. milit. capp. 3, & 4. traditiones non ſcriptas pluribus vindicat, earumque obſervantia Chriſtifideles adſtringi affirmat, in quarum cenſum refert ceremonias, rituſque multos de baptiſmo; de anniverſariis diebus Defunctorum; de jejunio ſolvendo die Dominica; de geniculatione in orationibus; de crucis ſigno &c., poſt quæ, *Harum*, inquit, *& aliarum hujusmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix*. Idem lib. de carne Chriſti cap. 2, & lib. de præſcript. capp. 17, 18. &c. hæreticos ſcripturis non ſolum

lum revincendos, ſed imo Traditione admonet. S. Cyprianus, quem Patris loco ſe habere, ac magni pendere affirmat Johannes Fellus Anglus Epiſcopalis præfat. in oper. S. Cypriani, lib. 2. epiſt. 63, vinum aqua temperatum in Altari offerendum ex Traditione probat; epiſt. 70. ex Traditione docet ungendos eſſe, qui baptizati ſunt; & lib. de ſpectac., ſi tamen genuinus ejus fœtus eſt, multis non ſcriptis, ſed traditis nos utiliter, rectèque uti ſcribit.

Euſebius lib. 1. demonſtr. Evang. cap. 8. auctor eſt locuples Apoſtolos,& diſcipulos a Chriſto D. multa Traditione accepiſſe, multa ex Chriſti Domini juſſione oretenus ſervanda tradidiſſe. S. Athanaſius in epiſt. ad Afros, & lib. de decretis Nicænæ Synodi affirmat Nicænos Patres non tam Scripturæ teſtimonio, quam ſacra Traditione edoctos vocem *Omouſion* Symbolo appoſuiſſe, & Traditione Arianos in eam vocem inſurgentes perſtringit, & arguit. Idem in libro de Synodis Nicænos Patres non quidem ad Scripturam, ſed ad Apoſtolicam traditionem, cujus jam certus aſſertor extiterat S. Victor, ceu ad certiſſimam regulam decretum de Paſchatis celebratione exegiſſe perhibet. S. Baſilius hom. 24. adverſus Sabellianos, Arianos, & Anomæos, & lib. de Spiritu ſancto capp. 9, & 27, Spiritus ſancti Divinitatem, & conſubſtantialitatem adverſus hæreticos illos traditione adſtruit: eademque traditione nos edoceri ait, ut Confirmandi ſigno Crucis ſignentur; ut ad Orientem verſi oremus; ut in Miſſa ſacratiora voce ſubmiſſa recitemus, &c. Legendæ quoque ejuſdem epiſtolæ 243. ad Epiſcopos Italiæ, & Galliæ, & 261. ad Sozopolit. S. Gregorius Niſsenus S. Baſilii germanus lib. 3. contra Eunomium, iſtius errores traditione ab Apoſtolis continua ſucceſſione accepta exagitat. S. Epiphanius hæreſi 75. Aerium Purgatorium, & orationes pro defunctis impugnantem ex ſola Traditione refellendum ſumit; & hær. 61. affirmat oportere traditione uti: *Nam non omnia*, inquit, *accipi poſſunt a Divina Scriptura*. Legenda præterea, quæ ſcribit hær. 35, vel 55; hær. 49, vel 69; hær. 56, vel 75. S. Cyrillus Hieroſolym. Cathech. 5. multa ex Traditione docet. S. Gregorius Nazianz. orat. 3, ſeu 1. contra Julianum dogmata S. Scripturæ mirabilia viſa Juliano inquit,

quit; ſed majorem, ſubdit, & inſigniorem eſſe Eccleſiæ doctrinam traditione acceptam, ac religioſe ſervatam: cujus traditionis inter exempla recenſet Eccleſiæ politiam, diſciplinam, ordinem; item rationem pſallendi; modum pœnitentiæ; Sacraria in templis; Cœnobia Monachorum, & Virginum, aliaque plura ex ſola traditione profecta. S. Ambroſius lib. de myſt. cap. 2, lib. de Sacram., & lib. de Elia, & Jejunio cap. 10. ex traditione multa, ac præclara profert.

Ex V, & VI. Eccleſiæ ſæculo S. Johannes Chryſoſtomus hom. 4. in 2. ad Theſſalon. perſpicuum ait pleraque ab Apoſtolis etiam ſine ſcriptis tradita: *Quamobrem*, inquit, *Eccleſiæ quoque traditionem cenſeamus eſſe fide dignam*. Idem multa de Traditione habet hom. 2. in pſal. 118; hom. 3. in epiſt. ad Rom.; hom. 26. in 1. ad Corinth. cap. 11; hom. 3. in epiſt. ad Philip.; hom. 5. in 2. ad Theſſal. cap. 3; & lib. de Virgin. in illud 1. Corinth. 7, 12. S. Proclus Conſtantinopolitanus in epiſt. ad Armenos adhortatur, ut traditiones a Patribus auditas diligenter cuſtodiant. S. Hieronymus in dialogo adverſus Lucifer. cap. 4. ex Traditione, etiamſi ex Scriptura non conſtaret, Confirmationis ſacramentum conſtare tamen ait: idem in epiſt. 28. ad Lucinium, & 54. ad Marcellam traditiones Eccleſiaſticas, inter quas Quadrageſimam, quæ præſertim fidei non officiant, ita obſervandas, ut a Majoribus traditum eſt, admonet. S. Auguſtinus epiſt. 54. ad Januarium ſcripta non modo, ſed tradita cuſtodienda eſſe ſcribit, quemadmodum quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in cælum, & adventus de cælo Spiritus ſancti anniverſaria ſolemnitate celebrantur. Idem lib. 2. contra Donatiſt. cap. 7. affirmat Eccleſiam Apoſtolica traditione edoctam ab Anabaptiſmo abhorrere: cap. 14. eadem traditione Eccleſiam ad altare non baptizatum non admittere: lib. 4. cap. 6, & cap. 24. ſuperius a nobis recenſitam profert de Traditione regulam: *Quod univerſa tenet Eccleſia; nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*: lib. 5. capp. 23, & 24. ex eadem traditione Eccleſiam credere aſſerit etiam parvulis baptiſmum prodeſſe. Nec modo Donatiſtas, ſed & Pelagianos Traditionis pondere S. Doctor premit lib. 2. contra Julian., teſtimonio

monio SS. Irenæi, Cypriani, Rheticii, Hilarii, Olympii, Gregorii, Ambroſii, Innocentii, Johannis, Baſilii, & Hieronymi obnoxios peccato originali homines univerſos probans. Sed & eumdem legere eſt lib. 1. contra Creſconium cap. 33; lib. 1. de peccat. merit., ac remiſs. cap. 24; & lib. 10. Geneſ. ad litt. cap. 23; inſtituti enim noſtri fines excedimus, ſi omnia proferimus. Capreolus Carthaginenſis in epiſt. ad Patres Concilii Epheſini act. 1. inſerta ex jugi SS. Patrum doctrina fidei controverſias finiendas, ac decernendas probat. S. Cyrillus Alexand. in Apologetico pro 12. Capitulis adverſus Orientales in defenſionem anathematiſmi 8, Patrum traditione depellenda prava dogmata, decernendamque rectam fidem docet. Legendi Vincentius Lirinenſis commonit. cap. 3; S. Petrus Chryſologus ſerm. 85; Vigilius Tapſenſis lib. 1, & 4. contra Eutychem; & Caſſiodorus lib. 1. divin. inſtit. in præfat., & cap. 11.

Sequiorum ſæculorum prætermitto Patres, ne ultra metam excreſcat oratio; quandoquidem una eſt, ac priſcorum, poſteriorum omnium ſententia, quorumque ſententias reviſere, apud infra citandos Scriptores facile poteris. Neque vero ab eorum teſtimoniis iccirco ſuperſedeo, quod ſciam a Novatoribus SS. Patrum catalogum ita coarctari, ut vix, ac ne vix quidem poſt ſextum Eccleſiæ ſæculum Patres ullos admittant, eorumque ſeriem non ultra eos fines producant: non enim neſcio inficiari eos nullo modo poſſe ſequioribus etiam ſæculis Patres floruiſſe præſtantiſſimos; ſed eorum intereſt, ut poſtquam parum æqui in priſcos, in poſteriores iniquius inſoleſcant, utroſque ſuæ cauſſæ contrarios experti. Quamvis alioquin, ubi veſtigium appareat quidquam ex ipſiſmet exculpendi, quod erroribus ſuis patrocinium adferre poſſit, avide confeſtim arripiant, ad ravim uſque ajentes ſe id ex penu non depromere, ſed Patribus acceptum debere. Peſſimam hancce, parumque ſibi cohærentem Proteſtantium agendi rationem paucis accipere non te pigeat. Principio univerſim Patres uſque ad ſæculum VI. recta dogmata tenuiſſe, ac docuiſſe non diffitentur: at a ſæculo VI. deinceps a vera doctrina turpiter deviaſſe obganniunt Calvinus lib. 1. inſtit. cap. 2. §. 13; Bullingerus adv. Brentium par. 1. cap. 1. §. 40; Kechermandus lib 3.

cap. 14.

cap. 14. ſyſtem. logical.; Jacobus Rex Angliæ in Baſilicodoro; Auctor oper. de concord. Betnenſis Eccleſ. cum doctr. Apoſtol.; Auctor apolog. Anglic. &c. Ubi vero eorumdem etrores attinguntur, qua confeſtim indignatione, invidiaque commoti hæretici homines vel in priſcos Patres non inſaniunt, non inſoleſcunt? ac inter iſtos Calvinus in quæſt. de orat. pro Defunct., & in epiſt. ad Regem Angliæ; Lutherus lib. adv. Regem Angliæ, lib. de Miſsa privata &c.; Melanchon comment. ad cap. 3. epiſt. 1. ad Corinth. agens de cæremon., & cælib.; Beza epiſt. 1. Theolog.; Hoſpinianus in hiſt. Sacrament.; Witgiſtus in defenſ. pag. 472; Auctor confeſſ. Helvetico-confœderat. &c. Inſultant ſchomatibus ſpeciatim S. Ignatio M., & S. Auguſtino Calvinus lib. 1. cap. 14, & lib. 3. cap. 20. §. 29; SS. Irenæo, Chryſoſtomo, Gregorio Nazianz.; Ambroſio; Gregorio M.; & Bernardo Melanchon. in cap. 14. ad Roman.; & Magdeburgenſes Cent. 2. cap. 10, Cent. 4. cap. 4, & Cent. 12. cap. 10. Clementi Alexandtino Heshuſius lib. de ſervo arbitrio. S. Hieronymo Lutherus lib. de ſervo arbit.; & Genevenſes in Scuto fidei dialogo 6; aliiſque paſſim alii. Quum vero è re ſua eſſe ſummopere comperiunt, Pattibus ſe plurimum deferre deprædicant. Ita Lutherus in cap. 5. epiſt. ad Galat. pethibens a Pattibus, ac præſertim a SS. Hilario, Cyrillo, Ambroſio, Auguſtino, aliiſque Evangelium, & fidem Chtiſti pure traditam fuiſſe. Illyricus in præfat. ſuar. demonſt.; Melanchon in epiſt. ad Oratorem Uratislav., *Exiſtimo*, inquiens, *ad confirmandas mentes conſenſum Vetuſtatis plurimum valere. Optimi magiſtri, atque Duces nobis eſſe poſſunt Irenæus, Tertullianus, qui plurima hujus generis poſteritati reliquerunt*. Calvinus lib. 3. inſtit. cap. 3. §. 10. maximi præ aliis faciens S. Auguſtinum, & in epiſtola ad Regem Galliæ, ſe Patres haud deſpicatui habere confirmans, quinimo ipſorum ſuffragiis dicta ſua comprobari tam falſo, quam præfidenter affirmans, eò inſuper impudentiæ progreſſus, ut quidquid in ſcientiis profeciſset, illud Patribus acceptum referret, ſuamque novam doctrinam ex Auguſtino hauſiſſe penitus prædicaret: cujus morem imitatum poſtea Janſenium ſcimus. Eam autem pravam Calvini calumniam depulit dudum doctiſſimus P. Fronto Ducæus in libro *Anthitheſeon Auguſtini*, & Cal-

& Calvini : Janſenii vero poſteriorem criminationem exploſere P. P. Johannes Martinonus in ſuo *Anti-Janſeniſmo*; Franciſcus Annatus in ſuo *Janſenio a Thomiſtis condemnato*; Ferrier; Daniel; Deſcamps; Nicolai; Baronius; Caſalas; Serrius in Auguſtino vindicato; & Paulus a Lugduno Ord. Cappucin. in ſuis gallicis *Anti-exaplis*. Confer eos pariter ex Proteſtantibus quam plures, qui ex S. Scriptura non modo, ſed etiam ex SS. Patribus errores ſuos confirmare enixi ſunt, quos tom. 1 ad calcem art. 6. §. 2. indicavimus.

Cæterum ſi plura ſequioris ætatis Patrum de Traditione teſtimonia deſideres, præſto tibi ſunt, & quidem ex ſæculo VII, & VIII. Anaſtaſius Antiochenus lib. 1. de rectis dogmatibus fidei; ubi fidei dogmata a SS. Patribus exacta traditione ad nos perveniſſe teſtatur. S. Maximus Martyr. commentar. in Dionyſium Areopag. cap. 1, ubi, *Uno ordine*, ait, *ponendæ ſunt & ſacræ Scripturæ, & Epiſcoporum Traditiones*. Ven. Beda in cap. 6. S. Marci, ubi ex traditione docet oleo ab Epiſcopo benedicto inungi energumenos, & ægrotos. S. Johannes Damaſcenus lib. 4. orthod. fidei cap. 13; cap. 17. de SS. Imaginibus; epiſt. de Triſagio; & orat. de defunctis, docens ex Traditione orare nos ad Orientem verſos; adorari Imagines, & Crucem; in Eccleſia cani Triſagion *Gloria Patri* &c., preceſque fundi pro defunctis ad Deum. S. Bonifacius Moguntinus in epiſt. ad Cudbertum. S. Paulinus Aquilejenſis in epiſt. adverſus Felicem Urgelitanum, traditionis pondere illum premens. Ex ſæculo IX, & X. Carolus Magnus in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ. S. Nicephorus Conſtantinopolitanus in dialogo de Imaginibus. Amalarius Fortunatus de rebus Eccleſ. lib. 1. cap. 12. Photius in Nomocanone tit. 1. de fide cap. 3. Jonas Aurelian. lib. de cultu Imagin. Theophylactus ad cap. 11. epiſt. 1. ad Corinth., & ad 2. Theſſalon. cap. 2. Simeon Metaphraſtes in vita Theodoſii Cænobiarchæ. Radulphus Flaviacenſis lib. 5. in Levit. cap. 4. Fulbertus Carnotenſis epiſt. 2. Berno Augienſis de ſpectantibus ad Miſſam cap. 7. Guitmundus Averſanus lib. 3. de Sacram. Corp., & Sang. Chriſti. S. Anſelmus in cap. 11. epiſt. 1. ad Corinth. Oecumenius in 2. Theſſalon. cap. 2. Theodorus Balſamon in epiſtolam S. Gregorii Thaumaturgi. S. Ber-

nardus epiſt. 174, & 190, ubi Petrum Abaelardum diris, aſperiſque objurgat, quod poſthabita SS. Patrum traditione proprias opiniones conſectaretur. Catalogum hic claudo, quandoquidem ſicut SS. Patrum Græcæ Eccleſiæ S. Johannes Damaſcenus; ita SS. Patrum Eccleſiæ Latinæ poſtremus circumfertur S. Bernardus: non eam quidem ob cauſſam, quod poſt Damaſcenum apud Græcos, & poſt Melliſluum apud Latinos defecerint in utraque Eccleſia Doctores, iique omnigena, ac gemina ſapientiæ, & ſanctitatis gloria præſtantiſſimi, uti de Alexandro Alenſi, Alberto Magno, SS. Thoma, Bonaventura, Antonio Patavino, Antonino Florentino, aliiſque latini eloquii hominibus; & de SS. Germano, & Nicephoro Conſtantinopolitanis; SS. Theodoro Studita, & Enlogio; Simeone Metaphraſte, Marco Eremita, S. Nicone Armeno, Moſe Barcepha, S. Methodio, S. Ignatio, Johanne Becco, ſeu Vecco, aliiſque liquet; ſed quod una cum ſcholaſtica diſputandi methodo, quæ in Orientali Eccleſia uſurpari ſæculo VIII, quo florebat S. Johannes Damaſcenus, incepit; in Occidentali autem ſæculo dumtaxat XII, quo in vivis agere deſiit S. Bernardus, obtinuit, tunc recens invecta in ſcholas, alia etiam nominum ratio in Eccleſiam inlata ſit, novique tituli a Doctoribus fuerint uſurpati. Interea ſi poſteriorum adhuc temporum a mox recenſitis Doctorum teſtimonia pro Traditione expetas, adire poteris Jodocum Coccium, ut innumeros alios præteream, in Theſauro Catholico lib. 6. de ſacris Scripturis art. 32, in cujus tamen lectione admoneo, ut tibi conſulas a ſcriptoribus, & ſcriptis pſeudo-epygraphis, a quibus vir ille alioqui doctiſſimus, ſed Criticæ artis non ſatis peritus, præcavere ſibi ſatis neſcivit. Manum non retraham, niſi SS. Thomæ, & Bonaventuræ hacce in re graviſſima teſtimonia proferam. Ille igitur 3. p. q. 25. art. 3. *Apoſtoli*, inquit, *familiari inſtinctu Spiritus Sancti quædam Eccleſiis tradiderunt ſervanda, quæ non reliquerunt in ſcriptis, ſed in obſervatione Eccleſiæ per ſucceſſionem fidelium*. Iſte vero Centiloquii par. 3. ſect. 38. de tribus fidei Symbolis Apoſtolico, Nicæno, & Athanaſiano differens, quæ indubie traditione dumtaxat in Eccleſia obtinent: *Cauſſa*, inquit, *conditionis* 1. *fuit certa traditio fidei*: *Cauſſa* 2. *fuit certa fidei propalatio*: *Cauſſa* 3. *fuit*

erro-

errorum pullulantium exterminatio. En tria, quæ juxta S. Doctorem præſtat traditio Apoſtolorum, & Patrum. Legeſis illum eo loci præclare docentem.

Præterea ex perpetua in Eccleſia cuſtodita conſuetudine, & iteratis, cum in Conciliis, tum extra Concilia ab Eccleſia ſanctionibus evincitur ea, qua par eſt, SS. Patrum recipiendas integra animi ſubmiſſione Traditiones. Enim vero traditione conſueviſſe Eccleſiam hæreſes profligare, & proſternere, omnis ævi exemplis conſtat. Contra Arium vocem *Omouſion* in Concilio Alexandrino, & Nicæno ex traditione adſertam teſtantur S. Athanaſius lib.de Synodis;de ſent. S.Dionyſii; & epiſt. ad Afros; Theodoretus lib. 1. cap. 8.; & Socrates lib. 1. cap. 8., & lib. 6. cap. 20. Contra Macedonium in I. Conſtantinopolitano traditione defenſam Spiritus S. Divinitatem eruitur ex SS. Baſilio, & Niſſeno locis cit. Neſtorium ab Epheſino traditione proſtratum patet ex epiſt. Capreoli Carthagin. ad Epheſinos Patres act. 1. inſerta, Patrumque ſuffragiis probata; ex Commonit. 2. cap. penult. Vincentii Lirin. affirmantis ab Epheſinis Patribus Neſtorium poſt expenſa SS. Patrum teſtimonia proſcriptum; & epiſt. Synodica ad S. Cæleſtinum, qua ſe nec a Scriptura, nec a Traditione diſcrepaſſe Synodus ſcribit. Eutychem a Chalcedonenſi traditione confoſſum liquet ex S. Leone in epiſt. ad Flavianum, qua Patrum teſtimonia congerit; ex S. Flaviano in epiſt. ad S. Leonem SS. Patrum teſtimonia integra, & inviolata eſſe ſervanda ſcribente; & ex Patribus Concilii act.2., 4, & 6, S. Leoni concinentibus, atque Patrum teſtimonia concelebrantibus. In eodem Chalcedonenſi Concilio act. 1. refertur a Mamante, & Theophilo presbyteris a Concilio miſſis ad Eutychem, qui ſe in Monaſterio ægritudine detentum ſimulabat, eumdem fuiſſe traditione refutatum. In Conſtantinopolitano II. tria Capitula traditione confixa conſtat ex collat.8. Traditione etiam duas in Chriſto eſſe naturas,& unam perſonam unica adoratione colendam in eodem Concilio decretum conſtat ex can. 8, & 9. In Conſtantinopolitano III. Monothelitis anathema irrogatum ab Epiſcopis traditione edoctis liquet ex act. 10,& 18., quibus SS. Patrum teſtimonia laudantur; & ex epiſt. S.Agathonis ad Imperatores lecta act. 4., qua contra Mono-

thelitas traditione decertat. Præluſerat univerſis S. Martinus I. in Concilio Later. ſecret. 5. traditione Monothelitas damnans. In Iconomachos anathematis telum intorſit Nicæna II. Synodus traditioni innixa; nam traditione Imagines colendas ibidem aſſeruit Euthymius Sardicenſis Epiſcopus; imo Synodus ipſa in definitione fidei inquiens: *Fatemur nos unanimiter Eccleſiaſticas traditiones ſive ſcripto, ſive conſuetudine valentes, & duratas retinere velle, quarum de numero eſt Imaginum affiguratio*. Tandem Concilium IV. Conſtantinopolitanum, ſeu Synodus VIII, & Synodus Tridentina traditiones retinendas, ac neceſſario obſervandas differte definiunt: illa quidem act. 20. cap. 1. his verbis: *SS. Patrum decreta, veluti inextinctæ quædam, ſemperque lucentes faces, ſequenda ſunt ... Traditiones enim ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam Majorum noſtrorum, qui vitæ ſanctitate nobis præluxerunt, acceptas diſerte magnus Apoſtolus Paulus tenendas monet*: iſta vero ſeſs. 4. Decret. de canon Script., cujus verba volenti præſto ſunt, quam ut heic proferam. Operoſum profecto eſſet, quæ ex Conciliis Provincialibus ad vindicandas traditiones ſuppeterent, omnia velle ſermone complecti: igitur quæ ex iis præcipua habentur, paucis accipe. Traditione actum eſt in Concilio Romano ſub S. Cornelio contra Novatianos. Traditione actum in Concilio Antiocheno ſub S. Dionyſio contra Paulum Samoſatenum. Traditione actum contra Pelagium in Concilio Millevitano ſub S. Innocentio I. Traditione actum contra Priſcillianiſtas in Concilio Bracarenſi ſub Johanne III. Traditione actum ſub S. Martino I. in Concil. Lateranenſi contra Monothelithas, quos traditione Stephanus Dorenſis, & Sophronius Hieroſolymitanus, ut legitur ſecr. 2., confutarunt; atque traditione ſuffultus anathemate Martinus I. confixit. Traditiones retinendas, religioſeque obſervandas edixerunt Concilia Laodicenum c. 24.; Trullanum can. 8, & 9.; Arelatenſe II. cap. 27, & 28; Arelatenſe IV. cap. 1; Carthaginenſe III. cap. 47.; Gangrenſe can. 20.; Toletanum XII. cap. 4; Senonenſe can. 5, & Trevirenſe can. 4.

Poſt hæc Traditione controverſias in Eccleſia dirimere Pontificibus Maximis ſolemne ſemper fuit. Ita Paſcha die Dominico, non etiam

etiam Luna 14. celebrandum decrevit S.Victor I. contra Asianos. Ita ab hæreticis baptizatos non iterum baptizandos definivit S.Stephanus I. contra Afros, ea de re laudatus a Vincentio Lirin. in Commonit.cap.9.Ita S.Damasus epist.ad Episcop.Illyrici apud Nicephorum lib.2. cap.31. SS. Patrum retinendas esse sententias, ne variis doctrinis, ac variantibus consiliis seducantur, illos instruit. Ita S. Siricius epist. ad Himerium Anabaptisinum inter alia sola traditione rejicit. Ita S. Innocentius I. in epist. ad Decentium Eugub., si instituta ab Apostolis tradita servarentur, inter sacerdotes nulla suborienda dissidia asserit. Ita S. Cælestinus in epist. ad Galliar. Episcop. vocum novitatibus objiciendam vetustatem docet. Ita S. Sixtus III. in epist. ad Johannem Antiochenum, *Nihil ultra liceat*, inquit, *novitati, quia nihil adjici convenit vetustati.* Ita S.Leo Magnus serm. de Quadragesi.; serm.2. de Jejunio Pentecostes; serm.9. de Jejunio 7.mensis; & epist.8. ad Flavianum, docet perpetuo traditiones Apostolicas a Spiritu S.dictatas omni devoto modo observandas esse. Ita S. Hormisdas in epist. ad Posseſſorem Africanum errare hæreticos edicit, ac in devia abripi Semipelagianos præsertim, eo quod a recta, quam docuere SS. Patres, via deflecterent: *Errat*, inquit, *is, qui a via, quam Patrum electio monstravit, exorbitat.* Ita S. Gregorius Magnus, lib. 2. epist. 37.; lib. 7. epist. 61.; lib. 9. epist. 6. totus in id incumbit, ut Traditiones in Ecclesia receptas retinendas esse doceat, jubeatque: e quibus rite baptizatos ab hæreticis ad Ecclesiam confugientes recipi vult, aut sola unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei. Ita S. Agatho in epist. ad Constantinum Imp., & ipsius filios dogmata traditione accepta religiose custodienda, ac retinenda docet. Ita S. Leo II. in epist. ad Constantinum Imper. Synodum VI. confirmans de fide in ea definita a S.Agathone, ac a Synodo VI. accepta ex traditione, & testimoniis Patrum, nulli dubium esse fide divina eadem esse credenda scribit. Ita Hadrianus I. in epist. ad Constantinum, & Irenem B. Petri Principis Apostolorum traditione Christi Domini, ejusque Sanctissimæ Genitricis effigies venerandas asserit. Ita S.Nicolaus I. in epist. ad Carolum Regem admonet, ne Apostolicæ Sedis privilegia, & statuta SS. Patrum vilescere, aut vio-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

violari patiatur. Ita Innocentius III. diſt. 4. Eccleſiam Romanam multa ab Apoſtolis accepiſſe affirmat: ſubditque: *Multa ſunt in Evangelio omiſſa, quæ per Apoſtolos ſunt ſuppleta ſcripto, & verbo.* Multo plura infra proferemus.

Poſtremo ratio Theologica evincit traditiones eſſe admittendas, tenendas, & obſervandas, quandoquidem plurima ſunt, quæ a priſcis ævis integra, & inviolata obſervat Eccleſia, quæ tamen ex verbo Dei ſcripto vix, ac ne vix quidem conſtant, aut in eo obſcure admodum, implexe, ambigue, impervie continentur. Enim vero nonne Traditione a Majoribus derivata, ſub arcani diſciplina tribus ſæculis religioſe ab Eccleſia reſerata, jugi tamen ſerie ad nos tranſmiſſa accepta referenda Apoſtolis ſunt, quæ uſu venerunt de Religionis cultu; de morum regulis; de Sacramentorum ritibus; de Eccleſiaſticis dignitatibus, & Officiis; de Miniſtrorum electionibus, & ordinationibus; de peccatorum pœnitentiis, & remiſſionibus; de pœnitentium gradibus, & ſtationibus; de Cathecumenorum ſpeciebus, & inſtitutionibus, horumque ſimilibus multis, de quibus adeundi Scheleſtratius diſſert. de diſciplina Arcani; Martenius de antiq. Eccleſ. ritib.; Morinus exercit. Eccleſ. lib. 2. cap. 1; & Cardinalis Bona rerum Liturgic. lib. 1. cap. 16. Nonne quæ in Eccleſia præcipuo habentur loco dogmata, a quibus neque Proteſtantium multi plerumque abhorrent, Traditione obtinent? Quid quod ſacræ Scripturæ authenticæ ex Traditione evaſerunt? De ea Clemens Alexandrinus lib. 6. hypotip. apud Euſebium; S. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 1; S. Serapion apud Euſebium lib. 5. cap. 19; Origenes tract. 29. in Matth.; Tertullianus lib. 4. adver. Marcion. cap. 5; pſeudo-Athanaſius in Synopſi; S. Cyrillus Hieroſolymit. in Cathec.; S. Hieronymus in prolog. galeat.; S. Auguſtinus ſerm. 191. de tempore; lib. 11. contra Fauſtum cap. 2, & ſæpe in libris de Doctr. Chriſtian.: Concilia Laodicenum can. 60. relato in Capitulari Aquisgranenſi Caroli Magni cap. 20; Carthaginenſe III, cap. 47; Romanum ſub S. Innocentio I. epiſt. 3; Romanum alterum ſub S. Gelaſio relatum cap. *Sancta Romana Eccleſia* diſt. 15., & Tridentinum ſeſs. 4. decreto de canonic. Scripturis. Proteſtantes ipſi S. Scripturæ divinam auctoritatem nonniſi Traditione tenere, divinam-

vinamque hanc Traditionem loco ſe habere profitentur. *Hanc Traditionem*, inquit apud Lindanum lib. 1. Panopl. cap. 3. ſuorum nomine Johannes Brentius, *affirmamus eſſe certam, firmam, indubitatam, imo neceſſariam, & omnibus modis amplectendam.* Cur vero non etiam ceteras? Quid quod ſacræ Scripturæ ſenſus non niſi ex Traditione liquido hauritur? Ita S. Irenæus lib. 4. cap. 63; Clemens Alexand. lib. 7. ſtrom.; S. Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 27; S. Auguſtinus lib. contra epiſt. fund. cap. 5. Quid plura? Confer, ſi libet, ſubjunctas notas, (quas cur ſubjunxerim in proleg. jam prænotavi, ſed & paulo infra ſubtexam): ex quibus liquido adparet SS. Trinitatis (1); & Incarnationis Dominicæ (2) myſteria: B. Vir-

(1) SS. Trinitatis Myſterium potius quam ex Scriptura, ex Traditione probat Synodus Sardicenſis. Nomen *Ingeniti* de Patre dictum ex traditione haberi affirmat S. Gregorius Nazian. orat. 5. Nomen *Conſubſtantialis* de Filio ex traditione defendi ait S. Auguſtinus epiſt. 174.; Concilium Nicænum decrevit, ex Socrate lib. 1. cap. 8.; S. Athanaſius teſtatur in epiſt. ad Africanos, & epiſt. de Synodis Arimin., & Seleucienſi. Divinitatem Spiritus S. poſt Synodum Rom. ex traditione vindicavit Concilium I. Conſtantinopolit. adverſus Macedonium. Spiritus S. proceſſionem a Filio ex traditione patere faſſus eſt Joſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus in Concil. Florent. ſeſs. 25. Spiritus S. coæqualitatem, & conſubſtantialitatem ex traditione agnovit Synodus Illyriciana a S. Damaſo edocta; & probat S. Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 27.

(2) Divini Incarnatio Verbi, ſeu aſſumtio carnis, non ita inhabitatio in carne, ut volebat Neſtorius, nec item converſio in carnem, ut contendebat Eutyches, ex Traditione definita eſt a Conciliis Epheſino, & Chalcedonenſi; a SS. Cæleſtino, & Leone Pontificibus maximis; demonſtrata vero adverſus Neſtorium a S. Cyrillo Alexandrino. Apage autem Rodonem Davidem Calviniſtarum deterrimum, qui lib. de ſuppoſito, quo ab errore Neſtorium expurgare, S. Cyrillum afflare non erubuit. In Chriſto duas naturas, duas voluntates, & duas operationes ex Traditione oſtenderunt S. Martinus I. in Concilio Later., & S. Agatho in Concilio III. Conſtantinopolitano. Chriſtum Dominum deſcendiſſe ad inferos, & Patres inde eduxiſſe, ex traditione haberi teſtantur S. Ignatius in epiſt. ad Trallianos; Tertullianus lib. 4. contra Marc.; S. Irenæus lib. 5. cap. 31.; Origenes hom. 15. in Geu.; S. Athanaſius de Incarn. Chriſti; S. Chryſoſtomus hom. 4. in S. Marcum; S. Ambroſius ad Epheſ. cap. 4.; S. Hieronymus epiſt. 23.; S. Auguſtinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 15., & epiſt. 99. ad Evodium. Dominicæ Crucis ſignum dæmonibus eſſe terrori, hominibus ſaluti; & omnia Sacramenta eo ſigno perfici traditionem eſſe Apoſtolicam affirmant pſeudo-Clemens lib. 8. conſtit. apoſtol.

B. Virginis Mariæ Divinam Maternitatem (3), & a culpa omni immunitatem: Sacramentorum (4), numerum, materiem, formam

---

ſtol. cap. 12.; pſeudo-Dionyſius lib. de Eccleſiaſt. hierarch. cap. 5.; S. Ignatius in epiſt. ad Philippenſes; S. Irenæus lib. 2. cap. 41.; S. Cyprianus epiſt. 56; S. Cyrillus Hieroſol. cath. 4, & 13; S. Gregorius Nazianz. orat. 3, & 19; S. Auguſtinus tract. 118. in Johan.

(3) B. Virginis Mariæ Divina Maternitas ex Traditione definita eſt a S. Cæleſtino, & Concilio Epheſino. Perpetuam ejuſdem B.V. Virginitatem conſtare ex traditione auctores ſunt Origenes hom. 7. in Lucam; S. Athanaſius ſerm. de S. Maria, & Joſeph; S. Cyrillus Alex. lib. 2. de recta fide; S. Hieronymus lib. 1. contra Jovin. cap. 18, & contra Elvidium; S. Ambroſius epiſt. ad S. Siricium; S. Epiphanius hæreſi 78; S. Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 84; S. Leo M. epiſt. 4. ad Epiſcop. Siciliæ; S. Sophronius in Synod. ad Sergium lecta in VI. Synodo; Theodorus Hieroſolym. in Synod. lecta in VII. Synodo act. 3. Ejuſdem B. Virginis Mariæ immunitatem ab omni peccato actuali, ſeu perſonali, haberi ex traditione teſtantur, S. Juſtinus in q. 136, ſi tamen verus eſt auctor; Origenes hom. 1. in diverſ.; S. Epiphanius ſerm. de laudib. S. Mariæ; S. Cyrillus Hieroſolym. homil. in dormit. Deip. laudatus in Synodo Hieroſolym. anno 1672; S. Auguſtinus lib. de nat., & grat. cap. 36; S. Gregorius in 1. Reg. cap. 1; S. Paulinus Aquilej. in ſymbolo fidei; S. Bernardus ſerm. 2. de Aſſumt.. Ejuſdem in Cælum aſſumptionem anima, & corpore ex traditione docuere Euſebius in Chron. ad annum 48; S. Epiphanius hær. 42; S. Ambroſius de aſſumt.; S. Damaſus de Dorm. B. V. M.; Eutychius Alex. lib. 3. hiſt. univer. cap. 40; V. Beda hom. 7. in var. ſer. B.V. M.; Concilia Lugdunenſe, & Moguntinum.

(4) Sacramentorum (Lutherus anno 1520. unum; 1527. duo; 1530. tria: Calvinus duo, Baptiſmum, & Cœnam agnovere) ſeptenarium, materiam, formam, effectus, & cæremonias ex traditione conſtare univerſim docent Concilia Londinenſe II. c. 2; Colonienſe II. c. 7; Moguntinum II. c. 11; Moguntinum IV. cap. 11; Senonenſe cap. 10; Conſtantienſe; Florentinum, & Tridentinum ſeſs. 7. Diſt. 11. cap. *Eccleſiaſticarum*; cap. *Ad abolendam* de hæreticis; & ſequentia evincunt. Baptiſmum ex opere operato, ut inquiunt, conferre gratiam docent ex traditione pſeudo-Dionyſius lib. de Eccleſiaſt. hier. capp. 4, & 7; S. Juſtinus apolog. 2. ad Antoninum Pium; S. Irenæus lib. 3. cap. 19; Clemens Alex. lib. 1. pædagog. cap. 6; S. Cyrillus Hieroſol. præfat. in cath.; S. Gregorius Nazianz. orat. 4; S. Cyrillus Alex. lib. 2. in Johann. cap. 72; Tertullianus de Baptiſmo; S. Cyprianus epiſt. 2, & 76; S. Ambroſius de Sacramentis lib. 1. cap. 7; S. Auguſtinus lib. 1. contra duas epiſt. Petil. cap. 13; S. Gregorius M. lib. 9. epiſt. 39; Leo X. conſtit. 40. *Exurge*. Concilia Illiberitanum c. 77; Lateranenſe IV. c. 1; Viennenſe Clem. *De fide*; Londinenſe I; Moguntinum IV. c. 13; Colonienſe II. cap. 3; Florentinum in decreto unionis; Tridentinum ſeſſ. 7. Confer diſt. 4. de Conſecr.,

mam, effectus, characterem, Miniſtrum, aliaque nonnulla ad-

ſecr., ibi plures Canones. A baptiſmo characterem imprimi habent ex Traditione pſeudo-Dionyſius loc. cit.; S. Baſilius in hortat. ad bapt.; S. Cyrillus cath. 3, 4, & 18; S. Epiphanius hær. 8; S. Auguſtinus lib. 2. contra Petil. cap. ult.; S. Petrus Damiani lib. 4. cap. 10. Baptiſmo abluendos parvulos, ut habetur cap. *Majores* de baptiſmo, & de conſecr., diſt. 4. cap. *Non illud*; & cap. *Baptiſmus*, docent ex traditione pſeudo-Clemens lib. 6. conſt. cap. 15; pſeudo-Dionyſius de Eccleſ. Hier. cap. 7; pſeudo-Juſtinus q. 16; S. Irenæus lib. 2. cap. 39; S. Baſilius ubi ſupra; S. Chryſoſtomus in pſal. 14; S. Cyprianus epiſt. 59; S. Hieronymus in dialog. 3. adver. Lucifer.; S. Auguſtinus lib. 4. contra Donat. cap. 23. Concilia Carthaginenſe V. cap. 6; Milevitanum can. 2; Senonenſe c. 17; Moguntinum IV. can. 13. Baptiſmum in neceſſitatis articulo a quolibet conferri poſſe conſtat ex traditione apud Tertullianum lib. de baptiſmo cap. 17; S. Hieronymum in dialog. adver. Luciferianos; S. Auguſt. lib. 2. contra Parmen. cap. 13; S. Gelaſium epiſt. ad Epiſc. Lucaniæ; S. Iſidorum lib. de offic. Eccleſ. lib. 2. cap. 29. Baptiſmum ab hæreticis collatum non eſſe reiterandum liquet ex traditione, cujus locupletes teſtes ſunt S. Stephanus in epiſt. ad S. Cyprianum apud ipſum; S. Auguſtinus lib. 2. contra Donatiſt. cap. 7; Concilium Nicænum; S. Siricius in epiſt. ad Himerium laudans Liberium deceſſorem ſuum; Concilia Arelatenſe I. c. 8; Lateranenſe IV. c. 1; Moguntinum IV. c. 13; Tridentinum ſeſſ. 4; S. Zacharias epiſt. 10; S. Innocentius I. epiſt. 22; S. Gregorius M. lib. 2. epiſt. 32, & 33, & lib. 9. epiſt. 61; S. Nicolaus I. ad conſulta Bulgar. c. 104; S. Gregorius III. epiſt. 1; Concilia Cabillonenſe III. c. 27; Toletanum I; Senonenſe c. 10; De conſecr. diſt. 40. C. *Quamvis*; C. *Solet*; cap. *Aliud eſt*, C. *Quomodo*; cap. *Nullus autem*; C. *Cum tantum*; C. *Satis*; C. *Ab antiqua*; c. *De Arianis*; 1. q. 1, cap. *Quod quidam*; De Trinit. C. 1.

Sacramentum Confirmationis a Chriſto Domino inſtitutum docet ſacra Traditio teſtibus pſeudo-Dionyſio de Eccleſ. hier. par. 2. cap. 2; S. Irenæo lib. 1. cap. 20, & lib. 4. cap. 75; Clemente Alex. lib. 6. Strom.; Origene hom. 8. in Levit.; Conciliis Nicæno can. 55. Arabico; Laodiceno can. 48; Trullano can. 96; S. Cyrillo Hieroſol. in Cath. 4. myſtag.; S. Gregorio Nazianzeno orat. in S. Lavacrum; S. Epiphanio hær. 21; S. Chryſoſtomo in cap. 8. Act. Apoſt.; S. Iſidoro Peluſ. lib. 1. epiſt. 450; SS. Innocentio I. epiſt. 1; Gregorio I. lib. 3. epiſt. 9, & 27, & lib. 8. epiſt. 46; Gregorio II. epiſt. 14; Concilio Illiberitano can. 38; S. Ambroſio de initiandis S. Myſt.; S. Auguſtino lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104; Theodoreto in 1. Cantic.; Conciliis Londinenſi I. c. 3.; Senonenſi c. 10; Conſtantienſi ſeſſ. ult.; Colonienſi II. cap. 10; Moguntino IV. c. 17, & 18; Florentino, & Tridentino. Confirmatione gratiam conferri, & imprimi characterem traditione conſtat apud Patres Conciliorum Cabillonenſis III. cap. 27; Florentini, & Tridentini; apud S. Cyprianum ſerm., ſi ejus tamen eſt, de ablut. ped., & epiſt. 72, & 73; S. Cyrillum cath. 3; S. Hieronymum in 2. ad Corinth.; S. Auguſtinum loc. cit.

juncta, ut Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, ex-

cit.; S. Gregorium II. epiſt. 14; de conſecr. diſt. 5. C. *Sollicitus*, C. *Manus*; C. *De his vero*; & in 6. C. *Quoniam*; S. Pacianum ſerm. de baptiſ., & epiſt. 1, & 3. ad Sympron.; S. Optatum lib. 7. contra Donatiſt.; Concilium Illiberitanum can. 38; Arelatenſe I. cap. 8; Arelatenſe II. cap. 17; Arauſicanum an. 440. cap. 1, & 2. Ex S. Leone epiſt. 37, & 88; S. Gelaſio epiſt. ad Epiſc. per Lucaniam, & Siciliam conſtit. cap. 7; Johanne III. epiſt. ad Epiſcopos Germ., & Galliæ; S. Gregorio Magno ſupra laudato; Concilio Aurelianenſi apud Gratianum de conſecr. diſt. 5; Toletano IV. cap. 15; S. Iſidoro lib. 2. de officiis cap. 26; V. Beda in pſal. 26, in 22. Luc., & 8. Act. Apoſt.; S. Gregorio III. epiſt. 2, & 4. ad S. Bonif.; Alcuino de divin. Offic. cap. 19; Concilio Cabillonenſi II. cap. 27; Pariſienſi an. 829. cap. 33, Meldenſi cap. 6; S. Nicolao I. epiſt. ad Rodulphum Bituricenſem; Innocentio III. epiſt. ad Vicarium Conſtantinopolitan. Confirmationis miniſtrum (ordinarium intellige) eſſe Epiſcopum ex Traditione docetur a Concilio Illiberitano can. 38; S. Johanne Damaſceno epiſt. 4; Concilio Wormatienſi I. can. 8; Londinenſi I. can. 3; Senonenſi can. 10; Conſtantienſi contra art. 28. Wicleffi; Florentino in decreto unionis; Trident. ſeſſ. 7; Johanne V. epiſt. unica; S. Innocentio I. epiſt. ad Decentium; S. Gregorio I. epiſt. 9, & 26; Concilio Pariſienſi VI. cap. 27; Hiſpalenſi II. can. 7; Toletano VIII. can. 7; De conſecr. diſt. 5. C. *De his vero*; C. *Noviſſime*; C. *Ut Epiſcopi*. De conſuetudine c. 4. Innocentio IV conſtit. 4. *Sub Catholicæ*.

Sacramentum Euchariſtiæ gratiam conferre digne ſuſcipienti ex Traditione teſtantur, ante Eugenium IV. in decr. union.; Leonem X. conſt. 40, Concilia Colonienſe II. can. 3; Moguntinum IV. c. 20; Tridentinum ſeſſ. 17, pſeudo-Clemens lib. 8. conſt. cap. 14.; S. Ignatius in epiſt. ad Epheſios; S. Irenæus lib. 4. c. 37; Clemens Alex. lib. 2. pædag. cap. 2; Origenes lib. 8. contra Celſum; S. Baſilius lib. 1. de baptiſm. cap. 3; S. Gregorius Niſſenus orat. cathech. cap. 37; S. Chryſoſtomus hom. 11. in Matth.; S. Cyrillus Alex. lib. 4. in Johan. cap. 17; Tertullianus lib. de reſurrect. Carn. cap. 8; S. Cyprianus epiſt. 14; S. Hilarius lib. 8. de Trinit.; S. Ambroſius lib. 5. de Sacrament. cap. 7; S. Auguſtinus in pſal. 33; V. Beda in pſalm. 21. In Miſſa vino miſcendam aquam liquet ex Traditione Dominica, cujus meminere S. Juſtinus apolog. 2; S. Irenæus lib. 4. cap. 17; S. Cyprianus epiſt. 63; Concilium Carthaginenſe III. can. 24; Liturgiæ nomine SS. Clementis, Petri, Jacobi, Marci, Baſilii, Chryſoſtomi &c. inſcriptæ. Sacramentum Pœnitentiæ conferre gratiam ex opere operato, tribuſque partibus conſtare, contritione ſcilicet, confeſſione, & ſatisfactione, jugi Traditioni innixi nobis reliquere S. Clemens in epiſt. ad Corinth. apud Cottelerium; S. Irenæus lib. 1. cap. 9; Origenes hom. 2, 3, & 11. in Levit.; Concilium Nicænum can. 11; S. Cyrillus Hieroſol. cath. 2; S. Baſilius ſerm. de pœnit.; S. Gregorius Nazianz. orat. 39; S. Chryſoſtomus de compunctione cordis; Tertullianus lib. de pœnit.; S. Cyprianus lib. de lapſis, & epiſt. 12; S. Ambroſius lib. 1. de pœnit.

cap.

extrema Unctio, Ordo ſacer, & Matrimonium, rite, digne-

 que,

cap. 4; iſti ſcilicet de contritione docent. De confeſſione pſeudo-Dionyſius epiſt. 8; S. Irenæus loc. cit.; Origenes ibidem; S. Baſilius in regul. 288; S. Gregorius Niſſenus orat. in eos, qui alios acerbe judicant; S. Chryſoſtomus hom. 33. in Iohann.; Lactantius lib. 4. inſtit. cap. 17; S. Hilarius in 18. Matth.; S. Pacianus in Paræneſi ad pœnit.; S. Ambroſius in exhort. ad pœnit.; S. Hieronymus ad cap. 10. Eccleſiaſt; S. Auguſtinus hom. 49. ex 50. pſeudo-Auguſtinus lib. 2. de viſit. infirm.; S. Innocentius I. epiſt. ad Decentium; S. Leo epiſt. 8; S. Gregorius hom. 26. in Evang. De Satisfactione Tertullianus lib. de pœnit. cap. 9; S. Cyrillus cath. 2; S. Chryſoſtomus ſerm. de confeſſ.; S. Leo epiſt. 91; Theodoretus lib. 4. hæret. fabul. cap. 10; Julianus Pomerius lib. 2. de vita contempl. cap. 7; Sidonius epiſt. 14; S. Audoenus in vita S. Eligii cap. 7; Concilia Arelatenſe cap. 24; Valentinum can. 2, & 3; Toletanum I. can. 5, & 6; Nicænum I. can. 11; Cabillonenſe an. 813. can. 17; Turonenſe III. can. 22; Rhemenſe II. can. 12; Pariſienſe VI. can. 32, & 46; Moguntinum an. 847. can. 26; & Wormatienſe an. 868. cap. 25. De Sacramento Pœnitentiæ, non ſecus, ac Confirmationis, & ſacræ Ordinationis auctor tibi ſum, ut conſulas doctiſſimos Morinum; l'Herminier; Berti; auctorem libb. de re Sacram.; Juveninum, Tournellium, Concinam, & Chardonum.

Extremam unctionem eſſe Sacramentum ex Traditione nos edocent S. Irenæus lib. 1. cap. 18; Origenes hom. 2. in Levit.; Canon 69. Nicæno-Arabicus; S. Ephrem de vita ſpirit. cap. 7; S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio; S. Cyrillus Alexandr. de adoratione lib. 6; Victor Antiochenus; Theophylactus; & Euthymius ad cap. 6. S. Marci; pſeudo-Ambroſius in Miſſa; pſeudo-Auguſtinus lib. 2. de viſit. infirm. cap. 4; S. Auguſtinus ſerm. 215. de temp.; S. Hieronymus in cap. 14. Oſeæ, & in vita S. Hilarionis, S. Innocentius I. in epiſt. ad Decentium; S. Gregorius Turonenſis lib. 6. hiſt Francor. cap. 7; Alcuinus de divin. offic. cap. 40. de infirm.; Ven. Beda ad cap. 6. S. Marci; S. Petrus Damiani ſerm. 1. in dedicat. Eccleſiæ; Rupertus lib. 1. de divin. offic. cap. 18; S. Anſelmus in elucidario. Idem Sacramentum ſalutare eſſe, idemque a ſolo ſacerdote miniſtrandum, atque quidem oleo ab Epiſcopo conſecrato traditio eſt, cujus teſtes ſunt S. Innocentius I. in epiſt. ad Decentium; Ven. Beda in cap. 6. *Marci*; Concilia Florentinum in decreto unionis; Conſtantienſe in conſtit. Martini V; Lateranenſe III. cap. 22; Regiaticinenſe cap. 8; Moguntinum IV. can. 24; Londinenſe II. can. 3; Senonenſe cap. 10; Tridentinum ſeſſ. 7, & 19. De verbor. ſignif. cap. *Quæſivit*, & cap. *Licuit*. Ordinem Sacramentum eſſe a Servatore noſtro inſtitutum ex traditione credimus, cujus teſtes ſunt pſeudo-Dionyſius de Eccleſ. hier. cap. 1; S. Ignatius in epiſt. ad Smyrn., ad Epheſ., ad Polycarp., ad Magneſ., ad Trall., Theophilus Alex. allegoriar. cap. 6; Concilia Ancyranum cap. 13; & Chalcedonenſe cap. 2; Tertull. exhort. ad caſtit.; S. Baſilius lib. 2. de baptiſ. cap. 8; S. Gregorius Nazian. orat. 21. de S. Athanaſio,

que, ut decet, oportetque, ſive adminiſtrentur, ſive ſuſcipian-

ſio; S. Gregorius Niſſenus orat. de S. Baptiſ.; S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio; S. Ambroſius lib. 4. de dignit. Sacerd. cap. 4, & in 1. ad Timoth. 4; S. Hieronymus in cap. 58. Iſaiæ, & dialog. 3. adver. Lucif.; S. Auguſtinus lib. 1. contra Donatiſt. cap. 1, & lib. 2. contra Parmen. cap. 13; Theodoretus in cap. 5. epiſt. 1. ad Timoth.; S. Innocentius I. epiſt. 11. cap. 3; S. Leo epiſt. 81, & 87; S. Gelaſius epiſt. 16; S. Anaſtaſius II. epiſt. ad Anaſtaſium Imp.; S. Gregorius in 1. Reg. 10; S. Iſidorus lib. 2. divin. offic. cap. 1; Ven. Beda lib. quæſt. in Joſue cap. 15; Alcuinus lib. de divin. offic. cap. 35; Victor Antiochenus in cap. 3. S. Marci; Theophylactus in cap. 19. Luc., & in 2. ad Timoth. 1; Œcumenius in 2. ad Timoth. 1; Amalarius de divin. offic. cap. 6. lib. 2; S. Petrus Damiani epiſt. 11., & 15; Ivo Carnotenſis epiſt. 180; aliique apud Coccium lib. 8. de Ord. art. 1; Concilia Hiſpalenſe II. cap. 5; Carthaginenſe IV. can. 3; Bracarenſe II; Londinenſe II. can. 2; Senonenſe can. 10; Toletanum XXII. can. 25; Conſtantienſe contra 28. art. Wicleffi; Florentinum, & Tridentinum locis cit. Varii Ordinum gradus habentur ex conſtanti traditione apud pſeudo-Clementem lib. 3. conſtit. cap. 15; S. Ignatium in epiſt. ad Smyrn.; pſeudo-Dionyſium de Eccleſ. hier.; Concilium Laodicenum can. 24; S. Hieronymum epiſt. 2, & in cap. 2. epiſt. ad Tit.; Concilium Carthaginenſe IV. a can. 1. ad 10; S. Gregorium epiſt. 54. Epiſcopos jure divino ſuperiores eſſe Sacerdotibus Traditio conſtantiſſime retenta nos admonet, ut conſtat ex S. Clemente in epiſt. ad Corinth.; pſeudo-Dionyſio loc. cit.; S. Ignatio cit. epiſt. ad Smyrn., Epheſ., Magneſ., Trallian., & Polycarpum; Origene ſerm. 3. in Cantic., & hom. 17. in Luc.; Canone 60. Nicæno-Arabico; S. Innocentio epiſt. ad Decentium; Conciliis Bracarenſi I. can. 37, & Bracarenſi III. can. 3; S. Epiphanio hær. 29, 75, & 78; Tertulliano lib. de præſcript. cap. 32, & lib. de baptiſ. cap. 17; S. Cypriano epiſt. 37, & 68; S. Auguſtino lib. de hæreſ. cap. 53; S Irenæo lib. 3. cap. 3; Concilio Illiberitano can. 36, & 37; S. Paciano epiſt. 1. adverſus Sympronianum. Quam in rem legito poſt Petavium de Eccleſ. hier., Cotellerium in epiſt. S. Ignatii, & Witaſſium, diſſert. 44. doctiſſimi Natalis in hiſt. Eccl. Sæculi IV; eruditiſſimi P. Berti Theolog. diſcipl. lib. 36. cap. 11, diligentiſſimi Chardoni hiſt. Sacram. tom. 3. de Ord. lib. 2. cap. 1. & ſeqq.; & clariſſimi Mamachii orig. & antiq. Chriſt. lib. 4. cap. 4; a quibus argumentum hoc ad umbilicum uſque præ aliis perductum eſt; quique Proteſtantium, & Presbyterianorum Anglorum, ſeu Puritanorum maxime argumenta in oppoſitum non oppugnarunt modo, ſed expunxerunt, & penitus exploſerunt. In ſacra Ordinatione characterem imprimi nunquam delendum ex traditione item docent S. Gregorius Niſſenus lib. de baptiſ.; S. Cyprianus ſer. de ablut. pedum, ſi tamen ejus eſt; S. Auguſtinus de bono conjugii cap. 24.

Matrimonium eſſe novæ legis ſacramentum ex Traditione luculenter demonſtrarunt S. Irenæus lib. 1. cap. 1; Tertullianus lib. 2. ad uxor. cap. 9; S. Innocentius I. epiſt. 9; S. Ambroſius de Patriarcha Abraham; S. Auguſti-

nus

piantur : Chriſti Domini (5) in Euchariſtia Corpore, Anima, & Di-

nus de bono conjugii lib. 1. cap. 7 ; S. Chryſoſtomus in Geneſ. ; S. Cyrillus lib. 2. in Johann. cap. 22 ; S. Petrus Damiani ſerm. 1. in dedicat. Eccleſ. ; Hugo Victorin. lib. 8. de Sacram. cap. 19 ; Concilia Lateranenſe III. tit. de ſponſal. c. 31 ; Senonenſe tit. de Matrim. c. 10 ; Londinenſe II. c. 9 ; Moguntinum IV. cap. 39 ; Colonienſe II. cap. 40. Matrimonium ratum non conſummatum diſſolvi per ſolemnem profeſſionem religioſam ex traditione docetur cap. *Verum* de converſ. conjug. ; cap. *Ex Puber.* ; & cap. *Deſponſatam* 27. q. 2. Matrimonii impedimenta ab Eccleſia jam pridem inducta liquet ex S. Ambroſio lib. 8. epiſt. 66. ad Paternum ; S. Auguſtino lib. 15. de Civit. cap. 16 ; Concilio Agathenſi an. 506. cap. 61 ; Illerdenſi cap. 4 ; Toletano II. cap. 5 ; Lugdunenſi II. an. 585. can. 4 ; S. Gregorio M. lib. 12. epiſt. 32 ; S. Iſidoro lib. 9. Etymolog. cap. 3 ; S. Gregorio III. epiſt. ad S. Bonifacium ; Concilio Romano ſub S. Zacharia ; Moguntino an. 813. can. 54. ; S. Nicolao I. ad conſulta Bulgaror. cap. 39 ; Concilio Wormatienſi an. 868. cap. 32 ; Johanne VIII. epiſt. 198 ; Alexandro II. 35. q. 5 ; Ivone Carnot. epiſt. 114, 156, & 263. Mitto ſequiorum temporum decreta. Matrimonia clandeſtina improbata ſunt ex traditione apud S. Ignatium epiſt. ad Smyrn. ajentem : *Ducentes uxores, & nubentes cum arbitrio Epiſcopi jungantur* ; & apud Tertullianum lib. de pudicitia. In Matrimonio benedictionem Sacerdotis adhibendam liquet ex Tertulliano lib. 2. ad uxor. ; & lib. de veland. Virgin. ; S. Gregorio Nazianz. epiſt. 57 ; S. Siricio epiſt. ad Himer. ; S. Ambroſio epiſt. 10 ; S. Hormiſda apud Ivonem, & Gratianum. Vide Petrum de Marca opuſ. de Matrim. Poſt quæ quis patienti aure excipiat vel Chriſtianum Tomaſium, vel Johannem Lyſerum utrumque e Proteſtantium grege, quam impure, tam impudenter pugnantes legi naturæ, aut juribus connubii non adverſari Concubinatum, aut Polygamiam ! Hanc de Sacramentis ſpartam admodum egregie adornarunt, quos ut adeas conſulo, uti qui traditionis momentis, quæ nos vix præguſtavimus, undequaque ita communiant, vindicent, & ſarta tecta ſervent, ut contra muſſitare Novatoribus non ſit, præ aliis de hacce re dogmatica optime quoque meriti, Arcudius, Goarius, Petavius, Hallier, Habert, Morinus, Tournellius, Renaudotius, Laurea, Martenius, Natalis, Juveninus, Witaſſius ; Gotti, Renatus Hiacyntus Honoratus Drovin auctor. duor. volum. de re ſacram., Berti, Aſſemanus, Chardonus, Antoine, aliique ſuis laudati locis.

(5) In Euchariſtia præſentem adeſſe adeſſe Corpore, Anima, & Divinitate Chriſtum Dominum, eumque in ea adorandum Traditio docet a SS. Patribus ad nos integre, intemerateque tranſmiſſa, e quibus, & quidem primo e Græcis laudantur, S. Ignatius in epiſt. ad Romanos, ad Epheſ., & ad Smyrnenſes, quam laudavit Theodoretus dialog. 3 ; S. Juſtinus in Apolog. 2. ad Antonin. Pium, quæ tamen prima reapſe eſt ſcripta an. 150 ; S. Irenæus lib. 4. adv. hær. cap. 34, & lib. 5. cap. 2 ; Ammonius Alex. in harmonia 4. Evang. cap. 15 ; Origenes hom. 13. in Exod, 7. in Numer., 5. in diverſ., & lib. 8.

con-

& Divinitate, ſub Speciebus panis, & vini præſentiam: eidemque prop-

contra Celſum; S. Dionyſius Alexand. epiſt. ad Sixtum Papam; S. Petrus Alex. ſerm. de pœnit. can. 8; Concilium Nicænum I. can. 18; S. Athanaſius orat. de fide apud Theodoretum dialog. 2; Euſebius lib. 1. demonſt. cap. 12. S. Cyrillus Hieroſol. cath. 3, 4, & 5; S. Baſilius exhort. de baptiſ.; ſerm. 2. de baptiſmo cap. 31, & epiſt. ad Cæſaream Patritiam; S. Gregorius Nazian. orat. 2, 3, & 11; S. Gregorius Niſſenus orat. catechet. cap. 37, & lib. de vita perfecta; S. Ephrem adhort. 3. de extremo judicio, de natura Dei, & epiſt. ad Johannem Monachum; S. Macarius hom. 37; S. Epiphanius in Anchorato; Theophilus Alex. epiſt. 1, & 2. paſchali; S. Chryſoſtomus hom. 1. in Iſai., hom. 3. de Dei natura, hom. 7, 60, & 83 in Matth., hom. 2, & 61. ad populum, hom. 3. in 1. ad Epheſ., hom. 24, & 27. in cap. 10, & 11. epiſt. 1. ad Corinth., hom. de prodit. Judæ, ſerm. de Euchariſtia in Æneniis, & orat. de S. Philogonio. Ejus nomine inſcriptam epiſtolam ad Cæſarium, ex qua Petrus Martir, Pleſſæus Mornæus, Picceninus, & Jacobus Baſnagius fidem de tranſubſtantiatione elevare conati ſunt, perperam S. Patri ſuppoſitam oſtendunt viri clariſſimi Marchio Scipio Maffei, & Roncalia animadv. hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. IV. Natalis cap. 6. art. 30, Lequiennius diſſert. 4. prælimin. ad opera S. Johannis Damaſceni, & Cardinalis Gotti de vera Chriſti Eccleſia tom. 2. par. 2. art. 12. §. 13. Quamquam qui genuinam putant, nihil patrocinii peſſimæ ſuæ cauſſæ a Proteſtantibus poſſe ex ea extundi pugnant. Quo de argumento paullo poſt. S. Nilus apud Turrianum lib. 4. de epiſt. Pontif. cap. 19; Philo Carpathius in Cant. cantic. cap. 7; Palladius in vita S. Johan. Chryſoſtomi; Theodotus Ancyranus orat. de Nativ. Chriſti habita in Synodo Epheſina; Caſſianus Collat. 22. cap. 7; S. Proclus in tradit. divin. liturg., ſi tamen ejus eſt fœtus; S. Cyrillus Alex. lib. 13. de adorat. in ſpiritu, & veritate, epiſt. ad Calloſyrium, & epiſt. ad Neſtorium; S. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 123, & 169; Theodoretus in dialogo 2, & 5; Victor Antiochenus ad cap. 14. Marci; Titus Boſtrenſis in cap. 15. Lucæ; Procopius in Exod. fol. 253; Olympiodorus ad cap. 9. Eccleſiaſtis; Johannes Maxentius dialogo 2. cotra Neſtorium; Cyrillus Eremita in vita Sancti Euthymii; Eutychius Conſtantinopolitanus Patriarcha apud Nicetam lib. 3. Annal.; Anaſtaſius Antiochenus adverſus Gainitas; Heſychius Hieroſol. lib. 2. in Levit. cap. 8; Evagrius lib. 4. cap. 35; Johannes Climaeus grad. 15, & 23; Johannes Moſcus in prato ſpirit. capp. 48, 78, & 86; Euſtachius presbyter in vita Eutychii Patriarchæ; Leontius in vita S. Johan. Eleemoſinarii; Georgius presbyter in vita S. Theodori Archimandritæ; S. Sophronius Hieroſol. in vita S. Mariæ Ægypt.; S. Maximus in expoſit. Liturgiæ, Concilium VI. gener. act. 8, & Trullanum can. 26, & 102; S. Germanus Conſtantinopolitanus in Theoria; S. Johannes Damaſcenus lib. 4. de fide orthodoxa capp. 13, & 14, & in hiſt. Barlaam, & Joſaphat cap. 19; Coſmas Hieroſol. hymno 6. de magna Feria 5; Elias Cretenſis in orat. 1, & 4. Nazianz.; Concilium Nicænum II. act. 6; Ignatius Nicænus in vita S. Tharaſii; Con-

propterea ſupremum, quem Latriæ vocant, cultum impendendum

Conſtantinus Tyrus orat. de S. Euphemia; Photius in cap. 1. epiſt. 1. ad Corinth.; Theophylactus in cap. 26. Matth., 14. Marci, & 6. Johan.; Simeon Metaphraſt. in vita S. Stephani junioris, & S. Theoctiſtis; Oecumenius in cap. 11. epiſt. 1. ad Corinth.; Euthymius in cap. 26. Matth.; Glicas par. 3. annal.; Nicolaus Methonenſis orat. de Euchariſtia; Nicetas Choniates de geſtis Alexii Angeli; Samonas Gazæus diſput. de Euchariſt. Nicolaus Cabaſillas de Liturgia capp. 1, 16, 27, & 39; Georgius Pachymerius in cap. 3. Eccleſ. hier. S. Dionyſii; Nicephorus Calliſtus lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 28; Gennadius Scholarius de ſacrificio in azymo ſect. 4., & 6; Marcus Epheſinus de Euchariſtia; Beſſarion Nicænus de Euchariſtia; Hieremias Conſtantinopolitanus reſp. 1. cap. 13. de Sacram. uſu, & reſp. 2. cap. 4; Zagazabo Patriarcha Æthyopum in profeſſione fidei; Sulaka Patriarcha Neſtorianorum in profeſſione fidei; Hypathius Ruthenorum Legatus in profeſſione fidei, de quibus paullo poſt.

Ex Latinis (omiſſis pſeudo-epigraphis decretalibus veterum Pontificum SS. Anacleti, Alexandri, Pii, Pontiani, Hilarii &c. apud Burchardum, & Gratianum) Tertullianus lib. de orat. cap. 6., & 14., lib. de reſurrect. carn. cap. 8., lib. de pudicit. cap. 9., lib. 1. cont. Marc. cap. 14.; S. Cyprianus epiſt. 54. ſuo, & Concilii nomine ad S. Cornelium Papam, epiſt. 56., & 62 ad Cæcilium, lib. de lapſis, & ſerm. de Cœna Domini, ſi ejus tamen eſt; Concilium Arelat. II. can. 15.; Juvencus lib. 4. Carmin.; Marius Victorinus lib. 3. adverſus Arium; Julius Firmicus Maternus lib. de erroribus prophanar. Relig.; S. Hilarius lib. 8. de Trinit.; S. Ambroſius lib. de initiandis cap. 9., & lib. 4. de Sacram. capp. 4., & 5., & lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12.; S. Optatus lib. 4. contra Parmen.; S. Hieronymus comm. in pſalm. 145., in cap. 1. Malachiæ, in cap. 26. Matth., in cap. 5. ad Galatas, in cap. 1. ad Titum, epiſt. 1. ad Heliodorum cap. 7., 85. ad Evagrium, ſeu verius ad Evangelum, & 150. ad Hedibiam, & in apolog. ad Pamach.; S. Gaudentius Brixienſis tract. 2. in Exodum; Ruſinus in pſalm. 22. S. Auguſtinus, cujus præ ceteris peſſime auctoritate abuſi ſunt Sacramentarii apud Albertinum, S. Auguſtinus, inquam, lib. 9. confeſſ. cap. 13., lib. 3. de Trin. capp. 4., & 10., lib. 2. contra adverſ. leg., & Prophet. cap. 9., lib. 2. contra litt. Petil. cap. 37., lib. 17. de Civit. cap. 20., lib. 12. contra Fauſtum cap. 10., lib. 1. retract. cap. 17., & lib. 2. cap. 3., enarrat. in pſalm. 33., 39., & 98., lib. 1. de peccat. merit. cap. 20., Enchirid. cap. 91., quæſt. 57. in Levit., ſerm. ad Neophitos, & 213. de diverſis, & epiſt. ad Caſulanum; S. Maximus Taurin. ſerm. in Domin. Palm.; Arnobius ſenior in pſalm. 4.; S. Leo Magnus epiſt. 33., nunc 46. ad Cler., & popul. Conſtantinopolit., ſerm. 6. de Jejunio 7. menſis, ſerm. 4. de Quadrag., & ſerm. 7. de Paſſione Dom.; S. Petrus Chryſologus ſerm. 31., 34. & 95.; S. Eucherius Lugdun., ſeu auctor ſub nomine Euſebii Emiſſeni hom. 5. de Paſch., & hom. in ramis palmar.; Sedulius lib. 4. Paſchali; Claudius Marius Victor lib. 3. comment. in Geneſ.; Salvianus lib. 2. de Eccleſ.; Victor Vitenſis lib. 1., & 3. de perſecut. Vandal.; Vigilius Tapſenſis lib. 3.

dum a quotquot, qui Chriſtiano nomine cenſeri velint : in Eucha-

lib. 3. contra Eutychem; S. Gelaſius Papa relatus de conſecr. diſt. 2. cap. *Comperimus*; S. Avitus Viennenſis lib. 5. de tranſitu maris rubri capp. 10., & 20., S. Remigius Remenſis apud Hincmarum in ejus vita; Arator lib. 1., & 2. Carminum; Caſſiodorus in pſal. 109; Concilium Turonenſe II. cap. 3.; S. Gregorius Turonenſis lib. 1. de glor. Martyr. cap. 86; S. Gregorius Magnus lib. 4. dialog. cap. 58, & hom. 14., & 22. in Evang.; S. Iſidorus Hiſpal. lib. 1. offic. cap. 15., & 18.; & lib. 6. orig. cap. 19; Concilium Hiſpalenſe II. cap. 7; S. Eligius hom. 8.; S. Germanus Pariſienſis Epiſcop. in expoſit. Miſſæ apud Martenium tom. 5. anecdot.; Theodorus Cantuarienſis in pœnitentiali rubrica 41.; Concilium Toletanum XII. cap. 5., V. Beda in lib. Boetii de Trinit., hom. in Epiphania, & in cap. 22. Lucæ; Alcuinus lib. de divin. offic. cap. 39; Egbertus Eboracenſis in excerpt. cap. 38.; Uſuardus in Martyrologio 15. Auguſti de S. Tarſitio; Hajmo in Chriſti Paſſione ſecundum Marcum, & in cap. 11. epiſt. 1. ad Corinth.; Amalarius lib. 3. de offic. Eccleſiaſticis capp. 24., & 25.; Walafridus de rebus Eccleſ. capp. 16., & 17., Strabus in cap. 11. epiſt. 1. ad Corinth.; Chriſtianus Druthmarus in cap. 26. Matth.; Hincmarus Rem. in vita, & in encomio S. Remigii; Florus in Can. Miſſæ; Remigius Antiſiodor. in pſal. 21., & de celebrat. Miſſæ; Paſchaſius Ratbertus de Corp. & Sang. Domini capp. 1, 19, & 20., Auctor operis inſcripti; Altercatio Synagogæ, & Eccleſiæ cap. 8., Radulphus Flaviacenſis lib. 14. in Levit. cap. 4.; Smaragdus in diademate Monachorum cap. 49.; Fulbertus Carnot. in epiſt. ad Adeodatum; Berno Augienſis ſerm. de Nativ. B. Mariæ V.; Osbertus Cantuarienſis in vita S. Dunſtani cap. 44.; Glaber Rodulphus lib. 5. hiſt.; S. Petrus Damiani ſerm. de Nativ. B. Virg., & ſerm. 2. de S. Johan. Evang.; Theoduinus Leodienſis Epiſ. in epiſt. ad Henricum Galliæ Regem; Radulphus Ardens hom. in epiſt. de Cœna Domini; Lantfrancus Cantuar. lib. de Corp., & Sanguine Domini; Adelmannus Brixienſis epiſt. ad Berengarium; Hugo Lingonenſis in epiſt. ad Berengarium; Aldrevaldus Floriacenſis opuſc. adv. Bereng. apud Dacherium tom. 12. Spicilegii; Micrologus de Eccleſ. obſerv. cap. 10.; Algerus lib. 1. de Sacram. Altaris cap. 7., & 8., & lib. 2. cap. 3; Guitmundus Averſanus lib. 1. de veritate Euchariſtiæ; S. Brunus Segnienſis in cap. 11. epiſt. 1. ad Corinth.; S. Anſelmus Cantuar. in cap. 7., & 10. epiſt. ad Hebr.; Anſelmus Laudunenſis in cap. 11. epiſt. 1. ad Corinth.; Ivo Carnot. ſerm. de conven. veteris, & novi Teſtamenti; Serm. de excell. ſacr. Ord., epiſt. 233, & 234.; Hildebertus Cenomanenſis de Myſt. Miſſæ Odo Cameracenſis in Can. Miſſæ; Rupertus Abbas lib. 3. de oper. Spiritus Sancti, & in cap. 6. Johan.; Hugo Victor. lib. 2. de ſacram. p. 8. capp. 7. & 9.; S. Bernardus ſerm. in Cœna Domini, & in vita S. Malachiæ; Magiſter ſent. in 4. diſt. 11.; Petrus Cluniacenſis epiſt. contra Petrobruſianos; S. Hildegardis de Corp., & Sang. Chriſti fol. 108., & epiſt. ad Moguntinenſes in bibl. PP.; Sugerius in vita Ludovici Craſſi; Petrus Cellenſis lib. de Panibus cap. 15; Guntherus lib. 3. de geſtis Friderici; Guerricus ſerm. 5. de purif. B. Virg., Innocentius III. lib. 4. Myſt. Miſſæ cap. 17.; Concilium Later. IV. cap. 1; Jacobus

Euchariſtia perinde (6) panis, vinique ſubſtantiæ utriuſque in

bus de Vitriaco ſerm. in cœna Domini; Cæſarius Halberſtadenſis lib. 9. cap. 51.; Honorius III. lib. 3. decretal. tit. 41. de celebr. Miſſar.; S. P. Franciſcus in admonit. ad Fratres; Gregorius IX. lib. 1. decretal. cap. 1.; Guillelmus Arvernus de ſacr. Euchar. cap. 1.; Johannes Pariſienſis tract. ad Walramum Epiſc.; Innocentius IV. in appar. ſuper decretal.; Alexander Alenſis p. 4. q. 10. mem. 5. art. 3.; Albertus Magnus lib; de myſt. Miſſæ.; S. Thomas in Sequentia, & 3. p. q. 75. art. 1.; S. Bonaventura p. 6. breviloquii cap. 9. Urbanus IV. in Clem. de reliq. & venerat. Sanct.; Concilia Conſtantienſe ſeſſ. 13.; Florentinum in decr. union.; Tridentinum ſeſſ. 13.; Mitto ceteros videndos apud Jodocum Coccium in Theſauro tom. 2. lib. 6. art. 1, & 7., Cudbertum Tonſtal Epiſcop. Dunelmen. in tract. de præſent. Chriſti in Euch., Claudium Sanctesium Epiſcop. Ebroicenſ. de Euch.; Perronium tract. de Euchar.; Arnaldum, & Renaudotium de perpet. fid. circa Euchariſt.; Creſpetium in ſumm. Eccleſ. pag. 356.; Bellarminum, & Bouchatium de Euchariſt.; Witaſſium tract. Theolog. tom. 4; Natalem hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. XI., & XII. diſſert. 12; Tournellium de Euchariſt. q. 2. art. 4; Berti de Theolog. diſcipl. lib. 33. cap. 8. Sed hocce de dogmate plura infra.

(6) In Euchariſtia veram fieri ſubſtantiæ panis, vinique in Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini converſionem, quam Eccleſia aut Tranſelementationem, uti Græca, aut Tranſubſtantiationem, uti Latina nuncupat, ex Traditione divina docent ii ferme omnes Patres, qui pro Chriſti præſentia in Euchariſtia pugnant: videlicet ex Græcis S. Ignatius in epiſt. ad Smyrnenſes; Preſbyteri Achajæ in actis S. Andreæ, ſi tamen germana ſunt; S. Juſtinus in apolog. 2., reſp. 77. ad Gentes, & in dialogo cum Triphone; S. Irenæus lib. 4. cap. 34., & lib. 5. cap. 2.; Origenes hom. 7. in Num., & lib. 8. contra Celſum; S. Athanaſius lib. de paſſione Imaginis Chriſti, qui citatus eſt ſub nomine S. Athanaſii a Nicæna II. Synodo act. 4., quamvis S. Athanaſio illum abjudicandum cenſeant viri eruditi; S. Cyrillus Hieroſol. cath. 1., & 4.; S. Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Paſcha; S. Gregorius Niſſenus tract. de tranſmut. Corp., & Sang. Domini, ſeu orat. Cathechetica cap. 37.; S. Epiphanius in Anchorato; S. Chryſoſtomus hom. 83. in Matth.; hom. 21. in Acta; hom. 6. ad popul.; hom. de Eucbariſt., & hom. de reſurrect.; S. Cyrillus Alexand. lib. 13. in Levit., & in epiſt. ad Neſtorium; Theodoretus dialogo 2.; S. Proclus in tradit. divinæ Liturgiæ, ſi tamen ejus eſt opus; S. Iſidorus Peluſiota epiſt. 100., & 123; Evagrius lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 35.; S. Germanus Conſtantinopolit. in myſt. contempl. rerum Eccleſiaſt.; S. Johannes Damaſcenus lib. 4. de fide orthod. capp. 13., & 14.; Oecumenius in cap. 10. ad Hebr.; Theophylactus in cap. 27 Matth., 17. Marci, & 6. Johan.; Euthymius, aliique in c. 1. Malach.; Hieremias Conſtantinop. in cenſura Lutheranæ confeſs. reſp. 1. cap. 13. Ex Latinis Tertullianus lib. 4. contra Marc. cap. 4., & lib. 5. cap. 20.; ubi verbis illis *In ſimilitudinem hominum factus* oſtendit veram Chriſto humanitatem non exclu. di; itaque cap. 40., ubi Euchariſtiam figuram corporis Chriſti nuncupat, non

Chriſti Domini noſtri Corpus, & Sanguinem veram, reque ipſa fieri

ideo veram tranſubſtantiationem inficiatur, unde ab Hetherodoxis injuriam ſubit, dum in erroris conſortium ab eiſdem vocatur. S. Cyprianus ſerm. de orat. Domin., ſerm. de lapſis, & epiſt. 54., & 63.; Juvencus lib. 4, poemat.; S. Hilarius lib. 8. de Trinit.; S. Ambroſius lib. 4. de Sacram. cap. 4., & lib. de initiandis cap. 9.; S. Hieronymus epiſt. 1. ad Heliodorum; epiſt. 150. ad Hedibiam; & in cap. 1. Malachiæ; S. Auguſtinus ſerm. 28. de verbis Domini, lib. 3. de Trinit. cap. 4., tract. 27. in cap. 10. Johan.; in pſalm. 98.; & epiſt. 111., & 118.; S. Eucherius, ſeu Euſebius Emiſs. hom. 5. de Paſchate; S. Petrus Chryſologus ſerm. 33.; Caſſiodorus in pſalm. 109.; S. Gregorius Turonenſis de glor. Martyr. cap. 88.; S. Gregorius Papa hom. 22. in Evang.; & lib. 4. dialog. cap. 58.; S. Iſidorus Hiſpal. lib. 1. de offic. Eccleſ. cap. 18.; S. Eligius hom. 8; Concilia Bracarenſe III. can. 1; Toletanum XII. can. 5.; V. Beda in Boetium de Trinit., in 22. Lucæ; hom. de Epiphania; & lib. 4. de geſtis Anglorum cap. 22.; Alcuinus lib. de offic. cap. de celebr. miſſar.; Carolus Magnus lib. 6. Capitul. cap. 163.; Aponius lib. 3., & 6. in Cantica; Autpertus lib. 2. in Apocalyp.; Haimo in paſſione Dom. ſecundum Marcum; Rabbanus lib. 1. inſt. Cleric., ſi tamen ejus eſt auctor; Strabus in cap. 11. epiſt. 1. ad Corinth.; Remigius Antiſiodor. in pſalm. 21; Paſchaſius; Lantfrancus; Algerus; Guitmundus locis ſupra cit.; Chryſolanus Archiepiſcop. Mediolanenſis de concord. Evang. lib. 4; S. Petrus Damianus ſerm. de Nativ. B. Virg.; S. Anſelmus in cap. 7, & 10. epiſt. ad Epheſ., & cap. 1. epiſt. 2. ad Timoth.; Rupertus lib. 3. de oper. Spir. S. cap. 21., in 6. Johan.; & lib. 8. de offic. cap. 4.; Gotefridus in opuſc. de Corp., & Sang. Domini, opuſc. 8.; Hugo Victor. lib. de Sacram. p. 8. capp. 7., & 9; S. Bernardus ſerm. in cæna Domini; V. Petrus Clunian. epiſt. adverſ. Petrobruſianos; & lib. 1. de miraculis cap. 1. art. 2.; Magiſter ſent. in 4. diſt. 11.; S. Thomas 3. p. q. 75. art. 1., 2., & 3.; S. Bonaventura par. 6. Breviloquii cap. 9.

In diſſertatione, quam de utroque dogmate de Euchariſtia adornavi, pleraque alia profero in hancce rem teſtimonia, inter quæ 1. teſtimonium Conciliorum Nicæni I. can. 18., & in diatypoſi ejuſdem Concilii apud Gelaſium Cyzicenum lib. de actis Nicæni Concilii apud Photium cod. 88.; Epheſini in anathem. S. Cyrilli Alex.; Nicæni II. act. 6.; Trullani can. 22, 26, & 101; Conſtantinopolitani anno 1642; Heroſolymitani anno 1668; Bethlemitici an. 1672, & Jaſſienſis in Moldavia contra Cyrillum Lucarem, & confeſſionem Calviniſticam. Celebratorum vero in Eccleſia Latina Lugdunenſis II. in formula fidei; Viennenſis Clem. unica de Reliquiis; Lateranenſis IV. C. 1. Conſtan. ſeſſ. 8.; Florentini in decreto union., Tridentini ſeſſ. 13. Particularium quoque Pariſienſis anno 846; Romani ſub S. Leone IX. an. 1050; Vercellenſis, & Pariſienſis eodem an.; Florentini ſub Victore II. an. 1055.; Romani anno 1059. ſub Nicolao II; Rothomagenſis an. 1063; Turonenſis an. 1055; Pictavienſis an. 1065; Romani an. 1078., & 1079. ſub S. Gregorio VII. 2. Teſtimonium ex Liturgiis cum Latinis auctoris Conſt. Apoſt. ſub nomine S. Clementis, & altera S. Petri, Romana, Mediolanenſi, Gal-

fieri converſionem, quam Eccleſia aut tranſelementationem, ut

Gallicana, Mozarabica, Latina Mathiæ Flacci Illyrici: item inſcriptis S. Julio & S. Sixto I., & Sacramentariis Leoniano, Gelaſiano, & Gregoriano apud Morinum, V. Cardinalem Thomaſſium, Pamelium, Angelum Roccam, Mabillonium, Hugonem Menardum, & Aſſemanum; ex quibus coaluere Sacramentaria Sandionyſianum, Metenſe, Colonienſe, apud Cointium, Brajetum, & Brunium; Miſſale etiam Romanum, & Ordines Romani, ſeu libri Eccleſiaſtici Romanæ Eccleſiæ apnd Caſſandrum, Ittorgium, Panvinium, Mabillonium; Sacramentaria etiam Gottico-Gallicanum, & Mozarabicum apud Cardinal. Bonam, Thomaſſium, Mabillon. Tum ex Liturgiis Græcis inſcriptis S. Jacobo, S. Matthæo, S. Marco, S. Johanni Evangeliſtæ, SS. 12. Apoſtolis, S. Dionyſio Athenienſi, S. Ignatio Martyri, S. Euſthatio Antiocheno, Nicænis Patribus, S. Marutæ Catholico, S. Epiphanio, S. Baſilio, S. Chryſoſtomo, S. Gregorio Nazianzeno, S. Cyrillo Alexandrino, Cyriaco, S. Gregorio Illuminatori, Dioſcoro Alexandrino, Theodoro Mopſveſteno, Neſtorio; Æthiopicæ, Malabaricæ, Cophtæ, Maroniticæ, Armenæ; Moyſi Barcephæ, Johanni Barſaſæ, S. Proclo Conſtantinopalitano, Filixino, aliiſque aliis inſcriptis apud Aſſemanum, Gabrielem Sinoitam, Abrahamum Echellenſem, Sollerium, Morinum, Renaudotium, Brunium, alicsque.

Profero 3. teſtimonium ex fidei profeſſionibus frequens editis ab Orientalibus qua catholicis, qua hæreticis; inter quas 1. eſt profeſſio fidei, quam a Saracenis recens converſis expoſcebant Græci apud Silburgum; 2. Profeſſio fidei, quam Græcis e ſchiſmate, aut hæreſi revertentibus præſcripſere Romani Pontifices, præſertim Græcis Hadrianus IV., & Alexander III; Neſtorianis Æthiopicis Tartariam incolentibus idem Alexander III.; Armenis, & Bulgaris Innocentius III.; Epirotis, & Armenis Honorius III.; Conſtantinopolitanis, & Jacobitis Gregorius IX., Græcis, & Ruthenis Innocentius IV., & Alex. IV.; iiſdem, & Imperatori Palæolog. Urbanus IV., Clemens IV., & Gregorius X; Orientalibus omnibus Nicolaus IV., & Bonifacius VIII.; Cypriis, & Armenis Joannes XXII., Benedictus XII., & Clemens VI; Græcisiterum Innocentius VI., & Urbanus V.; Æthiopibus, & Jacobitis Eugenius IV., & Nicolaus V.; Georgio Regi Bohemiæ Calliſtus III.; Duci Moſcoviæ Sixtus IV.; Georgianis Alexander V.; Congi Regi, & populis Julius II; Maronitis, & Abyſſinis Leo X.; Maronitis, & Americanis Clemens VII.; Syris Neſtorianis, eorumque Patriarchæ Sulachæ Julius III.; Malabaris Pius IV.; Militibus Gregorius XIII.; Ruthenis, & Græcis Clemens VIII.; Maronitis, Chaldæis, Armenis, aliisque Paulus V.; Aſiaticis, Africanis, aliiſque Innocentius XI.; de quibus fuſe par. 2. Vindiciar. art. ultimo agendum erit. 3. Profeſſiones fidei, quas ab Orientalibus Patriarchis, & Epiſcopis magna copia impetravit anno 1672. D. de Noiutel Orator Galliarum Regis apud Turcarum Imperatorem, quæ exſtant Pariſiis in bibl. S. Germani a Pratis, quarumque excerpta exhibent clariſſ. viri Renaudotius tom 4. perpet. fidei; Ricardus Simonius lib. de fide Eccleſ. Orient. circa tranſubſtatiationem, ad cujus calcem exhibet diſſertationem Græco-Latinam

Orientalis, aut Tranſubſtantiationem, ut Occidentalis, juxta uni-

tinam Meletii Sirigi Protoſyncelli de Tranſubſtantiationis dogmate a Ruthenis, Græcis, Orientalibuſque univerſim admiſſo; Juveninus diſſert. 4. de Euch. q. 4; Natalis ad ſæcul. XI. diſſert. 12. art. 3; P. Pariſius Canon. regul. S. Genovefæ tract. de fide Eccleſ. Orient.; & Brunius diſſert. in Liturg.; quarum

Præcipuæ ſunt 1. Nicolai Spadarii Moldaviæ, & Vvalachiæ Principis; 2. Baſilii Ducis Moſcoviæ apud Poſſevinum; 3. Ruthenorum, ut patet ex magno ipſorum Cathechiſmo part. 1. art. 6; 4. Cypriorum, ut patet ex Synodo ab ipſis Leucoſiæ an. 1668. habita; 5. Melchitarum, qui tum Hieroſolymitano, tum Alexandrino, tum Antiocheno Patriarchæ ſubſunt, apud Dominum de Monconis in ſuo itinere ad montem Syon; D. Thevenot in ſuo itinere Orient. cap. 77, & D. Tavernierum tom. 1. ſuorum itiner. lib. 2. cap. 2; 6. Cophtorum apud Renaudotium, P. Bonjuor Auguſtinianum, P. du Bernat Soc. Jeſ. tom. 2. monum. miſſion. Orient., Vanslebium in hiſt. Copht.; 7. Aethiopum ſeu Abyſſinorum apud Franciſcum Alvarez in hiſt. Æthiopiæ; Damianum Goez de morib. Æthiop.; Patrem Nicolaum Godignum Soc. Jeſ. in relat. de Abyſſin. rebus; P. Balthaſſarem Tellez Soc. Jeſ. in hiſt. Æthiopiæ; & Iacobum Poncet in relat. itineris Æthiopiæ; 8. Jacobitarum apud Aſſemanum in bibliot. Orientali; Renaudotium; Echellenſem in notis ad catalogum lib. Chaldaicorum Ebed Jeſu; Raynaldum ad annum 1444, & Pagium in Eugenio IV; 9. Neſtorianorum, qui tum Syriam, Meſopotamiam, & Perſidem incolunt, ut eſt apud Simonium, Renaudotium, & Monfauconum, tum Malabariam, Tartariam, & Sinas pervaſerunt, ac impræſentiarum ibidem moram trahunt, ut eſt apud Mullerum, Renaudotium, & P. Coupletum agentes de celeberrima inſcriptione anno 1625. inventa in Urbe Siganfù provinciæ Xinſi characteribus Sinicis, & Syriacis exarata, in qua Neſtorianorum omnia dogmata tradi oſtendunt, atque apud P. Antonium Goveanum in hiſt. Miſſion. Malabariæ Alexii de Menezez, Pagium in crit. Baronii ad an. 1177.; P. Heliotum in hiſtor. Ord. Religioſ. tom. 1, & Raynaldum ad annum 1244. 10. Armenorum apud P. Clementem Gallanum in conciliatione Eccleſiæ Armenæ cum Romana; Jacobum de Vitriaco in hiſt. Armen., Raynaldum ad annum 1206, & Pagium in Johanne XXII. 11. Maronitarum apud Abrahamum Echellenſem in notis ad catalogum libror. Chaldaicor. Ebedjeſu; Gabrielem Sinoitam in epiſt. ad Niuſium, quam refert Allatius opuſc. pag. 279; Fauſtum Naironum diſſert. de orig., & Relig. Maronit., Stephanum Eudoxium Aſſemanum in bibl. Orient.; Renaudotium tom. 3. perpet. fidei; D. de la Rocca tom. 2. ſuor. itin. in Syriam. 12. Orientalium omnium inter Turcas in Thracia commorantium, ut patet ex profeſſionibus fidei exhibitis Domino de Nointel a Monachis Moromolanis, & incolentibus Inſulas Principum; a ſeptem Metropolitis Peræ degentibus; a quatuor Patriarchis Conſtantinopolit., Alex., Antiochene, & Hieroſol. iterum a 33. Metropolitanis anno 1672.; ab Epiſcopis Colchidis, & Hiberiæ datis P. Joſepho Mariæ Zampio Cler. regul. Theatino; ab aliis pluribus Orientalibus Conſtantinopoli degentibus exhibitis D. Andreæ Ridolpho

Epi-

uniuſcujuſque Idiotiſmum, nuncupari conſuevit: quamque in fidem ita

Epiſcopo Calaminæ, Vicario Apoſtolico, aliiſque apud citat. auctores. Adeo conſtans eſt, exploratæque Orientalium omnium circa dogma Euchariſtiæ, & Tranſubſtantiationis fides, ut Synodus Hieroſolymitana an. 1678. ſub Doſitheo Patriarcha coacta, ut os Galliarum Calviniſtis obſtrueret, obteſtata ſit Orientales omnes orthodoxos non modo, ſed etiam ab Eccleſia ſegreges Neſtorianos, Armenos, Syros, Cophtos, Æthiopes, cum qui ſub linea æquinoctiali degunt, tum qui ſub tropico Capricorni, qui vulgo Campeſiani nuncupantur, cum Eccleſia Catholica convenire, tam circa Sacramentorum numerum, quam ac maxime circa Euchariſtiæ doctrinam, ac propterea hæreticis manum ori imponere juſſerit, neque amplius Orientalibus adverſus fidem quidquam ſubleſti affingere. Confer Confeſſionem orthod. Eccleſ. Cathol., & Apoſtol. Orient. adverſ. Cyrillum Lucarem editam a clariſſ. Panagiotio viro Græcorum doctiſſimo; nec non Synodum a Maronitis anno 1736. in monte Libano habitam, quam Benedictus XIV. Pontifex maximus anno 1741. Conſtit. 31. comprobavit

Quid imo quod ex hæreticis ipſis non pauci veritate compulſi Orientales in dogmate de Euchariſtia cum Occidentalibus conſentire ultro, citroque faſſi ſunt; e quibus præcipue Cruſius; Sandius lib. de variar. Relig. cap. 42; Grotius in diſcuſſione Apologetici Riveti; Forbeſius in conſider. de Sacram. Euchariſtiæ cap. 4; Danavertius in tract. adverſ. Allatium; Allixius in oper. Doſithei, & Nectarii; de Vigne ea de re ad Eccleſiam reverſus in tract. de Euch.; & Arnoldus Bootius in epiſt. ad Uſſerium inter Uſſerianas 198.? Quocirca mirari ſubit effronti, effrenique inverecundia auſos fuiſſe apertiſſimæ veritati tenebras offundere, ita ut Græcorum circa fidem Euchariſtiæ elevare conati ſint Fridericus Spanhemius in ſtricturis contra fidei expoſit. Boſſuetii, & Thomas Smith in lib. de Eccleſiæ Græcæ hodierno ſtatu, quos pro meritis caſtigant Renaudotius in lib. perpet. fidei, & Simonius in lib. de fide Eccleſ. Orient.; Cophtorum Claudius Salmaſius in Liturgia Cophtorum, quem profligant cit. Renaudotius, & Brunius diſſert. in Liturg. Jacobit.; Æthiopum Ludolphus in hiſt. Æthiop.; Neſtorianorum Malabariæ Crouſeus in hiſt. Chriſt. Indiæ; Armenorum cit. Claudius, & Thomas Smith, quos refutant, ac refellunt non modo ex noſtris Aſſemanus, Echellenſis, Arnaldus, Renaudotius, Simonius, Brunius, aliique, qui provincia hacce feliciter perfuncti ſunt; ſed imo ex ipſo Proteſtantium grege Schroderus in Theſauro linguæ Armenæ; Olearius Lutheranus in epiſt. adverſus Calviniſtas tom. 1. perpet. fidei; Ricautius in relat. Eccleſiæ Armenæ, aliique ſuperius citati. Ex quibus perſpectum ſit quam impudenter effutiant Novatores dogma, nomenque Tranſubſtantiationis recens inventum eſſe ab Innocentio III. Pontifice in Concilio Lateranenſi IV. an. 1251. primum invectum: quandoquidem dogma iſtud quoad rem Eccleſiæ coævum eſſe ex dictis conſtat; quoad nomen quoque eſſe antiquiſſimum, & quidem apud Græcos; quorum antiquiores etſi verbo μετουσιωσις Tranſubſtantiationis uſi non ſint, ſed verbo μετουσιοω, aut μεταποιεω, mutatio-

ita conſtanti, unanimique conſenſione utraq; jugiter Eccleſia convenit;

tationis, idem tamen ſignificatum volnere ex ſubjecta materia, quæ mutatur, quæ eſt ſubſtantia: quamquam eorum aliqui, ut S. Cyrillus Cath. 4., & S. Gregorius Niſſ. orat. Cathechet. verba *Tranſmutari*, & *Tranſelementari* uſurparint; Græcorum vero poſteriores, atque quidem ex priſcorum ſententia verbum μετουσιωσεως tranſubſtantiationis adhibuere, ut Grabriel Philadelphienſis in apolog. pag. 15., & Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in cenſura adverſus Calviniſtas reſp. 1. cap. 13., & reſp. 2. cap. 4., quam Latinitate donantes Theologi Virtembergenſes Lutherani e regione Græci vocabuli μεταποιησις, & μεταβολην latinam vocem *Tranſubſtantiatio* appoſuere. Apud Latinos vero Tranſubſtantiationis vocabulum legitur expreſſum in confeſſione Albigenſium, cujus meminit in litteris datis anno 1160. Petrus tituli S. Chryſogoni Cardin. apud Baronium tom. 12. annal. ad cit. annum; in epiſt. 140. Petri Bleſenſis, qui ſub Alexandro III. floruit; in epiſt. Gaufredi ad Epiſcopum Cardinalem Albanenſem apud Baronium ad an. 1188.; in tract. de ſacram. Altaris cap. 13. circa an. 1160. exarato ab Stephano Eduenſi Epiſcopo. Plane a Ratramno Corbejenſi, quem Berengarianæ hæreſeos labe inquinatum contendunt Baſnagius, Albertinus, & Salmaſius, doctrinam potius de Tranſubſtantiatione traditam affirmant Magdeburgenſes Centur. 9; a Berengario ipſo primum in catholicis reprehenſum, ac poſtea quum ad meliorem frugem ſeſe recepiſſet, ab ipſo met aſſertum vocabulum Tranſubſtantiationis auctor eſt Mabillonius præfat. 2. in ſæcul. VI. Benedict.

Quid plura? Johannes Hus apud Pezibramum, & Hocherium Tranſubſtantiationis dogma confeſſus eſt. Hieronymus Pragenſis teſte Poggio Florentino in epiſt. ad Leonardum Aretinum apud VvonderHart in act. Concil. Conſtant., tranſubſtantiari panem in Euchariſtia profeſſus eſt. Philippus Melanchon in lib. edito adverſus Oecolampadium accumulatis veterum Patrum teſtimoniis propugnavit panem in Euchariſtia tranſubſtantiari. Philippus Mornæus in myſterio iniquitatis pag. 141. ſcribit tranſubſtantiationem jam auditam tempore Caroli Magni, & Hadriani Papæ. Poſtremo admiſſa præſentia Chriſti in Euchariſtia, negari amplius tranſubſtantiationem non poſſe ſcribunt e Proteſtantibus Zuvinglius in epiſt. ad Johannem Bugenhagium; Theodorus Beza lib. de Cæna adverſus Vveſtphalum; Zacharias Urſinus Hidelbergenſis in Cathechet. q. 78. de conſubſtantial.; Scharpius in curſu Theolog. art. de Cæna cap. de conſubſtantial.. Plura vide in libro inſcripto *Conſenſus Orthodoxorum Sacram.*; & in altero inſcripto *Converſio Johannis Georgii Rhaeti* pag. 418, & 420. Lutherus ipſe aliquando, in lib. ſcilicet de abroganda miſſa pag. 253, & in confeſſ. magna de Cæna Domini profeſſus eſt dogma tranſubſtantiationis, laudibuſque celebrat Nicolaum II, quod Berengarium adegerit ad errorem ejurandum: ea de re Lutherum increparunt, quod nobis eo in dogmate conſenſerit, Muſculus in epiſt. ad Bucerum; Bullingerus, Scultetus, aliique apud eumdem Scultetum in decade 2. annal. Poſt quæ quem mirari ſummopere non ſubeat, jam non dicam de impudentia Johan-

venit; ut miſerere hæreticorum ſit, qui adhuc dubitant: Miſſæ (7) ſacro-

hannis Placetæi, Johannis Melchioris, Johannis Tillotſon, horumque ſimilium e Proteſtantium furfure hominum, ſed Ludovicum Dufour de Longuerue virum alioqui catholicum, ac doctum de hocce Tranſubſtantiationis dogmate adeo in confeſſo, inque aprico poſito talia dixiſſe, ut ejus diſſertatio Petro Allixio, cui erat amicitia conjunctus, potius tribuenda aliquando viſa fuerit? Confer interea Lindanum Epiſcop. Gandav. in apolog. Relig. Cathol.; Boſſuetium in hiſt. variat; Cardinalem Gotti de vera Chriſti Eccleſia tom. 2. pag. 2. art. 12. §. 14; Natalem hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. XV., & XVI. art. 12; Thomam Vvaldenſem; Cardinales Bellarminum, & Perronium; Coeffetellum, Petavium, Tournellium, Bouchatium, Vvitaſſium, Vallemburgios, Berti, ſexcentoſque de Schola Theologos doctiſſimos in hoc diſputandi genere magna cum laude diligentiſſime verſatos, nam aliò noſtram properare orationem oportet.

(7) Miſſam eſſe verum, ac proprium Sacrificium, neque tantummodo Euchariſticum, & Latreuticum, ſed etiam propitiatorium, atque impetratorium, ideoque jure, meritoque Deo offerri tam pro vivis, quam pro defunctis, Traditio divina eſt, cujus teſtes ſunt celeberrimi præter Liturgias omnes utriuſque Eccleſiæ uſu conſecratas, quas ſupra commemoravimus, ex Græcis Patribus S. Ignatius in epiſt. ad Smyrnenſes; S. Juſtinus in apolog. 2, & in dialogo cum Triphone; S. Irenæus lib. 4. adverſus hær. cap. 23, & lib. 5. cap. 2; Origenes hom. 12. in Levit., & lib. 8. contra Celſum; Conſtantinus Imper. in epiſt. ad Epiſcopos Tyri congregatos; Euſebius lib. 1. demonſtr. capp. 10., & alt.; & orat. de laudib. Conſtantini; Concilium Nicænum I. can. 14, & inter diatypoſes apud Gelaſium Cizicenum; Alexandrinum in epiſt. ad Epiſcopos omnium Eccleſiar. apud S. Athanaſium in apolog. 2; Laodicenum can. 58; S. Athanaſius apud S. Johannem Damaſcenum ſerm. de defunctis; S. Cyrillus Hieroſol. cath. 5; S. Baſilius hom. 19., & lib. de baptiſ. in reſponſ. ad quæſt. 2; S. Gregorius Nazianzenus orat. 1, 3, 4, 19, & 30; S. Amphilochius in vita S. Baſilii; S. Epiphanius hær. 55; & in epiſt. ad Johan. Hieroſolym.; S. Gregorius Niſſenus orat. 1. de Chriſti reſurrect.; S. Chryſoſtomus in pſal. 95; hom. in æneniis; hom. 12., & 61. ad populum; hom. 21, & 27. in Acta; hom. 3. in epiſt. ad Epheſ.; hom. 2. in epiſt. 2. ad Timoth.; hom. 17. in epiſt. ad Hebræos; hom. 3, & 4. de incomprehenſibili Dei natura; orat. 4. contra Judæos; orat. in S. Euſtathium Antiochenum, & lib. 3, & 6. de Sacerdotio; Sineſius epiſt. 57. & 58; Philo Carpathius in Cantica; S. Proclus de traditione divinæ liturgiæ; S. Nilus in epiſt. ad Anaſtaſium Epiſcopum; S. Cyrillus Alexandrinus lib. 13. de adorat. in ſpirit., & verit., epiſt. ad Neſtorium, lib. in Iſaj. cap. 25, & in declaratione anathemat. 12; S. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 401. ad Benjamin Hebræum, & lib. 3. epiſt. 75; Iſchyrion Diaconus Alex. in libello ad S. Leonem Papam; Theodoretus in Philoteo cap. 20, in cap. 2. Malach., & cap. 8. ad Hebr.; Juſtinianus Imp. Cod. de Epiſcop. & Cleric. L. 41., Novel. conſtit. 7. apud Julianum Patritium; & conſtit. 115. apud eumdem; Synodus Conſtantinopolitana ſub Menna act. 1; Timotheus Alex. de miraculis S. Mennæ Martyris;

croſanctum Sacrificium in illius memoriam a Chriſto Domino inſtitu-

---

ris; Cyrillus Eremita de S. Johanne Silentiario, & de S. Euthymio; Andreas Hieroſol. hom. in Dominic. Palm.; Anaſtaſius Synaites ſerm. de S. Communione; Euſtachius presbyter in vita S. Eutychii Conſtantinopolit.; Johannes Moſcus in prato ſpirit. cap. 199; Leontius in vita S. Johannis Eleemoſinarii; Georgius presbyter in vita S. Theodori Archimand.; Synodus Trullana can. 28, & 32; S. Germanus Conſtantinopolit. de contempl. rer. Eccleſiaſt.; S. Johannes Damaſcenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14, & hiſt. Barlaam, & Joſaphat cap. 39; Synodus VII. act. 6; Timotheus presbyter Hieroſol. orat. de accuſ. Chriſti; Elias Cretenſis in orat. 19. Nazianz.; Ignatius Nicænus in vita S. Tharaſii; S. Methodius Conſtantinopolit. orat. de iis, qui abnegarunt; Theophanes presbyter orat. in exilium S. Nicephori Conſtantinopolitani; Photius ad cap. 11. epiſt. ad Corinth.; Leo Imperator Philoſophus lib. de apparatu bellico cap. 19, & in encomio S. Johan. Chryſoſtomi; Theophylactus in capp. 5, 7. & 10. epiſt. ad Hebr.; Simeon Metaphr. in vitis S. Clementis Ancyrani, S. Abrahami, & S. Gregorii Armeni; Œcumenius in capp. 5, & 10. epiſt. ad Hebr.; Zonaras in can. 3. Apoſtol.; Samonas Gazæus de Euchariſt.; Cabaſillas de liturg. cap. 32; Cedrenus in Monomacho; Nicolaus Methonenſis orat. de Euchariſt.; Balſamon in can. 3. Apoſtol.; Nicephorus Calliſtus hiſt. lib. 1. cap. 28, lib. 8. cap. 31, & lib. 4. cap. 51; Gennadius Scholarius de Sacrificio in azymo ſect. 7; Hieremias Conſtantinopolit. in cenſ. reſp. 1. cap. 13. Confer. liturgias, aliaque monumenta Eccleſ. Orient. paullo ſuperius laudata.

Ex Latinis (ut miſſa faciam teſtimonia a nonnullis excerpta ex pſeudoepigraphis lib. 6. conſtit. Apoſt. cap. 12. S. Clementis; actis S. Andreæ; epiſt. S. Martialis ad Burdigalenſes cap. 3; lib. de Eccleſ. hier. cap. 3. S. Dionyſii; Decretalibus SS. Anacleti, Alexandri, Sixti, Teleſphori, Higini, Pii, Aniceti apud Burchardum lib. 5. cap. 29, & Ivonem par. 2. cap. 38; Soteris apud Gratianum de conſecr. diſt. 1; Fabiani, Cornelii, Felicis, Eutychiani apud Gratianum 11. q. 3. cap. *Si quis*; Marcellini, Euſebii apud Gratianum de conſecr. diſt. 1; Silveſtri, Julii in epiſt. ad Epiſcop. Ægypti apud Burchardum lib. 5. cap. 1, Ivonem p. 2. cap. 2, & Gratianum de conſecr. diſt. 2, & Felicis IV. epiſt. 1.) Tertullianus de cultu fœminar. cap. 11, lib. de orat. cap. 14, lib. ad ſcapulam cap. 2, & lib. de veland. Virg. cap. 9; S. Cyprianus in epiſt. 16, 60, 63, 66, 68, 73, & 77; & ſer. de orat. Dominica; Concilium Arelatenſe I. capp. 15, & 20; S. Optatus Milevit. lib. 3. contra Parmen.; S. Hilarius Pictav. lib. 3. adv. Conſtantium Imper., & in pſal. 67; Marius Victorinus lib. 1, & 2. adv. Arium; S. Julius I. in epiſt. ad Orient. apud S. Athanaſium apolog. 2; S. Ambroſius lib. 1. offic. capp. 41, & 48; lib. 4. de Sacr. cap. 6; in pſal. 38; in 1. Lucæ; in 4. epiſt. 1. ad Timoth; in exhort. ad virg., lib. 10. epiſt. 85, & epiſt. 33. ad Marcellinam ſororem, & lib. 5. epiſt. 53; Auctor libri Pontificalis, ubi de SS. Alexandro, Sixto, Teleſphoro, & Felice; S. Hieronymus in 26. Matth.; in 1. ad Titum; lib. adverſ. Vigilant. cap. 3, lib. 1. adverſ. Jovin. cap. 19, lib. 1. adv. Pelagian. cap. 9.,

ſtitutum, quod olim in Calvariæ vertice Sacerdos ipſemet, & ſa-

cap. 9., & lib. 3. cap. 5, in dialogo adv. Lucif. cap. 2, epiſt. 57. ad Damaſum, & epiſt. 150. ad Hedibiam q. 2; Ruffinus lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 22; S. Gaudentius tract. 2; S. Siricius epiſt. 1. cap. 5; Concilium Carthaginenſe II. capp. 3, & 8; Carthaginenſe III. capp. 41, & 88; S. Auguſtinus lib. 10. de Civit. cap. 20, lib. 17. cap. 20, & lib. 22. cap. 8; lib. 83. q. cap. 61, lib. de ſpir., & litt. cap. 11, lib. 1. de orig. animæ cap. 9; lib. 21. contra Fauſtum cap. 21, lib. 9. confeſſ. cap. 21, in pſal. 33, ſerm. de tempore 91, & 251; ſerm. 113. de diverſis, & epiſt. 23. ad Bonifacium; Paulinus Presbyter Mediolan. in vita S. Ambroſii; Concilium Millevitanum cap. 12; Idacius lib. adv. Varemadum Arianum; Severus Sulpitius in dialog. 2. de vita S. Martini cap. 1; Poſſidius in vita S. Auguſtini; Veranius Presbyter in vita S. Paulini Nolani; Concilium Vaſenſe II. cap. 4; Carpentoractenſe in epiſt. ad Agretium; S. Leo I. ſerm. 8. de Paſch.; epiſt. 75. ad Leonem Imp., & 81. ad Dioſcorum; S. Eucherius Lugdun., ſeu Euſebius Emiſſ. hom. 5. de Paſchate; S. Proſper, ſi tamen ejus eſt fœtus, de promiſſionibus, & prædictionibus par. 4. cap. 6.; Concilium Arelatenſe cap. 3; S. Cæſarius Arelat. hom. 5; Victor Vitenſis lib. 1, & 2. de perſecut. Vandal.; S. Fulgentius lib. 2. ad Monimum capp. 2, & 5, & lib. de fide ad Petrum cap. 19; Synodus Romana ſub S. Symmacho; Ennodius Ticinenſis lib. de Synodis ſub Symmacho; Concilium Agathenſe capp. 21, & 47; Gerundenſe cap. 1; Aurelianenſe III. cap. 14; Primaſius in cap. 2. epiſt. 2. ad Timoth., & cap. 10. epiſt. ad Hebr.; Juſtus Urgelitanus in Cantica; Caſſiodorus in pſal. 109; Vigilius Papa in epiſt. ad Profuturum cap. 5; Concilium Turonenſe II. cap. 4; Fortunatus lib. 4. de S. Martino; S. Gregorius Turonenſis lib. 5. hiſt. Francor cap. 14, de glor. Confeſſ. cap. 95; Concilium Toletanum III; S. Gregorius Magnus hom. 37. in Evang.; lib. 4. dialog. capp. 55, & 56, & lib. 4. epiſt. 12; S. Iſidorus lib. 1. offic. capp. 15, & 18; S. Eucherius lib. 9. in Geneſ. cap. 18; S. Eligius hom. 8; Concilium Bracarenſe III. capp. 1, & 3; Toletanum XII. cap. 5; V. Beda lib. 4. hiſt. Anglor. cap. 22, lib. 2. de tabernaculo cap. 2, in pſal. 109, & in Boetium de Trinit.; Jonas Abbas in vita S. Wolfrani; Alcuinus de divin. offic. cap. 39. de celebr. Miſſar.; Carolus Magnus lib. 5. Capitul. capp. 111, & 219; lib. 6. cap. 173, & lib. 7. cap. 201; Haimo in cap. 11. epiſt. 1. ad Corinth.; Wandelbertus in vita S. Goaris; Amalarius lib. 7. de offic. Eccleſ. cap. 25; Walafridus de reb. Eccleſ. cap. 16; Concilium Arelat. IV. cap. 2; Angelomus in 1. Reg. 21; Hilduinus Abbas in vita S. Dionyſii Areopag.; Rabbanus, ſeu auctor lib. 1. de inſtit. Cleric. cap. 32; Eginhardus in hiſt. SS. Petri, & Marcellini Martyr; Florus in expoſit. Canonis; Paſchaſius Radbertus de corp., & ſang. Domini cap. 9: (hujus librum publici juris anno 1528. fecerat Hiobus Gaſtius Lutheranus diſpurctis locis illis, in quibus Miſſæ ſacrificium, & panis tranſubſtantiatio aſſerebatur; falſarias haſce depravationes detexit Mamertus Luxemburgenſis, qui an. 1550. Paſchaſii integrum opus typis Colonienſibus vulgavit); Concilium Nanctenſe cap. 1; Vvitichin-

crificium confecit; quodque Euchariſticum, & Latreuticum non mo-

tichindus Corbejenſis lib. 2, & 3. geſtor. Saxonicor.; Stephanus Leodienſis in vita S. Lamberti; Fulbertus Carnot. in epiſt. ad Adeodatum; Berno Augienſis in vita S. Uldarici cap. 21, epiſt. ad Hitelradum Abbatem, & epiſt. ad S. Stephanum Ungariæ Regem; S. Petrus Damianus ſerm. in natal. Dom., & epiſt. 11. cap. 4; Adelmannus in epiſt. ad Berengarium; Algerus lib. 1. de Sacram. Altaris cap. 16; Stephanus Eduenſis de Sacram. Alt. capp. 9, & 13; Humbertus contra Nicetam Pectoratum; Alexander III. apud Gratianum de conſecr. diſt. 1; S. Anſelmus Cantuar. in cap. 2 epiſt. 1. ad Timoth., & 10. epiſt. ad Hebræos; Hildebertus Cænoman. de myſt. Miſſæ, & epiſt. 11, & 16; Ivo Carnot. epiſt. 284; Edinerus Anglus in vita S. Anſelmi lib. 2; Honorius Auguſtodun. in gemma animæ lib. 1. cap. 86; Rupertus lib. 2. divin. Officior. capp. 2, & 10; Odo Cameracenſis in canon. Miſſæ diſt. 3; Smaragdus in diademate Monachorum cap. 48; Regino lib. 1. de diſciplina Eccleſ. cap. 8; Concilium Remenſe; Goffridus Abbas opuſc. 1. de Corp., & Sang. Domini; V. Petrus Cluniacenſis epiſt. contra Petrobruſianos; S. Bernardus ſerm. 2. de omnibus Sanctis; epiſt. 2. ad Fulconem, & in vita S. Malachiæ cap. 43; Ricardus Victor. in Cantica cap. 30; Magiſter ſent. in 4. diſt. 12; Hugo Etherianus de regreſſu animar. cap. 27; Potho Prumienſis lib. 2. de ſtatu domus Dei; Otho Friſingen. lib. 7. hiſt. cap. 32; Guibertus Gemblacenſis lib. 1. de miraculis S. Martini cap. 6; Innocentius III. lib. 5. myſt. Miſſæ cap. 2; Concilium Lateranenſe IV. ſub eodem Innocentio capp. 3, & 9. de celebr. Miſſar.; Honorius III. Extra. de celebr. Miſſar. capp. 10, & 12; S. P. Franciſcus Aſſiſias in epiſt. ad Sacerdotes Ordinis; Guilfelmus Arvernus lib. de Sacram. cap. 2. de Euchar.; Hugo Cardinal. in 22. Lucæ; S. Thomas 3. p. q. 82. art. 1, q. 83. art. 1, 3, & 4, opuſc. 65, & 66; S. Bonaventura de ſex alis Seraph.; Durandus in rationali divin. officior. lib. 4. capp. 1, & 41; Scotus in 3. diſt. 9. q. 1; Eraſmus etiam tract. de amabili Eccleſiæ concordia; Concilium Trident. ſeſſ. 22. capp. 1, & 2, & can. 1, 2, 3, & 4. Mitto ceteros Scholaſticos legendos apud Scriptores paullo ſuperius laudatos.

Faciunt ad hæc Liturgiæ omnes ſuperius a nobis commemoratæ, non ſecus ac exhibita monumenta de jugi conſenſu Eccleſiæ Orientalis: exploratiſſimum enim ſit ex illis dogma hocce de ſacrificio Miſſæ. Quamobrem ſeſe a priſcis Patribus, atque a tota retro antiquitate, & traditione receſſiſſe faſſi ſunt primo hæretici ipſi, Lutherus lib. de captivit. Babylon., lib. de abroganda miſſa privata, & lib. adverſus Regem Angliæ; Zuvinglius in Epichereſi de Canone miſſæ, & in reſponſ. Senatus Tigurini ad Epiſcopum Conſtantienſem; Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 18: quamquam poſtea, ut hæreticorum moris eſt nunquam in ſententia manendi, nonnullis reſponſionibus Patrum teſtimonia eludere conati ſint Lutherus cit. lib. de captivit. Babyl.; Zuvinglius in explanat. articuli 18; Calvinus cit. loco; Petrus Martyr claſſe 4. locor. commun. loc. 12; Kemnitius in exam. Concilii Trid., quos tamen lato

cala-

modo, ſed etiam impetratorium ſit, & propitiatorium: Miſſas (8) pri-

calamo poſt Bellarminum, præ aliis perſtringit Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. XIII, & XIV. diſſert. 13: qua de re peſſimæ cauſſæ patrocinium ſuſcepit P. le Courajer, dum opuſculis editis ſub eo titulo: *Diſſertation ſur la validite des Ordinations des Anglois: Et deffenſe de la diſſertation ſur la validite des Ordinations des Anglois*, Anglicanæ Eccleſiæ fidem cum Romana ut conciliaret, ab Anglis in miſſa agnoſci adverſus Romanæ Eccleſiæ Theologos veram ſacrificii rationem conſiſtere adhuc, etſi in ea verum Chriſti Corpus, veruſque ejus Sanguis non offeratur, ſcribere non eſt veritus, eaque de re cum ab Anglis ob eorum diſſimulatam doctrinam, tum a Catholicis ob deformatum dogma peſſime audivit, eumque vellicant, ac plurimis invicte profligant doctiſſ. Tournellius tract. de Sacram. Euchar. q.8. art, 1.; Michael Lequiennius in tract. de Ordinat. Anglor.; Franciſcus Vivantius Doctor Sorbon. in tract. contra validit. Ordin. Anglor., & Jo: Laurentius Berti.

(8) Miſſas privatas quod attinet, contra quas adeo obganniunt Proteſtantes, antiquitus frequentatas hic obiter eſt obſervandum. Provinciam hancce naviter exornarunt Cardinales Bona de rer. Liturg.; Bellarminus lib. 2. de miſſa; Johannes Tillet Epiſcop. Briconienſis in tract. de antiq., & ſolem. Miſſæ; Teraizius, P. Le Brun, Werſtius, Boquilotius, aliique rerum liturgicarum tractatores, atque controverſias contra hæreticos agentes, a quibus prolata ea de re momenta ſatius hic erit indicaſſe. Ergo miſſas privatas olim celebratas fuiſſe, quin in illis cum Sacerdote communicaret populus pateſcit 1. ex Canone 9. Apoſtolorum, quo præcipitur Clericis, ut facta oblatione communicarent, niſi rationabilis interceſſerit cauſſa; ex Tertulliano lib. de Jejunio; S. Cypriano epiſt. 104; S. Optato lib. 6. contra Parmen.; Ambroſio in cap. 3. epiſt. 1. ad Timoth., lib. 2. epiſt. 14. ad Marcellinam Sororem; S. Hieronymo epiſt. 28. ad Lucinium; & apolog. contra Jovin.; S. Auguſtino lib. 9. confeſſ. capp. 1, & 2, epiſt. 54. ad Januar., & lib. 10. de Civit. cap. 4; Concilio Toletano I. an. 400. can. 5; S. Baſilio epiſt. 289. ad Cæſaream patriciam; S. Chryſoſtomo hom. 31, & 51. ad popul. Antioch., & hom. 5. in epiſt. 1. ad Timoth.; S. Epiphanio in expoſit. fidei Cathol.; Socrate lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 21; & S. Innocentio I. epiſt. ad Decentium; ex quibus, inquam, pateſcit in Eccleſiis Africæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Cæſareenſi, Alexandrina, Cypria, Antiochena, Conſtantinopolitana (ſi tempus excipias Quadrageſimæ, quo in Eccleſia Conſtantinop. diebus tantum Sabbathi, & Dominicis miſſæ agebantur) quotidie miſſas fuiſſe celebratas, in quibus tamen non ſemper, aut omnes fideles communicabant. 2. Pateſcit ex actis S. Marcelli, ubi refertur in domo Lucinæ miſſam celebraſſe; ex actis S. Saturnini apud Ruinartium, ubi privatim ſacrum factum perhibetur; ex actis S. Stephani apud Surium ad 2. Aug.; ex S. Dionyſio Alex. apud Euſebium lib. 7. cap. 22; S. Cypriano epiſt. 5, & Auctore conſtit. Apoſtol. lib. 6. cap. 30. olim in cryptis, cœmeteriis, ac carceribus miſſas celebrari conſueviſſe enarrantibus; ex S. Gregorio Nazian. orat. 19, qua affirmat a Patre ſuo Epiſcopo rem divinam privatim in cubiculo

privatas, in quibus nec omnes, nec ſemper Chriſtifideles, qui adſta-

culo peractam; ex Philoſtorgio lib. 2. hiſt. Eccleſ., ubi narrat S. Lucianum Martyrem ſupra pectus ſuum rem ſacram egiſſe; ex S. Paulino in vita S. Ambroſii, quem refert Romæ in quadam domo ſacrificium obtuliſſe; ex Uranio in vita ejuſdem S. Paulini, quem paucis ante obitum horis in altari ante lectulum ſuum præparato rem divinam feciſſe commemorat; ex Theodoreto, qui in hiſt. relig. cap. 20. teſtatur ab ſe oblatum ſacrificium in cellula Maris Monachi; ex Leontio Cyprio in vita S. Iohan. Eleemoſ. cap. 41, quem perhibet in Epiſcopio privatim potuiſſe miſſas celebrare, celebraſſe vero in Eccleſia ob utilitatem fidelium; ex S. Gregorio hom. 37. in Evang., in qua auctor eſt S. Caſſium Narnienſem quotidie miſſas celebraſſe; ex Mabillonio præfat. in ſæcul. II. Benedict., qua refert S. Goarium Anachoretam, S. Geremarum Abbatem Flaviacenſem, & Licinium Andegavenſem Epiſcopum, alioſque quotidie rem divinam confeciſſe, ſive adeſſent, ſive non, qui communicarent. 3. Pateſcit ex S. Cornelio Papa in epiſt. ad Fabium Antiochenum apud Euſebium lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 43, qui ſcribit ſub id temporis Romæ adfuiſſe 44. Presbyteros; quos quidem veriſimile eſt ſaltem aliquando eodem die ſacra feciſſe; ex S. Gregorio Magno, qui hom. de Natali Dom. vetuſtiſſimæ conſuetudinis meminit, ut in die Natalis Domini ſinguli Sacerdotes miſſæ ſacrificium ter celebrarent, quibus ſinguli ſane fideles non communicabant; ex eodem S. Gregorio, qui lib. 5. epiſt. 43. ad Johannem Epiſcopum Syracuſanum ipſum admonet; ut omni ſtudio redire in gratiam conaretur cum Venantio præfecto, & ſi opus foret, etiam miſſas in ejus domo celebrari permitteret, imo & ipſemet celebraret: (eum uſum poſtea prohibitum refert Martenius lib. 1. de antiq. Eccleſ. ritibus cap. 3. art. 5.; reveraque interdictus legitur a Conciliis Laodiceno an. 365; Epaonenſi an. 517; Cabillonenſi II; Aquiſgranenſi an. 816; Pariſienſi VI. an. 829.) ex S. Gregorio item, qui Sacerdoti cuipiam, ut pro anima Juſti Monachi continuis 30. diebus ſacrificium offerret præcepit; ex Auctore Conſtit. Apoſt.; S. Ambroſio in funere Theodoſii, & Palladio referentibus pro defunctis miſſas celebrari conſueviſſe ab aliis tertio die, ab aliis ſeptimo, ab his 30, ab illis 40; ex V. Beda in vita S. Leofredi, quem quotidie uſque ad diem obitus miſſam egiſſe refert; ex Eddio in vita S. Walafridi apud Mabillonium p. 1. ſæcul. IV. Benedict. perhibente omni die pro Walafridi anima miſſam ſingularem celebrandam conſtitutum fuiſſe ab ejuſdem ſucceſſore Epiſcopo Eboracenſi; ex S. Gregorio Turonenſi narrante a muliere quadam, ut ſingulis quibuſque integri anni diebus pro defuncto viro miſſa ageretur, curatum fuiſſe; ex S. Gregorio iterum lib. 5. epiſt. 5. ad Palladium Epiſcopum Senonenſem, qua ab ipſo Palladio Eccleſiam conſtructam, in eaque tredecim altaria erecta commemorat. Idem in Eccleſia SS. Apoſtolorum ſeptem altaria extitiſſe, ad quæ quotidie miſſæ conficerentur, narrat. 4. Pateſcit ex diſciplina circa laicam communionem.

Miſſam equidem abſque plurium communione celebratam primum non fuiſſe conſtat ex SS. Canonibus id præcipientibus, ſcilicet can. 10. Apoſtol.;

ſtarent, communionis participes fierent: Communionem (9) laicam

ſtol.; 28. Illiberitano; 2. Antiocheno ſub S. Julio I; 13. Toletani I; eamque diſciplinam viguiſſe in Eccleſiis Italiæ præſertim pateſcit ex S. Hieronymo epiſt. 28. ad Lucinium, & 50. ad Pammachium. Quinimo ejuſdem diſciplinæ quoſdam, ac IX. quidem ſæculo in Germania adeo retinentes fuiſſe, ut ſi pluribus Miſſis eadem die intereſſent, in ſingulis communicarent, teſtis eſt Walafridus de Eccleſ. offic. cap. 22. Nihilominus eam diſciplinam non ubique, aut pro omnibus integram viguiſſe, atque jampridem rariorem, aut non ſaltem quotidianum fniſſe communionis uſum conſtat ex legibus pœnitentiæ publicæ, cui qui erant addicti miſſarum celebrationi intereſſe quidem poterant, Euchariſtiæ non etiam participes fieri. Vide Brunium tom. 4. diſſert. 15. in uſum ſeeret. Miſſæ art. 8. Ex Laudatis SS. Patribus S. Chryſoſtomo hom. 5. in epiſt. 1. ad Timoth., & 31. ad populum; S. Ambroſio lib. 5. de Sacr. cap. 4; Ambroſiaſtro ſerm. 34; S. Auguſtino epiſt. 118. ad Januarium; & Gennadio lib. de Eccleſ. dogmat. cap. 54. Quare Concilium Antiochenum anno 341; & Toletanum I. anno 400. frequentem communionem præcepere; Agathenſe vero anno 506. can. 18, & Turonenſe II. anno 570. can. 50. juſſere, ut Sæculares in die Dominico miſſam audirent, & ter in anno, ideſt in die Natalis Domini, Paſchatis, & Pentecoſtes Euchariſtiam ſumerent; Colonienſe I. an. 1536. cap. 21. idem juſſit. Confer de Conſecr. diſt. 2. cap. *Etſi non frequentius*; cap. *Omnis homo*; & cap. *Sæculares*. Quinimo etiam poſt Concilium Lateranenſe IV. a quibuſdam Eccleſiis priorem uſum de communione ter in anno a Fidelibus percipienda retentum fuiſſe patet ex Concilio Toloſano an. 1229. cap. 13, & Albienſi an. 1254. cap. 29. Illud obſervandum hic denique cum Edmundo Martenio lib. 1. de antiq. Eccleſ. ritib. cap. 8, quod per ſex priora ſæcula, ideſt uſque ad tempora S. Gregorii Magni, ut conjicere eſt ex ejus epiſt. 30. ad Mauritium Imper., & 31. lib. 6. ad Eulogium Alexandr., & Anaſtaſium Antioch., in Eccleſia Occidentali eum morem viguiſſe, ut in Eccleſia eadem unicum extaret Altare, & Presbyteris eo in altari, in quo Epiſcopus ſacrum egiſſet, eadem die celebrare non liceret: ne Presbyteri vero a ſacrificio abſtinerent, eoſdem una cum Epiſcopo concelebrare fas, ac frequens erat. Ut obſervat vero Cardinalis Bona lib. 1. rer. liturgicar. cap. 14, Græci antiquum morem retinuerunt, & hactenus retinent, iſque etiam num Moſcovitis eſt communis, ut in Eccleſia nonniſi unum altare habeant, nefas eſſe putantes intra eamdem Eccleſiam Sacrum eadem die iterare: plura tamen ipſi Eccleſiæ proxima, muroque disjuncta habent ſacella, ſive oratoria, quæ *Parecceſiæ* ab illis appellantur, in quibus Miſſas ii faciunt, quibus eas in Eccleſia facieudi non eſt facta poteſtas, ſed hactenus de his.

(9) Licitam Laicorum ſub una tantum ſpecie communionem, & in Eccleſia uſitatam eſſe ex traditione accepta, atque ad nos transfuſa docuerunt SS. Patres, ex quibus perſpectum fit 1. aſſervatam antiquitus fuiſſe Euchariſtiam ad communionem domeſticam, qua cuique domi Euchariſtiam ſumere, ob metum præſertim incumbentis perſecutionis, ac maxime in eremis ſolitariam vitam

cam ſub unica dumtaxat, videlicet panis ſpecie, licitam, ac laudabi-

vitam agentibus fas fuerat: ita enim teſtantur Origenes hom. 13. in Exod.; Tertullianus in lib. de orat., & lib. 2. ad uxor. cap. 5; Clemens Alex. lib. 1. Strom.; S. Cyprianus in tract. de lapſis; S. Baſilius epiſt. 289. ad Cæſaream Patriciam; S. Hieronymus in epiſt. ad Pamachium; S. Gregorius Nazianz. orat. 11. de laudibus ſororis ſuæ S. Gorgoniæ, cui tamen peculiari privilegio ob ejus ſanctimoniam conceſſum, ut domi altare erectum haberet, atque in eo utramque Euchariſtiæ ſpeciem ſervaret, obſervavit Lupus tom. 3. in diſſert. de S. Leonis IX. actis; S. Ambroſius orat. funebri de obitu fratris ſui Satyri; Johannes Moſchus in prat. ſpirit. cap. 79; Simeon Metaphraſtes in vita SS. Indæ, & Domnæ; S. Gregorius lib. 3. dialog. cap. 36. Occurrunt n oris ejuſmodi frequentiſſima in hiſtoria Eccleſiaſtica exempla. A Dorotheo Epiſcopo Theſſal. Eutychiano homine ingenti copia plebi Euchariſtiam diſtributam domos aſportandam ad S. Hormiſdam ſcripſere Johannes, & Epiphanius tom. 4. Concil. pag. 1523. Monachis S. Apollonii diſcipulis, nec non ſub S. Oreſio degentibns frequentiſſimum fuiſſe privatæ Euchariſtiæ uſum, perhibet Palladius hiſt. Lauſiacæ cap. 52. Ejuſdem privatæ communionis ſolitariis uſitatæ plurima exempla exſtant apud Janum Nicium; Abrah. Echellenſem; Arcudium lib. 3. cap. 59; Combeffiſium tom. 2. auct. bibl. P. P.; Fleurium hiſt. Eccleſ. tom. 8. Baronius ad an. 57. morem huncce domi Euchariſtiam ſervandi privatim ſuſcipiendam perſeveraſſe affirmat in Eccleſia Occidentali uſque ad tempora S. Hormiſdæ Papæ; atque in Hiſpania primum abrogatum fuiſſe a Concilio Cæſarauguſtano an. 381. can. 3, quod confirmavit Concilium Tolet. I. an. 400. cap. 14. Repugnat vero Tournellius tract. de Euchariſt. q. 4. art. 2, eo quod Concilium illud Cæſarauguſtanum non ſub Hormiſda, ſed ſub Damaſo habitum ſit: prohibitio vero illa facta a Conciliis Cæſarauguſtano, & Toletano I, ne privatim aſſervaretur Euchariſtia, non fideles, ſed ſolos ſpectabat Priſcillianiſtas, qui fidelium ſynaxibus ſe ſe immiſcentes, Euchariſtiam acceptam, indeque aſportatam ſecreto dein abjiciebant: atque ita exponit Concilii Toletani I. prohibitionem Concilium Toletanum XI. an. 675. can. 11. Præterea priſcam illam conſuetudinem aſſervandi domi Euchariſtiam viguiſſe VI. ſæculo oſtendit vir eruditus ex S. Gregorio mox laudato; viguiſſe VII, & VIII. ſæculo oſtendit ex V. Beda lib. 4. hiſt. Anglor. cap. 24, de quo infra; viguiſſe IX. ſæculo oſtendit ex Michaele Studita apud ipſum Baronium ad an. 816; viguiſſe ſæculo X. oſtendit ex reſponſo Archiepiſcopi Corinth. in actis S. Lucæ junioris apud Combeffiſium tom. 2. auct. bibl. SS. P. P., & apud Bollandum die 7. Februarii; viguiſſe imo ſæculo XII. oſtendit ex actis S. Laurentii Dublinenſis apud ipſum Baronium ad an. 57. Certe etiam poſt ſæculum XII. morem viguiſſe, ut ſanctimoniales, qua die Deo devovebantur, Euchariſtiæ integram hoſtiam acciperent, ex cujus fruſtulis per dies octo ſemel communicarent, auctor eſt Martenius de antiq. Eccleſ. ritib. lib. 1. cap. 5, art. 1. Demum domeſticæ communionis conſuetudinem ut abolerent, ob invectos abuſus nihil non egere Epiſcopi. Videſis

dabilem esse; ideſt Laicis licite, ac laudabiliter ab Eccleſia Cali-

---

deſis apud Reginonem lib. 2. de diſcipl. Eccleſ. cap. 120. decretum Concilii Remenſis: apud Hincmarum in capit. de viſit. Eccleſ.; apud Ratherium Veron. in epiſt. ad Cler. tom. 2. Spicilegii. 2. Euchariſtiam olim ad abſentes delatam teſtantur S. Irenæus in epiſt. ad Victorem Papam, qua ſignificat morem fuiſſe, ut Romani Pontifices recens ſalutati Epiſcopis in communionis ſignum Euchariſtiam mitterent, quo de argumento luculenter, Deo dante, agemus in diſſert. de Azymo, ubi de decretis Melchiadis, Julii, & Siricii; ſed & Valeſius in notis ad Euſebii lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 24, quo S. Irenæi laudatam epiſt. recitat, obſervat morem fuiſſe promiſcuum Epiſcoporum in ſignum mutuæ fidei, & pacis ad ſe invicem Euchariſtiam tranſmittere; quem morem poſtea abrogavit Concilium Laodicenum can. 14; S. Juſtinus apolog. 2; Fulbertus Carnot. epiſt. 2. ad Finand.; Simeon Metaphraſtes in vita S. Luciani Martyris apud Surium ad diem 7. Januarii, & Baronium ad an. 311, quem perhibet poſtquam ſupra pectus ſuum vice altaris ſacrum perfeciſſet in carcere, peracto ſacrificio, cujus ipſe primus particeps fuiſſet, Euchariſtiam quoque ad abſentes tranſmiſiſſe. Quamquam aliquando Euchariſtiam vini ſpeciebus prius aſperſam ad abſentes vitam præſertim ſolitariam agentes miſſam apud Allatium de Miſſa præſanctif. cap. 4. legere eſt.

Aſſervatam etiam olim Euchariſtiam in Eccleſia teſtantur Auctor conſtit. Apoſtol lib. 8. cap. 13, ajens eam a Diaconis in paſtophorio reverenter eſſe recondendam; Concilium Nicænum can. 63. Arabico, Œconomo Eccleſiæ præcipiens, ut curam loci habeat, in quo Euchariſtia ſervatur; S. Amphilochius in vita S. Baſilii, ſive alter ejus vitæ auctor tom. 7. ſpicileg., referens S. Baſilium confectam Euchariſtiam in tres partes diviſiſſe, quarum quidem unius particeps fuit, alteram reſervavit ſecum conſepeliendam, tertiam vero impoſuit columbæ aureæ, quæ pendebat ſuper altare; Concilium Turonenſe II. an. 570. cap. 3. præcipiens, ut Corpus Domini non in armario, ſed ſub Crucis titulo componatur; Auctor lib. Pontificalis in SS. Silveſtro, Innocentio I, & Hilaro referens ab illis turrem, & columbam ſuper altare collocatas, recondendæ ſane Euchariſtiæ; Flodoardus lib. 1. hiſt. cap. 18, & lib. 2. cap. 6. commemorans turrem auream ſuper altare Eccleſiæ Remenſis collocatam a Landone, & S. Remigio Remenſibus Archiepiſcopis. Dacherius tom. 5. Spicilegii teſtamentum recitat Perpetui Epiſcopi Turonenſis an. 474. vita functi, in quo Amalario Presbytero reliquit capſulam unam de ſerico, periſterium, & columbam argenteam ad recondendam Euchariſtiam. Felix Bituricenſis apud Fortunatum lib. 3. cap. 23, cujus moria etiam meminit S. Gregorius Turon. lib. 1. de glor. Mart. cap. 86., anno 570. argenteam turrim ad reponendam Euchariſtiam conſtruxiſſe legitur, quæ ad id uſque temporis in aureis, vel argenteis columbis recondi conſueverat. Mabillonius in Analectis refert S. Aredium Lemovicenſem teſtamento reliquiſſe turres quatuor, cum coopertoriis holoſericis, conſervandæ plane Euchariſtiæ. S. Chryſoſtomus hom. 31. ad popul. ait Euchariſtiam repoſitam

ſuper

Calicis uſum interdictum: eam ob rem Euchariſtiam (10) olim ſub

---

ſuper altare Spiritu Sancto conveſtitam, ideſt columba recluſam. Synodus Conſtantinopolitana an. 536. ſub Menna act. 5., & Turonenſis II. an. 567. can. 3. ſimiliter columbæ meminere. In his ergo columbis repoſitam, ſervatamque Euchariſtiam docent Æneas Pariſien. apud Dacherium tom. 7. ſpicilegii; Durandus libro 1. de ritib. Eccleſ. cap. 16; Rosvveidus in notis ad epiſt. 12. S. Paulini; Novarinus in agno Euchariſtico lib. 5. cap. 55; & Gonzalez in 3. decretal. tit. 44. In turribus vero præfatis repoſitam, ſervatamque Euchariſtiam negat Harduinus embolo 2. de Sacr. altar. cap. 1, quas potius cenſet capſulas fuiſſe hoſtiarum conſecrandarum; quam ſuam conjecturam eruit ex Pontificali, & Sacramentario Gallicano apud Mabillonium tom. 1. Muſæi Italici, a quibus turris adnumeratur inter vaſa ſacra; & ex S. Gregorio Turon. lib. 1. de gloria Martyr. cap. 86. referente Diaconum ad altare retuliſſe turrim, in qua *Miniſterium* Dominici Corporis habebatur. Verum exinde contrarium magis colligere debuerat Harduinus, ſcilicet turrim vas eſſe hoſtiarum conſecratarum, non vero conſecrandarum. In eamdem conjecturam conceſſit Thierrius diſſert. de Altar., & Mabillonius in dubitationem adductus eſt diſſert. de Azym., & Ferm. Verum loco *Miniſterium* legendum *Myſterium* ex fide Mſs. Codicum S. Gregorii, quotquot ab ipſo collatorum, admonet Ruinartius in not. ad eum locum, ſubdens ita eum locum acceptum olim a S. Odone Clun., ſcilicet *Capſam cum Corpore Domini*. De iis turribus, colombis, ſimilibuſque reponendæ Euchariſtiæ vaſis vide Mabillonium itin. Italic. p. 186; Thierrium cit. diſſert.; & tract. de expoſit. Euch.; & Marteniumlib. 1. de antiquis Eccleſ. ritib. cap. 5. art. 3. Ad hæc pœnitentiale Romanum lib. 15. cap. 1. apud Burchardum lib. 1. decretor. capp. 50, & 51 dies 40. pœnitere presbyterum jubet, cujus incuria mures comediſſent Species reconditas; Concilium vero Lateran. IV. can. 20. relato in 3. Decret. tit. 44. cap. *Statuimus* decernit, *ut ſi is cui incumbit Euchariſtiam ſervare, incaute diligentiæ defuerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur; & ſi per ejus incuriam aliquid nefarium in re contigerit*, puta ſacrilegum furtum, aut ejuſmodi profanatio, *graviori ſubjiciatur ultioni*. Poſtremo Innocentius XIII, & nuperrime BENEDICTUS XIV. decretis editis, & in ſegnes, negligenteſque cuſtodes atrocibus pro meritis ejaculatis pœnis, ſacratiſſimæ Euchariſtiæ cuſtodiæ cautum, conſultumque juſſerunt.

(10) Euchariſtiam olim ea ratione in turribus, columbis, aliiſque hujus generis Sacrariis aſſervatam, ut inde ad infirmos deferretur, teſtantur S. Dionyſius Alexandr. apud Euſebium lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 44. referens S. Serapionem prope moriturum miſiſſe puerum ad Presbyterum, ut ab eo Euchariſtiam perciperet, a quo miſſam Euchariſtiæ particulam manu pueri ſuſcepit, paulloque poſt vitam cum morte commutavit; Concilium Nicænum can. 13. præcipiens legem antiquam ſervari, ut egreſſurus de corpore Euchariſtia non privetur; Concilium Aurelianenſe anno 1017. apud Dacherium tom. 2. Spicilegii aſſerens Euchariſtiam ſervari ægris de hoc ſæculo exituris ad viaticum miniſtrandam; Goarius in notis ad Euchologium Græcorum, & Arcudius lib. 3.

ſub unica panis ſpecie in vaſis Sacris aſſervatam pro communione

lib. 3. cap. 55. obſervant a Græcis Feria 5. majoris hebdomadæ pro toto anni decurſu conſecrari Euchariſtiam pro infirmis. Egbertus in excerptis cap. 22. Sacerdoti injungit, ut Euchariſtiam ſervet infirmis communicandis, antequam morte occumbant. S. Leo IV. anno 847. decrevit, ut Euchariſtia in pixide pro infirmorum viatico cuſtodiatur tom. 8. Concil. Labb. pag. 34. Similes ſanctiones legere eſt lib. 1. Decret. tit. 24. cap. *Officium*, & apud Burchardum lib. 5. capp. 9, & 10. Prope diem vero morituros non niſi una panis ſpecie pro viatico refectos conſtat ex S. Ambroſio, qui teſte Paulino in ejus vita morti proximus Euchariſtiam, adminiſtrante S. Honorato Vercellenſi cælitus ad id officii præſtandum admonito, accepit: ex Adelino Sagienſi, qui in vita S. Opportunæ, eidem prope morituræ, ac petenti allatam Euchariſtiam, eaque accepta vitam finiſſe refert: ex S. Uldarico aſſerente lib. 3. antiquar. conſuetud. Ord. Cluniacen. cap. 28. apud Dacherium tom. 4. Spicilegii Monachis infirmis conſueviſſe Euchariſtiam ſub unica panis ſpecie prius vino non conſecrato madefactam præberi: ex Mabillonio ſæcul. II. Benedict. recitante vitam S. Columbani, in qua habetur ejuſdem Monachos morti proximos unica panis ſpecie communicaſſe: ex V. Beda lib. 4. hiſt. Anglor. capp. 14, & 24. referente binos infirmos prope morituros ſola panis Euchariſtici ſpecie refectos: ex Carolo Magno lib. 1. Capitul. cap. 160. præcipiente, ut Euchariſtia ſemper parata ſit infirmis communicandis: ex Aimoino lib. 5. de geſtis Francor. cap. 19. narrante Ludovici Imperatoris ægrotantis cibum per dies 40. fuiſſe dumtaxat Dominicum corpus: ex S. Elizabetta Schonaugienſi anno 1170. teſtante in lib. 1. viarum Dei ſorori infirmæ communicandæ allatam in pixide Euchariſtiam.

Ab anno circiter 1110. unica tantum panis ſpecie communicaſſe ſenes, & infirmos conſtat ex Rodulpho Abbate apud Cardinalem Bonam lib. 2. rer. liturgicar. cap. 18. præſcribente, ne Laicis Euchariſtia præberetur ſub vini ſpecie, idque ad præcavendum cum effuſionis periculum, tum ſimplicium errorem, ne putarent, quod ſub utraque ſpecie integer non adſit Dominus Jeſus. Id adeo verum, ut ingenue teſtatus ſit etiam Thomas Smith de Eccleſ. hod. ſtatu p. 107, & ſeq. Quamquam aliquando infirmis datam Euchariſtiam tum ſub ſpecie vini in Hiſpania non negarim, conſtat id enim ex Concilio Toletano II. anno 675. can. 11; quin imo aliquando infirmis etiam datam ſub utraque ſpecie concedo, id enim liquet ex veteri Rituali ms. S. Remigii Rem. apud Menardum, quo formula præbendi ſpeciem vini infirmis præſcribitur; liquet ex epiſt. S. Chryſoſtomi ad Innocentium I., ex qua in Eccleſia Conſtantinopolit. pro infirmis reſervata ſpecies vini apparet. Id etiam innuit S. Sophronius in vita S. Mariæ Ægyptiæ, quam prope morituram utramque Euchariſtiæ ſpeciem à S. Zoſimo accepiſſe perhibet. Id innuit S. Hieronymus in epiſt. 4. ad Ruſti cum referens a S. Exuperio Toloſano Chriſti Corpus geſtatum in caniſtro vimineo, & Sanguinem in vaſculo vitreo: innuit & Sugerius Abbas in vita Ludovici Craſſi apud Ducheſnium tom. 4. ſcript. gall. hiſt. ejus in cubiculo celebratam miſſam, ac eidem ſub utraque

vel vita periclitantium; vel (11) Martyrio propinquantium; vel pere-

que ſpecie adminiſtratam Euchariſtiam enarrans. Gemina occurrunt Giraldi Comitis apud S. Odonem: S. Benedicti apud S. Gregorium lib. 4. dialog.; & S. Iſidori Hiſpal. in ipſius vita. Urbanus II. in Concilio Claromontano anno 1095. juſſit communicantes ſeparatim communicare ſub utraque ſpecie, niſi tamen infirmi neceſſitas, vel effuſionis periculum aliud poſtularet; & Paſchalis II. anno 1118. in epiſt. ad Pontium Cluniacenſem Abbatem apud Baronium ad eum annum juſſit, ut utraque ſpecies ſeparatim ſumeretur, exceptis parvulis, ac omnino infirmis, qui panem deglutire non poſſent.

(11) Euchariſtiam etiam ſub una panis ſpecie olim conſueviſſe tradi propinquantibus Martyrio, vel peregrinantibus in longinqua, vel proficiſcentibus ad bellum tradunt Anaſtaſius in vita S. Stephani I. Papæ; V. Beda in Martyrolog. ad 15. Auguſti, & Uſuardus in Martyrologio de S. Tarſitio Martyre Euchariſtiam geſtante, qui Paganis ſciſcitantibus, ac diſquirentibus quid rei gereret, mortem potius ſubire, quam ante porcos margaritas projicere ratus eſt; apud quem poſt mortem nihil de Euchariſtia a Paganis repertum fuiſſe narrat. Methaphraſtes apud Surium die 10. Novembris teſtatur ad Virginem S. Theoctiſtem in inſula Pharo vitam ſolitariam agentem a viro ſæculari venatore inventam anno ſequenti allatam Euchariſtiam, qua accepta ad Cælum conſcendit. Græcos Monachos non antea ſe itineri committere conſueviſſe; nec Maronitas ad bellum properare, quam ad collum appenſa Euchariſtia auctores ſunt Arcudius lib. 3. de Sacram. cap. 59; & Gabriel Sionita epiſt. ad Berthold. Nihuſ. apud Allatium in Symmict. S. Ambroſius lib. 1. de obit. Satyri ab eo in navi linteo involutam, ligatamque collo Euchariſtiam geſtatam refert. A S. Birino prædicatum Evangelium in Britaniam proficiſcente appenſam ad collum Euchariſtiam delatam teſtatur S. Gregorius lib. 3. dialog. Idem in more poſitum S. Adalberto Pragenſi liquet apud Bollandum ad diem 9. Maij. Idem Monachis in Germania, Anglia, & Gallia, antequam itineri ſe committerent ex SS. Bonifacii Mogunt., & Colombani inſtitutione uſu veniſſe legitur apud Dacherium tom. 9. Spicileg., & Mabillonium ſæcul. I. Benedict. p. 37. Veterem eſſe morem, ut Romani Pontifices, dum iter adgrederentur, Euchariſtiam ad collum appenderent, exemplis Stephani III, Stephani V, Gregorii VII, Urbani II, Paſchalis II, Gelaſii II, & Alexandri III, oſtendit Angelus Rocca: cui ſubrogatus dein is eſt Euchariſtiam ante ipſos deferendi; cujus quidem teſtes accedunt de Gregorio XI. Petrus Amelius; de Benedicto XIII. pſeudo-Pontifice Paulus Emilius; de Pio II. Gobelinus; de Alexandro VI. Brocardus; de Julio II., & Leone X. Paris de Craſſis; de Clemente VII. Blaſius Cæſenas; de Paulo III, & Gregorio XIII. Philippus Bonanni de Hierarch. Eccleſ. cap. 93. Indultum id etiam Regibus Galliarum Roberto, & S. Ludovico legitur. Johannes Sacranius auctor ſæculi XV. in elucidario errorum ritus Ruthenici cap. 18. auctor eſt conſueviſſe Ruthenos euntibus ad bellum in anteceſſum panem conſecratum præbere, ut incumbente mortis periculo eo refici ſuapte poſſent, antequam morte præfocarentur. Gilbertus Genebrardus auctor

Sæ-

peregrinantium in longinqua; vel proficiſcentium ad bellum: (12)

Sæculi XVI. in libro de Græcorum ritibus refert in Paſchate poſt auricularem confeſſionem Græcos communicare ſub utraque ſpecie; ad ægrotos tamen panis dumtaxat ſpecies deferri. Arcudius lib. 3. concord. cap. 59. aſſerit Græcorum Monachorum moris eſſe, ut ſecum in itineribus Euchariſtiam deferant. Johannes Lanciſcius ſcriptor ejuſdem ævi ad cap. 11. Theologiæ Moſcoviticæ teſtatur apud Moſchos ejuſmodi morem vigere, ut peracto Sacro panes, ex quibus ſunt particulæ exciſæ, adſtantibus diſtribuantur; quæ autem ſuperſunt conſecratæ, eæ in uſum & peregre euntium, & morientium ſerventur.

Euchariſtiam ſub una tantum ſpecie infantibus duodecim ſæculorum decurrente ſpatio in utraque Eccleſia conceſſam, & traditam, & quidem aliquando ſub ſola vini ſpecie perhibent S. Cyprianus lib. de lapſis; S. Auguſtinus epiſt. 23. ad Bonifacium; S. Gregorius in Sacramentario, quo prohibet infantibus lac præberi ante communionem; Urbanus II, & Paſchalis II. ſupra laudati, qui infantibus communionem ſub una tantum ſpecie præberi permittunt; Guillelmus a Campis Epiſcopus Senonenſis S. Bernardo amicitia copulatus apud Mabillonium præfat. in ſæcul. III. Benedict. ſola vini ſpecie communicandos parvulos præcipiens; Hugo Victor. lib. 3. de Sacram. cap. 20. ajens Euchariſtiam infantibus in ſpecie vini miniſtrandam fore digito Sacerdotis facile ab illis fugendo. Hæc quoad Latinam Eccleſiam. Quoad Græcam teſtantur Jobius Monachus auctor V. ſæculi lib. 3. de Incarn. Verbi cap. 18. apud Photium cod. 222. pueros poſt baptiſmum ſpecie Sanguinis communicari; Leo Allatius in annotat. de commun. Orient. additis ad lib. de conſenſ. utriuſq. Eccleſ.; Goarius in notis ad Eucholog. Græcor.; & Arcudius in concord. lib. 3. cap. 40. eumdem uſum præbendi pueris poſt baptiſmum Euchariſtiam ſub ſpecie vini apud Græcos viguiſſe, & etiam num vigere affirmantes. Solam ſpeciem panis iiſdem pueris paullo grandioribus aliquando adminiſtratam, ac præſertim reliquias communionis Chriſtifidelium auctores ſunt Evagrius lib. 4. hiſt. capp. 35, & 36; Nicephorus lib. 17. cap. 25; Arcudius loco paullo ſuperius laudato; Concilium Matiſconenſe II. anno 585. cap. 6; V. Beda lib. 4. hiſt. Anglor. cap. 14; Zagazabus Patriarcha Æthiops in confeſſione fidei Æthiopicæ apud Damianum Goez ea ipſa die, qua pueri baptizantur ſub exigua panis ſpecie eoſdem communicari aſſerens; & Armeni in Liturgia apud Brunium tom. 3.

(12) Euchariſtiam ſæpe ſæpius ſub una tantummodo ſpecie in Eccleſia diſtributam, & acceptam res eſt extra dubitationis omnis aleam poſita, quam probant teſtes locupletiſſimi S. Leo ſerm. 4. de Quadrageſima, & S. Gelaſius relatus de conſecr. diſt. 2. cap. 12. de Manichæis referentes, quod ii ſe fidelibus ſacris in ſynaxibus immiſcentes Euchariſtiam ſub panis ſpecie ſumebant, a ſpecie vero vini, a quo ſummopere abhorrebant, abſtinentes; unde jubent ad eoſdem detegendos, ut communicaturi omnes utramque ſpeciem perciperent. Baronius, aliique animadvertentes ſub S. Melchiade, ideſt ſub an. 311. morem viguiſſe, ut Eulogiæ iis, qui Miſſæ intereſſent, nec communicarent, diſtribuerentur. S. Hieronymus epiſt. 22. ad Eutychium, ubi

Vir-

in Eccleſiis etiam certo tempore, certaſque perſonas ſub una panis

Virgines Deo dicatas a vino abſtinentes calici non communicaſſe commemorat S. Auguſtinus ſerm. 253. de temp. perhibens mulieres conſueviſſe nitidum linteolum adferre, in quo Euchariſtiam acceptam deponerent. Concilium Nicænum I. can. 14, alias 18, alias 20. apud Ruffinum concedens Diaconis, ut abſente Presbytero Euchariſtiam diſpenſent. Concilium Carthaginenſe III. cap. 38. indulgens, ut Diaconus a Presbytero juſſus, ſi neceſſitas cogat, Euchariſtiam eroget: ſolam igitur ſpeciem panis erogabat ſervatam. S. Gregorius Turon. lib. 3. de vita Patrum cap. 3. referens de S. Gallo, quod ſciens ſe prope diem moriturum, convocato populo, omnibus confracto pane Communionem præbuiſſet. S. Gregorius lib. 3. dialog. cap. 3. enarrans, quod quum Agapitus ſacro peracto cuidam muto, & claudo in os corpus Dominicum miſiſſet, illa diu muta ad loquendum lingua ſtatim ſoluta eſt. V. Beda lib. 2. hiſt. Anglor. cap. 5. tradens, quod circa annum 613. fatis functo Sabareto Orientalium Saxonum Rege chriſtiana Religione imbuto, ejus tres filii, qui Pagani remanſerant, ab Epiſcopo, quem videbant Euchariſtiam populo præbentem, petierunt quoque eam ſibi dari dicentes: *Quare non & nobis porrigis Panem nitidum, quem & Patri noſtro dabas, & populo in Eccleſia dare non deſiſtis?* Reſpondiſſe vero illum, iccirco illos panis ſancti participes eſſe non poſſe, quod ſalutari Lavacro abluti non eſſent. Auctor lib. altercat. Synag., & Eccleſ. cap. 8. affirmans ſufficere, ſi una tantum Sacramenti ſpecies exhibeatur multitudini, & ad vitandum calicis periculum ſolam panis ſpeciem eſſe porrigendam. Fulbertus Carnot. in epiſt. ad Piccardum referens ſua ætate, hoc eſt X. ſæculo, ab Epiſcopis comprovincialibus approbatum ritum, qui obtinuerat, ut Epiſcopus presbytero recens ordinato per dies 40. in memoriam 40. dierum, quibus Chriſtus cum Apoſtolis commoratus fuerat, Euchariſtiam ſub una panis ſpecie porrigeret. Guillelmus Abbas S. Theodorici lib. 1. vitæ S. Bernardi cap. 11. commemorans Monachum quemdam, qui indigne communicans Euchariſtiam trajicere ad interiora non poterat, ad S. Bernardi pedes advolutum aperto ore ipſam Euchariſtiam oſtendiſſe, eumque poſtea pœnitentem, confitentem, & abſolutum Euchariſtiam deglutiiſſe.

Ad hæc Latinam Eccleſiam ſub ſæculum XIII. jam recepto more conſueviſſe, cujus moris invecti rationes optimas reddit Rodulphus Abbas Divion. apud Card. Bonam lib. 2. cap. 18, Laicis Euchariſtiam ſub una ſpecie panis præbere conſtat ex Alexandro Alenſi in 4. q. 11. mem. 2. art. 4; S. Thoma lib. 4. de Sacram. altaris cap. 29; S. Bonaventura in 4. diſt. 11, & ſcholaſticis ejuſdem, & ſequioris ævi. Quantum ſpectat ad Eccleſiam Græcam in eadem a priſcis ævis frequens fuiſſe, ut ſub una tantum ſpecie Euchariſtia ſumeretur, conſtat ex veteri conſuetudine apud Græcos ſacra, cujuſmodi apud Latinos viget in die Paraſceves ex Ordin. Rom.; Alcuino; Amalario &c., qua toto Quadrageſimæ tempore, exceptis ſolis Sabbatis, Dominicis, & Annuntiationis Deiparæ V. diebus, ſacra non conficiunt; ſed die Dominica conſecratum

nis ſpecie Euchariſtiæ participes fieri permiſſas: ſacras Cæremonias

tum panem reſervant, quem reliquis, ſinguliſque hebdomadæ diebus in Miſſa, quæ iccirco appellatur Præſanctificatorum, offerunt, & accipiunt: cujus quidem conſuetudinis vim induxere Concilim Laodicenum can. 39, & Trullanum can. 52, ubi confer Allatium differt. de Miſſa præſanctif. in fine operis de conſen. Eccleſ. Occid.; Goarium in notis ad Eucholog. Græcor. pag. 205. & ſeqq.; & Arcudium lib. 3. de Euch. cap. 56, & ſeqq. Quo circa nuperis uſibus magno numero invectis connummerandum uſum, quo nunc Græci quibuſdam Sanguinis guttis Euchariſtiam aſpergunt; ſive pro miſſa Præſanctificatorum, ſive pro infirmorum communione reſervandam, obſervat Clar. Boſſuetius tract. de Comm.; tum ex Cærulario apud Beveregium, a quo ne vola quidem hujuſce ritus habetur; tum ex Harmenopulo ep. can. ſect. 2. tit. 6, tradente eum ritum ſive traditioni S. Chryſoſtomi, ſive Eccleſiæ Conſtantinop. veteri conſuetudini eſſe contrarium. Ex Sozomeno lib. 8, cap. 5, & Nicephoro lib. 13. cap. 7. referentibus de muliere quadam Macedonii hæreſi maculata, quæ quum, ut ſe catholicam ſimularet, a S. Chryſoſtomo Euchariſtiam acceptam clam Ancillæ dediſſet, ab ea vero communem panem loco Euchariſtici comedendum ſumſiſſet, panis ille continuo in lapidem mutatus eſt. Ex epiſtolis Abrahami Echellenſis, & Gabrielis Sionitæ apud Allatium loc. cit. affirmantium Syros, & Maronitas ruſticos, & paſtores, ægroſque Eccleſiam adire non valentes ſub una panis ſpecie communicare. Ex P. Johanne Baptiſta Solerio Soc. Jeſ. in append. ad Patriarchas Alexandr. a Papebrochio in tabulas adcenſitos ſect. 3. Cophtos infirmos non communicare ſacro calici oſtendente. Ex Genebrardo in lib. de Græcor. ritib. affirmante ægrotis Græcis Euchariſtiam ſub ſola panis ſpecie præberi. Ex Hypatio Ruthenorum Legato an. 1595. ad Clementem VIII. in ſua fidei profeſſione fatente ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque ſumi Sacramentum.

Appoſite itaque conſuetudinem dandi Laicis Euchariſtiam ſub ſola panis ſpecie ad evitanda pericula, & ſcandala pro lege ſacra, quam infringere non liceat, habendam decrevere Concilium Conſtantienſe ſeſs. 13; Baſileenſe ſeſſ. 30; Tridentinum ſeſſ. 21; Colonienſe II. can. 15; Colonienſe III. tit. Cenſuræ; Moguntinum IV. can. 32: quamque facultatem gravibus permotus rationibus Germanis fecerat Pius IV, gravioribus impulſus revocavit S. Pius V: ut propterea magis confidenter, quam vere Georgius Caſſander, homo alioqui noſtræ Communionis in conſultatione de Commun. ſub utraque ſpecie ſcripſerit eam ſemper antiquitus uſurpatam, exceptis quibuſdam caſibus neceſſitatis, qui legi, & conſuetudini præſcribere non poſſint; perperam vero, ac falſo ex Proteſtantibus ſcripſerit Callixtus Helmeſtenſis libro ad id adornato, Orientales numquam communicaſſe ſub una ſpecie, quem pro meritis caſtigavit Nihuſius in annot. ad differt. Allatii de Miſſa præſanctific.; fruſtra denique, ac peſſime in Eccleſiam ea de re, quod Laicis calicem ſubtraxerit, debacchentur Proteſtantes; ex iiſque Johannes Melchior

nias (13) ſive in confectione, ſive in adminiſtratione Sacramentorum

chior invidiam Boſſuetio propterea conflare præſumpſerit. Quamquam ab Eccleſiæ primordiis ad ſæculum uſque XII. laicis paſſim ſub utraque ſpecie communicare fas fuiſſe nemo ex noſtris inficias it, ut legere eſt apud Bellarminum lib. 4. de Euchariſtia; Alphonſum a Caſtro tit. Euchariſtia; Lindanum lib. 4. Panopliæ cap. 56; Eſtium diſt. 12; Boſſuetium in lib. de commun. ſub utraq. ſpecie; Mabillonium præfat. 1. in ſæcul. III. Benedict.; Ludovicum Thomaſſinum in tract. de comm. ſub utraque ſpecie; Martenium de antiq. Eccleſ. ritib.; Cardinal. Bonam lib. rer. liturgicar., alioſque de re Sacramentaria optime meritos, ex iiſque Juveninum de Euch. q. 8, cap. 4; Tournellium; Drovinum; Berti &c.

(13) Cæremonias Eccleſiæ uſu ſacras in confectione, & adminiſtratione Sacramentorum in Traditione locum habere, eaque in Eccleſiam inlatas ſequentia te docent. In Baptiſmo adhibendam aquam prius ſacrari ſolitam, adjecto etiam S. Oleo, teſtantur pſeudo-Dionyſius de Eccleſ. hier. par. 2. cap. 2; S. Baſilius lib. de Spirit. S. cap. 27; S. Ambroſius de iis, qui Sacram. initiantur cap. 3, & lib. 1. de Sacram. cap. 5; S. Auguſt. ſerm. 180. de temp., & lib. 6. de baptiſm. contra Donatiſt. cap. 8; Concilium Moguntinum IV. can. 14. Baptizandis ſuſceptores dari conſueviſſe intelliges ex pſeudo-Dionyſio de cæleſt. hier. capp. 2, & 7, ubi eos appellat *Anadoxos*; pſeudo-Juſtino q. 56. ad Orthod.; Tertulliano lib. de Corona Milit., & lib. de baptiſmo cap. 18, ubi hos vocat *Sponſores*; S. Auguſtino ſerm. 116, ubi eos nuncupat *Fidejuſſores*, & epiſt. 23. *Fidei Doctores*; Auctore veteri apud Baluzium in not. ad Capitul. tom. 2. pag. 1178; Synodo Moguntina IV. cap. 47, ubi *Compatres* nominat: *Patrini* vero a pſeudo-Higino apud Gratianum de conſecr. 4. can. *In cathechiſmo* appellantur. Confer Concilia Eboracenſe an. 1195. cap. 4; Saliſburgenſe an. 1217. cap. 14; & Colonienſe an. 1280. cap. 4. Baptizandis nomen dari ex traditione ſcribunt Patres Concilii Carthaginenſis IV. can. 85; S. Cyrillus cath. 3; S. Chryſoſtomus hom. 21. in Geneſ.; S. Siricius epiſt. ad Himerium; S. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis; lib. de fide, & oper.; & epiſt. 155. In baptiſmo exorciſmos, & inſufflationes adhibendas ex Traditione admonent S. Gregorius Nazianz. orat. in S. Lavacrum, & orat. 4. in Julian.; S. Cyprianus epiſt. 7; S. Cyrillus Cath. 1; S. Auguſtinus lib. 2. de nupt. & concup. capp. 17, & 18; S. Optatus Milev. lib. 7. contra Parmenian.; Severus Patriarcha Alexandr. lib. de ritib. baptiſmi; Concilium Moguntinum IV. cap. 14; De conſecr. diſt. 4. C. *Poſtquam*; C. *Sicut Notis*; C. *Sive parvuli* In Baptiſmo abrenuntiationis Satanæ emiſſæ meminere pſeudo-Dionyſius cit.; Origenes hom. 5. in Num.; Tertullianus lib. de Corona Militis cap. 3; S. Baſilius lib. 7. de Spiritu Sancto; S. Gregorius Nazianzenus orat. 40; S. Chryſoſtomus hom. 21. ad Popul.; S. Cyrillus cathec. 1; S. Ambroſius de Sacram. lib. 1. cap. 2. Immiſſio ſalis in os baptizandi ex traditione commemoratur ab Origene hom. 6. in Ezechiel.; S. Auguſtino lib. 1. Confeſs. cap. 11; Concilio Carthaginenſi III. can. 5; S. Iſidoro lib. 2. de offic. cap. 20. Impoſitionis manuum

torum rite, ac religioſe ab Eccleſia nunc, atque olim adhibitas: ex

nuum ſuper vertlcem baptizandi, & impreſſionis ſigni Crucis in baptizandi fronte mentio occurrit apud pſeudo-Dionyſium; Concilium Carthaginenſe ſub S. Cypriano; S. Cyprianum epiſt. 56, & ſerm. de lapſis; S. Baſilium lib. de Spiritu S. cap. 25; S. Cyrillum cath. 4; S. Auguſtinum de Symbolo ad Cathec. cap. 1. Baptizandi verticem, & aures ſputo liniendas, ceu vetus Traditio agnoſcitur a S. Ambroſio lib. 1. de ſacram cap. 1; S. Auguſtino tract. 44. in Evang.; & Concilio Conſtantinopolitano can. 7. Fidei profeſſionem vel ab ipſo baptizando, ſi adultus fuerit, vel a Patrinis in ſuſceptione baptizandi emittendam ex traditione docent pſeudo-Dionyſius, & pſeudo-Clemens lib. 7. Conſtit. capp. 41, & 72; S. Cyprianus epiſt. 70; S. Dionyſius Alexand. epiſtol. ad Sixtum apud Euſebium lib. 7. cap. 9; S. Cyrillus Cathech. 2; S. Hilarius in cap. 26. S. Matth.; S. Hieronymus in dialog. contra Lucifer., & in cap. 2. Proverb.; S. Ambroſius lib. de myſter. cap. 5; S. Auguſtinus epiſt. 23. ad Bonifacium; S. Optatus lib. 1. adverſ. Parmen.; S. Nicetius Epiſcop. Trevirenſis in epiſt. ad Juſtinianum Imp. apud Ducheſnium tom. 1. hiſt. Francor.; S. Bonifacius Mogunt. in Statut. apud Dacherium tom. 9. Spicilegii. Baptiſmo adultorum præmitti debere cathechiſmum docent S. Hieronymus comm. in Matth. cap. 28; S. Ambroſius de Initiandis ſacris myſter. Trina Immerſio in baptiſmo uſurpata ad ſignificandam fidem unius Dei, & trini ex traditione profluxit teſtibus Apoſtolis can. 50; Tertulliano lib. contra Praxeam cap. 26; pſeudo-Athanaſio q. 125; S. Ambroſio lib. 2. de Sacram. cap. 7; S. Hieronymo in dialog. adver. Lucifer.; S. Chryſoſtomo hom. 24. in Johan.; S. Gregorio Magno lib. 1. epiſt. 41. In capitis vertice baptizandum chriſmate inungi ex traditione referunt pſeudo-Dionyſius; pſeudo-Juſtinus q. 137; Tertullianus lib. cit. cap. 7; S. Baſilius loc. cit.; S. Gregorius Nazianzenus orat. in S. Baptiſ.; S. Cyrillus catech. 2; S. Chryſoſtomus hom. 6. in epiſt. ad Coloſſ.; S. Siricius epiſt. 10. ad Epiſcop. Galliar.; S. Ambroſius de Sacram. cap. 5; S. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 26, & lib. 4. de Symb. cap. 1; Leidradus Archiep. Lugdunenſis lib. de baptiſmo cap. 2. Baptizatos albis veſtibus indui conſueviſſe conſtat ex S. Ambroſio de init. myſt.; S. Paulino Nolano in epiſtol.; Euſebio lib. 4. vitæ Conſtant.; S. Gregorio Turonenſi lib. 5. hiſt. cap. 11; Rabbano lib. 1. de inſtit. Cleric. cap. 29, ſi tamen ejus eſt fœtus; S. Auguſtino ſerm. ad competentes. Recurrente anniverſaria die baptiſmi celebrari a baptizatis olim conſueverat feſtum ſub nomine Paſchatis Annotini: de quo videſis Bailletum; cujuſque mentio occurrit in Sacramentario Gelaſiano, & Kalendario Romano apud Frontonium, & Allatium.

In Confirmatione Chriſmatis benedicti definitio habetur ex traditione, cujus aſſertores ſunt S. Cyprianus epiſt. 73; Tertullianus lib. de baptiſ. capp. 7, & 8; S. Hieronymus adv. Lucifer.; S. Auguſtinus lib. 15. de Trin. cap. 26, & lib. 3. de baptiſmo cap. 16; S. Hilarius hom. de Pentec.; S. Eligius hom. 8. in die Cœnæ; S. Iſidorus lib. 2. cap. 26; S. Gregorius

ex his autem Cæremonias (14) ſpeciatim erga auguſtiſſimum Eucha-

gorius in cap. 1. Cantic. ; Concilia Eliberitanum can. 38 ; Laodicenum can. 7 ; & Bracarenſe II. cap. 4. Conſignandam confirmandi frontem ex traditione præceptum teſtantur Tertullianus loc. cit. ; S. Cyrillus catech. 21 ; Concilium Conſtantinopolitan. I. can. 7 ; S. Innocentius I. epiſt. ad Decentium ; S. Auguſtinus epiſt. 141. Confer Sacramentaria Gelaſ., & Gregor. ; Eucologia Græcor. ; Æthiop. &c. Pontificale Erberti Eborac., & Ruggierii Bellovac. De alapa tum ab Epiſcopo infligenda videndum Concilium Colonienſe. Confirmandos jejunos eſſe oportere ex traditione admonent Concilia Aurelianenſe, & Pariſienſe can. 33. In confirmatione ſuſceptores adhiberi liquet ex cauſſa 30. q. 1. can. *Si quis*, & C. *De His* ; & q. 4. C. *Si quis* ; de conſecr. diſt. 4. can. *In Cathechiſmo*, & S. Cæleſtino V. opuſc. 8. par. 2. cap. unico. Confer Jodocum Coccium in Theſauro tom. 2. lib. 5. art. 12, & ſeqq. ; Maldonatum lib. 1. cap. 27 ; Echium hom. 23. de chriſm. ; Martenium, Chardonum &c.

(14) Erga ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quæ ſervantur Cæremoniæ, ex Traditione manaſſe oſtendunt. De figura rotunda panis conſecrandi S. Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. ; S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 15. De forma verborum canonis Liturgiæ in utraque Eccleſia Orient., & Occid. uſurpatae. De elevatione in miſſa S. Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 27 ; S. Chryſoſtomus hom. 27. in I. Corinth. De verbis *Dominus vobiſcum*, & *Pax vobis* Concilium Bracarenſe I. can. 2. De Collectis S. Juſtinus apolog. 2 ; Tertullianus lib. de ſpectaculis cap. 25 ; S. Auguſtinus epiſt. 106 ; S. Hieronymus in epiſt. ad Galat. ; S. Ambroſius de initiand. myſt. cap. 2. De ſcripturis ſacris recitandis, uti Evangelio, Auctor conſtit. Apoſtol. lib. 2. cap. 57 ; S. Juſtinus apolog. 2 ; Tertullianus apologet. cap. 39 ; S. Auguſtinus lib. 22. de Civit. cap. 8, & ſerm. 10. de verb. Apoſtol. De offertorio populi ſacerdoti facto Tertullianus ibidem ; S. Cyprianus de oper., & eleem. cap. 16. De ſecretis Auctor conſtit. Apoſtol. lib. 8. cap. 12 ; Concilium Laodicenum can. 19. De præfat. Auctor conſtit. ibidem cap. 16 ; S. Cyprianus de orat. Domin. ; S. Chryſoſtomus hom. 3. in cap. 3. ad Coloſſ. ; S. Ambroſius lib. 3. de Spiritu Sancto. De Triſagio Nicephorus lib. 18. cap. 51 ; Alcuinus de officiis. De prima parte Canonis Auctor conſtit. cap. 12 ; S. Auguſtinus lib. 10. de Civit. cap. 9, epiſt. 59, & 100 ; Concilium Africanum cap. 48 ; S. Gregorius in 4. Reg. 37. De 2. parte, ſcilicet de *Memento &c.* S. Innocentius I. epiſt. ad Decentium ; S. Auguſtinus epiſt. 59. De 3. parte, ſcilicet *Communicantes* pſeudo-Dionyſius lib. de Eccleſ. hier. cap. 3 ; pſeudo-Clemens loc. cit. ; S. Cyrillus cath. 5 ; S. Auguſtinus tract. 84. in Johan., & ſerm. 17. de verb. Apoſt. De 4. parte, nempe *Hanc igitur &c.* Johannes Diaconus in vita S. Gregorii lib. 2. cap. 17 ; V. Beda lib. 2. hiſt. cap. 1. De 5. parte, nimirum *Quam oblationem* ; & de 6. parte, nempe *Qui pridie* S. Ambroſius lib. 4. de Sacram. capp. 5, & 6. De 7. parte ideſt *Myſterium fidei* ; & de 8. ſcilicet *Unde & memores* liturgiæ SS. Clementis, Jacobi, Marci &c. De 9. parte, ideſt defunctorum commemora-

chariſtiæ Sacramentum, quæ in Eccleſia uſu antiquiſſimo, ac-

morationis S. Chryſoſtomus hom. 3. ad Philipp., & hom. 69; S. Johannes Damaſcenus hom. *De his, qui in fide dormierunt.* De 10. parte, ſcilicet commemorationis Apoſtolorum, & Martyrum, S. Auguſtinus lib. de 5. virg. cap. 45, & lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. De Crucis ſignis in miſſa S. Chryſoſtomus hom. 55. in Matth.; S. Auguſtinus ſerm. 18. de temp., & ſerm. 19. de Sanctis. De oratione Dominica S. Cyrillus cath. 5; S. Ambroſius lib. 5. de Sacram. cap. 4; S. Hieronymus lib. 3. contra Pelag.; S. Auguſtinus epiſt. 59. ad Paulinum; S. Gregorius epiſt. 63; Concilium Toletanum cap. 17. De vaſis ſacris S. Athanaſius apolog. 2; S. Ambroſius lib. 2. de offic. cap. 28; S. Gregorius Turonenſis de gloria Martyr. cap. 85; S. Auguſtinus in pſal. 113; S. Chryſoſtomus hom. 3. in epiſt. ad Epheſ., & hom. 61. ad popul. Præter turres, & columbas, de quibus dictum ſuperius, Euchariſtiæ conſervandæ adhibita olim tabernacula liquet ex veteribus monumentis apud Mabillonium, & Thyerrium locis indicatis: Pixides etiam liquet ex Hugone Flaviniac. in chron. Virdunenſi: vaſa item vitrea ex S. Hieronymo de S. Exuperio Toloſano teſtante, & S. Gregorio Turon. lib. 1. de glor. Martyr. cap. 47. Confer Goarium not. in Euchologe. p. 16, & 18; Noentellum in relat. apud Renaudotium de perp. fid. lib. 8. cap. 4; Rupertum Tuit. hiſt. Monaſt. Tuit.; Brunium explic. Miſſ. tom. 2. p. 271; Mabillonium, Thyerrium loc. indic.; Chardonum hiſt. Sacram. tom. 1. lib. 3. cap. 13. De templis, & aris conſecratis S. Ignatius epiſt. ad Magneſ.; & ad Philadelph.; S. Athanaſius epiſt. ad Conſtant. Imp.; S. Baſilius in pſalm. 114; S. Gregorius Niſſ. lib. de baptiſ.; S. Ambroſius epiſt. 1. ad Felicem; Concilium Carthaginenſe II. can. 6. De lampadibus S. Chryſoſtomus hom. 60. ad popul. De cereis S. Hieronymus epiſt. 20. ad Marcellam; S. Auguſtinus ſerm. 115. De thurificatione S. Ambroſius in Luc. cap. 1. De confeſſione Sacramentali Euchariſtiæ ſumptioni præmittenda S. Cyprianus ſerm. de lapſis; & Auctor ſerm. de Cœna Dom. apud ipſum; S. Auguſtinus de ſalutar. doctrin. cap. 33, & lib. 5. hom. 50. cap. 9; S. Chryſoſtomus hom. 8. in Matth.; Concilia Senonenſe can. 17; Colonienſe II; Moguntinum IV. can. 35; Leo X. conſtit. 40; Trid. ſeſſ. 13. can. 7. De Euchariſtia ſumenda a jejunis, exceptis infirmis, S. Auguſtinus epiſt. ad Januar. 54. novæ edit.; Concilium Carthaginenſe III. can. 48; & in Cod. can. Afric. can. 41, & 47; quibus tamen Feria 5. in Cœna Domini etiam excipitur; Braearenſe II. can. 10; Matiſconenſe II. can. 6; Antiſiodorenſe can. 19; Moguntinum IV. can. 35; S. Nicolaus I. ad conſulta Bulgar.; de Conſecr. diſt. 1. can. *Sacramenta*; diſt. 2. can. *Liquido*. De vino aqua mixto conſecrando in Euchariſtia Concilia Triburienſe I. can. 19; Vvormatienſe I. can. 4; Lucenſe II. can. 55; Aurelianenſe IV. can. 4; Florentinum in decreto union.; Tridentinum ſeſſ. 22. can. 7; de Conſecr. diſt. 2. can. *In Sacramentorum*; can. *Sic in ſanctificanda*; & can. *Oportet*. De Euchariſtia ſervanda in pixide S. Leo IV. hom. de cura paſtorali; Concilia Rothomagenſe an. 1188., Eboracenſe I, Londinenſe I. cap. 2; Odo Pariſienſis Epiſcopus in con-

ceptoque venerunt: Confeſſionem (15) peccatorum in Sacramento

conſtitut. Synod. anno 1198. editis n. 35; Colonienſe II. par. 7. can. 16; Ravennatenſe II. ſub Clemente V. can. 7; Lateranenſe IV. can. 20; Oxonienſe an. 1287. cap. 12. De Euchariſtia ſæpius renovanda, ſcilicet omni die Dominica, Concilia Bituricenſe an. 1031. can. 2; Rothomagenſe an. 1072. can. 6; Ravennatenſe loc. cit.; Londin. I. can. 2; Clemens VIII. conſtit. 33. *Sanctiſſimus* §. 2. De Euchariſtia deferenda cum decenti veſte, lumine &c. Concilium Londinenſe I. can. 2; Colonienſe II; Honorius III. ex Cirone de celebr. Miſſar., de Celebr. Miſſar. cap. *Sane olim*; Clemens VIII. conſtitut. 40. *Ex omnibus*. De rebus liturgicis auctor tibi ſum, ut legas doctiſſ. Cardinales Bonam, & Thomaſſium; Renaudotium, Aſſemanum, Boquilotium, Vertium, Martenium, Pougetium, Brunium &c., a quibus præclare provincia hæc occupata fuit. Confer & Nicolaum de Thou Epiſcop. Carnot. de cærem. miſſæ; Coccium tom. 2. lib. 6. de Euchariſtia art. 9, & ſeqq.; Michaelem Teraſium de miſſæ cærem., & ſolem.; Petrum Vallemontium tract. de ſecret. miſſ., contra quem Beaudovinus fruſtra pugnavit; Chardonum hiſtor. Sacram. tom. 1. lib. 3. &c.

(15) Confeſſionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ debere eſſe integram ex Traditione docent Concilia Cabillonenſe I. cap. 8; Remenſe an. 813. cap. 12; Turonenſe III. an. 813. cap. 22; Cabillonenſe II. capp. 32, & 38; Moguntinum an. 840. cap. 26; Vvormatienſe cap. 25; Nannettenſe cap. 4; Claromontanum can. 22; Cabillonenſe III. can. 32; Senonenſe cap. 10; Lateranenſe IV. can. *Omnis utriuſque*; Florentinum in decret.; Tridentinum ſeſſ. 14., de Pœnit. diſt. 3. cap. 42. *Sunt plures*; Sixtus IV. conſtit. 17. *Licet* contra Petrum Oxomienſem. Plurimis quoque exemplis, ut ſequioris ætatis vix indicem exempla confeſſionis S. Audardi Narbon. apud Bolland. 1. Maji; S. Annonis apud Surium 4. Decemb.; S. Geralli Anachor. apud Ordericum lib. 3. cap. 8; Michaelis Palæologi apud Nicephor. Gregoram lib. 4. in fine; Caroli Martelli apud Labbeum in bibl. tom. 2; Pippini apud Baillet 7. Maji; Conſtantiæ Auguſtæ apud Bolland. 2. Maji in vita Joachimi Abbatis Floriac.; S. Segolenæ apud Mabillon. ſæcul. III. Bened.; Ludovici Pii apud Duchesnium tom. 2; S. Philippi Bituric. apud Martenium tom. 3. anecdot.; B. Petri Luxemb. apud Bolland. 2. Julii; Agnetis Imperatr. apud Surium 27. Julii in vita S. Petri Damiani, aliorumque plurium, quos recenſere non vacat, exemplis, inquam eorum, qui antiquitus peccata ſua confeſſos fuiſſe leguntur apud Eccleſiaſticos Scriptores, veritatem hujus dogmatis docemur. Itaque S. Irenæus lib. 1. cap. 9. edit. Maſſuetii cap. 13. & poſt ipſum S. Epiphanius hær. 34; refert mulieres quaſdam a Marco hæreſiarca, & præſtigiatore corpore, animoque vitiatas, facti tandem pœnitentes, & ad Eccleſiam redeuntes crimen ſuum fuiſſe confeſſas. S. Cyprianus lib. de lapſis nonnullos commemorat, qui peccata quoque cogitationum ſacerdotibus aperiebant. S. Ambroſius, ut in ejus vita refert Paulinus, pœnitentium confeſſiones excipiebat. Euſebius lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 9. narrat unum e calumniato-

to Pœnitentiæ ſecreto, dolenter ac integre quoad numerum,

niatoribus S.Narciſſi Epiſcopi Hieroſol. ad meliorem frugem ſe recipiens peccatum confeſſum fuiſſe, deque eo duram egiſſe pœnitentiam; cap. 34. Philippi Imperatoris pietatem laudat in ſuis peccatis declarandis: quamquam fateor hancce Euſebii narrationem minus vero conſonam, atque viris eruditis fictitiam viſam de Philippi Imperatoris chriſtiani nominis profeſſione: & cap. 43. refert nonnullos Confeſſores a Novato ſeductos ad Eccleſiam demum reverſos crimina ſua confeſſos. Socrates lib. 5. cap. 19, & Sozomenus lib. 7. cap. 16. celebre illud exemplum retexunt Matronæ cujuſdam nobilis, quæ prius presbytero crimen privatim confeſſa, poſtea graviori dolore, ſed imprudenti impulſa publicam de eo confeſſionem in Eccleſia edidit, ex qua graviſſimum in Eccleſia ſubortum ſcandalum occaſionem præbuit, ut a Nectario Patriarcha Conſtantinopolitano publica pœnitentia ſuſtolleretur. S. Eleutherius Epiſcopus Tornacenſis, ut narrat in ejus vita Guibertus apud Cointium tom. 1. annal. Franc. ad an. 449, Deo revelante cognovit occultum Clodovei Regis peccatum, quod ex verecundia confiteri ille non audebat, propterea ei auctor fuit, ut abſque timore illud confiteretur. Johannes Moſchus in prato ſpirit. cap. 135. refert de quibuſdam Monialibus, quæ a Dæmonis infeſtationibus confeſſionis adhibito remedio liberæ abierunt. S. Theodorus Archimandrita teſte Georgio presbytero in ejus vita, eis, qui ſincere, ac integre apud ſe confitebantur, opportuna adhibebat remedia, qui occultabant præ verecundia admonebat, ut rite confiterentur. S. Johannes Eleemoſinarius, referente Leontio in ejus vita, mulieris diu ob verecundiam reluctantis crimen in confeſſione excepit. Nicephorus Carthophilax ſcriptor ſæculi IX. in tract. de poteſt. ligandi, & ſolvendi ſcribit olim ad Epiſcopos confeſſionem fieri debuiſſe; Epiſcopos vero multitudine defatigatos id muneris in Monachos tranſtuliſſe. Simeon Metaphraſtes in vita S. Jacobi Eremitæ narrat mulierem quamdam eidem S. Jacobo peccata ſua valde pœnitentem confeſſam fuiſſe. S. Euſtachius, narrante Jona Scoto in ejus vita, quoties pœnitentis peccata in confeſſione excipiebat, ita lacrymis perfundebatur, ut ad lacrymas pœnitentem facile inflecteret. S. Corbinianus, ut refert Aribo Friſingenſis in ejus vita, Grimoaldum, qui incertis nuptiis ſe copularat, una cum adulterina conjuge facti pœnitentem, atque apud eum confeſſum abſolutionis beneficio donavit. S. Iſidorus Hiſpalenſis morte impendente palam omnibus peccata ſua confeſſus eſt; quæ ſcripto excepit Redemptus ejus Clericus, cujus quidem exemplar confeſſionis exſtat initio oper. S. Iſidori. Robertus Epiſcopus Cenomanenſis prope moriturus propriarum culparum confeſſionem ſcripto direxit ad Epiſcopos Andegavi commorantes apud Carolum Calvum, cujus exemplar exhibet Sirmondus tom. 3. Concil. Galliæ. S. Fulgentius formulam confeſſionis pœnitentibus præſcripſit, quam exhibet Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 225. S. Eligius Novomienſis Epiſcopus, referente S. Audoeno Epiſcopo Rothomagenſi in ejus vita, quam exhibent Surius menſe Decembri, & Dacherius tom. 5. Spicilegii, peccata ſua

omnia

ſpecies, ac circonſtantias Sacerdoti pro tribunali ſedenti ad aures fa-

omnia ab adoleſcentia patrata coram ſacerdote confeſſus eſt. S. Theodorus Studites in vita S. Platonis apud Surium die 16. Decemb. commemorat eum ab adoleſcentia ſacerdoti confiteri conſueviſſe uſque ad intimas cordis cogitationes. S. Tillo Abbas, ut legitur in ejus vita apud Bollandum die 7. Januarii, omnia ab adoleſcentia patrata peccata coram ſacerdote confeſſus eſt. S. Richerius, referente Alcuino in ejus vita apud Mabillonium ſæcul. II. Benedict., & S. Bavo peccata ſua ſacerdoti confeſſi leguntur. V. Beda lib. 4. hiſt. Anglor. cap. 25. de Adamano teſtatur ſacerdoti crimen ſuum confeſſum eſſe.

Quid quod olim cathecumeni antequam baptiſmo abluerentur, ut confiterentur peccata admoniti, aut confeſſi leguntur? Ita Tertullianus lib. de bapt. cap. 20. ad peccata omnia confitendum ante baptiſmum adhortatur. Rigaltius hunc locum de pœnitentiæ actibus intelligi vult: at de iis eodem loci paullo ante Tertullianus dixerat: unde verius Pamelius de ſecreta peccatorum confeſſione interpretatur. Ita Euſebius lib. 4. de vita Conſt. cap. 61. Conſtantinum ante baptiſmum peccata confeſſum perhibet. Ita S. Gregorius Nazianz. orat. 40. cathecumenos ad peccata confitenda pudore omni poſtpoſito adhortatur. Ita Socrates lib. 5. cap. 17. Ethnicos nonnullos ad Chriſtum converſos peccata ante baptiſmum confeſſos refert. Ita apud Surium 8. Octob. Thais poſt converſionem de peccatorum confeſſione præmittenda baptiſmo admonita legitur. Ita apud Martenium de antiq. Eccleſ. ritib. cap. 10. legitur S. Brietta ethnicos adhortata, ut ad fidem converſi peccata confiterentur, ac baptiſmo abluerentur. Abſit equidem, ut confeſſiones ejuſmodi ſacramentales autumem: indicium erant tamen ſacramentalis confeſſionis antiquitus uſitatæ. Quamobrem mirari ſubit non quidem Dallæum effutire potuiſſe nulla ab antiquitate veneranda confeſſionis exempla poſſe exculpi, ſed virum doctiſſimum Mabillonium dixiſſe in præfat. ad ſæcul. III. Benedict. parte 1. ſe ante ſæculum XIV. Eccleſiæ non legiſſe exempla presbyterorum, qui ſua confiterentur peccata: horum quoque exempla profert P. Edmundus Martenius lib. 1. de antiq. Eccleſiæ ritib. cap. 6. art. 2. Ad hæc Occidentali Eccleſiæ in re confeſſionis jugiter conſenſiſſe Orientalem oſtendunt Morinus, Martenius, Allatius, Echellenſis, aliique; & quidem etſi minus frequentem presbyterorum præſertim, quam apud Latinos, viguiſſe tamen confeſſionis uſum apud Græcos conſtat ex citatis not. 4. Patribus, & paullo ſupra ſcriptoribus Græcis, quibus ſubnecto Michaelem Glicam part. 1. annal.; Nicetam Choniatem lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 27; Theodorum Balſamonem in canon. 52. Apoſtol., & in epiſt. 1. S. Dionyſii Alex.; Nicolaum Cabaſillam in expoſit. liturg. cap. 29; Nicephorum Gregoram lib. 3. vitæ S. Germani Patriarchæ; Græcos in profeſſione fidei Cardinali Guiſiano an. 1570. exhibitæ; Hieremiam Patriarch. Conſtantinopolit. in cenſura Calviniſt. reſp. 1. capp. 11, & 21. Viguiſſe apud Cophtos, Æthiopes, & Ægyptios conſtat ex confeſſione fidei Zagazabi Patriarchæ Æthiopum apud Renaudotium, & Coccium; ex Amba Severo altero

faciendam: Publicas Eccleſiæ preces (16) ad Dei beneficia ſive devo-

ro Patriarcha in tract. de Confeſſione, qui exſtat in bibliot. Regis Galliarum; ex Vanslebio in hiſt. Eccleſiæ Alexandrinæ; & Sollerio in appendice ad Patriarchas Alexandrinos. Denique id demonſtrant antiquiſſima pœnitentialia Johannis Jejunatoris Patriarchæ an. 586; Johannis Monachi; Simeonis Theſſalonicenſis, Gabrielis Philadelphienſis, aliorumque apud Naironum, Morinum, Allatium epiſt. ad Morinum; Bollandianos act. SS. Auguſt. tom. 1.; Renaudotium perpet. fid. tom. 5. cap. 9; Echellenſem epiſt. ad Morin.; Aſſemanum bibl. orient. tom. 2. p. 172: etſi non inficier aliquando confeſſionis uſum abolitum a Cophtis, Neſtorianis, & Jacobitis, ſapientioribus tamen aliis contradicentibus, qua de re adeundi mox laudati ſcriptores; ut propterea impudentiſſime dixerit Dallæus nullam unquam fuiſſe apud alias gentes, præter Latinam, ſacramentalis confeſſionis conſuetudinem, quem tamen pro meritis caſtigant præ aliis Natalis ad ſæcul. XIII, & XIV diſſert. 14, & Tournellius in tract. de ſacram. pœnit. q. 6. Doctrinam de Caſuum reſervatione a traditione deſcendere docent Tertullianus lib. de pudicitia; S. Cyprianus epiſt. 16; Origenes hom. 8. in Levit., & epiſt. 118., & Concilium Carthag. III. can. 32. De reſervatis generatim adeundi Richardus Salisbur. Conſt. cap. 28; & Fleurius tom. 2. hiſt. Eccleſ. pag. 259. Reſervatorum Pontifici exempla extant apud Mabillonium ſæcul. IV. Bened. Plura, qui de veteri confeſſionis privatæ uſu ſcire aveat, adeat S. Johannem Climac. ſcal. grad. 4; S. Udalricum in conſtit. Cluniac. lib. 3. cap. 26; Aritonem Baſileenſ. Capitul. artic. 18. tom. 6. Spicilegii; S. Honoratum in vita S. Hilarii Arelat.; Alcuinum de divin. offic. cap. de jejunio; Ratherium Veron. in Synod. ad Presbyt. diœceſ.; Theodulphum Aurelian. capit. 36; S. Adelardum Corbejen. lib. 1. conſtit. tom. 4. ſpicileg.; Crodegundum regul. 32; Burchardum lib. 191; Theodorum Cantuarien.; Egbertum Eboracenſem apud Morinum in append. de pœnit.. Mitto cæteros ne ſim longior. De confeſſione auriculari egregie agunt Dionyſius SanMarthanus; Jacobus Boileau doctor Sorbonicus &c.

[16] Publicas Eccleſiæ preces, Litanias, proceſſioneſque traditione a Majoribus acceptas frequentari produnt pſeudo-Dionyſius Eccleſ. Hier. cap. 4; Tertullianus lib. 2. ad Uxor. cap. 4, & lib. de præſcript. cap. 43; S. Ambroſius ſerm. 83, & epiſt. 29; Synodus Laodicena cap. 17; Marcus Gazæus in vita S. Porphirii; S. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium; Ruffinus lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 33; S. Auguſtinus lib. 22. de Civitate cap. 8; Severus Epiſcopus Minoricenſis epiſt. ad Eccleſias de Reliquiis S. Stephani; Sozomenus lib. 7. cap. 10; Socrates lib. 3. cap. 16; S. Leo I. ſerm. 3. de jejun. 7. menſis; & epiſt. 82. ad Dioſcor.; S. Cæſarius Arelatenſis hom. 33. de Litania; Ennodius in vita S. Epiphanii; Sidonius lib. 5. epiſt. 14; Theodorus Lector lib. 13 Juſtinianus Imperat. authent. 123. de Epiſcopis, & Cler. capp. 31, & 32; Agathias lib. 5. cap. 3; Evagrius lib. 4. cap. 26; S. Avitus Vienn. hom. de Rogationibus; Concilium Aurelianenſe II. anno 506, cap. 29; S. Gregorius Turon. lib. 3. hiſt. Franc. cap. 29, & lib. 4. cap. 5; Fortunatus in vita S. Germani cap. 34; S. Gregorius M.

lib. 11.

devote promerenda, ſive grate recolenda frequentatas: Divinas Pſal-

lib. 11. epiſt. 2; Concilium Toletanum IV. cap. 25; Toletanum V. cap. 1; Toletanum VI. cap. 2; Euſtathius presbyter in vita S. Eutychii; Georgius preſbyter in vita S. Theodori Archimandritæ; Synodus Nicæna II. act. 4; V. Beda lib. 1. hiſt. Anglor. cap. 26; S. Zacharias in epiſt. ad Bonif.; Alcuinus de Divin. offic. cap. 15. de feſto Palmarum; & cap. 23. de Rogationibus; Paulus Diaconus lib. 14. variar. hiſtoriar., & lib. 3. de geſtis Longobardor. cap. 25; Carolus Magnus lib. 6. Capitul. cap. 74; Haimo ſerm. de Litaniis; Concilium Moguntinum cap. 33; Hincmarus in vita S. Remigii; & in epiſt. ad Clerum, & plebem Cameracenſem; Rabbanus, ſive auctor lib. 2. de inſtit. Cler. cap. 40; Nothgerus lib. 2. vitæ S. Remacli cap. 15; Simeon Metaphr. de geſtis Cornelii Centurionis cap. 11; Fulbertus Carnot. epiſt. 46; Glicas par. 4. annal.; Hugo Floriacenſis in Chron. lib. 6; Micrologus de Eccleſiaſt. obſervat. cap. 57; Cedrenus in Juſtiniano, & Mauritio; Nicephorus Calliſtus lib. 14. cap. 3; Rupertus lib. 7. offic. Eccleſ. capp. 20, & 21; S. Bernardus ſerm. de Proceſs. in die Purific. Litaniæ, quæ nunc a duobus dumtaxat Choris recitantur, olim ternariæ, quinariæ, & ſeptenariæ dictæ ſunt, quod ter, quinquies, & ſepties a Choris diviſim repeterentur. Videſis Walafridum de rebus Eccleſ. cap. 28.

Adhæc appoſite Campanarum, aliorumque ſimilium inſtrumentorum uſum, quibus Clerus, populuſque ad preces hujuſmodi congregatur, earumque benedictionem, uſum imo adverſus tonitrua, & tempeſtates in Eccleſia ſacrum eſſe docemur a S. Ephræmo in paræneſi 23; S. Gregorio Turonenſi lib. de vita Patrum cap. 4; S. Audoeno Epiſc. Rothomag. lib. 2. vitæ S. Eligii cap. 21; V. Beda lib. 4. hiſt. Anglor. cap. 23; veteri Ordine Romano; S. Zacharia Papa in privilegio conceſſo Monaſterio Caſſinenſi; Alcuino de divin. offic. capp. 17, 19, & 38; Ludgero Monaſterienſi Epiſc. de S. Suitberto cap. 9; Concilio Aquiſgranenſi ſub Ludovico Pio cap. 131; Amalario lib. 3. divin. offic. cap. 1, & lib. 4. cap. 21; Walafrido de rebus Eccleſ. cap. 5; S. Eulogio Toletano in memoriali Sanctorum; Luitprando lib. 3. cap. 8; Nothgero in vita S. Remacli lib. 2. cap. 6; S. Anſelmo in elucidario; Ivone Carnot. epiſt. 167; Ruperto lib. 1. de divin. offic. cap. 16; Honorio Auguſtodun. ſerm. in Cœna Dom.; Hugone Victor. Eruditionis Theologicæ lib. 5. tit. 18, & 42; S. Bernardo ſerm. 3. *Quomodo malum cooperatur in bonum*; Johanne XXII. extra. de *Officio Cuſtodis*; Concilio Colonienſi II. anno 1536. par. 9. cap. 14. Conſule, ſi plura aveas, rerum Eccleſiaſticarum tractatores Menardum, Martenium, Thyerrium, Thomaſſinum &c. Porro Campanarum inventionem Sabiniano Papæ anno 604. Eccleſiam adminiſtranti attribuunt Polydorus Virgilius lib. 6. de inventoribus rerum cap. 12; Panvinius in epiſt. Rom. Pontif., & Ciacconius: ſed de Sabiniano nihil tale refert Anaſtaſius. A S. Paulino Nolano, qui V. ſæculi initio florebat, adinventas tradunt alii: ſed nulla ſatis firma conjectura id affirmant. Cardinalis Bona lib. 1. rer. liturgic. cap. 22. multa præclare diſputat de Campanis, quarum uſum in finem VII. ſæculi conjicit. Verum ex dictis liquet longe antiquiorem eum uſum eſſe. Sed & ex vita S. Columbæ, quæ

Pſalmodiæ pium, ac feſtum ritum, diurnamque Horarum (17) Cano-

quæ anno 599. obiit, Campanarum uſum tunc jam viguiſſe obſervant Mabillonius ſæculo I. Benedict.; & Pagius in critic. Baronii ad cit. annum: Edmundus vero Martenius in tract. de antiqua Eccleſiæ diſcipl. in divin. offic. celebr. cap. 2. oſtendit ante ſæculum VI. Chriſtifideles ad divina officia campanis convocari conſueviſſe. In Burgundia jam anno 615. Campanarum uſus invaluerat; exinde in ceteras Occidentis Eccleſias propagatum nonnulli putant. Baronius ad ann. 865. refert. ab Urſo Patricio Venetiarum Duce dono miſſas Michaeli Imper. Græcor. 12. campanas mirificæ artis, ac mire ſonoras. Iterum anno 872. a Venetis dono miſſæ ad Baſilium Imperatorem campanæ ſunt. Itaque a Latinis earum uſum mutuati ſunt Græci. Idem rurſum ad ann. 968. a Johanne XIII. conſecratam refert pro Eccleſia Lateranenſi miræ magnitudinis campanam. Edmundus tamen Martenius lib. 2. de antiq. Eccleſ. ritib. cap. 21. obſervat Campanarum benedictionem antiquiorem ſæculo X. longe eſſe; quandoquidem earumdem benedictionis mentio occurrit in Capitulari Caroli Magni Aquiſgr. capit. 18; in pontificali libro Egberti, & in aliis antiquiſſimis Ritualibus. Earumdem mentio occurrit in Concilio Triburienſi anno 795. præfat.; & benedictio indicitur a Concilio Ravenn. II. anno 1311. rubrica 8. Adiſis, ſi plura aveas, præfatum Martenium; Cardinalem Bonam lib. 1. rer. liturgic. cap. 22; Boquilotium in tract. hiſtorico de liturg. lib. 2. cap. 6. & Thierrium in tract. de campan. fuſe de campanis agentes: de quibus par. 2. redibit ſermo.

(17) Pſalmodiæ ritum, & horarum Canonicarum recitationem deſcendere ex Traditione teſtantur pſeudo-Clemens lib. 8. Conſtit cap. 34; S. Ignatius epiſt. ad Magneſ., & Philip.; pſeudo-Dionyſius in epiſt. ad Demophilum; S. Juſtinus in apolog., & dialog. cum Triphone; Tertullianus in apologet., lib. de corona Militis; lib. 2. ad uxor., & lib. de jejunio; Origenes lib. 1. contra Celſum; Clemens Alex. lib. 7. ſtrom.; S. Cyprianus lib. de orat. Dominica; S. Zeno ſerm. 1. ad Neophitos; Minutius Felix in Octavio; S. Cyrillus Hieroſolym. cath. 5. & 13; Concilium Laodicenum can. 18; Arnobius lib. 1. contra gentes; S. Athanaſius lib. de virginit., & in apolog. ad Conſtant. Imper.; S. Baſilius in regul. q. 37; & ſerm. 1. de Inſtit. Monachorum; epiſt. 69. ad Neocæſareenſes; & epiſt. ad S. Gregorium Nazianz; S. Gregorius Nazianzenus orat. habita coram 150. Epiſcopis; orat. 1. contra Julian.; orat. 2. in Paſcha; & orat. 11. de laud. S. Gorgoniæ; S. Ephræm Syrus ſerm. de Beatitudin.; & parænefi 19, & 21; S. Gregorius Niſſenus epiſt. ad Olympium; S. Cæſarius dialog. 4. interrog. 191; Sineſius hymno 1; Theodoretus in Philotheo; S. Gaudentius Brixienſis ſerm. 1, 4, 8, & 9; Theophilus Alex. epiſt. 1. paſchali; S. Epiphanius in epit. hæreſ.; Palladius in hiſt. Lauſiaca cap. 7; S. Hilarius in pſal. 113; S. Ambroſius in eumdem pſal.; ſerm. ad virg. lapſ., & ſerm. 25. in die cinet.; S. Chryſoſtomus in pſal. 118; hom. 59 ad Popul.; & hom. 14. in I. Timoth.; S. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium, & 27, ſeu Epitaphio S. Paulæ; S. Auguſtinus ſerm. 2, 26, & 140. de temp.; hom. 26. inter 50; lib. 9. Confeſſ.; & epiſt. 119. ad Januar.; S. Paulinus natali 7; Concilium Valenſe anno

Canonicarum recitationem : Monachorum [18] Evangelicam inſtitu-

no 440. cap. 3; Agathenſe cap. 30; Gerundenſe cap. 10; Aurelianenſe III. cap. 14; Turouenſe II. cap. 24; S. Gregorius in Sacrament. Conſule, ſi plura exoptes de Pſalmodiæ antiquitate, Palladium in vitis SS. Pachomii, & Antonii; Metaphraſtem in vita SS. Severini, & Theodoſii Cœnobiarchæ; Roſveidum lib. 1. de vitis Patrum in vita S. Heleni; Surium die 6. Junii in vita S. Guduvali Eremitæ; die 28. Septemb. in vita S. Charitonis; in vita S. Baſilei; in vita S. Febroniæ Virg.; die 28. Octobr. in vita S. Abercii Hieropolitani; die 27. Decembr. in vita SS. Indes, & Domnæ Martyrum; die 29. Decembris in vita S. Alexandri Abbatis, qui auctor fuit Acæmetarum. Conſule & Coccium lib. 8. de Ordine art. 9. Pſalmodia perennis erat apud Acæmetas teſtibus Surio loc. cit.; & Nicephoro lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 23. Perennis quoque inſtituta a S. Columbano in Monaſterio Luxovienſi teſte S. Bernardo in vita S. Malachiæ. Perennis item in monaſterio Agaunenſi Thebæis Martyribus ſacro inſtituta a S. Sigiſmundo Rege, & Martyre teſte S. Gregorio Turon. hiſt. Francor. lib. 4. cap. 6, & lib. de glor. Martyr. cap. 7. Perennis iterum invecta in Monaſterium S. Martini Turonenſis a Gumtramno Rege teſte Aimoino de geſtis Francor. lib. 3. cap. 80. Perennis inlata a S. Germano in Monaſterium S. Vincentii; a Dagoberto Rege in Monaſterium S. Dionyſii; & a S. Amato Abbate in Monaſterium Virginum teſte Surio 13. Septemb. Perennis inducta a S. Aicardo Abbate in ſuum Monaſterium teſte Fulberto apud Surium 15. Septembris. Perennem inſtituit in Eccleſia Miſnenſi S. Benno Epiſcopus. Simili modo exercuiſſe ſe in divinis laudibus Monachos S. Publii, & Zoſimæ; & Thebaidis referunt Theodoretus in Philotheo cap. 5; Sophronius in vita S. Mariæ Ægyptiacæ lib. 2. de vitis Patrum cap. 4. Adiſis doctiſs. Cardinalem Bonam de divina pſalmodia cap. 184. Denique de Cœmeteriis, & mortuorum curatione legendi Euſebius lib. 6. cap. 13; S. Dionyſius Alex. apud eumdem lib. 7. cap. 11; Tertullianus apologet. cap. 13; S. Hieronymus in cap. 10. S. Matth.; S. Athanaſius in apologia pro fuga ſua; Auctor. Conſtit. Apoſtol. lib. 6. cap. 29, aliique.

(18) Inſtitutum Monachorum ab Apoſtolica Traditione profectum probant pſeudo-Dionyſius lib. de Eccleſ. Hier. cap. 6; pſeudo-Clemens lib. 3. Conſtit. cap. 1; S. Ignatius epiſt. ad Philadelphios; S. Juſtinus in apolog. ad Antonin. Pium; Theophilus Antiochenus lib. 2. allegor. in Marc.; Athenagoras in apolog. pro Chriſt.; S. Dionyſius Alexandr. apud Euſebium lib. 7. cap. 34; Tertullianus lib. de veland. Virgin.; lib. 1. ad Uxor., & lib. 1. contra Marcion.; Clemens Alexandrinus lib. 3, & 4. Strom.; Ammonius Alex. in harmon. 4. Evang. cap. 9; Origenes lib. 7. contra Celſum; hom. 4. in Levit.; & hom. 23. in Num.; S. Cyprianus lib. de diſcipl., & habitu virg.; S. Athanaſius in apolog. ad Conſtant.; lib. 1. de Virgin.; & lib. de paſſion. Dom.; S. Baſilius in cap. 3. Iſaiæ; epiſt. 1. ad Amphiloch.; lib. de virg.; ſerm. 1, & 2. de inſtit. Monach., & Regulis; S. Cyrillus Hieroſol. Cath. 4, 6, 12, & 16; S. Epiphanius hæreſ. 80; S. Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 50; in 1. ad Timoth. 3; & epiſt. 81. ad S. Si-

ſtitutionem, ideſt ad ejuſdem vitæ, qua diſcipulos, Apoſtoloſque

S.Sirieium; S.Gregorius Nazianz. orat. 20,& 31;S.Hieronymus lib. contra Vigilant. cap.1; lib. contra Jovinian. cap.17;epiſt. ad Philem.;epiſt.22. ad Euſtochium; epiſt. ad Heliodor. cap. 9; epiſt. ad Marcellam cap. 6; & in pſal. 115; S.Chryſoſtomus hom.2. in Job; hom.33 in Gen.;hom.52, & 77 de SS. Martyr. Bernice,& Proſdoee;hom.56. de pœnit.; hom.57. de elemoſ.;hom.8. in Matth., & contra vituperatores vitæ Monaſticæ; Caſſianus Collat.18. cap.5; S.Ephræm in paræneſi 49; S. Auguſtinus lib. 4. de adulter. conjug. cap. 20; lib. de morib. Eccleſ. cap. 31; lib. de Virginit. cap. 13; in pſal. 99; lib. 2. contra Fauſt. cap. 12; epiſt. 137, & 235; S. Innocentius I. epiſt. 2, 12 & 13; S. Siricius epiſt. ad Himerium; S. Paulinus in natali S. Felicis; Paulus Oroſius lib. 7. hiſt. cap. 33; Severus Sulpit. dialogo 2. de virtut. S. Martini cap. 11; & in vita ejuſdem cap.7; S.Iſidorus Peluſiota lib.3. epiſt.35,& 75,lib.2. epiſt.2,& 82; S. Maximus hom. de S. Agnete; Socrates lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 8, & lib. 4. cap. 18; Sozomenus lib. 3. cap. 13, lib. 6. cap. 3; & lib. 9. cap. 3; Theodoretus q. 19. in Deuter.; lib. 9. de curand. Græcor. affect.; & in hiſt. SS. PP. cap. 17; S. Eucherius Lugdunenſis hom. 3. ad Monach.; hom. 4, & 5; S. Leo epiſt. 82. cap. 4, & 90. cap. 3; S. Gelaſius epiſt. ad Epiſc. Lucaniæ; S. Fulgentius præfat. lib. ad Monim.;Concilia Chalcedonenſe can.4; Trullanum can.40; Carthaginenſe IV. can. 11; Agathenſe can. 9, 19, 20, & 28; Aurelianenſe I. can. 25;Toletanum II. can.17;Claromontanum can.12;Aurelianenſe IV can.19; Turonenſe II. can. 10, 11, 15, 16, & 17; Matiſconenſe I. can. 11, 12, & 19; Lugdunenſe II. can. 1; Toletanum III. can. 5, & 10; Hiſpalenſe I. can. 3; S. Benedictus in regula capp.33, & 58; S.Gregorius Turon. lib. 10. hiſt. Francor. cap. 29, & lib. 6. capp. 8, & 37; Evagrius lib. 1. hiſtor. Eccleſ. cap. 21; S. Gregorius Magnus lib. 1. epiſt. 42; lib. 15. moral. cap. 11; in dialogo 2. cap.1; & hom.17. in Evang.;Moſchus in prato ſpirit. capp.108,& 118; S.Iſidorus hiſpal. lib. 2. de offic. cap. 20; & lib. 2. de ſummo bono cap. 40; Concilia Toletanum IV. can. 20; Toletanum VI. can. 6; Toletanum VIII. can. 5, & 6; Toletanum IX. can. 10; Antiochenum apud V. Bedam lib. 4. cap. 5; S. Bonifacius Moguntinus epiſt. ad S. Zachariam; Stephanus II. in epiſt. ad Pippinum; S. Maximus Martyr in Centuriis de charitate cent. 2. capp. 32, & 87; Cent. 3. cap. 84; & Cent.4. cap.68; V. Beda in cap.1. Lucæ; S. Germanus in Theoria rer. Eccleſiaſt.;S.Johannes Damaſcenus lib.4. de fide orthod. cap.25; Alcuinus lib. de virtutibus, & vitiis cap. 18; Carolus Magnus lib. 5. Capitul. cap. 226, & lib. 6. cap. 139; Concilia Forojulienſe cap. 12; Turonenſe III. cap. 24; Nicænum II. can. 18; Moguntinum can. 11, 12, & 13; Aquiſgranenſe can. 6;Aimo homil. de Martyr.; & in epiſt. ad Timoth. 3; Simeon Metaphraſtes in vita SS. Euſebii, & Euphroſinæ Virg.; Rabbanus lib. 4. de univ. cap.10; & lib. 7. in Exod. cap. 8; Concilia Pariſienſe can. 46; Meldenſe can. 9; Triburienſe can. 26; S. Nicolaus I. epiſt. ad Albinum; Johannes XIII. epiſt. ad Theodoricum Metenſem Epiſcopum; Œcumenius in 1. ad Timoth. 3; Theophylactus in 1. ad Corinth. 7; S. Petrus Damianus ſerm. 5, & epiſt. 3; S. Anſel-

ſuos Chriſtus D. recte inſtituit, exemplar, rationemqu e exactam; nul-

ſelmus in 2. ad Roman.; in 1. ad Corinth.; ad Hebr. 7; S. Bernardus ſerm. 65. in Cantic.; & epiſt. 203; Hugo Victorin. lib. 2. de Sacram. p. 4. cap. 4; V. Petrus Cluniac. lib. 1. de miracul. capp. 9, & 22; & lib. 2. capp. 27. & 28; Concilia Later. III. p. 1. cap. 10; Later. IV. cap. 12; Innocentius III. in feſt. omn. Sanct.; Pius II. epiſt. ad Morbiſcum Turcarum Principem; S. Laurentius Juſtinian. de vita ſolitaria cap. 12; Confer Coccium lib. 4. art. 2, ubi multo plura congerit. Magiſter Sent. in 4. diſt. 37; D. Thomas opuſc. 19. cap. 1.; 2. 2. q. 186; & S. Bonaventura in apologia eodem de argumento agunt; de quo ego pluribus 2. parte in Parergo.

Cæterum etſi id credam Traditione Apoſtolica inſtitutos Monachos, in eam tamen non invitus concedo ſententiam primo, alterove Eccleſiæ ſæculo Monachos privatim vitam, votis in Domino nuncupatis, cælibem actitantes nondum in cœtum conveniſſe. Primi enim, qui Religioſorum agmina coegerint, laudantur in Ægypto S. Antonius, in Palæſtina S. Hilarion, teſtibus S. Athanaſio in vita S. Antonii, & S. Hieronymo in vitis S. Pauli, & S. Hilarionis. Monachis omnium primi regulas conſcripſerunt IV. ſæculo in Oriente SS. Pachomius, Ammon, Oreſius, uterque Macarius, & Baſilius. Quod tamen, ut mox innui, nihil officit, quo minus jam pridem Monachi extiterint, qui privatim vitam tranſigerent, e quorum numero ii fuerant, a quibus inſtitutum S. Antonium perhibet S. Athanaſius; fueruntque, qui poſtea ſummum Pontificatum adepti ſunt circa annum 127. S. Teleſphorus, & circa annum 254. S. Dionyſius: fuitque aliquando Marcion, quem cælibatus legibus ſe devoviſſe, ac Monachum egiſſe teſtatur hæreſi 42. S. Epiphanius. Eorum vero maxime in Ægypto Monaſteria crebra erant teſte S. Athanaſio in vita S. Antonii. Triplici vero genere diſtinguebantur Monachi: aliis in Cœnobiis, unde Cœnobitæ, ſub unius Præpoſiti diſciplina degentibus; aliis in Lauris, ſeu cellulis ad invicem diſſitis in ſolitudine, unde Anachoretæ, vitam inſtituentibus; aliis abſque præpoſito proprio jure permiſſis, qui bini, aut terni, aut paullo plures ſimul demorabantur. Iſta conſtant ex S. Hieronymo in epiſt. ad Euſtochium, & Caſſiano collat. 18. capp. 7, & 8. De Monachis Orientalibus ſanctitate celebribus IV. ſæculo legeſis Socratem lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 23; Sozomenum lib. 6. hiſt. Eccleſ. a cap. 28. ad 35; & Theodoretum in hiſt. religioſa. Non tardius in Occidente coacti ſunt Monachorum cœtus, etſi incompertum a quo, & quando inceperint. A S. Ambroſio in ſuburbiis Mediolanij extructum, inſtitutumque Monaſterium auctor eſt S. Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 6. Vercellis Monaſterium viguiſſe ſub S. Euſebii diſciplina ſcribit S. Ambroſius in epiſt. 82. S. Martinum Pictavis, & Turonibus monaſteria extruxiſſe, optimaque ratione Monachos inſtituiſſe teſtatur Severus Sulpitius lib. de vita S. Martini: primaque Monachorum in Gallia propago iſta videtur. A. S. Benedicto demum longe, lateque per Occidentem monaſticum Ordinem propagatum nemo ignorat. Sed & IV. Eccleſiæ ſæculo Clericalis, & Monaſticæ vitæ conjunctio

cœ-

nulloque non tempore in Eccleſia retentam: Sacratam Monachis,

cœpit, ſeu inter Clericos invectum Monaſticum inſtitutum. Primus omnium S. Athanaſius Clero Alexandrino Sacerdotes ex Monachis dedit: multoſque ex Monaſteriis ad Epiſcopatum aſſumptos teſtatur in epiſt. ad Dracontium, & aſſerit Caſſianus loc. cit. S. Euſebius Monaſticum inſtitutum Clero Vercellenſi adjunxit teſte S. Ambroſio cit. epiſt. 82. S. Auguſtinum egiſſe, ut Clerici in Monaſterio collecti vitam monaſticam agerent, ex quo plurimi Epiſcopi Eccleſiis dati fuerint, refert Poſſidius in vita S. Auguſtini cap. 11. A S. Martino Monaſticam vitam cum Clericatu conjunctam conſtat ex cit. Severo Sulpitio. Sequiori ætate in Eccleſia Cantuarienſi a S. Auguſtino Anglorum Apoſtolo eoſdem Monachos juſſos, qui Clerici, ex V. Beda liquet. S. Siricio tandem Summo Pontifice id præcipiente in epiſt. ad Himerium Tarracon. Monaſticum inſtitutum Clericatu adauctum eſt. Eadem tempeſtate, qua Monachorum cohortes ſub uno præceptore congregari cœperunt, incepiſſe pariter Sanctimonialium Parthenones compertum eſt. Nam S. Antonii ſororem Virginum Monaſterio Magiſtram datam teſtatur S. Athanaſius in vita S. Antonii; & ſimile enarrat de S. Syncletica in ejuſdem vita. S. Pachomium ſorori ſuæ non longe a virorum Cœnobio monaſterium extruxiſſe conſtat ex ejuſdem vita. Idipſum cum S. Scholaſtica ſorore actum ſcimus ex dialogis S. Gregorii a S. Benedicto. Puellarum Collegium inſtitutis monaſticis imbutum a S. Baſilio diſcimus ex S. Gregorio Nazianz. orat. 20. De tribus Virginum Monaſteriis in Bethlehem a S. Paula conſtructis legendus S. Hieronymus epiſt. ad Euſtochium de epitaphio Paulæ Matris. Mediolani inſtitutas virgines in Monaſteriis, ac vota ſua Deo nuncupaſſe legimus apud S. Ambroſium in epiſt. ad Virg. lapſam, in exhort. ad Virgines, lib. 3. de Virginib., & epiſt. 12. ad Symmachum Urbis præfectum. Hoc tandem loci obſerva quadruplex olim Virginum fuiſſe velum, profeſſionis, conſecrationis, prælationis, & ordinationis. Velum profeſſionis erat, quod ſuſcipiebant virgines eo tempore, quo vota ſua Domino nuncupabant; quod tempus erat ab anno decimo, & deinceps, ut conſtat ex S. Hieronymo epiſt. ad Marcellam; quo velo ſumpto reſilire a propoſito abſque ſacrilegio non poterant, ut liquet ex S. Innocentio I. in epiſt. ad Victricium Rothomagenſem, & S. Leone in epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem. Velum conſecrationis erat, quo virgines ritu ſolemni in Eccleſia benedicebantur in die Nativitatis, aut Reſurrectionis Dominicæ, vel alia hujuſmodi ſolemni feſtivitate recurrente; quod illis non conferebatur ante 25. ætatis annum, ut conſtat ex Concilio Carthagin. III. can. 26. Velum prælationis erat, quo Virgines Monaſterii regimini præficiebantur; quam provinciam ipſis imponi prohibuerant ante 40. ætatis annum Concilia Agathenſe an. 506. can. 19; & Cæſarauguſtanum can. 8; vel ante 60. S. Gregorius Magnus lib. 3. epiſt. 2. ad Maximianum Epiſcopum Syracuſanum. Velum ordinationis tandem erat, quo Virgines, imo Viduæ univiræ Eccleſiaſticis miniſteriis deputabantur, & Diaconiſſæ fiebant impoſitione manuum Epiſcopi; quod ante 60. annum juxta S. Baſilium epiſt. 2. canonica ad Amphilochium; aut ante 40. juxta Concilia

Chal-

atque Clericis Majoribus ab Eccleſia indictam Caelibatus (19) le-
gem :

Chalcedonenſe can. 15, & Trullanum cap. 14. non conferebatur. Cave tamen ne credas Ordinem eum fuiſſe, quippe erat cæremonia, nihilque præterea. Abolitæ denique ſunt Diaconiſſarum ordinationes ſub S. Leone I. a Concilio Arauſicano I. can. 26; & ſub S. Hormiſda a Concilio Epaonenſi can. 21. Adiſis Cabaſſutium notit. Eccleſ. ſæcul. II. diſſert. 2, & 3. de Diaconiſſis, & ſacris Virginibus: nam de his ſatis pro noſtra inſtituti ratione. Confer P. Semerium; Doctiſſ. Cardinalem Gotti de vera Chriſti Eccleſ. tom. 2. p. 1. artic. 5, & Ludovicum Bulteau hiſt. Monach. Orient.

(19) Quum vero id, quod præſertim ſalaciſſimis Heterodoxis in monaſtico inſtituto diſplicet, Cælibatus ſit inviolata, jugiſque lex, non abs re erit obiter animadvertiſſe hancce legem Monachis ex æquo, atque Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, & Hypodiaconis fuiſſe communem ab Eccleſia edictam. Cujus quidem legis teſtes locupletes ſunt S. Cyrillus Hieroſolym. cath. 12; Origenes hom. 33. in Num.; S. Epiphanius hær. 79; & in expoſit. fidei cathol. cap. 21; S. Iſidorus Peluſiota lib. 5. epiſt. 74; S. Gregorius Niſſenus lib. de Virginit. cap. ult.; Euſebius lib. 1. demonſtr. Evang. cap. 9; S. Gregorius Turon. lib. 1. hiſt. Francor. cap. 44; S. Hieronymus lib. 1. adverſ. Jovinian.; lib. adv. Vigilant.; in apologia ad Pammachium; in cap. 1. epiſt. ad Tit., & epiſt. 50.; S. Ambroſius de offic. lib. 1. cap. ult.; S. Auguſtinus lib. 2. de adulter. conjug. cap. ult.; S. Siricius epiſt. ad Himerium cap. 7; & epiſt. ad Afric. Epiſc. cap. 9; S. Innocentius I. epiſt. 2. ad Victricium cap. 9; & epiſt. 3. ad Exuperium cap. 1; S. Leo I. epiſt. 84. ad Anaſtaſium cap. 4; & epiſt. 92. ad Ruſticum cap. 3; S. Gregorius Magnus lib. 1. epiſt. 42, & 50; lib. 7. epiſt. 39, & lib. 11. epiſt. 42, & 43; S. Zacharias epiſt. 1. ad S. Bonifacium Moguntinum; S. Nicolaus I. epiſt. ad Adonem Viennen.; S. Leo IX. epiſt. ad Cunibertum Taurinen.; & S. Gregorius VII. epiſt. 62. lib. 2. ad Sychardum Aquilejenſem; Concilia etiam Illiberitanum can. 33; Taurinenſe an. 397. can. 8; Carthaginenſe II. an. 390. can. 2; Turonenſe I. an. 461. can. 1, & 2; Carthaginenſe V. an. 398. can. 3; Toletanum I. an. 400. can. 1; Arauſicanum I. an. 441. can. 22; Agathenſe an. 506. can. 9; Arvernenſe an. 535. can. 13; Aurelianenſe III. an. 538. can. 2; Aurelianenſe IV. an. 541. can. 17; Aurelianenſe V. an. 549. can. 4; Turonenſe II. an. 567. can. 12; Matiſconenſe I. an. 581. can. 11; Lugdunenſe III. an. 583. can. 1; Toletanum III. can. 1; Toletanum VIII. an. 653. can. 5, 6, & 7; Troſlejanum an. 909. cap. 9; Romana ſub Nicolao II; Alexandro II; & Gregorio VII; a quibus iis, de quibus dixi, continentiæ lex omnino præcepta, ac præſcripta eſt, ut propterea mirari ſubeat effronti, effrenique inverecundia potuiſſe effutire Piceninum ante Gregorium VII. Sacerdotibus indiſcriminatim licitum fuiſſe conjugii uſum; Cælibatus ſaeratiſſimas leges potuiſſe impetere. Juſtum Jonam; atque Stanislaum Orecovium operam ſuam omnem impendere voluiſſe, pro impetranda Presbyteris matrimonii venia. Legeſis Natalem hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. IV. diſſert. 19. prop. 2; & Thomaſſinum vet., & novæ

diſci-

gem: Religioſam Jejuniorum (20) in Quadrageſima, ſtatiſque aliis

diſciplinæ p. 1. lib. 2. cap. 60, ubi contra Natalem hiſtoriam Paphnutii explodit, & cenſet cælibatum a Chriſto, vel Apoſtolis inſtitutum.

Tantum etiam abeſt, ut Therapeutas, quorum meminit, inſtitutæque vitæ rationem texit Philo lib. de vita contempl., quoſque Euſebius, S. Hieronymus, S. Epiphanius, Sozomenus, Dionyſiaſter, Caſſianus; eoſque conſectati Baronius, Bellarminus, Godeau, Petavius, Serarius, Tillemontius, Papebrochius, Montfauconus, Lequiennius, Bachinius, Heliotus, & Natalis; & ex acatholicis Beveregius, Brunus, Voſſius, Parcherus, Vviſtonus, Makentius, aliique viri de re litteraria optime meriti, aut chriſtianos, aut imo Monachos exiſtimarunt, Monaſticam vitam conſectatos eſſe credam, ut magis in oppoſitam opinionem, quam pro aris, focisque propugnatam perſpicio a Cotelerio, Pagio, Dupinio, Bougero, Valleſio, Cellierio, Orſio, Mamachio, & ex Proteſtantibus ab utroque Baſnagio, Blondello, Caveo, Clerico, Hunchio, Junio, Kippingio, Moynio, Placetæo, Pridæo, Richardſono, Seldeno, Salmaſio, Scaligero, Turnero, Grotio, Adamio, Budeo, Moshemio, Fabricio, aliiſque, manibus, pedibuſque concedens, Therapeutas Judæos potius, atque quidem de ſecta Eſſenorum putem; meque ita putare id cogit, ut paucis, quæ illi pluribus proſequuntur, uti videre eſt apud Pridæum hiſt. Judæor. lib. 13, & Mamachium orig., & antiq. Chriſt. lib. 1. cap. 1. §. 5, comprehendam, quod Therapeutæ carmina canebant, quæ ſacra non erant ex ſcripturis delecta: quod unum Sabbatum ſanctiſſimum, & maxime ſolemnem diem habebant: quod in conſiderandis numerorum viribus, ſuperſtitione turpiſſima peccabant, quique præ ceteris quinquageſimum numerum ſacratiſſimum rebantur: quod menſam, in qua vino non utebantur, quamdam ob memoriam illius, quæ erat in veſtibulo Hieroſolymitani templi, venerabantur: quod in Conventibus bacchantium more choreas ducebant. Quæ omnia liquent ex Philone loc. cit.; quem item librum de vita contemplativa ſi Philo adornavit, antequam legationem ad Cajum obiiſſet, atque de ejuſmodi legatione alterum librum conſcripſiſſet, ut multis ſuadet doctiſſ. Mamachius, conſequetur librum de vita contempl. fuiſſe a Philone ante an. 40. Æræ Vulgaris perſcriptum, quo ſane tempore quum nulli adhuc eſſent a S. Marco in Ægypto ſacris noſtris initiati, nulli item in Ægypto, ubi tamen eoſdem ingenti numero, ac maxime Therapeutas viguiſſe cit. libro affirmat Philo, ut Therapeutæ haud chriſtiani, multo minus Monachi fuerint neceſſe eſt. Nihilominus momenta iſthæc elidere, atque evertere adnixus nuper eſt adverſus Petrum Jannonem pugnans, atque quidem Therapeutas chriſtianos non modo fuiſſe, ſed etiam Monachos propugnans Doctiſſ. P. Jo: Antonius Blanchus adeundus tibi, ſi aveas, de polit., & poteſt. Eccleſ. tom. 4. lib. 2. cap. 2. §. 1: nam aliò properat oratio noſtra.

(20) Jejuninm Quadrageſimæ, aliorumque temporum originem ſuam ab Apoſtolis nactum eſſe tradidere S. Irenæus in epiſt. ad S. Victor. Pontif. apud Euſebium lib. 5. cap. 24; Tertullianus lib. de jejun. capp. 2, & 14; S. Dionyſius

aliis temporibus inductam obſervantiam: identidem ciborum de-

le-

---

nyſius Alex. in epiſt. canon. ad Baſilidem; Concilium Nicænum can. 5; Laodicenum can. 50; S. Athanaſius in apolog. ad Conſtantin.; & in epiſt. ad Orthodoxos; S. Cyrillus Hieroſol. cath. 1; S. Baſilius lib. 1. de Jejun.; S. Gregorius Nazianz. orat. 40. in S. Lavacrum; Concilium Gangrenſe can. 19; S. Epiphanius hær. 75, & in expoſit. fidei; S. Chryſoſtomus hom. 1. in Geneſ., & hom. 6, 12, & 16. ad popul.; S. Ambroſius ſerm. 26, & 31, ſi ejus ſunt; & lib. de Noe, & arca cap. 13; S. Hieronymus in cap. 58. Iſaiæ; epiſt. 15. ad Marcellam; & in cap. 10. Daniel.; S. Auguſtinus ſerm. 64. de tempore; lib. de morib. Eccleſ. cap. 33; & epiſt. 119. ad Januarium; S. Maximus hom. 3. de Jejun.; S. Leo ſerm. de Quadrageſima; S. Petrus Chryſologus ſerm. 66. de Quadrageſima; Caſſianus collat. 21. cap. 24; Dorotheus Abbas doct. 25; Concilia Toletanum VIII. can. 9; Trullanum can. 56; Senonenſe can. 7; S. Iſidorus lib. 6. Orig. cap. 19; & lib. 1. de offic. cap. 36; S. Thomas 2. 2. q. 147. art. 5. Jejunia pro publica neceſſitate imponi, ac imperari populo poſſe, non quidem a poteſtate ſæculari, ſed Eccleſiaſtica, puta Epiſcopo, patet ex S. Nicolao I. ad conſulta Bulgar. cap. 58; Concilio Erfordienſi I. can. 5; Ravennatenſi I; Turonenſi III. can. 47; Moguntino can. 135. Non jejunandum eſſe diebus Dominicis conſtat ex Conciliis Agathenſi can. 12; Bracarenſi I. can. 4; Lucenſi II. can. 57; Aquiſgranenſi ſub Ludovico Pio can. 68; Cæſarauguſtano can. 2; Gangrenſi can. 18; Carthaginenſi IV. can. 64; de Conſecr. diſt. 3. cap. *Placuit*; cap. *Jejunium*; cap. *Nequis*; diſt. 5. cap. *Quadrageſima*; diſt. 30. cap. *Si quis tanquam*; & cap. *Si quis Presbyter*; & diſt. 76. cap. *Utinam*. Jejunandum quatuor anni temporibus liquet ex lib. 6. Capitular. Caroli Magni cap. 186; S. Leone ſerm. 6. de Jejun. decimi menſis; ſerm. 2. de jejunio Pentecoſtes; & ſerm. 9. de jejunio 7. menſis; Conciliis Arvernenſi cap. 27; Conſtantienſi an. 1094; Salegunſtadienſi an. 1022; Moguntino 813; Rothomagenſi an. 1072; Oxonienſi an. 1222; Ænhamenſi an. 1009: quamquam certæ anni tempeſtatis certos dies ei jejunio non fuiſſe conſecratos ex iiſdem Conciliis conſtat. Jejunatum olim ex pietate fidelium, non ex Eccleſiæ præcepto 4, & 6. feria liquet ex Tertulliano lib. de Jejuniis capp. 13, & 14; & lib. de orat. cap. 14; Clemente Alexandr. lib. 7. Strom.; Auctore conſtit. Apoſtol. lib. 7. cap. 24; S. Epiphanio in expoſit. fidei; S. Auguſtino epiſt. 86. ad Caſulanum; S. Innocentio I. epiſt. ad Decentium; S. Iſidoro lib. de offic. cap. 42; S. Fulgentio in ejus vita; S. Nicolao I. ad conſulta Bulgar. capp. 4, & 5; Conciliis Matiſconenſi I. can. 9; Ænhamenſi can. 17; Cojacenſi an. 1050. can. 2. Jejunium Sabbato olim ab Eccleſia Latina religioſe ſervatum; non vero ab Eccleſia Græca, conſtat ex S. Ambroſio apud S. Auguſtinum in epiſt. 86. ad Caſulanum; S. Hieronymo epiſt. 28. ad Lucinium; S. Auguſtino epiſt. cit.; & epiſt. 119. ad Januarium; S. Innocentio I. epiſt. ad Decentium; S. Leone epiſt. 81. ad Dioſcorum; in quam legendus (ſi licet) Queſnellus; Caſſiano lib. de inſtit. Cœnobiorum cap. 10; Socrate lib. 5. cap. 22; Conciliis Illiberitano

lectum tenendum; (21) ſolvendique demum Jejunii decretam, ob-

ritano can. 26; Agathenſi can. 8; Aurellanenſi IV. can. 2. Confer cap. *Placuit*, & cap. *Sabbato* de Conſecr. diſt. 3.

(21) Jejunii tempore a carnibus abſtinendum liquet ex S. Nicolao I. ad conſulta Bulgar. cap. 4; S. Baſilio hom. 1. de Jejun.; Theophilo hom. 3. Paſchali; S. Cyrillo cath. 4; S. Chryſoſtomo hom. 1, & 2. in Geneſ.; & 6. ad popul.; S. Hieronymo in cap. 10. Daniel.; S. Auguſtino ſerm. 64. de temp.; S. Leone ſerm. 4. de jejun. quadrag.; S. Maximo hom. 3. de Jejun.; Conciliis Trullano can. 56; Toletano VIII. can. 9; Moguntino IV. can. 47. Imo abſtentum olim etiam a vino conſtat ex SS. Baſilio, Cyrillo, & Theophilo locis cit.: item a caſeo, & ovis abſtinendum eſſe conſtat ex Concilio Trullano cit.; S. Gregorio Magno diſt. 4. cap. *Denique*; Concilio Mediolanenſi I. par. 2. tit. de Jejunio. Imo etiam ab oleo abſtentum olim conſtat ex Concilio Laodiceno can. 50; Tertulliano lib. adv. Pſychichos. Præterea abſtinuiſſe a piſcibus Græcos refert Balſamon ad can. 69. Apoſtol. Jejunium quadrageſimale XII. priſcis ſæculis, non niſi ad veſperam ſolvi licuiſſe, patet ex S. Baſilio hom. 1. de jejun.; S. Paulino epiſt. 6. ad Amandum, quæ eſt in ordine 24; S. Chryſoſtomo hom. 4, & 6. in Geneſ.; S. Ambroſio ſerm. 8. in pſal. 118; S. Hieronymo epiſt. 22. ad Euſtochium; S. Benedicto in Regula cap. 41; Theodulpho Aurelian. in epiſt. ad Clerum ſuum; & refertur a Gratiano de Conſecr. diſt. 1. cap. *Solent*; a S. Burchardo Wormat. lib. 13. cap. 11; Ivone Carnot. p. 4. cap. 45; S Thoma 2. 2. q. 147. art. 7. tribuentibus Concilio Cabillonenſi, in quo tamen non legitur; Monacho S. Galli auctore vitæ Caroli Magni lib. 1. cap. 12; Magiſtro in regula cap. 43; Micrologo lib. de reb. Eccleſiaſt. cap. 49; S. Bernardo ſerm. 5. de Quadrageſima. Extra Quadrageſimam hora nona ſolvi jejunium conſueviſſe, quod tunc uſurpata phraſi dicebatur ſtationem expungere, vel dirimere apud Tertullianum ilib. de Jeiunio capp. 10, & 14, ut explicat Ludovicus de la Cerda in ſuis adverſariis capp. 138, & 140, conſtat ex S. Athanaſio lib. de virginit.; S. Epiphanio in expoſit. fidei; S. Hiernymo epiſt. 22; S. Ambroſio ſerm. 33, & 39; S. Auguſtino epiſt. 119. ad Januar. in fine; Palladio in hiſt. Lauſiaca cap. 139; Johanne Climaco gradu 13; Johanne Caſſiano collat. 31, capp. 23, & 26; Prudentio hymn. 8; Micrologo loc. cit. Verum ſæculo XII. ad exitum vergente, ineunteque XIII. ævo vetus, & canonicus jejunandi uſus immutari cœpit, ac hora quidem nona in quadrageſima; hora vero 6. extra quadrageſimam. Quin imo ſæculo XIV. tandem cadente ipſum quoquo quadrageſimale jejunium hora 6. ſolvi cœpiſſe conſtat ex S. Thoma 2. 2. q. 147. art. 7; atque ex eo tempore nullo ſuffragante canone ſuperaddi cœpit ſub collationis nomine refectio veſpertina, quam utinam ſaltem ad aliquam moderationem repagulum aliquod coercere quiret!

Certe olim in diebus jejunio nec dicatis conſueviſſe Chriſtifideles prandere ad horam 6. patet ex Caſſiano collat. 21. cap. 23; & lib. 10. de ſpiritu acediæ cap. 1; S. Nilo lib. de ſpiritu acediæ; S. Baſilio ſerm., cui titulus:

De

obſervatamque horam : Indulgentiarum (22) pias elargitiones; qui-

De homine quod ſit Imago Dei ; S. Pachomio initio Regulæ; Theophylacto in cap. 27. S. Matth. ; S. Gregorio dialog. lib. 3. cap. 15 ; Auctore libri *De modo bene vivendi* inter opera S. Bernardi ſerm. 52 ; Hugone Victorino in expoſit. regulæ S. Auguſtini cap. 3 ; S. Thoma 2. 2. q. 147. art. 7. Unde Cardinalis Bona divinæ Pſalmodiæ cap. 9. §. 3. obſervat erratum eſſe a nonnullis canonum interpretibus, Archidiacono, & Turrecremata ad cap. *Quod dixit* diſt. 41, quod horam prandii tertiam eſſe dixerint ; niſi forte ſuorum temporum conſuetudinem reſpexerint. Quin imo, ut ibidem obſervavit, idem olim Majores noſtros magis temperantiæ, & ſobrietati ſtudentes ſemel tantum in die, vel ad Veſperam, vel ad Nonam, vel ad Sextam cibo refici conſueviſſe narrant Clemens Alex. lib. 2. pædag. cap. 1 ; S. Cæſarius hom. 9 ; S. Chryſoſtomus hom. 59. in Matth. ; S. Iſidorus lib. 20. Orig. cap. 21 ; Salvianus lib. 1. de Provid. ; Caſſiodorus in pſal. 14 ; Boetius de conſolat. Philoſoph. lib. 2. metro 5. Conſule doctiſſimos Cardinalem Bonam de divin. pſalmod. cap. 9 ; Cabaſſutium notit. Eccleſ. ſæculi II. diſſert. 15 ; Thomaſſinum tract. de jejunio ; Natalem hiſt. Eccleſ ad ſæcul. II. diſſert. 4, ubi illud quoque obſervat cœnulam, ſeu refectiunculam, quæ hodie collatio dicitur, atque in die jejunii ad veſperam adhibetur, originem duxiſſe ex eo, quod religioſis viris olim labore defatigatis ante collationem ſpiritualem, quæ veſpere fieri ſolebat, potus ſumptio permiſſa fuerat a Conciliis Aquiſgranenſi an. 817. cap. 12 ; atque a Trecenſi an. 1128. cap. 16. Sed de his jam nimis.

(22) Indulgentias non a Leone X. cœpiſſe, ut blaterant Novatores, ſed Apoſtolica traditione edoctam Eccleſiam eas elargiendi ſibi fas eſſe ſemper agnoviſſe conſtat 1. ex veteri Eccleſiæ diſciplina, qua remiſſiones pœnarum, quæ poſt abſolutionem ſacramentalem reſiduæ erant, ab Epiſcopis impertiebantur ; vel pœnitentiarum canonicarum relaxationes ad Martyrum preces ab Epiſcopis indulgebantur. Ergo pœnitentium reconciliationes quotannis in die Cœnæ Domini fieri ſolitas fuiſſe, quæque nonniſi pœnæ poſt Sacramentalem confeſſionem reſiduæ remiſſiones erant, patet ex epiſt. 2. ad Corinth. cap. 2, qua inceſtuoſo cuidam in Corinthiorum gratiam in perſona Chriſti aliquid donaſſe S. Paulus affirmat: quem quidem locum de ſatisfactione ei remiſſa intelligunt S. Chryſoſtomus hom. 4 ; Theodoretus ; Theophylactus ; & Œcumenius ibidem ; S. Pacianus lib. 3. contra Novatianos ; & S. Ambroſius lib. 6. de pœnit. cap. ultimo. Videſis S. Thomam in addit. ad 3. p. q. 25, & 26 ; & Porrectam ibi. Et ut prætermittam pſeudo-Clementem lib. 2. conſtit. Apoſt. cap. 16, & pſeudo-Eutychianum apud Burchardum, & Ivonem ; ex S. Cypriano epiſt. 11. ad Martyres, & Confeſſ. ; Tertulliano lib. ad Martyr. ; Conciliis Ancyrano II ; Nicæno I. can. 11 ; Africano in canon. pœnit. ; S. Baſilio epiſt. canon. can. 77 ; S. Eligio hom. 11. ad popul., & 13. in quadrageſ. ; Concilio Carthaginenſi IV. can. 76, 78, & 80, in quos legendæ notæ Binii, & Albaſpinæi ; Agathenſi an. 504. cap. 11 ; S. Auguſtino epiſt. 80. ad Honoratum ; & ſerm. 57. de temp. ; S. Ambroſio lib. de pœnit. cap. 15 ; S. Hil-

quibus, quoad fieri poterit, peccatorum reliquiæ expientur, at-

S. Hilario can. 18. in S. Matth.; S. Paciano in paræneſi; S. Bonifacio Moguntino in decret. pœnit.; S. Leone M. epiſt. 91. ad Theodorum; S. Gregorio hom. 29. in Evang.; lib. 7. epiſt. ad Recaredum Regem Viſigot.; & epiſt. ad Alphonſum Regem Hiſp.; S. Nicolao I. epiſt. ad Carolum Epiſcopum Moguntinum; Ordine Romano apud Mabillonium; alio Ordine Romano edito a Georgio Ferrario Romæ an. 1591; Pœnitentiali Romano edito Ingolſtadii a Stevartio; alio Pœnitentiali Romano apud Gratianum; & Pœnitentiali Eccleſiæ Auguſtanæ. Confer Pœnitentialia alia apud Francolinum lib. 1. de pœnit., & Morinum. Pœnitentiæ quoque canonicæ relaxationem ad interceſſiones, & merita SS. Martyrum ab Eccleſia concedi olim conſueviſſe liquet ex Tertulliano lib. de pudicitia cap. ultimo; lib. ad Martyres cap. 1; & lib. de pœnit. cap. 9: vide Lupum to m. 6. ubi de Indulg.; ex S. Cypriano epiſt. 10, & 11. ad Confeſſ.; ſerm. de lapſis; epiſt. 17, & 23; S. Ambroſio lib. 1. de pœnit. cap. 15; & lib. 2. capp. 7, & 10; Sozomeno lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 16; Ordine Romano; Clero Romano epiſt. 30. ad S. Cyprianum, inter Cyprianicas; videſis Pamelium in ſcholiis ad cit. epiſt. S. Cypriani, ubi ejuſmodi pœnitentiæ Canonicæ ad Martyrum preces concedi olim ſolitas mitigationes hodiernis indulgentiis præluſiſſe adnotat.; ex S. Leone ſerm. 1, & 10. de jejun. 4. temp., & quadrag., quibus pœnitentiæ, & pietatis operibus, ac ſanctorum ſuffragiis, & interceſſionibus, peccatorum veniam a Deo deposcendam fore, foreque, ut impetretur, ſperandum docet.

Conſtat 2. ex jugi Eccleſiæ conſuetudine, qua erga peccatores ipſa non nihil de injuncta a ſacris canonibus pœnitentia relaxandum judicabat juſta interveniente cauſſa, vel mortis inſtante articulo. Id autem conſtat ex peregrinationibus, quæ olim ex toto catholico Orbe ad ſepulchra SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli fiebant, de quibus fuſe agit Gretzerus lib. 2. de peregrin. a cap. 9. ad 16, quò confluebant præcipue, ut pœnæ canonicæ relaxationem a Romano Pontifice Chriſtifideles impetrarent interceſſione SS. Apoſtolorum, ut teſtantur Concilia Cabilonenſe an. 813; & Salegunſtadienſe anno 1022; epiſtola Cleri Lugdunenſis apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 11, qua a SS. Martiribus Lugdunenſibus pro lapſis apud Eccleſiam interpoſitas preces, atque impetratam veniam refert; ex Tertulliano lib. de pudicit. cap. 1, quo jam Montaniſta factus S. Zephirino exprobrat, quod Mœchis indulgentiam conceſſerit; S. Dionyſio Alex. in epiſt. apud Euſebium lib. 5. capp. 41, & 42, qua Martyres Alexandrinos cum lapſis benigne egiſſe refert; Celerino confeſſore epiſt. 21. inter Cyprian. ad Lucian. pariter confeſſorem; & Luciano epiſt. 22. ibidem ad Celerinum; S. Cypriano epiſt. 23. ad Cler. Rom.; & Clero Rom. epiſt. 30, & 31. ad S. Cyprianum; ex quibus colligitur, quod prius lapſi pœnitentiam agere debebant, ſub qua ſacerdotum orationes fiebant pro ipſis, tum Martyrum pro ipſis preces interponebant ſuas, atque ita ab Epiſcopis ad pacem, & indulgentiam admittebantur; ex actis paſſionis SS. Dativi, Saturnini, Felicis, Ampelii, & aliorum Martyrum

que pœnitentiæ canonicæ redimantur: Indulgentiis (23) adnexas le-

tyrum Africanorum ſub Proconſule Annlino apud Albaſpinæum; S. Gregorio Thaumaturgo in epiſt. canon.; S. Petro Alexandrino in pœnitent.; S. Baſilio in epiſt. canon. ad Amphilochium; S. Gregorio Niſſeno in epiſt. canon. ad Letojum; Johanne Jejunatore in ſuo pœnitent.; ex Conciliis Carthag. II, & III. pro lapſis ſub S. Cypriano; Romano ſub S. Cornelio pro lapſis; Cirtenſi an. 305. pro ſacrorum codicum Traditoribus; Alexandrino ſub S. Petro pro ſacrificatis; Illiberitano an. circiter 305. can. 32, 57, 61, & ſeqq.; Ancyrano an. 314. can. 2, 5, 7, 15, 16, & ſeqq.; Neocæſareenſi eodem anno can. 2, 3. &c.; Nicæno Œcumenico can. 11, 12, & 13; Laodiceno an. 363. can. 2; Carthaginenſi IV. ſub Aurelio an. 398. can. 75, & 76; Arelatenſi II. can. 10; Valentino can. 3; Trullano can. 2, & 12; Agathenſi can. 60; Aurelianenſi can. 16; Aurelianenſi IV. can. 8, & 27; Toletano III. can. 11; Triburienſi can. 51; ex Summis Pontificibus Zephirino apud Tertullianum lib. de pudicit. cap. 1; Cornelio apud S. Cyprianum epiſt. 30, 31, & 54; Siricio epiſt. 1; Innocentio I. epiſt. 1; S. Leone I. epiſt. 79; & Zacharia epiſt. ad Pippinum, & Epiſcopos Galliarum.

(23) Poſt ſæculum VIII, quo pœnitentiæ publicæ uſus imminui cœpit, invaluit priori ſubrogatus uſus canonicas, ſeu publicas pœnitentias redimendi Miſſis, aliiſque ſuffragiis; vel eleemoſinis; vel ſacris peregrinationibus; vel precibus, aliiſque piis operibus; vel flagellationibus, aliiſque corporis afflictationibus; quibus quum multa pars de earumdem pœnitentiarum rigore detrahi cœptum ſit, non niſi ſecunda veluti ſpecie Indulgentiæ Eccleſiam uti cum peccatoribus incepiſſe putandum eſt, ut egregie adnotavit doctiſſimus Mabillonius in præfat. ad ſæcul. V. Benedict. Atque ita rem ſe habuiſſe conſtat 1. ex Conciliis Cloveshovienſi an. 747. cap. 26; Triburienſi an. 895. can. 56, Wormatienſi can. 25; Meldenſi apud Burchardum lib. 9. cap. 68; Moguntino apud eumdem lib. 17. cap. 21; S. Gregorio III. in excerpto apud Labbeum tom. 6. Concil.; S. Nicolao I. in epiſt. ad Ratholdum Argentoratenſem Epiſcopum apud Riſchævium Juſtum lib. de anno ſæculari Jubilæo; Johanne VIII, a quo, ut refert Mabillonius in præfat. ad ſæcul. V. Benedict., his, qui in bello contra Paganos an. 878. occubuerant, vel in futurum occumberent, indulgentia conceſſa eſt; eademque conceſſa a Johanne IX. petentibus Bajoariæ Epiſcopis pro Arnulpho Imper., cujus animam ipſius auctoritatis poteſtate abſolvi poſtulaverant. Unde putat mortuis primum indulgentias conceſſas laudatus Mabillonius. Ex Pœnitentiali V. Bedæ lib. de remediis peccatorum can. 14; Pœnitentiali Theodori apud Burchardum lib. 19. cap. 21. & ſeqq.; Pœnitentiali Romano apud Gratianum cap. 11; Jonæ Aurelianenſi lib. 1. de Inſtitut. laicali cap. 10; Reginone in antiqua collectione lib. 2. cap. 440. apud Morinum; Balſamone in canones S. Baſilii 59, & 74; Petro Pictavienſi in ſuo pœnitentiali fol. 7; S. Petro Damiano epiſt. ad Alexandrum II. cap. 3. de de S. Roduſpho; & cap. 7. de S. Dominico verba faciente; Alexandro Alenſi par. 4. q. 23. art. 1., & 2, & q. 24. art. 4; S. Raymundo

leges; aut illarum indictas loco pias ad Deum preces, aſperas

mundo in ſumma lib. 3. de pœnit. Ad exitum vergente ſæculo XI. pœnitentiis illis, tum peregrinationes ad limina Apoſtolorum, aut ad loca ſancta Hieroſolymorum, aut ad S. Jacobum in Compoſtella, tum expeditiones ſacræ adverſus Turcas, vel hæreticos, aut ſchiſmaticos, ſuffectæ ſunt, ideoque indulgentiæ plenariæ, ſeu adæquatæ ſatisfactionis canonicæ relaxationes demum iis indultæ, qui vel iis itineribus ſe committerent, vel iis Cruciatis nomen darent. De peregrinationibus conſtat ex Gerardo in vita S. Uldarici Auguſtani, quem Romam profectum, inde indulgentiarum donis acceptis reverſum refert; ex S. Bernardo in ſerm. exhortatorio ad Milites templi cap. 5, & epiſt. 246, qua ſceleſtos homines indulgentiæ ſpe allectos pro redemptione peccatorum hujuſmodi peregrinationes ſuſcepiſſe teſtatur; ex S. Romualdo in ejus vita, qui Othoni Imperatori pro peccatorum ſatisfactione peregrinationem ad Eccleſiam S. Michaelis in vertice Gargani Montis injunxit. Extat quidem epiſtola S. Patritio Hibernorum Apoſtolo adſcripta, qua narrat ab Eleutherio Papa SS. Thaganum, & Deruvianum indulgentias impetraſſe; ſeque a S. Cæleſtino 12. annorum indulgentiam pariter acquiſiviſſe; ſed Henſchenius ad 27. Martii hanc explodit epiſtolam, atque S. Patritio abjudicat, apud quem videas argumenta, quibus id agit.

A S. Gregorio Magno ſtationibus Romæ indulgentias affixas ajunt S. Thomas in 4. diſt. 20. q. 1. art. 5; & Guillelmus Antiſiodorenſis lib. 4. tract. 6. cap. 9; ſed Papebrochius in conatu Chronico-Hiſtorico diſſertat. 17, & Pagius in brev. hiſt. crit. in Sergio II, etſi ſtationum auctorem S. Gregorium agnoſcant, Indulgentias tamen ſtationum nonniſi ſæculo XI. inſtitutas oſtendunt. Quamquam Mabillonius præfat. ad ſæcul. V. Benedict., & Pagius ibidem ſæculo X. a Romanis Pontificibus indulgentias petentibus, ac Romam proficiſcentibus indefinite conceſſas fatentur; cujus rei exemplum proferunt S. Uldarici Auguſtani paullo ſuperius recenſitum; & Salomonis Conſtantienſis Epiſcopi, qui Romam profectus veniam procuratæ necis trium ſuorum adverſariorum impetravit, indulgentiamque adeptus eſt, ut inquit Echerardus par. 1. pag. 45; quibus addenda, quæ ſupra ex Gretzero de peregrinationibus Romanis indicavimus. Fertur imo S. Lutgeri epiſtola 100, qua narrat a S. Leone III. anno 803. in Germaniam profecto pleriſque Eccleſiis indulgentias collatas; ſicuti & Werdæ S. Suitbertum catalogo Sanctorum adſcriptum. Hanc tamen & Canonizationem, & Indulgentiam, & epiſtolam ut ſuppoſititias rejiciunt ſcriptores Bollandiani in vita S. Lutgeri, Henſchenius, & Morinus lib. 10. de ſacr. pœnit., quorum argumenta relege apud ipſos, eorumque exſcriptorem Euſebium Amort hiſt. Indulg. part. 1. ſect. 1. indulg. 43. Fertur quoque præſertim apud Baronium ad ann. 847. Sergius II. indulgentiam elargitum eſſe trium annorum, & trium quadragenarum Eccleſiam SS. Silveſtri, & Martini viſitantibus; ſed & hanc indulgentiam Mabillonius, Papebrochius, & Pagius locis cit. exagitant, multiſque explodunt. In actis S. Silveſtri indulgentiæ leguntur conceſſæ tam Baſilicæ Lateranenſi, quam Baſilicæ

corporis afflictationes, perdifficiles in longinqua peregrinationes

---

silicæ S. Sebastiani, quas pari modo pseudo-epygraphas conjiciunt locis cit. Papebrochius, & Pagius in S. Silvestro, vel ex eo quod in lapide Basilicæ S. Sebastiani legatur: *Eamdemque indulgentiam* (a S. Silvestro largitam) *successores ejus in festis duplicibus, & in quadragesima duplicarunt*: quum tamen duplicium festorum appellatio sæculo XIII. primum cœpisse videatur; nam de iis alte silent Ordo Romanus, S. Isidorus, Albinus, seu Alcuinus, Amalarius, Rabbanus, Walafridus, Berno, Ivo, Micrologus, qui de reb. Ecclesiasticis scripsere; primusque legitur Bonifacius VIII. in 6. decret. lib. 3. tit. 22, qui festorum duplicium meminerit, quum antea, non nisi Solemnitates, Dominicalia, & Ferialia festa apud Scriptores occurrant. Verum etsi ante sæculum XI facile non sit inveniri speciatim concessas indulgentias, unum tamen, vel alterum nobis exemplum suppetit indulgentiarum ante sæculum XI specialiter concessarum. Scilicet Mabillonius tom. 1. Musæi Italici laudat Romanum vetus Sacramentarium in Bibliotheca Vallicelana asservatum 700, & amplius annis antiquius, adeoque sæculo IX, in quo die 22. Junii Sanctorum Martyrum 1480. (reliquiarum scilicet) memoriam recolentibus, vigiliam jejunio celebrantibus, atque Ecclesiam invisentibus indulgentiæ annus concedebatur. Similiter P. Johannes Dominicus Musanti Soc. Jes. testatur se reperisse in Chronico Monasterii Farfensis, quod an. 1060. die 6. Julii Nicolaus II ejus Ecclesiæ trium annorum indulgentiam largitus sit. Qua de re Papebrochius differt. 29. sententiam suam, qua differt. 17. dixerat ante sæcul. XI. non inveniri specificatam aliquam indulgentiam, corrigi jubet: quamquam subdit a Baronio ipso ad an. 1177. adnotatum ante sæculum XI Romanis Pontificibus usum non fuisse concedendi indulgentias, quæ unius anni terminum excederent, præter quam in expeditione terræ Sanctæ. Sæculo vero sequenti ideft XI. indulgentias ad certum tempus, vel in perpetuum, & quidem passim occasione dedicationis Ecclesiarum concessas observant Papebrochius, & Pagius. Celebres præ aliis sunt indulgentiæ impertitæ ab Alexandro II. in dedicatione Ecclesiæ Cassinensis, ut habetur lib. 3. Chron. Cassin. cap. 31; Ab Urbano II. Ecclesiæ S. Nicolai Andegavensis, ut legitur apud Dacherium tom. 10. spicileg. pag. 369; a Callixto II. Ecclesiæ Maurianensi prope Stampas, ut refert Ducheinius tom. 4. pag. 369. Confer Mabillonium, & Papebrochium locis laudatis, ubi alia indulgentiarum exempla a sequioris ævi Pontificibus Eugenio III, Bonifacio VIII &c. proferunt. Episcopos olim indulgentias concedere consueviſſe observat Pagius in Silvestro II, inter alia exemplum promens Pontii Arelatensis Episcopi, qui anno 1000. visitantibus Ecclesiam Montis Majoris; & Raimbaldi item Episcopi Arelatensis, qui anno 1065. visitantibus Ecclesiam S. Mariæ de Correno tertiam partem pœnitentiæ remisisse, & Indulgentiam ad unum annum impertiti leguntur tom 4. spicilegii Dacheriani. Postea tamen, & quidem ante ann. 1274, hanc Episcoporum potestatem coarctatam fuisse ex eo probat, quod eodem anno Simon Bituricensis Archiepiscopus Cruce signatis visitantibus Ecclesiam Abbatiæ Angliæ Diœcesis Pictavien-

nes: ad hæc ſacras adverſus Chriſtianæ Religionis hoſtes (24) expe-

vienſis auctoritate quidem Apoſtolica, cujus Legatus erat, dies 100, ſed propria dies dumtaxat 40. indulgentiæ contuliſſe legitur apud Baluzium tom. 4. Miſcellaneorum. Tandem a Concilio Later. IV. ſub Innocentio III. can. 62. Epiſcopis jus aſſeritur Indulgentias elargiendi, ſed coercetur, ita ut in die dedicationis Eccleſiæ non ultra annum, in die anniverſario vero, aliiſque diebus non ultra 40. dies indulgentia extendatur. Legitur in 6. decretal. cap. *Quum ex eo*, de pœnit.

(24) Jam de expeditionibus ſacris adverſus Turcas, Hæreticos, aut Schiſmaticos decretis dicendum. Ergo ejuſmodi expeditionibus nomen dantes a Romanis Pontificibus indulgentiis frequens, iiſque ſpecialibus cumulatos fuiſſe conſtat ex Bullis Cruciatis innumeris, quæ ſæculo XII. cœperunt, quarum catalogum ab anno 1084. a Pontificatu S. Gregorii VII. cruciatarum 91. ſerie contexta uſque ad Innocentii X. Pontificatum, ideſt ann. 1644. exhibet cit. loco ſect. 2. P. Euſebius Amort. Idipſum conſtat ex Jubilæis, quorum inſtitutio non antevertit annum 1300; debeturque accepta Bonifacio VIII, atque legitur cap. *Antiquorum*, extravang. de pœnit., & remiſſione. Jubilæorum omnium ideſt 88. accuratam hiſtoriam a Bonifacio VIII. an. 1300. citato, uſque ad Benedictum XIII, hoc eſt an. 1725. habes apud laudatum doctiſſimum Euſebium Amort hiſt. indulg. part. 1. ſect. 3; qui tibi ſect. 4. hiſtoriam indulgentiarum, quas in dedicatione Eccleſiarum, & Canonizatione Sanctorum a ſæculo XII, & deinceps Romani Pontifices conceſſiſſe leguntur; ſect. 5. Indulgentias Religioſis Ordinibus impertitas; ſect. 6. conceſſas Hoſpitalibus, & Confraternitatibus; ſect. 7. Indulgentias aliis de cauſſis perſonis variis, lociſque diverſis tributas; & ſect. 8. Romanæ Urbis ſeptem Eccleſiarum, Terræ Sanctæ, & Compoſtellanæ indulgentias improbo labore ab ſe collectas, ac in ſeriem intextas exhibet. Eum inter alios, utpote qui præ aliis hac in re diligenter verſatus eſt, atque ſpartam hancce apprime ad cumulum uſque exornavit, complevitque, ut adeas, ſi plura deſideres, auctor ſum tibi. Nam ſatius eſt ſi Pontificum, & Conciliorum, a quibus a ſæculo XII, & deinceps pro variis, quæ ab illis exprimuntur, pietatis operibus, indulgentiæ impertitæ ſunt, epocham, nomenque indicemus. Sunt vero Pontifices ſummi S. Gregorius VII; Urbanus II; Gelaſius II; Honorius II; Callixtus II; Eugenius III; Alexander III; Gregorius VIII; Cæleſtinus III; Innocentius III; Honorius III; Gregorius IX; Innocentius IV; Alexander IV; Clemens IV; Nicolaus IV; Bonifacius VIII; Clemens V; Johannes XXII; Benedictus XII; Clemens VI; Innocentius VI; Urbanus V; Gregorius XI; Urbanus VI; Johannes XXIII; Martinus V; Eugenius IV; Nicolaus V; Callixtus III; Paulus II; Sixtus IV; Innocentius VIII &c. Mitto ceteros ne longior ſim. Sunt autem Concilia Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. an. 1216. can. 62; Ravennatenſe an. 1314. can. 20; Ravennatenſe alterum an. 1317. can. 20, & 22, quo indulgentias ad 40. dies elargiendi facultas Epiſcopis reſtringitur juxta can. 62. Later. IV; Avenionenſe an. 1326; Biterrenſe an. 1351; Vaurenſe an. 1368; Narbonenſe an. 1374; Conſtantien-

ſis

expeditiones, notiori altero nomine Cruciatas: adeo ut, (25) qui ad

ſe an. 1414; Colonienſe an. 1452; Piſanum an. 1409; Friſingenſe an. 1440; Petricovienſe an. 1551; Tridentinum ſeſſ. 25; Narbonenſe an. 1609; Mediolanenſe 4, 5, & 6. ſub S. Carolo. Confer Alexandrum Alenſ. p. 4. q. 23. art. 1, & 2; q. 24. art. 4; et q. 26. art. 4; S. Raymundum in ſumma lib. 3. de pœnit. et remiſs. §. 63, & 64; Guillelmum Antiſiodor. lib. 4. de relaxationibus; Hoſtienſem in ſumma tit. de Remiſſionibus cap. 4, et ſeqq.; S. Bonaventuram in 4. diſt. 20. q. 1, & ſeqq.; Albertum Magnum in 4. diſt. 20. art. 16, et ſeqq.; Innocentium V. in 4. diſt. 20. q. 3. art. 1, et 3; S. Thomam in 4. diſt 14. q. 2. art. 1; & diſt. 15. q. 1. art. 2; Henricum Gandav. quodl. 15. q. 14; Richardum de Mediavilla in 4. diſt. 13. q. 3; Auguſtinum de Ancona lib. de poteſt. Eccleſ. q. 22. art. 3, et 4; Scotum in 4. diſt. 15. q. 1. art. 1, 2, et 3; q. 2, et ſeq.; diſt. 15. q. 1.; diſt. 19. q. 1, et 2; et diſt. 20. q. 1. Mitto ceteros legendos apud laudatum P. Amort par. 2. ſect. 3.

(25) Pro coronide obſerves velim obiter 1. cum Clariſſ. Lupo diſſert. de Indulg. cap. 6. in Eccleſia Orientali perrarum olim extitiſſe indulgentiarum uſum, cujuſmodi a ſæculo XIII. in Eccleſia Occidentali invaluit. Poſt Turcicam tamen captivitatem apud Græcos obtinuiſſe frequentes quæſtuarias Indulgentias, quas Epiſcopi illi, dum mendicandum circumeunt, contribuentibus concedunt, teſtemque vocat Martinum Cruſium in Turcogræcia. Cæterum apud Græcos viguiſſe fidem de Indulgentiis, ex Patribus Græcis ſupra laudatis patet, non ſecus ac de hodierna fide Græcorum, ex libro inſcripto: *Legationes Alexandrina, & Ruthenica ad Clementem VIII. pro unione an.* 1595. In eo enim leguntur Legati Alexandrini, & Ruthenici profeſſi: Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto Domino in Eccleſia relictam fuiſſe; illarumque uſum Chriſtiano populo maxime eſſe ſalutarem. Obſerves 2. cum Cardinali Pallavicino hiſt. Concil. Trid. lib. 1, & 2. per plura capita a Luthero primum, a Germanis poſtea, ac poſtremo a Suavi accuſatos Clementem V; Clementem VI; Callixtum III; Sixtum IV; Julium II; Leonem X; Hadrianum VI. turpiſſimæ, ac ſacrilegæ nundinationis, qua venales fecerint Indulgentias; exceſſuque improbo, abuſuque rei adeo ſacræ quæſtum ex indulgentiis quæſierint, & compararint. Improbis, impudentiſſimiſque hujuſmodi hominibus obſtruit ibidem ora doctiſſimus Pallavicinus oſtendens Indulgentiarum theſauros, ſi quando munificentiori manu reſerarint Romani Pontifices, non aliam ob cauſſam, eamque plane maximam id feciſſe, quam ad inferendum Turcis bellum, vel illatum ab illis, aut Hæreticis, aut Schiſmaticis ſuſtinendum, ut conſtat ex Bullis Cruciatis; vel ad reparandas Romanæ Urbis Baſilicas præſertim S. Petri; ut de Julio II, ejuſque ſucceſſoribus in confeſſo eſt. Alia cit. loco Suavis dicteria retundit clariſs. hiſtoricus. Obſerves 3. ex laudato Euſebio Amort ſect. 4. par. 2. plurimum vivis non prodeſſe indulgentias, niſi ſtrenue, ac ſerio pro ſuis peccatis ſatisfacere pariter adlaborent. Id vero probat Eruditus vir plurimis; inter quæ 1. quod in Eccleſia Græca uſque ad ſæculum XV. nulla legitur conceſſa indulgentia, qua pec-

ad Indulgentias lucrandas ſe comparant, ipſis propoſitum eſſe de-

---

peccator ab omnimoda obligatione congrue ſatisfaciendi Deo ſolutus fuerit. 2. Quod in Eccleſia Latina uſque ad ſæculum X. nulla fuerit collata Indulgentia, niſi ea lege, ut prius per ſe congruam pro ſuis peccatis præſtitiſſent ſatisfactionem, ut ex ſuperius dictis conſtat. 3. Quod etiam ante ſæculum XI, quo cœperunt Bullæ Cruciatæ, nulla indulgentia plenaria certæ hominum conditioni; nec ante ſæculum XIII, quo Jubilæa celebrari inceperunt, ulla plenaria indulgentia univerſæ Chriſtifidelium multitudini collata legitur: & alioquin indulgentiæ conceſſæ præcipuis Orbis Chriſtiani Eccleſiis, Romanis, Hieroſolymitanæ, & Compoſtellanæ, non erant plenariæ teſtibus Baronio ad an. 1116; Panvinio lib. de ſeptem Eccleſiis; Paulo de Angelis in deſcript. Baſilicæ S. Mariæ Majoris; P. Quareſmio Ord. Min. in elucidario Terræ Sanctæ lib. 2. cap. 3; Mabilſonio; Papebrochio; & Pagio loc. citatis. 4. Quod Romani Pontifices, & Concilia in conceſſione indulgentiarum eam ſemper legem appoſuerunt, ut iis lucrandis Chriſtifideles dignis ſatisfactionis operibus ſe aptare adniterentur. Ita Alexander II. homicidæ cuidam 28. annorum impoſita pœnitentia, demum poſt tres annos reliquum indulſit pœnitentiæ ſpatium. Ita expreſſis verbis eam conditionem exegiſſe ab Epiſcopis Lincolnienſi, & Senenſi S. Gregorius VII; a S. Eduardo Rege Angliæ S. Leo IX; a Cruceſignatis Urbanus II; a Romipetis Innocentius III; ab iiſdem Bonifacius VIII; ab omnibus Bonifacius IX. in epiſt. ad Epiſcopum Ferrarienſem; Paulus II; Alexander VI; S. Pius V; Gregorius XIII; Sixtus V; Clemens VIII; V. Innocentius XI; Innocentius XII; Clemens XI &c. in ſuis Jubilæis, aut aliis Bullis indulgentiarum leguntur. Ita eamdem conditionem, ut ſcilicet dignis pœnitentiæ operibus Deo pro peccatis ſuis ſatisfacere ſedulo curent, exquirunt Concilia Salegunſtadienſe, Lateranenſe, Ravennatenſe, Conſtantienſe, Baſileenſe, & Tridentinum loc. ſupra laudatis. 5. Quod SS. Patres conſtantiſſime docuerint a Chriſto non applicari ſuæ paſſionis fructum, ac proinde omnium peccatorum veniam impertiri, niſi congrua ſatisfactione Chriſtifideles cooperentur. Ita S. Juſtinus in dialogo cum Tryphone; Tertullianus lib. de pœnit. cap. 6; Origenes hom. 15. in Levit.; S. Cyprianus ſerm. ad Lapſ. Lactantius lib. 4. inſtit. cap. 17; S. Hilarius in pſal. 118; Lucifer Calarit. de Regibus Apoſtat.; S. Ambroſius epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercellen.; & lib. 1. de pœnit. cap. 16; S. Pacianus de pœnit.; S. Baſilius hom. 3; S. Auguſtinus hom. ult. inter 50. cap. 5; in pſal. 44, & 50; in Enchirid. cap. 70; S. Chryſoſtomus hom. 2. de lapſu prim. hom.; & ſerm. de confeſs.; S. Innocentius I. epiſt. 1. cap. 7; Caſſianus collat. 23. cap. 15; S. Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 295; S. Leo epiſt. 91. cap. 2; S. Petrus Chryſologus ſerm. 167; S. Eucherius hom. 5; S. Cæſarius Arelat. hom. 1. in quadrag.; S. Gregorius Magnus lib. 9. moral. cap. 17; S. Iſidorus Hiſp. lib. 2. de ſummo bono cap. 13; S. Eligius hom. 4. in cœna, & hom. 11. de pœnit.; V. Beda in Eſdram lib. 2. cap. 8; Alcuinus de divin. offic. cap. 13; Anaſtaſius Nicænus q. 76; S. Petrus Damiani ſerm. de S. Andrea; Michael Pſellus in diſput.; S. Anſelmus ad cap. 3. S. Matth.; & in 1. ad Corinth. 11;

alii-

debeat offenſo Deo pro virili parte facere ſatis, neque minus per ſe

---

aliique apud Coccium, & cit. Euſebium. Ad hæc Indulgentiæ fructum cujuſque diſpoſitioni, fervori, ac ſatisfaciendi ſtudio commenſurant Theologi celeberrimi Alexander Alenſis; Guillelmus Antiſiodor.; S. Raymundus; Hoſtienſis; S. Bonaventura; Innocentius V; Albertus Magnus; S. Thomas; Richardus, Auguſtinus Ancon. locis ſupra laudatis, aliique 66. celeberrimi Theologi, quos eo loci recenſet Amort, e quibus præcipui ſunt S. Antoninus p. 1. tit. 10. art. 3; B. Angelus de Clavaſio in ſumma V. Indulgentia; Hadrianus VI. in 4. de Clavibus concluſ. 2; S. Carolus Borromæus in paſtor. ſerm. ad Romipetas an. 1575; Baronius ad an. 1073; Pallavicinus hiſt. Trid. lib. 2. cap. 4; Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in profeſſione fidei apud Stanislaum Socolovium in cenſura Orient. Eccleſiæ cap. 12; & Cardinalis Denoſt in paſtor. apud Genetum tract. 6. cap. 7. q. 4.

Obſerves 4. velim ex cit. Amort loco laudato ſect. 5. Defunctis indulgentias prodeſſe quidem per modum deprecationis, non vero per modum abſolutionis, aut ſolutionis; idque probat 1. Quod ante Johannem VIII, hoc eſt ante ſæculum IX, vix ulla legitur conceſſa pro defunctis indulgentia; atque ante ſæculum XV. perrarus quoque uſus fuit concedendi pro defunctis indulgentias: igitur agnoſcebat Eccleſia nullum alium ſuppetere modum juvandi animas defunctorum, niſi deprecatorium. Ita conſtat ex Nicolao IV, qui orantibus pro Carolo Rege Siciliæ dies 10 indulgentiæ conceſſit: ex Clemente V, qui orantibus pro anima defuncti ejuſdem Caroli nonniſi 20. dies de injunctis pœnitentiis relaxavit: ex Innocentio IV, a quo impenſuris orationum ſuffragia pro anima Berengiæ matris Ferdinandi Regis Hiſpan. dies 40. indulgentiæ conceſſi ſunt: ex Johanne XXII, qui dies 20. indulgentiarum impartitus eſt iis, qui ad Deum pro anima Ludovici Galliarum Regis preces fudiſſent; ſimilem indulgentiam largitus eſt pro defuncto Philippo Rege. Adiſis Raynaldum ad an. 1322: ex Paulo II, qui ſeptem annos Indulgentiarum conceſſit orantibus pro animabus Iſabellæ, & Ferdinandi, & progenitorum Regum Portugalliæ. Videſis Papebrochium ad 5. Junii in vita Ferdinandi: ex Pio IV. conſtit. *Divina*, qui mille annos orantibus pro defunctis Archiconfraternitatis Orationis, & Mortis indulſit: ex Clemente VIII. conſtit. *Ex debito*, qui plenariam quidem indulgentiam conceſſit Confraternitatis ſuffragii, ſed vivis pro defunctis preces effundentibus. Exinde enim conſtat ad id uſque temporis viguiſſe uſum concedendi indulgentias non quidem pro defunctis, ſed vivis, qui orarent pro defunctis. 2. Quod Sixtus IV. an. 1477. conſtit., quæ incipit *Romani Pontificis provida diligentia*, declaravit indulgentias defunctis tantum prodeſſe per modum deprecationis; cujus quoque ſententiæ eſſe conſtat Johannem VIII. apud Baronium ad an. 878; Johannem IX. apud Mabillonium cit.; Gelaſium II. apud Oldoinum in ejus vita; Alexandrum VI. in Bulla Jubilæi; Julium II. in Bulla *Liquet omnibus*; Leonem X. in Bulla indulg. Ord. FF. Minor. defunctis; Gregorium XIII. in Bulla *Salvatoris noſtri vices gerentes*; Pium IV. in Bullis *Regimini*; & *Inter aſſiduas*;

ſe viribns, parique voluntate præſtare: cultum, & invocationem

fiduas; Sixtum V. in Bulla *Laudemus*; Urbanum VIII. in Bulla *Quum ſicut accepimus*; Clementem X. in Bulla *Cæleſtium munerum*; Benedictum XIII. in Bulla *Exponi nobis*. Prætermitto alias, ne legentibus faſtidium creem. 3. Quod impræſentiarum intra duos, vel tres annos plures indulgentias plenarias applicari defunctis mathematice demonſtrari poſſit, quam Purgatorii pœnis deputari ab origine mnndi ad hæc uſque tempora animæ potuerint, adeoque indulgentias fruſtraneas evadere, aut nullam in Purgatorio animam reliquam eſſe oporieat. Si enim calculo inito a P. Kolb in ſua Geographia, part. 4, qno computat conſtare Europam hominum millionibus 150; totidem Africam; 200. Americam; 300. Aſiam, addas ex abundanti 200. milliones, ſummam habebis mille millionum, quot nempe componi univerſum orbem cenſuit quoque P. Ricciolius. Si vero quoquo anno ex 25. hominibus mortem vix unus obit, uti ex calculo inito Londini, ubi ex 700000, quibus conſtat Urbs, exurgit numerum mortuorum vix, ac ne vix quidem in annis ſingulis aſcendere ad 28000; Pariſiis pariter, ubi 600000. computantur, numerum mortuorum neque aſcendere ad 24000. compertum eſt; conſequens eſt ex mille millionibus intra annum in toto Orbe non mori 40000000, ideſt quadraginta milliones, ideoque intra unum diem in toto Orbe non mori ultra 110000, centum videlicet, & decem millia hominum. Si rurſus ex eo numero detrahas tres Ethnicorum, Turcarum, & Hæreticorum partes ad minus, reliqua Chriſtianorum erit 18333. Si denuo ex hoc Chriſtianorum numero demas partem unam Infantium, & partem alteram Adultorum ad pœnas inferni deſcendentium, reliqua Purgatorii pœnis deputata erit 7000. Jam vero chriſtianorum numerus tertiam partem hominum conficere dicitur: chriſtianorum vero dimidiam partem conficit numerus catholicorum, ideſt 250. milliones: fac igitur ſingulis trienniis hos lucrari 6. indulgentias plenarias pro defunctis, jam lucrabuntur intra annos tres 17. milliones, adeoque longe plures, quam in Purgatorio degant animæ. 4. Quod Theologi magni nominis, multoque numero aut dubitarint, an indulgentiæ valerent pro defunctis, atque degentibus in Purgatorio indulgentiæ a Pontifice applicari poſſent, uti Johannes Major in 4. diſt. 20. q. 2; Hoſtienſis in ſumma tit. de remiſſionibus cap. 6; Gerſonius ſeſſ. 2. pro defunctis q. 9; & in tract. de Indulg. 5. 11; Bertholdus Chiemenſis in Bavaria Epiſcopus tract. de Indulg. cap. 89. aut docuerint, etiamque nunc doceant Indulgentias pro defunctis pendere ab acceptatione Dei arbitraria, adeoque eas dumtaxat applicari defunctis per modum deprecationis, ita Alexander Alenſ. p. 4. q. 23. art. 1; S. Raymundus lib. 3. de pœnit. 5. 63, & 64; S. Bonaventura in 4. diſt. 20. q. 5; Aſteſanus lib. 5. tit. 40; Cajetanus tract. 16. q. 5; Latomus lib. adverſ. hæreſes art. 7. de Indulgen.; Eſtius in 4. diſt. 5. 11; Peltanus lib. 2. de purgat. cap. 16; Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 7; Layman, Vivaldus, Toletus, Navarrus, Corduba apud Bonacinam; Durandus, Canus, Petrus Sotus, *Bellarminus* apud Prognolum tract. 14. de Indulg. cap. 26; ad quos accedunt.

Nata-

Sanctorum cum Chriſto regnantium in Cælis (26) qua licitum, atque

Natalis in Theolog. dogmat., & morali lib. 2. de Indulg. regula 16; Paſſerinus tract. de Indulgentiis q. 115. laudans Lezanam, Bonacinam, Layman, Amicum, & alios. Sed de his jam ultra modum, & inſtitutum noſtrum.

(26) Cultum, & Invocationem Sanctorum a Traditione deſcendere auctores ſunt ex SS. Eccleſiæ Græcæ Patribus, Eccleſiæ Smyrnenſis Presbyteri in epiſt. encyclica de martyrio S. Polycarpi apud Euſebium lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 15; S. Juſtinus in apolog. 2. ad Anton. Imp.; S. Irenæus lib. 5. adv. hær. cap. 19; Origenes lib. 8. contra Celſum; lib. 2. in Job.; hom. 16. in Joſue; & hom. 26. in Num.; Euſebius Alex. de venerat. ſanct.; S. Antonius Abbas epiſt. in biblioth. Patrum; S. Athanaſius ſerm. de Deipara; Euſebius Cæſare. lib. 13. præpar. cap. 11; lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 5; & lib. 4. de vita Conſt. cap. 58; S. Baſilius orat. in 40. Martyr; epiſt. 291. ad Ponticæ Diœceſeos Epiſcopos; & in pſal. 114, S. Ephræm in lament. B. Virg.; in orat. de laudibus ejuſdem; ſerm. de virg.; & lib. 1. de contemp. corp. cap. ultimo; S. Gregorius Niſſenus orat. de S. Theodoro Martyre; orat. de 40 Martyr.; & orat. de obitu Meletii; S. Gregorius Nazianz. orat. 3, 6, 18, 19, 20, & 21; S. Cyrillus Hieroſol. cath. 5; S. Epiphanius ſerm. de laudibus Deiparæ; & hær. 79; S. Chryſoſtomus hom. 31, & 41. ad popul.; hom. de SS. Bernice, Proſdoce, & Domnina; hom. de SS. Martyr. Juventino, & Maximino; hom. de S. Pelagia; hom. de S. Meletio, item de S. Ignatio; de S. Romano; de S. Juliano; de S. Babyla; de S. Barlaam, & de S. Luciano; S. Cyrillus Alex. lib. 6. in Julian.; hom. 6. contra Neſtorium; & hom. 2. de S. Johan.; S. Aſterius Amaſenus in encomio SS. Martyr.; Theodoretus lib. de curandis Græcor. affect., ſerm. 8; & in hiſt. relig. cap. 21; S. Maximus Abbas, & Martyr in expoſit. Miſſæ cap. 5; & centur. 5. Theolog. cap. 99; S. Germanus ſerm. de Aſſumpt. B. Virg.; Olympiodorus in cap. 15. Job.; S. Johannes Damaſcenus lib. 4. de fide orthod. cap. 16; Œcumenius in cap. 1. epiſt. 2. S. Petri; Cabaſillas in expoſit. liturg. capp. 33, & 34. Mitto Liturgias SS. Jacobi, Matthæi, Marci &c., nec non pſeudo-Dionyſium lib. de Eccleſ. hier. p. 3. cap. 7; & pſeudo-Clementem lib. 5. Conſtit. cap. 8. Ex Patribus Latinæ Eccleſiæ S. Cyprianus epiſt. 37, & 57, & lib. de diſcipl., et habitu Virgin.; Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. 17; S. Hilarius in pſal. 124, et 129, nec non in cap. 18. Matth.; S. Ambroſius lib. 1, et 3. de virgin.; lib. de vid. cap. 9; lib. 10. in Luc. cap. 21; et epiſt. 22. ad Marcellinam ſoror.; S. Maximus, ſeu auctor ſerm. S. Ambroſio adſcriptorum ſerm. de SS. Apoſt. Petro, et Paulo; ac de SS. Nazario, et Celſo; S. Hieronymus lib. contra Vigilant.; epiſt. ad Riparium; epiſt. ad Paulinum; atque in capp. 10, 12, et 20. Danielis; S. Auguſtinus lib. de cura pro mort. cap. 16; lib. 7. de baptiſ. contra Donatiſt.; lib. 20. contra Fauſt. cap. 21; epiſt. 187; nec non ſerm. 25, et 26; Paulus Oroſius lib. 7. hiſt. cap. 39; S. Paulinus Nolanus epiſt. 12, et 31; ſerm. de S. Felice; ac ſerm. de S. Celſo; S. Maximus hom. 1. de Natali SS. Martyr.; Prudentius hymn. 1, 2, 5, aliisque; S. Gaudenz

que juſtum; & qua laudabilem, atque utilem: ad hæc Imagines (27)

L 2 at-

dentius tract. 17. de dedicat. Eccleſ. SS. 40. Martyr.; S. Petrus Chryſologus ſerm. 14., 129, et 143; S. Eucherius Lugdun. hom. de S. Stephano; et hom. de SS. Martyr.; S. Proſper lib. de vita contemplat., ſi tamen ejus eſt; Victor Vitenſis lib 3. de perſecut. Wandalica; S. Fulgentius ſerm. de B. Virg.; ac ſerm. de S. Steph.; S. Benedictus in regula cap. 14; Caſſiodorus in pſal. 120; & lib. de divin. inſtitut. lect. 23; S. Gregorius Turorenſis lib. de glor. Confeſſ.; & lib. de glor. Martyr.; S. Eligius hom. 2. de purificat. B. Virg.; S. Idelphonſus de virginit. B. Virg. capp. 11, & 12; V. Beda in cap. 1. Lucæ; lib. 4. in Cantic. cap. 24; & hom. in Domin. 2. quadrag.; Alcuinus lib. divin. offic. cap. de celebr. Miſſ.; Carolus Magnus Capitul. Aquiſgran. cap. 42; Aimo hom. de Divite, & Lazaro; Rabbanus epiſt. ad Nothgerum; S. Odo in tract. traslat. corpor. SS. Martyr. cap. 5; Radulphus Flaviacenſis lib. 1. in Levit. cap. 4; Auctor altercat. Eccleſ., & Sinagogæ capp. 16, & 20. inter opera S. Auguſtini; S. Petrus Damianus ſerm. de nativ. B. Virg.; & ſerm. omn. Sanct.; S. Anſelmus lib. de excell. B. Virg.; Rupertus in Cant. cap. 17; & lib. 4. in Zachar. cap. 10; Richardus in Cant.; S. Bernardus ſerm. 62. in Cant.; & ſerm. in Vigilia SS. Petri, & Pauli; V. Petrus Cluniac. lib. 1. epiſt. 1. contra Petrobruſianos; S. Thomas 2. 2. q. 82. art. 4, & 11. Ex Conciliis Gangrenſe can. ultimo; Chalcedonenſe act. 3, & 11; Nicænum VII; Carthaginenſe III. can. 47; Senonenſe can. 13; & Tridentinum ſeſſ. 25. Ex Pontificibus ſummis S. Leo ſerm. de SS. Petro, & Paulo; de S. Vincentio; & 5. in Epiph.; S. Gregorius Magnus hom. 32. de SS. Proceſſo, & Martiniano. Mitto S. Cornelii epiſtolam de traslat. corpor. SS. Apoſtolor. Petri, & Pauli, quæ nec Baronio probatur; & S. Felicis II. epiſtolam de contemp. Sanct., quæ ab eruditis pſeudo-epigrapha profecto æſtimatur. Heu miſeram Novatorum obcæcationem, dicam magis obſtinationem, quibus potius in Sanctos inſoleſcere, & inſanire arridet, quam illos proſequi cultu, atque in patronos adſciſcere: tantæque Patrum, tamque in Sanctos propenſæ phalangi potius quam aures præbere, ſeque erudiendos permittere, ceu cæcæ ſuperſtitioni devinctam, eamdem laceſſere dicteriis, ſcommatibus proſcindere, violatique Numinis inverecundo auſu traducere!

(27) Imagines, Reliquiaſque Sanctorum in honore, ac pretio habendas docet Patrum ex Apoſtolica traditione deſcendens auctoritas. Atque quidem ex Græcis id docent Eccleſia Smyrnenſis in encyclica epiſtola de Martyrio S. Polycarpi apud Euſebium lib. 4. cap. 15; Eccleſia Hieroſolymitana eximio cultu proſecuta Cathedram S. Jacobi Apoſtoli, ut eſt apud eumdem Euſebium lib. 7. cap. 19. verſionis Valeſianæ; S. Juſtinus, ſive Auctor quæſt. 28. ad gentes; S. Athanaſius orat. 4. contra Arianos; S. Baſilius orat. in 40. Martyr.; in pſalm. 115; epiſt. 241; & epiſt. 408; S. Cyrillus Hieroſol. cath. 12, & 18; & lib. 6. adv. Julian.; S. Gregorius Niſenus orat. de S. Meletio; orat. de S. Theodoro; orat. in 40. Martyr.; & orat. de Filii, & Spiritus ſancti Divinitate; S. Gregorius Nazianz. orat. 3. in Julian.; orat. 4, & 18. in S. Cyprianum; S. Chry-

atque Reliquias Sanctorum, in honore, uti par eſt, ac pretio habendas.

S. Chryſoſtomus hom. 32. in epiſt. ad Rom.; hom. 8. in epiſt. ad Epheſ.; hom. 40, & 45. ad popul.; & locis ſupra laudatis; S. Ephræm in encom. omn. Sanct.; S. Aſterius Amaſenus in encomiis Martyr.; orat. de S. Euphemia; & orat. de S. Phoca; Heraclides Niſſenus in epiſtolis contra Meſſalianos apud Photium cod. 51; S. Maximus in diſput. contra Pyrrhum; S. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 55. ad Hieracem; Theodoretus orat. 8. adver. Gent.; & in hiſt. relig. cap. 26, ubi de Imaginibus ubique Romæ erectis S. Simoni Stylitæ agit; S. Nilus epiſt. ad Olympiodorum præfectum; Euſebius lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 1; & lib. 8. cap. 6; Moſcus in prato ſpirit. capp. 40, 45, 151, 179, & 180; Nicephorus epiſt. ad Leonem III; Theophylactus Simocatta lib. 2. hiſtor. apud Photium cod. 65; Suidas in Conſtant. Iconom.; Eutkymius in pſalm. 134; Zonaras adv. Leonem Iſaur.; S. Sophronius Hieroſolym. orat. de miraculis SS. Cyri, & Johannis; & in vita S. Mariæ Ægyptiacæ; Leontius Neapolitanus in Cypro Epiſcopus in apologet. pro chriſtianis ſerm. 5; Simeon Theſſalonicenſis act. 5. Synodi VII; S. Simeon. Stylita Junior epiſt. ad Juſtinum Junior. Imperator., quem ad ultionem de Samaritanis capiendam adhortatur, a quibus Crux, & SS. Imagines contumelia fuerant affectæ; Auctor Græcus diſput. Judæi, et Chriſtiani laudatus a VII. Synodo act. 5; S. Germanus Conſtantinopolit. Patriarcha epiſt. ad Johannem Synnadenſem, & Thomam Claudiopolitanum Epiſcopos; S. Johannes Damaſcenus orat. de SS. Imaginibus, aliique.

Ex Latinis Tertullianus in apologet.; et lib. de pudicitia cap. 10; S. Cyprianus epiſt. 12. Pamel. 37; S. Ambroſius epiſt. 22 ad Marcellinam ſororem; in exhortat. Virgin. cap. 2; ſerm. 91. de invent. SS. Gervaſii, et Prothaſii; ac 93. de SS. Nazario, et Celſo; S. Hieronymus in cap. 4. Jonæ; epiſt. 53; et lib. contra Vigilant. capp. 2, 3, & 4; S. Auguſtinus lib. 1. de conſ. Evang. cap. 10; lib. 22. contra Fauſtum cap. 73; ſerm. 323, & 324. nov. edit.; lib. 9. confeſſ. cap. 7; epiſt. 103; & lib. 22. de Civit. Dei cap. 8; S. Paulinus epiſt. 11, et 12; Prudentius hymn. 3, 5, 9, & 11; S. Gaudentius loc. ſupra laudato; S. Gregorius Turonenſis lib. de glor. Confeſſ., et de glor. Martyr. cap. 44; V. Beda lib. 3. hiſt. cap. 11; lib. de templ. Salom. cap. 19; atque in cap. 4. Lucæ; S. Maximus Taurinenſis ſerm. in Natali SS. Martyr. Taurin.; Rabbanus (ſi tamen ejus eſt) lib. 2. de inſtit. Cleric. cap. 15; et lib. 4. cap. 10; Jonas Aurelian. lib. 3. de Imaginibus; Sigebertus in chron. ad an. 650; S. Thomas 3. p. q. 25. art. 2; in 3. ſent. diſt. 9. q. 1. art. 2; q. 2. ad 1; & 2. 2. q. 94. art. 2. Ex Summis Pontificibus, prætermiſſo pſeudo-Clemente lib. 6. Conſtit. cap. 29, S. Leo I. ſerm. 11. de Natali SS. Apoſt. Petri, et Pauli; S. Gregorius Magnus hom. 22. in Evang.; lib. 3. epiſt. 30; lib. 5. epiſt. 50; lib. 7. epiſt. 5, 11, 54, 88, 159; et lib. 9. epiſt. 9; S. Vitalianus epiſt. ad Ofvvium Northumbriæ Regem apud V. Bedam lib. 3. hiſt. Anglor. cap. 29, qua ipſi Reliquias Roma mittere ſignificat; S. Gregorius II. epiſt. 1. ad Leonem Iſaur.; S. Nicolaus I. epiſt. 2; Hadrianus I. epiſt. ad Conſtantin., et Irenem; Innocentius III. in Concil. Later. Ex Conciliis, ac

bendas esse: fuisse vero, quemadmodum non unius genus (28) contume-

ac generalibus quidem, Concilia Trullanum can. 82; Nicænum II. act. 3, et 7; nec non in definit. fidei; Constantinopolitanum I. can. 2; Lateranense IV. sub Innocentio III. can. 62; Constantiense sub Martino V; ac Tridentinum sess. 25. Ex particularibus vero Concilia Gangrense can. 20; Carthaginense V. can. 14; Gentiliacense sub Pipino an. 767; Bracarense III. can. 6; Epaonense can. 25; Senonense can. 14; Cabilonense can. 45; Moguntinum IV. can. 36; Pictaviense II. sub Paschali II. can. 12; Romanum sub S. Gregorio II; & Romanum sub Stephano III. Mitto reliqua, ne moram faciam ultra modum. Confer de Consecr. dist. 3. cap. *Perlatum*, cap. *Sextam*, et cap. *Venerabiles*; de Offic. ordin. in 6. cap. *Si Canonici*; atque Urbani VIII. constit. 37. *Sanctissimus*; et 51. *Sacrosancta*.

(28) Ex eo item docemur 1. quod antiquitus solemne erat Ethnicis, & Hæreticis, maxime Manichæis, hancce erga SS. Imagines, & Reliquias religionem Christianis exprobrare, quod de Juliano Apostata patet apud S. Cyrillum Alex. lib. 6. contra eumdem Julian., de Eunapio Sophista patet in vita Ædesii; de Fausto Manichæo liquet apud S. Augustinum lib. 20. contra Faustum. 2. Quod Ethnicis, atque Hæreticis olim frequens fuit, ac ut poterant, familiare Sanctorum corpora disperdere, reliquiasque supprimere, ne a christianis colerentur; ita de Martyrum Lugdunensium Reliquiis sub M. Aurelio testatur Eusebius lib. 5. hist. Eccles. cap. 1; de SS. Martyr. Vitalis, et Agricolæ corporibus testatur S. Ambrosius in exhort. ad virg., ac epist. 55: de SS. Martyrum Reliquiis e sepulchris erutis, igneque concrematis a Juliano Apostata testatur S. Gregorius Nazianz. orat. 3. in Julian.: de Reliquiis SS. Martyrum admixtis aliis profanis corporibus, aut etiam animalium ossibus testantur Theodoretus in hist. Relig. de SS. Martyr. Palæstinis; Sozomenus lib. 5. hist. Eccles. cap. 8; ac Surius ad diem 2. Octob. tom. 5: de SS. Martyribus in mare, aquasque projectis, ne eorum Reliquiæ a christianis colligerentur, Eusebius lib. 8. hist. Eccles. cap. 6; nec non Martyrologium Roman. 4. Idus April., & 5. Kalend. Maji. Quorum omnium impium morem imitati Iconomachi, Wicleffistæ, ac Calvinistæ Sanctorum Urnas violarunt, Reliquiasque qua aquis deleverunt, qua ignibus cremarunt. 3. Quod Hæreticis mos fuit alias quoque Reliquias priorum, legitimarumque loco ponere, ut fidelium pietatem fallerent, illuderentque cultui illi, qui pretiosis Sanctorum exuviis præstabatur. Ita actitatum a Circumcelionibus narrat S. Augustinus lib. de oper. Monachor. cap. 28; de nonnullis Græcis Romæ commorantibus S. Gregorius Magnus lib. 3. epist. 30; de quodam Eremita S. Gregorius Turon. lib. 2. hist. Franc. cap. 6. 4. Quod Christifidelibus olim tanta pietas inerat, ut nec impensis, nec periculis parcerent, modo sibi fas foret reliquias acquirendi, aut saltem ea, quæ contactu earum sacra essent. De cura adhibita a Christifidelibus in committendis cum honore humo SS. Martyribus legesis S. Chrysostomum hom. de SS. Juvenco, et Maximo; S. Gaudentium orat. de 40. Martyr.; Ruffinum lib. 2. hist. Eccles. cap. 26; Surium ad 8. Septemb., nec non

2. No-

tumelias, quibus ab Ethnicis, Hæreticiſque in eas inſaniſſime de-

2. Novembris; Martyrologium Roman. 3. Januarii, & 15. Martii. De opera impenſa imo ab aliquibus, ut ſacra pignora e locis, quibus recondita fuerant, ſuffurarentur, lege S. Gregorium Turon. lib. 1. de glor. Martyr. capp. 44, et 90; Adrevaldum lib. 1. de mirac. S. Benedicti cap. 11; Paulum Diacon. lib. 6. hiſtor. Longobard.; Walafridum lib. 2. vitæ S. Galli; Surium ad diem 12. Januar., ac 16. Octobr.; Anſoſſium lib. de reliq. cultu. diſt. 22; Glabrum lib. 4. hiſt. cap. 2. Non defuiſſe tamen exempla, quibus Deus non ſemel in eos, qui falſas Reliquias confinxerunt, ſevere animadvertit conſtat ex Mabillonio ſæculo IV. Benedict. p. 1; et Bollando tom. 2. Jan. pag. 290, atque alibi. 5. Quod Chriſtifidelium pietati erga Sanctos ut ſatisfieret, olim mos fuit Sanctorum reliquias in partes dividere, ut liquet ex Theodoreto de curandis Græcor. affect. ſerm. 8; S. Gregorio Nazianz. orat. 2. in Julian.; S. Gaudentio hom. in dedicat. Baſilicæ SS. 40. Martyr.; ac S. Paulino in natali S. Felicis. 6. Quod conſuetudo vetus erat, ut non dedicaretur Eccleſia abſque SS. Martyrum reliquiis, ut conſtat ex S. Athanaſio in apologia ad Conſtant.; S. Ambroſio epiſt. 22. ad Marcellinam; S. Gaudentio loc. cit.; S. Gregorio Turonenſi lib. de glor. Mart. capp. 20, et 23; ac lib. de mirac. S. Martini cap. 8; Johanne Diacono in vita S. Gregorii cap. 31; Concilio Nicæno II. can. 7; aliiſque Conciliis ſupra citatis. De earumdem quoque in Proceſſionibus delatione adeundi ſunt S. Auguſtinus lib. 22. de Civit. cap. 8; S. Paulinus; & Evagrius. 7. Quod ſaltem non erigerentur Altaria, niſi ſupra corpora, aut reliquias Martyrum, Eccleſiæ diſciplina olitana erat: cujus teſtes ſunt locupletes S. Hieronymus lib. contra Vigilant.; S. Auguſtinus ſerm. 32. de diverſis; ſerm. 315. de S. Cypriano; nec non 318. de S. Stephano; S. Gregorius lib. 3. epiſt. 30; lib. 5. epiſt. 50, et lib. 9. epiſt. 71; Concilia Agathenſe an. 506, Epaonenſe an. 517; Carthaginenſe III. can. 14; atque Africanum can. 50. Vide Nicolaum de Plove tract. de Miſſa Gallic.

Ad hæc facit 8, quod nihil antiquius haberent olim Reges, Magnates, ac Chriſtifideles, quam ut Sanctorum Reliquias impetrarent, qui ipſis ſuffragio, & patrocinio præſto eſſent. Id de Regibus Francorum Childeberto; Pippino; Carolo Magno; Ludovico Pio; Hugone Capeto; Henrico I; Ludovico Craſſo; Ludovico VII; & S. Ludovico ferunt S. Gregorius Turon. lib. 2. hiſt. cap. 37; Aimoinus lib. de geſtis Francor. capp. 20, 21, & 29; & lib. 4. capp. 86. & 89; Sigebertus in Chron. ad an. 508; Baronius ad an. 562; Nicolaus Gillas in Pippino ad an. 761, & 802; Sugerius Abbas in Ludovico Craſſo; Rogerius in annal.; Azorius inſtitut. moral. lib. 9. cap. 8. q. 11; Duplexius, & alii: Idem de S. Helena; Pulcheria Auguſta; S. Radegunde Regina Galliar.; Sylvia, & Buſtula ejus ſorore S. Paulinus epiſt. 11. ad Severum. Vide etiam Baronium ad an. 270. Adeo excrevit hoc fidelium reliquias Sanctorum obtinendi deſiderium, ut legibus opus fuerit, quibus frænum hiſce deſideriis imponeretur, præcaverenturque fraudes, & furta exinde facile conſecutura. Ita cautum juſſere Imperatores Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius *L. Nemo* Cod.

deſævitum eſt, varias venerationis ſpecies, quibus ipſis impenſe

Cod. de Reliqniis, ubi dicitur: *Nemo humatum corpus ad alium locum ſine ſuguſti affatibus transferat*. Ita cautum voluere Concilia Mediolanenſe, Bononienſe, Burgenſe, & Moguntinum anno 813; Pontifices quoque Maximi Clemens VIII. an.1603,& 1604;Paulus V. an.1613,& 1614; & Urbanus VIII. an.1624. Confer diſt.1. de Conſecr. cap. *Corpora Sanctorum.9.* Quod ſi non fas fuiſſet SS.Reliquias adipiſcendi, ſaltem id curabant ſummo ſtudio Chriſtifideles, ut lintea, veſtes, vela, ſudaria, cinctoria, & id genus alia, quæ *Brandea* nuncupabant,quæ Sanctorum corpora attigiſſent, vel ſupra eorum Capſas, aut Lypſana poſita fuiſſent, impetrarent ſumma devotione cuſtodienda, atque horum ope a Deo auxilia ſe impetraturos ſperantes. Ita teſtantur Johannes Diaconus lib. 2. de vita S. Gregorii cap. 42; S. Ambroſius epiſt. 87; Evodius lib. 2. de mirac. S. Stephani cap. 12; S. Auguſtinus lib. 22. de Civit. cap. 8; S. Gregorius M. lib. 3. epiſt. 30, & lib.5. epiſt. 6; S. Gregorius Turon. lib. 2. de glor. Confeſs. cap. 7; lib.2. de glor. Martyr. capp.28, 30, 46, & aliis; lib. de vita S. Nicetii; de mirac. S. Martini, & lib. de vitis SS. Patrum; Sozomenus lib. 9. cap. 2; V. Beda lib. 1. hiſtor. Anglor.; Baronius ad an. 416, 460, 519, 726, 740, & 766; Sigebertus ad an. 441. 10. Quod olim ſedulam Eccleſia operam in id navaret, ut per epiſtolas encyclicas ab una ad aliam Eccleſiam SS. Martyrum notitiam una cum actis tranſmitteret; ut ubique illis cultus impenderetur. Id conſtat ex cit. epiſtola encyclica Smyrnenſis Eccleſiæ de S. Polycarpi, & encyclica Eccleſiæ Gothicæ de S. Sabæ Martyrio apud Ruinartium pag. 527; ex epiſt. S. Cypriani ad Moyſem, alioſque Romanos Confeſſores; ex epiſt. S. Ignatii ad Romanos apud Ruinartium pag.15; ex actis S. Dionyſii Areopagitæ apud Surium ad diem 9. Octobr.; ex epiſt. Martyrum Lugdun. apud Euſebium lib.5. capp.3, & 4; ex actis S. Vigilii Tridentini Epiſcopi apud Bolland. ad 26. Junii; ex S. Gregorio Magno lib. 8. epiſt. 29. ad Eulogium Alex. acta Martyrum ab ipſo petentem. Plura de his proferemus part.2. Vindiciar., quum de jure Pontificis Rom. in SS. Canonizatione ſermo erit. 11. Quod ſicubi ſicuti Chriſti Domini, Sanctorum ſic reliquias noſtris hominibus habendi facultas non affuiſſet,Imagines ſufficiebant;quibus cultum impenderent: qui quidem Imaginumuſus etſi frequens non fuerit, fuiſſe tamen conſtat ex ſtatua ahëna, quam Chriſto Liberatori erexit Paneade mulier illa a profluxu ſanguinis liberata; uti teſtatur Euſebius lib.7. hiſt. Eccleſ. cap.18; ex Tertulliano lib. de pudicit. cap. 7. referente Chriſtum Dominum ſub ſpecie paſtoris ovem perditam ad ovile humeris ſuis reportantis in calicibus dipingi conſueviſſe; ex Concilio Illiberitano can. 36. prohibente picturas in Eccleſia fieri: quo ſatis ſignificat jam tunc imagines in Eccleſia extitiſſe, quas certis de cauſſis, de quibus controverſitæ, impoſterum prohibuit. 12. Quod ad memoriam rerum geſtarum recolendam, ac fidei dogmata ſub oculis veluti ſubjicienda Eccleſiæ Romanæ, nec non Græcæ uſu antiquitus venerat ſive muſivis, ſive picturis Coetus generalia in templis exprimere. Ita imaginem ſex generalium Conciliorum in Eccleſia Conſtantinopolitana depictam perhi-

bet

ſe Majores noſtri ſe ſe devovebant: atque ex iis quidem (28) Imagines

bet Anaſtaſius. Imo earum Synodorum memoriam imaginibus ita dedicatam Græci, & Moſchi in ſuis Mæneis apud Bolland. tom. 1. Maii ſæpius recolunt. Eorumdem Conciliorum Imagines Romæ a ſummis Pontificibus expreſſas, ideſt Nicæni in Baſilica Lateranenſi a S. Silveſtro; Conſtantinopolitani in Baſilica S. Laurentii a S. Damaſo; Epheſini in Liberiana a S. Sixto III; Chalcedonenſis in Paulina a S. Leone M. auctor eſt Hadrianus I in epiſt. ad Carolum Magn. de SS. Imag. Mitto morem Romanæ Eccleſiæ ſacrum in Eccleſiis pariter Imagines Pontificum depingendi; de quo liber Pontif. in SS. Leone I; Symmacho; Agathone; Johanne VII; & Leone III.

(29) Quamvis priſcis Eccleſiæ ſæculis Sanctorum, ſed Dei præſertim, atque SSmæ Trinitatis Imagines maxime in uſu non fuerint, ne ſcilicet Gentiles, & Cathecumeni putarent Chriſtifideles Deum corporeum colere, aut Imaginibus illis Latriæ cultum impendere; qua de re hujuſmodi depictas Dei, & Trinitatis imagines improbarunt Tertullianus lib. de ſpectacul. cap. 23; Clemens Alex. lib. 6. Strom.; Origenes lib. 8. contra Celſ.; Minutius Felix in Octavio; Lactantius lib. 2; inſtit. cap. 2; S. Auguſtinus lib. de fide, & ſymbolo cap. 7; & Concilium Illiberitanum can. 36, quem editum ad amovendum ſcandali periculum, quod exinde Gentilibus, & Cathecumenis forte imminebat, interpretati ſunt Albaſpinæus, & Cardinalis Lucinus; quandoquidem ſimili de re Arcani diſciplina, de qua Lupus differt. de quibuſdam PP. locis; Bullengerus exerc. 16. in Caſaubonum; præſertim vero Emanuel Scheleſtratius, ſecretiora Chriſtianæ Religionis Myſteria tunc temporis occultabant, ne a Gentilibus profanarentur; neque Cathecumenis ſcandali periculum ingenerarent. Confer Petavium Theolog. dogmat. lib. 15. de Incarn. cap. 13. Nihilominus ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, præſertim ubi hujuſmodi periculum aberat procul, uſurpatas fuiſſe Imagines, cum Dei, tum trium Divinarum Perſonarum patet liquido ex mox laudatis Patribus, qui quum illas improbariut, oportet ſane quod illas frequentari conſpicerent: patet ex S. Baſilio, a quo Columbas Spiritum Sanct. repræſentantes in templis ſuſpenſas refert Amphilochius; ex S. Paulino, qui in Baſilica S. Felicis Trinitatis imaginem depingi permiſerat; ex act. 5. Synodi VII, in qua refertur libellus ſupplex Clericorum, & Monachorum Antiochenæ Eccleſiæ contra Severum Acephalorum Ducem, quo inter alia crimina illi objecta illud quoque referunt, quod aureas, & argenteas Columbas, in typum Spiritus S. ſuper Altaria, & divina Sacramenta (ſacros ſcilicet fontes) ſuſpenſas abſtuliſſet. Deinde a ſæculo V, & deinceps imagines Dei, & SSmæ Trinitatis in Eccleſiis magis frequentatas fuiſſe res eſt adeo omnibus confeſſa, ut ei demonſtrandæ non ſit neceſſe operam impendere. Etſi vero Dei, & SSmæ Trinitatis imagines tribus primis ſæculis non adeo frequentes fuerunt, Chriſti Domini tamen ſub diverſis ſpeciebus, ac ſymbolis depicti, nec non Sanctorum imagines in Templis, Cœmeteriis, & Sarcophagis uſu frequentatas fuiſſe probant veterum SS. Patrum teſtimonia S. Gregorii Niſſeni orat. de S. Theodoro; S. Aſterii ſerm. de S. Euphemia; S. Paulini epiſt. 12. ad Severum,

gines coloribus exprimendi, Rreliquiiſque ſufficiendi religioſum

rum ; S. Nili lib. 4. epiſt. 61. ad Olympiodorum ; S. Auguſtini lib. 22. contra Fauſtum cap. 73; S. Ambroſii epiſt. 53; S. Chryſoſtomi hom. 45. ad popul.; S. Gregorii Magni lib. 9. epiſt. 9. ad Serenum ; Euſebii lib. 3. de vita Conſt. cap. 49. Confer ceteros paullo ſupra commemoratos.

Probant idem vetera monumenta præſertim apud Arringhium lib. 6. Romæ ſubterraneæ ; Bottarium in opere inſcripto: *Sculture, e pitture de Cimiterj di Roma*; Boldetum in opere, cui titulus : *Oſſervazioni ſopra i Cimiterj*; Fabrettum in Inſcript.; Bonarrotium in obſervat. in fragm. vaſor. veter. vitreor., a quibus multo numero proferuntur vetera monumenta a veteribus Romæ ruderibus, Cryptis, Sepulchris, Cœmeteriis eruta, in quibus frequentiſſime occurrunt tum Chriſti Domini imagines, tum Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum effigies qua ſculptæ, qua pictæ ſub diverſis ſpeciebus Piſcis, Agni, Columbæ, inter. quas præcipuæ ſunt illæ, quæ extant in ſummo Baſilicæ S. Clementis abſide, quaſque exhibent Boſius lib. 6. de Cruce cap. 21 ; Ciampinus tom. 1. veter monument. cap. 21 ; Gretzerus tom. 3. de Cruce lib. 1. cap. 33, & Mamachius orig., & antiq. Chriſt. lib. 1. §. 9 : nempe eſt Imago Crucifixi, ſeu Chriſti Domini Cruci adfixi, Crucis brachiis duodecim Columbæ inſiſtunt, quibus Apoſtoli denotantur, quaſque corona ex liliis intexta circumdat : & illa, quæ in quodam Sarcophago reperto in Cœmeterio Vaticano exhibetur ab Arringhio lib. 1. cap. 10, ſcilicet in ea conſpicitur impreſſus introitus triumphalis Chriſti in urbem Hieroſolymam : item Zachæus in Sycomoro : iterum Chriſtus Dominus medius inter Petrum, & Paulum monticulo inſiſtens, a quo flumina quatuor Paradiſi egrediuntur : rurſus idem Dominus inter lictores : irſpicitur item Pilatus manus lavans : in arcæ operculo repræſentantur Nabuchodonoſor Rex coram aurea ſtatua, treſque pueri in fornace ignis laudes Deo cantantes; ſed & in eodem exhibentur Chriſti Nativitas, & Magorum adventus. Idem Arringhius lib. 3. cap. 13. exhibet veterem alterum Sarcophagum, in quo imagines inſpiciuntur Lazari a mortuis revocati ; Marthæ coram Servatore deflentis ; Petri Apoſtoli a Chriſto admoniti de perjurio futuro ; Moyſis e manu Dei tabulas accipientis, & e rupe aquas educentis; Abrahami Iſaacum immolantis ; Pilati manus abluentis ; Chriſti a Judæis vincti ; Danielis in lacu leonum ; Zachæi in Sycomoro; Cæci a Chriſto lumen recipientis ; ac prodigii de quinque panibus, & duobus piſcibus. Probant denique vetuſtiſſima monumenta de erecto Chriſto Domino ſimulacro in urbe Paneade apud cit. Euſebium ; & Chriſti expreſſa ſpecie ſub imagine Paſtoris apud Tertullianum laudatum, de quibus paullo ſupra. Item inſignis inſcriptio ſæculo IV. adornata, quæ Laodiceæ reperta fertur, eamque ſibi oſtenſam a Johanne Jebbio Anglo viro refert Lequienius tom. 1. Orient. Chriſtiani pag. 794 ; quaque affirmatur Eugenium Epiſcopum Laodicenum, qui Maximiano Imperatore miles fuerat, templum in urbe Laodicena excitaſſe, quod ſculptis, pictiſque imaginibus exornavit, ut populum, qui eodem concurreret, ad pietatem excolendam, magis, magiſque excitaret.

Id

uſum, ritumque: Dei gratiam (30) neceſſariam eſſe ad ſalutem æter-

Id vero effecit Eugenius eo primum, quo Imperio potito Conſtantino reſpirare paullulum Chriſtiani cœperunt. Quæ quum ita ſint, mirari ſatis non eſt tanta fronte, tam falſo, & tam fraudulenter dictitare Dallæum aggreſſum eſſe, quod dogma hocce Latinorum traditio ſit ſingularis: quod *ipſe* hancce nedum adverſus Latinæ, ſed etiam Græcæ Eccleſiæ traditionem Sanctorum impugnandas reliquias, & imagines ſuſcipiens id effecerit propugnando: tum nulla extare huſuſce traditionis ex tribus primis Eccleſiæ ſæculis argumenta: tum vetuſtiſſimos Chriſtianos non coluiſſe, ne ipſos quidem Divos, quorum eſſe dicuntur reliquiæ, vel imagines: tum a Paganis poſt annum quidem tercenteſimum, non autem prius, Chriſtianis earum cultum exprobratum fuiſſe: tum a priſcis Chriſtianis ante quartum ſæculum ad Martyrum ſepulchra orare inſuetum fuiſſe, atque inuſitatum: nam ex dictis hactenus ſatis liquet navum huncce Novatorem magno eſſe in errore verſatum. Ejus autem, ejuſque ſymmiſtarum objecta retundunt inter alios Tournellius tract. de Incarn. q. ultima; Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. V. diſſert. 25; & ad ſæcul. VIII. diſſert. 6. Confer. Doctiſs. P. Honoratum a S. Maria animadv. in regulas, & uſum Crit. lib. 5. diſſert. 6; eruditiſſimumque Lambertinum, ſeu Benedictum XIV. de Servor. Dei Beatif., & Beat. Canoniz. lib 1. capp. 3, & 4; & lib. 4. capp. 21, & 26: dicta etiam a nobis art. 2. de Conciliis §. 4, & Caballutium not. Eccleſ. ſæculi VIII. de Concilio Nicæno II, ſeu VII Synodo.

(30) Dei gratiam neceſſariam eſſe, ſufficientemque ſaltem a Deo conferri ad malum fugiendum, & bonum faciendum tradunt etiam Patres, Pontifices, & Concilia. Ex Græcis pſeudo-Dionyſius de cœleſt. Hier. cap. 1; & de divin. Nom. cap. 4; S. Irenæus lib. 3. adv. hær. cap. 19; S. Juſtinus apologia 2; Clemens Alexandr. lib. 2, 4, & 5. ſtrom.; Origenes hom. 9. in Joſue; hom. 1. in pſal. 36; & de princip. lib. 3. capp. 1, & 2; S. Athanaſius de communi eſſentia Patris, & Filii, & Spiritus S.; in vita S. Antonii; & de virginit. ſervanda; S. Baſilius hom. 22. de humilitate; hom. *Quod ſine divina ..... gratia reſiſtere ſatanæ ..... non poſſit quiſquam*; orat. *Quomodo baptizetur quis in mortem Chriſti*; in pſal. 33, & 115; hom. in illud Moyſis *Attende tibi ipſi*; & in regulis brevior. reſp. 176; S. Cyrillus Hieroſol. Cath. 1; S. Ephræm de timore animi; de divina gratia, & ſerm. exhortat. ad pietatem; S. Gregorius Nazianz. orat. 42. in illud Evang. *Quum conſummaſſet Jeſus ſermones*; & in carm. de virtute humana; S. Chryſoſtomus hom. de Adam, & Eva; hom. 18, 23, & 39. in S. Matth.; in pſalm. 3; hom. 2, & 9. in 1. ad Corinth. 1; hom. 2. in epiſt. ad Philip.; & hom. 8. de pœnit.; Palladius in hiſt. Lauſiaca cap. 95. de Stephano lapſo; Philo Carpathius in Cantica: ad illa *Terror, vel ſtupor*; & *Pulchra ut Luna*; Caſſianus Collat. 3. capp. 12, & 15; S. Cyrillus Alex. lib. 1. de adorat. in ſpirit., & verit.; lib. 5. in Iſai. 60; lib. 10. in Johan. cap. 8; & lib. 3. contra Julian.; Theodoretus q. 6. in Deuteron.; & in 1. ad Corinth. cap. 4; Johannes Maxentius Monachus in epiſt. ad S. Hormiſdam, & in libello fidei; Iſaias Abbas orat. 8. de mundi renunt.; Procopius Gazæus in 30. Deuteron.;

æternam aſſequendam; ſufficientemque ſaltem a Deo conferri

 omni-

teron.; Heſychius Hieroſolym. lib. 2. in Levit. cap. 7, & lib. 7. cap. 26; S. Sophronius Hieroſol. orat. in Nat. Chriſti; S. Maximus Martyr de Charit. Centur. 2. cap. 28; Thalaſſius Hecatontade 4. cap. 46; S. Johannes Damaſcenus lib. 2. fid. orthod. cap. 30; & de duabus in Chriſto volunt., & action.; Elias Cretenſis in orat. 19. Nazianz.; Tharaſius Conſtantinopolitanus epiſt. ad Epiſc. Antioch., Alexand. &c; Anaſtaſius Nicænus q. 5; Theophylactus ad capp. 11, & 15. Matth.; ad 12. Luc.; ad cap. 4. Corinth. 2; ad 2. cap. ad Galat.; Œcumenius ad cap. 2. ad Philip.; Cabaſillas in expoſit. liturg. cap. 36. Scilicet adeo explicate a Græcis traditum eſt dogma iſtud, ut Janſenius ipſe fateri ingenue ſibi illos adverſari coactus ſit.

Ex Latinis S. Cyprianus lib. 3. ad Quirin. cap. 4; epiſt. 2, & 77; & de baptiſmo Chriſti; Arnobius lib. 2. contra Gentes; Lactantius lib. 1. inſtit. cap. 11; S. Hilarius in pſal. 118., & 123; S. Ambroſius de fuga ſæculi cap. 1; & in cap. 3. Lucæ; S. Hieronymus lib. 1. adver. Pelagian. capp. 3, & 4; & lib. 3. cap. 1; in pſal. 140; in cap. 5. Iſaiæ; in cap. 5. Matth.; & epiſt. 139; S. Auguſtinus in locis innumeris, præſertim epiſt. 89. q. 2. ad Hilarium; epiſt. 105. ad Sixtum presbyt.; epiſt. 107. ad Vitalem; epiſt. 200; lib. 1. ad Simplician. q. 2; lib. de ſpiritu, & litt. capp. 33, & 34; lib. 8. Confeſſ. cap. 8; lib. de nat., & gratia capp. 43, 67, & 69; lib. de corrept., & grat. capp. 2, & 7; lib. 3. de lib. arbitr. cap. 9; ſerm. 17. de verb. Apoſtoli; & ſerm. 61, & 191. de tempore; Arnobius Junior de Deo trino, & uno; S. Proſper carm. de ingrat. capp. 14, & 45; Gennadius de Eccleſiaſt. dogm. capp. 22. & 27; Salonius in proverb.; & in Eccleſiaſtem; S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum capp. 9, & 11; lib. de Incarn., & grat. capp. 17, & 20; lib. de fide ad Petrum cap. 32; epiſt. 4. cap. 3; & epiſt. 6. cap. 6; Primaſius in cap. 7, & 9. ad Romanos; Junilius Africanus lib. 2. de partibus divinæ legis cap. 52; Caſſiodorus in pſal. 3, 67, & 117; Fortunatus in expoſit. orat. Dominicæ; S. Iſidorus Hiſpal. lib. 2. de Eccleſ. offic. cap. 23; & lib. de ſummo bono cap. 5; S. Eligius hom. 3. in Quadrag.; S. Eucherius Lugdun. in lib. 4. Reg.; S. Ildefonſus ſerm. de Purif. B. Virg.; Apponius lib. 1. in Cantic.; V. Beda lib. 2. in Eſdr. cap. 8; lib. 2. in Proverb. Salom. cap. 20; in capp. 8, & 15. Lucæ; in capp. 1, & 6. Johan.; & in cap. 5. epiſt. 1. Johan.; Alcuinus in pſal. 118; 7. pœnit.; in cap. 9. Eccleſiaſtis; & lib. 2. de Trin. cap. 8; Ambroſius Anſpertus lib. 4. in Apocalypſ.; Idiota de amore divino cap. 9; Haimo ad capp. 2, & 15. epiſt. 1. ad Corinth.; & ad cap. 3. epiſt. 2, ad Corinth.; Haligerius lib. 1. de pœnit. cap. 5; Rabbanus lib. 4. de Univerſo cap. 10; & lib. 5. in Jerem. cap. 9; Ædelinus in vita S. Opportunæ; Auctor altercat. Synagogæ, & Eccleſ. capp. 4, & 11; Radulphus Flaviac. lib. 5. in Levit. capp. 1, & 3; & lib. 19. cap. 8; Smaragdus in prologo expoſit. Regulæ S. Benedicti; Berno Augienſis ſerm. de concord. offic. cap. 5; S. Anſelmus in cap. 3. epiſt. 2. ad Corinth.; & in cap. 2. ad Philipp.; Hildebertus epiſt. 15; Honorius Auguſtodun. lib. de prædeſtin., & libero arbitr.; Rupertus in cap. 15. Johan.; S. Bernardus ſerm. 2. in Pentecoſt.;

omnibus tam ad malum fugiendum, quam ad bonum faciendum: qua

coſt.; de grat. & libero arbitr.; et epiſt. 341; Hugo Victor. lib. 4. inſtit. Monaſt. cap. 3, et lib. 4. eruditionis Theolog. cap. 33; Petrus Lombard. in 2. diſt. 39, et in 4. diſt. 28; Richardus Victor. lib. 7. in Apocalyps. cap. 8; de ſtatu hom. inter. cap. 16; de erudit. hom. inter. lib. 1. capp. 3, et 30; Petrus Bleſenſis epiſt. 9, et 78; Petrus Cellenſis lib. de panibus cap. 3; Arnulphus Lexovienſis ſerm. habito in Concil. Turonenſi; Jacobus de Vitriaco ſer. 3. poſt Pentecoſt.; S. Antonius Patavin. ſerm. in Evang. Dom. 2. Advent.; Alexander Alenſis par. 4. q. 13. mem. 2; S. Thomas quodlib. 1. art. 7; S. Bonaventura par. 5. breviloq. cap. 3; Thomas a Kempis lib. 3. de Imit. capp. 43, et 60; S. Laurent. Juſtinian. ſerm. in Epiphan.; S. Johannes a Capiſtrano in ſpeculo conſcientiæ par. 1. n. 56; Vide alios apud Coccium in Theſaur. lib. 1. art. 4.

Ex Summis Pontificibus gemina de gratiæ neceſſitate, ac ſufficientia tradidere S. Innocentius I. epiſt. 24, & 25. quæ ſunt ad PP. Concilii Carthag.; & Milev.; S. Zoſimus epiſt. ad African.; S. Cæleſtinus epiſt. 8, quæ eſt ad Epiſc. Galliar.; S. Leo ſer. 5. in die Epiphan.; & ſerm. 5. in Quadrag.; S. Gelaſius epiſt. 5, et 6; S. Hormiſdas epiſt. 11 ad Poſſeſſ.; S. Gregorius Magnus hom. 9. et 17. in Ezechiel; lib. 35. cap. 16. in Job; in pſal. 7, lib. 7. epiſt. 55; et lib. 5. in cap. 10. lib. 1. Reg.; Innocentius III. ſerm. de uno Martyre; Innocentius X, et Alexander VII. adverſus Janſenium. Item ex Conciliis, quæ non minus, quam 24. enumerantur a Garnerio, et Noriſio, Carthaginenſe I. an. 412; Hieroſolymitanum an. 415; Dioſpolitanum an. eodem; Carthaginenſe alterum an. 416; Milevitanum eodem anno; Romanum ſub S. Innocentio I; Conſtantinopolitanum an. 417; Carthaginenſe aliud an. 418; Antiochenum; Carthaginenſe ex 224. Epiſcopis; Africanum, quod apud Garnerium dicitur ſecundum an. 418; Carthaginenſe alterum ex tota Africa; Romanum ſub S. Zoſimo; Carthaginenſe iterum an. 419; Anazarbenſe an. 422; Conſtantinopolitanum ſub Attico an. 424; Romanum ſub S. Cæleſtino an. 425; Africanum ex tota Africa an. 425; Arelatenſe ſub S. Honorato an. 427; Anglicanum an. 429; Romanum aliud ſub S. Cæleſtino an. 430; Epheſinum œcumenicum an. 431; Arauſicanum II. an. 529; Valentinum an. 855; Senonenſe an. 1528. part. 1. cap. 15; Colonienſe an. 1536. part. 7. cap. 32; et Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. Confer doctiſſimos viros Coccium in Theſaur. lib. 1. art. 4, et lib. 3. art. 2; Garnerium in Marium Mercat.; Noriſium in hiſt. Pelag.; Bellarminum lib. 6. de grat. et liber. arbitr.; L'Herminier tom. 4. pag. 130; Iſaacium Habertum lib. 1. Theolog. Græcor. Patrum; Tournellium de gratia Chriſti q. 4. art. 2, et q. 7. art. 2; & Berti de Theolog. diſcipl. lib. 14. capp. 4, et 5, et lib. 15. capp. 3, et 4. Sane Arnaldus ipſe, et Abbas de la Lane purus, putuſque Janſeniſta in libro gallico, cui titulum fecit *Defenſe de la Conſtitution d' Innocent X*, quo totus ſtudet gratiam ſufficientem ex S. Auguſtini ſententia explodere, et expungere, non diffitentur Theologos omnes huic articulo firmiſſime adhærere; atque ex iis ſcholæ Thomiſticæ Theologos, quos Alvariſtas appellant, eo quod putent ab Alvaro primum in D. Thomæ ſcholam hanc ſententiam invectam. Equidem laudat Arnaldus

qua ad bonum, qua ad malum (31) liberum etiam poſt lapſum in

naldus ex veteribus Theologis ſtare pro ſe, et contra gratiam ſufficientem Thomam Brandvvardinum, et Gregorium Arlminenſem. Verum ex Brandvvardino Wicleffum multa mutuaſſe obſervarunt viri eruditi: de Ariminenſi Lutherum dicere conſueviſſe: *Da Magiſtrum*, quum ejus libros poſtulabat, compertum eſt: cur igitur illos Theologos jactat Arnaldus, niſi vindicando Janſenio, Vvicleffo, et Luthero ſuppetias quærere non erubeſcat? Quamquam quæ aliquando orthodoxis diſputationis æſtu (quod præſertim Brandvvardino adverſus Pelagianos acriter diſputanti accidit) abreptis minus cauta excidunt, ab Heterodoxis avide arripi, in pejorem partem accipi, et amplificari perſpectum eſt.

(31) In homine, etiam poſt lapſum, arbitrium cum ad bonum, tum ad malum reliquum eſſe, et liberum abire tam a coactione, quam a neceſſitate; atque per ipſum ſtare, ut Deo ad bonum vocanti, et moventi obediat, aut Diabolo ad malum ſuadenti, et ſeducenti obſequatur, affirmant jugi Traditione ad nos perveniente Patres qua Græci, qua Latini. Atque ex Græcis quidem pſeudo-Clemens lib. 6. conſtit. cap. 20; et lib. 3, et 5, Recognit.; pſeudo-Dionyſius de Eccleſ. Hier. cap. 9; et de Divin. nom. cap. 4; S. Ignatius in epiſt. ad Magneſ., et ad Smyrn.; S. Juſtinus in Apolog. 1. ad Gentiles; et 2. ad Anton. Imper.; et in dialogo cum Tryphone; Tatianus orat. contra Græcos; Athenagoras in apolog. pro Chriſt.; S. Irenæus lib. 4. adv. hær. capp. 9, 71, et 72; Clemens Alex. lib. 1, 5, et 7. ſtrom.; Origenes hom. 12, et 20. in Numer.; in præfat. lib. 1. de princip.; et lib. 2. contra Celſum; S. Proclus apud S. Epiphanium hær. 64; S. Methodius ſerm. de reſurrect.; Euſebius lib. 6. præpar. cap. 5; S. Athanaſius orat. contra Idola; in vita S. Antonii, et in exhort. ad Gentes; S. Baſilius hom. *Quod Deus non eſt auctor malorum*; ad cap. 1. Iſai.; et lib. 3. contra Eunom.; S. Ephræm de ſpirituali vita cap. 93; et de extremo judicio lib. 5; S. Cyrillus Hieroſolymit. cath. 4; S. Macarius, hom. 15, et 27; S. Gregorius Nazianz. orat. 1, 31, et 40; S. Epiphanius hær. 16, et 67; S. Gregorius Niſſenus hom. 4. in Cant.; orat. cathechet. capp. 30, et 31; Theophilus Alex. epiſt. 3. Paſchali; S. Chryſoſtomus hom. 2, 19, et 22. in Geneſ.; in pſalm. 95 in cap. 1. 19. Iſai.; ſerm. de proditione Judæ; et ſerm. 8. in epiſt. ad Philipp.; Philo Carpathius in Cant. ad illud: *Terror, vel ſtupor*; Caſſianus collat. 13. cap. 12; Theodorus Ancyranus orat. de nativ. Salvat.; et hom. in nat. Salvat.; S. Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 129; et lib. 3. epiſt. 363; S. Nilus apud S. Damaſcenum in parallelis lib. 1. cap. 9; S. Cyrillus Alex. in cap. 1. Iſaiæ; lib. 6. contra Julian.; et lib. 3, 8, et 9. in Johan.; Theodoretus in cap. 3. ad Rom.; et de curandis Græcor. affection. ſerm. 5; Titus Boſtrenſis in 15. Lucæ; Victor Antiochenus ad 3. Marci; Nemeſius de natura homin. cap. 39; Petrus Conſtantinopolitanus Diaconus lib. de Incarn., et gratia cap. 8; Olympiodorus in capp. 1, 3, et 12. Eccleſiaſtis; Andreas Cæſar. ad capp. 9, et 22. Apocalyp.; Procopius Gazæus in capp. 1, et 4. Geneſ.; Anaſtaſius Sinaita lib. 1, et 8. Hexameron; Johannes Climacus gradu 1; Heſychius in cap. 1. Levit.; Antiochus hom.

in homine arbitrium, ut per ſe ipſum ſtet, aut cadat: ſe ſolam ſive

hom. 107; Leontius in vita S. Simeonis cap. 1; S. Maximus Martyr de Incarn.; et de charit. Centur. 3. capp. 27, 91, et 92; Synodus VI. in ſerm. acclam. ad Conſtant. Imp.; S. Johannes Damaſcenus lib. 2. ortod. fid. cap. 25; et in hiſt. Barl., et Joſaph. cap. 15; Photius in cap. 9. ad Rom.; Theophylactus ad 22. Matth.; ad 6, et 13. Johan.; Simeon. Metaphr. in vitis S. Pachomii, et S. Auxentii Abbatis; Moſes Barcepha de paradiſo par. 1; Œcumenius in 7, & 9. epiſt. ad Rom.; Euthymius in 6, & 12. Johan.; Nicephorus lib. 1. hiſt. cap. 3; Hieremias Conſtantinopolitanus reſp. 1. cap. 18, & reſp. 2. cap. 2.

Ex Latinis Tertullianus lib. de anima capp. 20, & 21; lib. 2. adv. Marc. capp. 5, 6, & 8; in exhort. ad caſtit. cap. 2; Minutius Felix in Octav.; S. Cyprianus lib. 1. epiſt. 3; lib. de unit. Eccleſ., & lib. 3. ad Quirin. cap. 52; S. Zeno Veron. lib. de ſpir., & corp.; Arnobius Senior lib. 2. adv. Gentes; Julius Firmicus Maternus lib. de errorib. profanar. relig. cap. 29; S. Hilarius in pſal. 2, & 18; & lib. 1. de Trinit.; S. Ambroſius lib. 1. de Jacob cap. 1; in pſal. 40, & 118; lib. 2. in Luc. 2; & epiſt. 84; S. Optatus lib. 7. contra Parmen.; S. Philaſtrius hær. 80; S. Hieronymus lib. 3. adv. Pelagian. cap. 1; in capp. 49, & 55. Iſaiæ; in 5, & 7. Eccleſiaſtis; lib. 2. contra Jovinian. cap. 2; in 5. ad Galat.; & in 5. Matth.; S. Gaudentius tract. 3. de Paſch.; & tract. 13. de Natali Dom.; S. Auguſtinus lib. de quant. animæ cap. 36; lib. 5. de Civit. cap. 10; lib. de Spiritu, & litt. capp. 30, & 34; lib. de grat., & lib. arbitr. cap. 2; lib. contra duas epiſt. Pelag. cap. 5; lib. contra Fauſt. cap. 2; lib. 4. contra Julian. cap. 8; lib. de prædeſt. Sanct. cap. 3; lib. 1. ad Simplic. cap. 2; epiſt. 47, 89, & 106; tract. 72. in Johan.; ſerm. 15. de verb. Apoſt., & ſexcentis aliis in locis; S. Paulinus epiſt. 2; Arnobius Junior de Deo trino, & uno; & in pſal. 90, & 117; S. Eucherius Lugdun. hom. 9. poſt Paſcha; S. Proſper lib. de grat., & lib. arbitr.; & in reſp. ad 6. object. Gallor.; S. Innocentius epiſt. ad Afr.; S. Cœleſtinus epiſt. ad Gallos; Concilium Carthaginenſe epiſt. ad S. Innocentium I; S. Cæſarius Arelat. hom. 21, & 25; Boetius lib. 5. de Conſolat. proſa 2, et 6; S. Fulgentius de Incarnat., et grat. cap. 20; Ennodius Ticin. de lib. arbitr.; S. Laurentius Novarien. hom. 1. de pœnit.; Caſſiodorus lib. de anima cap. 15; S. Gregorius Magnus lib. 13. cap. 6. in Job; lib. 16. cap. 10; lib. 33. cap. 20; et lib. 1. in Ezech. hom. 5; S. Iſidorus Hiſp. de ſummo bono lib. 2. cap. 2; de dœſtr., et fide cap. 20; Concilium Toletanum IV. cap. 56; V. Beda in 2. Geneſ.; et ad 20. Lucæ; Alcuinus in Geneſ. q. 84; et de Trinit lib. 2. cap. 8; Haimo in cap. 1, et 49 Iſaiæ; et ad 1. Malachiæ; Rabbanus in cap. 18. Jerem.; et lib. 4. de Univerſo cap. 10; Concilium Valentinum cap. 6; Auctor altercat. capp. 4, et 5; Radulphus Flaviac. lib. 12. in Levit. cap. 1; S. Leo IX. epiſt. ad Petrum Antioch.; S. Petrus Damiani ſerm. de exalt. S. Crucis; S. Anſelmus lib. de lib. arbitr. capp. 5, et 10; et de concordia gratiæ, et lib. arbitrii; Honorius Auguſtod. in pſal. 17; Rupertus in cap. 2, et 12 Johan.; Hugo Victorin. in 4. Geneſ.; et inſtit. Monaſt. lib. 4. cap. 3; S. Bernardus ſerm. 5. in Quadrageſ.; et tract. de gratia, et lib. arbitr.; Magiſter ſent. 2. diſt. 25; Potho Prumien-

five ad juſtificationem, ſive ad ſalutem (32) fidem non ſufficere; ſed

---

mienſis lib. 1. de ſtatu domus Dei; Hugo Etherianus de regreſſu anim. cap. 2; Innocentius III. ſerm. de uno Martyre; et lib. 3. Myſt. cap. 8; Alexander Alenſ. p. 1. q. 26. mem. 4. art. 3; Albertus Magnus in cap. 4. Johann.; S. Thomas 1. p. q. 19. art. 8; q. 83. art. 1; et 1 2. q. 119. art. 3; S. Bonaventura par. 5. Breviloq. cap. 3; S. Laurentius Juſtinian. de contemptu mundi cap. 8; S. Bernardinus Senenſ. tom. 3. ſerm. de converſ. peccat.; S. Johannes a Capiſtrano in ſpeculo conſcientiæ par. 1. n. 38, 56, et 57; Concilium Senonenſe cap. 15. de libero arbitr.; Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 1, et ſeſſ. 10. capp. 3., et 7; Martinus V. contra Vvicleffum; Leo X. contra Lutherum; Gregorius XIII, et S. Pius V. contra Bajum; Innocentius X, et Alexander VII. contra Janſenium. Plura tibi ſuppeditabunt Jodocus Coccius in Theſ. lib. 1. art. 5; Nicolaus L' Herminier tom. 5. a pag. 298; Boucat tom. 8. diſſert. 5. art. 3. Allata ſat nobis ſunt, et ſuper. Conſentiunt Gerardus Voſſius; Salamon Glaſſius; Hugo Grotius tom. 4. oper. Theolog. pag. 158, aliique Proteſtantium animo melius comparati. Confer Bellarminum, Beccanum, Vegam, Valentiam, Valemburgenſes, Veronium, Gravinam, Gonzalez, Gotti, Turrianum, Tournellium, Boſſuetium, Berti, ſexcentoſque alios de Schola tractantes de Controverſiis.

(32) Sola fide non juſtificari hominem; neque fidem ſolam ſufficere ad ſalutem conſequendam, ſed ulterius neceſſaria eſſe opera meritoria, perpetuo docuere SS. Patres: Auctor conſtit. Apoſtol. lib. 3. cap. 12; Auctor lib. de Hier. Eccleſ. par. 3. cap. 7; S. Ignatius epiſt. ad Epheſios; vetus Auctor lib. 3. ſimilit. 5; S. Juſtinus in apolog. 2; S. Irenæus lib. 1. adv. hær. capp. 1, et 20; Theophilus Antioch. lib. 3. ad Autolychum; Clemens Alex. lib. 2, 3, 4, 5, 6, et 7. ſtrom.; et in paræneticoOrigenes hom. 1. in Ezechiel.; hom. 3. in Cant.; tract. 32. in Matth.; et in cap. 2, et 3. ad Roman.; Euſebius lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 4; S. Antonius epiſt. 1; Didymus Alex. ad cap. 2. epiſt. Jacobeæ; S. Baſilius ſerm. de aſceſi, ſeu de exercit. Monaſt.; et hom. 12. in Proverb.; S. Cyrillus Hieroſolym. cath. 1, et 15; S. Ephræm de vita ſpirit. cap. 91; et de Virginit.; S. Gregorius Nazianz. orat. 28, et 40; S. Gregorius Niſſenus hom. 8. in Eccleſiaſtem; orat. 1, et 2. de pauperibus amandis; Theophilus Alex. epiſt. 1, et 2. Paſchali; S. Chryſoſtomus hom. 5, et 42. in Geneſ.; hom. in Job. et Abraham; in pſal. 142; hom. 16, et 70. in Matth.; hom. 11. in Marc.; hom. 9, et 30 in Johan.; hom. 5. ad Roman.; hom. 2. in epiſt. ad Philem.; hom. 7. ad Hebræos; hom. de Anna, et Samuele; orat. 5. adv. Anomæos; et ſerm. admonitorio de Euchariſtia in encæniis; Auctor Græcus reſp. ad eos, *Qui de baptiſmo dubitant*; et de his *Qui putant operibus ſe juſtificari* cap. 17. quamquam hunc auctorem ſæculi X. caute legendum monet Bellarminus de ſcript. *Eccleſ.*, uti cujus opera erroribus ſcatentia ab hæreticis depravata exiſtimet. *Philo Carpathius* in Cant. *Pulchra es, & in hortum deſcendi*; S. Nilus inſtit. *ad Monachos*, et in capitibus paræneticis; S. Cyrillus Alex. lib. 10. in Johan. *capp.* 14, et 18; et in expoſit. ſymboli Nicæni; S. Proclus Conſtantinopoli-

ſed inſuper ad cumulum accedere opera bona oportere: Peccatum Ori-

politanus in epiſt. ad Armenos; S. Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 73, 118, et 158; Theodoretus q. 63. in Exodum; in pſal. 96; et in cap. 5. epiſt. 2. ad Corinth.; Baſilius Seleuc. orat. de reſurrect. Lazari; Titus Boſtrenſis in 11. Lucæ; Procopius Gazæus in Levit. pag. 343; Olympiodorus in cap. 7. Eccleſiaſtis; Andreas Cæſarcenſis ad cap. 7. Apocalyp.; S. Johannes Climacus gradu 1; Antiochus hom. 1. de fide, et hom. 79. de agone; S. Sophronius Hieroſolym. orat. in nat. Chriſti; S. Maximus dialogo de Incarn.; et centur. 1. capp. 26, et 45; S. Johannes Damaſcenus lib. 4. de fide orthod. cap. 10; et in hiſt. Barl., et Joſaph. cap. 11; Michael Syncellus de laud. Dionyſii Arcopag.; Anaſtaſius Nicænus reſp. 1; Photius in cap. 12. epiſt. ad Rom.; Theophylactus in 7. Matth.; in 5, et 15. Johan.; ad 15. ad Rom.; et in 4. ad Hebræos; Œcumenius in 1. ad Rom.; in 3. epiſt. 2. ad Corinth.; & in 2. S. Jacobi; Euthymius in 28. Matth., et 16. Marci; Græci in Concilio Florentino in apologia exhibita Synodo; Hieremias Conſtantinopolitanus reſp. 1. cap. 4., et reſp. 2. cap. 3. Et hi quidem ex Græcis.

Ex latinis vero Tertullianus lib. de reſurrect. carn. cap. 48; lib. 2. contra Marc. cap. 6; & in Scorp. cap. 6; S. Cyprianus de unit. Eccleſ.; de oper., & eleem.; & epiſt. 14, & 77; S. Zeno Veron. orat. 5. ad fontem; S. Victorinus in apocalypſ.; Lactantius lib. 3. Inſtit. cap. 9, & in epitome cap. 12; S. Hilarius in Matthæum can. 5, 6, 7, & 28; nec non in prologo ad pſalmos; S. Ambroſius in cap. 11. Lucæ; lib. 1. de offic. cap. 15; lib. 2. cap. 2; & lib. 10. epiſt. 82; Ambroſiaſter in cap. 6. epiſt. ad Roman.; ad Tit. 2; & ad Hebr. 4; S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. cap. 6; lib. 2. capp. 1, & 15; in 5. ad Galat.; & in 7, & 25. Matth.; in 3. Sophoniæ; in 3. Micheæ; & epiſt. 22. ad Euſtochium; S. Gaudentius Brixien. in præfat. tract. 3, & 4; & ad Geminium de villico iniquitatis; S. Auguſtinus mille in locis, maxime autem lib. 15. de Trinit. cap. 18; lib. de ſpiritu, & littera capp. 9, & 26; lib. de fide, & oper. cap. 14; lib. de grat., & lib. arbitr. cap. 7; lib. de prædeſtin. Sanctor. cap. 7, ſerm. 29. de verb. Dom.; ſerm. 16, & 22. de verb. Apoſt.; tract. 15, & 77. in Johan.; & in cap. 6. Johannis; S. Paulinus epiſt. 26; S. Cæleſtinus I. in capit. ad Gallos; Arnobius Junior in pſal. 106; Concilium Arauſicanum cap. 18; S. Proſper in reſp. ad cap. 6. object. Gallor.; & in pſal. 3, & 125; S. Petrus Chryſologus ſerm. 43; S. Leo ſerm. 4, & 5. de Collectis; & ſerm. 2. de Epiphan.; S. Eucherius in 4. Reg., & ſerm. in Dom. 4. Advent.; Sedulius in capp. 3, & 4. ad Rom., & 5. ad Epheſ.; Salvianus Maſſilien. de provid. lib. 4; Ferrandus Diaconus in pædagogo regula 5; S. Cæſarius Arelatenſis hom. 2, 11, & 25; S. Fulgentius lib. 2. de remiſſ. peccat. cap. 1, & ſerm. de Confeſſor.; S. Hormiſdas Pontifex epiſt. 6. ad Anaſtaſium Antioch.; Primaſius in capp. 3, & 5. epiſt. ad Galat.; 5. ad Epheſios; & 4. ad Hebræos; Caſſiodorus in Cant. cantic. cap. 7; S. Gregorius lib. 4. moral. cap. 31; lib. 7. cap. 13; hom. 9. in Ezech.; 29. in Evang., & epiſt. ad Francor. Reges Theodoricum, & Theo-

ber-

Originale (33) peſſime genus omne prorſus hominum [demptis

bertum; S. Iſidorus Hiſpal. de ſummo bono lib. 2. cap. 2; de differentiis cap. 30; Apponius lib. 6. in Cant.; V. Beda in cap. 16. Marci, & 1. Johan.; S. Gregorius III. epiſt. 2. ad Germanos; S. Zacharias epiſt. ad Pippinum; Alcuinus lib. 1. in Johan., cap. 1; & lib. 1. de Trinit. cap. 1; Haimo in cap. 4. epiſt. ad Hebr.; Angelomus lib. 3. reg. 7; lib. 4. reg. 13; Halitgerius lib. 2. de pœnit. cap. 3; Chriſtianus Druthmarus in cap. 7. Matth.; Rabbanus lib. 4. in Eccleſiaſticum cap. 6; & in cap. 4. Eſther; Ratherius Veron. in Synod. ad Presbyt. ſuæ Diœceſis; Remigius Antiſiodor. in pſal. 77; Radulphus Flaviac. lib. 15. in Levit. cap. 4; S. Anſelmus enarrat. in Evang. Luc. 17; in cap. 3. ad Rom.; & 5. epiſt. 1. ad Theſſalon.; Ivo Carnot. tract. de Sacram. Neophit.; Rupertus in cap. 4. Micheæ, & 1. Apocal.; S. Bernardus ſerm. 2. de reſurrect., ſerm. 11. de modo bene vivendi; & ſerm. 24, & 68. in Cantica. Mitto ceteros legendos apud Coccium lib. 3. art. 2. Confer D. Thomam 1. 2. q. 83, 109, 114, 122, & 123; & 2. 2. q. 137. art. 4; Concilia item Troslejanum anno 909. cap. 15; Lateranenſe IV. cap. 1; & Tridentinum ſeſſ. 6. a cap. 5. uſque ad 12; Cardinal. Pallavicinum hiſt. Concil. Trid. lib. 8; Concilia Bituricenſe an. 1528. cap. 1, et ſeqq.; Senonenſe an. eodem cap. 16; & Narbonenſe an. 1551. can. 1, in quibus hoc idem dogma contra Lutherum verbo ſcripto, & tradito ſtabilitum eſt. Mitto reliqua poſt Tridentinum celebrata, de quibus adeas ſuperiorem artic., ubi de Conciliis particularibus actum eſt. Quid vero quod ex Proteſtantium grege Johannes Arndtius lib. *De vero Chriſtianiſmo* bonorum operum neceſſitatem egregie defendit! Contra quidem pugnavit in *Judicio Theologico* Lucas Oſiander, ſed enerviter adeo, ut ſuccubuerit.

(33) Peccatum originale genus omne hominum infeciſſe, non imitatione, ſed prorogatione, ac in omnes propagatione transfuſum, Traditio etiam eſt, cujus teſtes locupletiſſimi ſunt hinc, & illinc Græci, & Latini Patres, ac Scriptores. E primis S. Ignatius epiſt. ad Trallian.; S. Juſtinus in dialogo cum Tryphone; S. Irenæus lib. 3. cap. 20; lib. 4. cap. 5, & lib. 5. capp. 17, & 19; Origenes hom. 3. in Cantic.; hom. 8, & 12. in Levit.; & hom. 14. in Lucam; S. Athanaſius orat. de Incarn.; Didymus Alex. in cap. 7. Job.; S. Cyrillus Hieroſol. cath. 2; S. Baſilius hom. in pſal. 32, & in ſcholiis ad pſal. 50; S. Gregorius Nazianz. orat. 14, 15, 38, et 42; S. Gregorius Niſſenus orat. 6. de Beatitud.; S. Johannes Chryſoſtomus hom. ad Neophitos; hom. de Adam, et Eva; hom. 6. de prodit.; hom. de orat. Dom.; hom. 9. in Geneſ.; hom. 10. ad Rom.; et epiſt. ad Olympiam; Severianus Gabalenſis in cap. 2. Job; S. Cyrillus Alex. lib. 1. in Geneſ.; et lib. adverſ. Antropomorphitas cap. 8; Caſſianus collat. 23. cap. 10; Theodoretus in pſal. 50; et dialogo 3; Olympiodorus in cap. 9. Job; Maxentius contra Neſtorium; Procopius Gazæus in Numer. fol. 387, et 390; Heſychius lib. 2. in Levit. cap. 6; et lib. 3. cap. 12; S. Johannes Damaſc. lib. 2. orthod. fid. cap. 28; Theophylactus in cap. 5. ad Rom.; Moyſes Barcephas de Paradiſo par. 1. cap. 19; Euthymius

Chriſto D., atque ut decebat, Virgine Deipara] infeciſſe, non equi-

thymius in pſal. 50. Ex his ſurripere nobis conantur S. Chryſoſtomum Julianus olim, et deinceps Eraſmus, Stapulenſis; et Dallæus, quem quidem pelagianus ille Pelagii erroris inſimulavit; Novatores autem iſti contendunt a S. Chryſoſtomo aſſertam quidem corporis mortem ex Adæ peccato, non etiam animæ inquinamentum. Quinimo ex noſtratibus non defuere, qui homiliam de Adamo, et Eva, ubi peccatum Originale liquido adſtruitur, S. Doctori abjudicarent. Verum omnibus ſatis eſſe debuerat S. Auguſtinus, qui lib. 1. contra Julian. cap. 6. loca plurima a nobis ſupra prolata ex ipſo Chryſoſtomo laudat contra Pelagianos. Origenem quoque nobis ſurripere enituntur Coccus, et Hottingerus, contendentes ejuſdem homilias in Leviticum eſſe S. Cyrilli; imo ex noſtratibus ſunt, qui ejuſdem commentaria in epiſt. ad Rom. Ruffino potius ejuſdem paraphraſtæ adſcribenda cenſent. Eſto ergo Origenes Pelagianis præluſerit, eſto commentaria in epiſt. ad Romanos Ruffini ſint fœtus, at quis ignoret hominem, poſtquam in devia abripi ſe permiſit, non ſibi ſatis conſentire? Contendimus tamen homilias in Leviticum Origenis germanum eſſe fœtum, nam, ut ait Bellarminus de Script. Eccleſ., ubi de Origenis libris judicium ſuum profert, et phraſim Origenis ſervant, et erroribus ejus ſcatent. Conſentit Uſſerius in bibliot. Theolog. MS. Certe hom. 3. in Cantica; et hom. 14. in Lucam Origenis ſunt. Deinde Origenem præformaſſe quidem Pelagii errorem circa gratiam concedimus, non etiam errorem circa originale peccatum. Confer Clariſſ. Huetium lib. 1. Origenianor., et Halloixium in apologia pro Origene apud Sixtum Senenſem.

Age ad Latinos Patres accedamus, quorum ducit agmen Tertullianus lib. de pœnit. cap. 5; lib. de habitu muliebri cap. 1; lib. de anima cap. 40; lib. 1. adv. Marc.; et lib. 5. cap. 17; lib. de carne Chriſti capp. 16, et 17; et lib. de reſurrect. carn. capp. 33, et 34; S. Cyprianus epiſt. 55. ad Fidum, quam adferunt S. Auguſtinus lib. 1. contra Julian., et lib. 4. ad Bonifac. cap. 8, ac S. Hieronymus lib. 3. adv. Pelagianos; item de bono patientiæ; de jejunio; et de paſſione Chriſti; Arnobius lib. 1. contra gentes; Rheticius Auguſtodun. de baptiſmo apud S. Auguſtinum lib. 1. contra Julian. cap. 3; Lactantius lib. de Ira Dei cap. 20; et lib. 6. inſt. cap. 13; Olympius Hiſpanus Epiſcopus in ſerm. quodam Eccleſiaſtico apud eumdem S. Auguſtinum loc. cit.; S. Hilarius Pictavienſis in pſal. 118. apud S. Auguſtinum; S. Ambroſius de Tobia cap. 9; in pſal. 48, et 50. apud S. Auguſtinum loco laudato; in comment. Iſaiæ; lib. 1. de pœnit. cap. 2; de myſterio Paſchæ cap. 31; et in capp. 1, 2, et 15. Lucæ; Ambroſiaſter in cap. 5. ad Rom.; et in cap. 4. ad Hebr., cujus commentarii auctor circumfertur Hilarius Sardus; S. Optatus lib. 4. contra Parmen.; S. Pacianus in paræneſi ad pœnitentiam; Prudentius in Apotheoſi; S. Hieronymus in 2. Micheæ, in 3. Jonæ; in 47. Ezech.; et in pſal. 39; Ruffinus in pſal. 50, ex quo conjicere eſt ipſum cum Origene Pelagii errori quidem circa gratiam adhæſiſſe, non item errori circa peccatum originale; S. Auguſtinus, quem acerrimum Pelagianorum malleatorem,

pec-

equidem imitatione tranſductum, ſed prorogatione, ac in omnes

peccatique originalis adſertorem nemo neſcit, lib. 14. de Civit. cap. 1; lib. 1. de peccat. merit., et remiſſ. capp. 11, & 18; lib. de peccato orig.; lib. de nuptiis, et concup.; lib. adverſus Pelagian.; epiſt. 89; et 200., alibique ſæpe; Philippus Presbyter lib. 1. in Job cap. 14; S. Proſper reſp. ad cap. 1. object. Vincentinarum; S. Hilarius Arelat. in Geneſ. ad Leonem; S. Petrus Chryſologus ſerm. 3; Sedulius in cap. 5. ad Roman.; S. Cæſarius Arelat. hom. 2, 3, et 38. de Paſch.; Gennadius Maſſil. de Eccleſ. dogm. cap. 39; Fauſtus Rhegienſis lib. 1. de lib. arbitr. cap. 2, quos poſtremos duos Semipelagianos iccirco hic prolatos volui, ut exploratum ſit nihil Semipelagianis commune de peccato originali cum Pelagianis fuiſſe; S. Fulgentius de gratia Chriſti cap. 31; & de fide ad Petrum cap. 26; S. Avitus Alcimus lib. 1. de init. mundi cap. 1; Juſtus Urgelitanus in Cantica; Primaſius in capp. 5, & 7. epiſt. ad Romanos; Caſſiodorus lib. de anima cap. 15; & in pſal. 50; Fortunatus lib. 9. ad Chilpericum Regem, & Fredegundam Reginam; S. Iſidorus Hiſpal. lib. 1. de ſummo bono cap. 1; S. Fucherius Lugdun. lib. 1. in Geneſ. cap. 24, & lib. 3. Reg. cap. 5; Apponius lib. 3. in Cantica; V. Beda in 21. Levit.; in 9. Marci; & 1. Lucæ; Alcuinus in pſal. 4, & 7. pœnit.; & lib. 5. in Johan. cap. 9; Autpertus lib. 7. in Apocalyp. cap. 15; Haimo in pſal. 17, & 37; & in cap. 8. epiſt. ad Rom.; Auctor altercat. cap. 5; Rabbanus in cap. 20. Exod.; lib. 9. in Eccleſiaſticum cap. 2; & lib. 4. de univerſo cap. 10; Remigius Antiſiodor. in pſal. 18, & 50; Radulphus Flaviac. lib. 15. in Levit. cap. 1; & lib. 17. cap. 2; Fulbertus Carnot. epiſt. 1; Berno Augien. ſerm. de Aſcenſ. Dom.; Algerus lib. 1. de Corp. & Sang. Dom. cap. 1; S. Anſelmus Cantuar. lib. de conceptu Virginali cap. 27; & in cap. 5. ad Roman.; Rupertus lib. 2. in Geneſ. cap. 21; Hugo Victorin. tract. 3. de creat. capp. 11, & 12; & in cap. 4. epiſt. ad Rom.; S. Bernardus ſerm. in feria 4. hebd. de Paſſion. Dom. Mitto ceteros, ne moroſo lectori faſtidium creem, quos legere eſt apud Coccium lib. 2. art. 2, Gerardum Voſſium, Nicolaum l'Herminier, Bouchatium, & alios. Unum, vel alterum dumtaxat heic indicabo, ſcilicet SS. Thomam, & Bonaventuram, illum quidem 1. 2. q. 81. art. 1; q. 82. art. 3, & 4; & 3. part. q. 69. art. 1; iſtum vero par. 6. breviloquii cap. 7.

Accedunt cum Pontifices, tum Concilia. S. Siricius in epiſt. ad Himerium cap. 2; S. Innocentius I. in epiſt. ad Epiſcopos Synodi Carthag., & Milevit.; S. Zoſimus in epiſt. tractoria ad totius Orbis Epiſcopos apud S. Auguſtinum epiſt. 157. ad Optatum; S. Cœleſtinus in epiſt. ad Neſtorium; ad Clerum Conſtantinopolitanum; & ad Gallos apud Vincentium Lirin. commonit. cap. ultimo; S. Proſperum adver. Collatorem; & Photium cod. 43; S. Sixtus III. in inſcriptione ad fixa Baptiſterio Baſilicæ Conſtantinianæ apud Baronium, Binium, Labbeum, & Blanchinium; S. Leo M. in epiſt. 86. ad Nicetam; epiſt. 23. ad Clerum, & Plebem Conſtantinopolit.; ſerm. 2, & 6. in Nativ.; & ſerm. 7. de Jejunio 10. Menſis; S. Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos

propagatione transfuſum : Purgatorium, ubi ii, quibus poſt obi-
tum

pos Picenæ provinciæ; S. Gregorius M. lib. 4. moral. cap. 2; lib. 6. in 1. Reg. cap. 15; in pſal. 4. pœnit.; in cap. 25. Job lib. 2. cap. 10; lib. 5. epiſt. 14. ad Narſem, & lib. 7. epiſt. 53. ad Secundinum; S. Leo IX. in epiſt. 5. ad Petrum Antiochenum; Innocentius III. in pſal. 4. pœnitent.; & lib. 1. de contemptu mundi capp. 3, & 4; Urbanus IV. in Methaphraſi ad pſal. 50; Concilia Dioſpolitanum, ſeu Palæſtinum an. 415, quod tamen *miſerabile* appellat S. Hieronymus epiſt. 79, eo quod errore facti deceptum Pelagium abſolvit, quamvis ejus doctrinæ profecto non adhæſerit; Carthaginenſe an. 416; Milevitanum eodem anno; Africanum plenarium dictum a S. Auguſtino, de quo conſule Card. Noriſium lib. 1. hiſt. pelag. cap. 13; Epheſinum Œcumenicum can. 4; Arauſicanum II. can. 2; Toletanum VI. an. 638. cap. 1; Florentinum in decret. union.; & Tridentinum ſeſſ. 5. can. 2, & 4.

Non me latet multis S. Scripturæ teſtimoniis probari Originale peccatum, non inficior, quin potius adſero, probantibus adſtipulor. Sed animadverto 1. a Pelagianis, ut a Juliano apud S. Auguſtinum, et Socinianis, ut a Fratribus Polonis, pleraque in ſui erroris patrocinium e Scripturis ſacris teſtimonia prolata fuiſſe, præſertim Ezech. 18, 3, 4, et 5; ad Rom. 4, 15; et 5, 15, 18, et 19; 1. Corinth. 15, 22; et 2. Corinth. 5, 10. Quibus omnibus reſpondit olim S. Auguſtinus lib. 6. contra Julian. capp. 10, 24, et 25; lib. 2. oper. imperf. n. 85; lib. 2. de nupt., et concup. cap. 27; et in epiſt. 157. ad Hilarium. Animadverto 2. ipſum S. Auguſtinum reprehenſum aliquando fuiſſe, quamquam perperam, atque impudentiſſime, iccirco quod S. Scripturæ teſtimoniis abuſus ſit, ac ea adduxerit, quæ nullo modo pro peccato originali faciant. Ita Eraſmus, et Clericus animadv. ad epiſt. 89, nunc 157. S. Auguſtini carpunt in ea locum ex epiſt. ad Rom. cap. 5. verſ. 12, quem non ſatis efficacem ad revincendos Pelagianos effutiunt; ita Hugo Grotius, et Gerardus Voſſius lib. 2. hiſt. pelag. p. 1. theſi 2. carpunt locum ex cap. 17. Geneſis 14; quaſi illud male alleget S. Auguſtinus; illudque non ad pueros, ſed ad adultos circumciſionem negligentes pertineat. Quin imo eò proceſſit Nicolai l' Herminier tom. 6. pag. 29. audacia, ut argumentum S. Auguſtini ex cit. Geneſis loco excerptum univerſæ Patrum traditioni illum locum ad circumciſionis præceptum referenti adverſari affirmarit. Ita teſtimonium ex cap. 14 Job 4, a S. Auguſtino laudatum lib. cit. de Civit. cap. 26, alio modo interpretati ſunt Fratres Poloni Socinianorum primipili, non ſecus ac pſal. 10. verſ. 7. Quin etiam poſt Eraſmum adeo impudenter inſurrexit in S. Auguſtinum Johannes Pheropponus, cui ſi larvam detrahas, ecce tibi audaciſſimum Clericum, animadv. ad epiſt. 157, et 176. S. Auguſtini, ut locum D. Pauli ad Rom. 5, 12. effutiverit perperam explicatum a S. Auguſtino; ſanctumque Doctorem ſe ſe demonſtraſſe Apoſtoli proletarium (ideſt plebejum, et pauperrimum) interpretem; locumque alterum ex 1. ad Corinth. 15, 22. ab eodem S. Auguſtino laudatum ad rem nihil facere ſubjunxerit. Verum omnes jure optimo vapulant a doctiſſimo Berti lib. 13. de Theol.

diſcipl.

tum quippiam expiandum ſupereſt, (34) ad definitum tempus dire

diſcipl. cap. 1, ubi egregie S. Auguſtinum ab obtrectatoribus iſtis vindicat teſtimoniis catholicorum non modo doctorum, ſed virorum imo inter Acatholicos magni habitorum Bezæ, Grotii, Waltoni, Clarii, Zegeri, et Capelli, de quibus in Polyglotis Londin.; & ſacror. Criticor. tom. 7.

(34) Purgatorium extare, ubi ii, quibus poſt mortem aliquid luendum ſupereſt, ad definitum tempus torqueantur, qui tamen fidelium precibus, ac ſuffragiis juventur, & ſubleventur, Traditio eſt, cui teſtimonium perhibent 1. SS. Patres Græci, inter quos pſeudo-Clemens lib. 8. conſt. capp. 41, & 42; pſeudo-Dionyſius de Eccleſ. Hier. cap. 7. par. 2, & 3; Hermas apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 8; S. Irenæus lib. 1. cap. 3; Origenes hom. 6. in Exod.; hom. 14. in Levit.; hom. 25. in Numer.; in pſal. 38; hom. 12. in Jerem.; & lib. 5, & 6. contra Celſum; Concilium Nicænum can. 65. Arabico; Euſebius Cæſar. lib. 4. de vita Conſtant. capp. 60, & 71; S. Athanaſius orat. de Dormient.; & quæſt. 34; S. Baſilius in capp. 4, 6, & 9. Iſaiæ; S. Ephræm orat. contra ſuperbiam; in paræneſi 49, & in teſtamento ſuo; S. Cyrillus Hieroſol. cath. 5; S. Gregorius Nazianz. orat. 10; S. Gregorius Niſſ. orat. de dormient.; & lib. de anima, & reſurrect.; Timotheus Alex. in reſp. ad interrog. 14; S. Epiphanius hær. 75; S. Chryſoſtomus hom. 32. in Matth.; 61. in Johan.; 21. in Acta; 41. in 1. ad Corinth.; 3. in epiſt. ad Philipp.; & 69. ad popul.; Palladius in hiſt. Lauſiaca cap. 40; Sineſius epiſt. 44; Atticus Conſtantinopolit. epiſt. ad S. Cyrillum Alex.; Caſſianus Collat. 2. cap. 5; Socrates lib. 5. cap. 25; Theodoretus in hiſt. SS. Patrum capp. 1, & 5; in hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 36; in cap. 3. epiſt. 1. ad Corinth.; Baſilius Seleuc. ſerm. de reſurrect. Lazari; Diadochus de perfect. ſpirit. cap. 100; Procopius in 6. Iſaiæ; S. Johannes Climacus gradu 4; Leontius in vita S. Johannis Eleemoſ.; Moſchus in prato ſpirit. capp. 24, et 44; S. Sophronius Hieroſolim. in vita S. Mariæ Ægytiacæ; S. Maximus M. in reſponſ. ad Thalaſſium; et in cap. 7. Hier. Eccleſ. S. Dionyſii Areopag.; S. Germanus Conſtantinopolit. in Theoria; S. Johannes Damaſcenus orat. de defunctis; Nicephorus Confeſſor can. 6; Anaſtaſius Nicænus q. 20; Theophylactus in 12. Lucæ; Simeon Metaphraſ. in vitis S. Pachomii; S. Theodoſii Cænob.; et S. Euſebii; Œcumenius in cap. 3. epiſt. 1. ad Corinth.; Euthymius in panoplia; et Evang.; Theodorus Balſamon in can. 4. Apoſt.; Pſellus ad Andronicum Imp. cap. de exitu animi; Cabaſillas in expoſit. Liturg. capp. 42, et ſeqq.; Græci in Conciliis Lugdunenſi, et Florentino; in Synodis Conſtantinop. an. 1642. cap. 18, et Hieroſolym. anno 1672. cap. 18; Græci in quæſt. ad Cardinalem Guiſianum q. 105 atque in profeſſione fidei præſcripta a Clemente IV. apud Raynaldum ad an. 1267; Gennadius Scholarius de purgat. ſect. 1, et 7; Æthiopes Orthodoxi in confeſſ. fidei apud Renaudotium.

Ad hos 2. Patres Latini, ex quibus Tertullianus lib. de corona Milit. capp. 3, et 4; de anima cap. 35; de teſtimonio animæ cap. 4; de reſurrect. carnis cap. 43; et exhort. ad caſtit. cap. 11; S. Cyprianus epiſt. 58. ad Antonian.;

re torquentur; qui interea piorum ſuffragiis poſſint adiuvari: cetera

tonian.; et epiſt. 66. ad plebem; S. Zeno Veron. ſerm. de reſurrect.; Arnobius Senior lib. 4. contra gentes; Lactantius Firmian. lib. 7. inſtit. cap. 21; S. Hilarius in pſal. 59; S. Ambroſius orat. de obitu Theodoſii Imp.; orat. in obitu Satiri fratria, & epiſt. 8. ad Fauſtinum; Ambroſiaſter in cap. 3. epiſt. 1. ad Corinth.; Prudentius in Hamartigenia; S. Hieronymus in cap. 66. Iſaiæ; 1. Nahum; & 7. Micheæ; Ruffinus in pſal. 37; S. Auguſtinus lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 20; lib. 10. de Civit. capp. 9, 13, 16; & 24; et lib. 21. capp. 13, et 20; in pſal. 37; ſerm. 32. de verb. Apoſt.; lib. 9. Confeſſ. cap. 12; & lib. de cura pro mort. capp. 3, & 4; Concilia Carthag. III. cap. 24, & Carthaginenſe IV. cap. 79; Bachiarius de recipiendis lapſis; S. Paulinus epiſt. 18, & 19; Philippus Presbyter in cap. 12. Job; Concilium Vaſenſe I. cap. 2; S. Eucherius hom. 3. de Epiph.; Sedulius in cap. 3. epiſt. 1. ad Corinth.; S. Cæſarius Arelat. hom. in cap. 3. cit. epiſt.; Victor Vitenſis lib. 2. de perſecut. vandal; Boetius lib. 4. de conſol. proſa 4; Concilium Valentinum cap. 4; Aurelianenſe II. cap. 15; Primaſius lib. 5. in Apocalyp. cap. 19; Martinus Bracarenſis de Græcorum Synodis cap. 69; S. Gregorius M. lib. 3. dialog. capp. 39, 50, & 55; & in pſal. pœnit. 1, & 3; S. Iſidorus Hiſp. lib. 1. offic. cap. 18; S. Eligius hom. 8. ad Clerum, & popul.; Theodorus Cantuar. in pœnitentiali; Concilium Toletanum XI. cap. 12; S. Julianus Toletanus lib. 2. prognoſtic. capp. 10, 19, & 22; V. Beda in pſal. 37; & in cap. 11. proverb.; S. Gregorius II. epiſt. 8. ad S. Bonifacium; Alcuinus de offic. Eccleſ. cap. 39; Carolus Magnus lib. 6. Capitul. cap. 195; Autpertus lib. 9. in Apocalyp. cap. 20; Haimo in pſal. 6; in 1. ad Corinth. capp. 3, & 6; & 28. Iſaiæ; Walafridus de rebus Eccleſiaſt. cap. 21; Druthmarus in cap. 34. Matth.; Amalarius lib. 3. de offic. Eccleſ. cap. 44; Concilium Cabilonenſe cap. 39; Rabbanus in cap. 14. Eccleſiaſtis; & 12. lib. 2. Machab.; S. Nicolaus I. ad conſulta Bulgar. capp. 88, & 100; Johannes VIII. epiſt. 204; Auctor altercat. cap. 11; Concilium Triburienſe an. 895. cap. 15; Regino Prumienſis in annalib. ad an. 888; & lib. 1. de diſciplina Eccleſ. cap. 190; Luitprandus lib. 4. cap. 7; Berno Augienſ. de offic. Miſſæ cap. 16; & in epiſt. ad Burchardum; S. Petrus Damianus ſerm. de S. Andrea; & de S. Nicolao; S. Gregorius VII. lib. 1. epiſt. 6; & lib. 5. epiſt. 10; S. Anſelmus Cantuar. in elucidario; Ivo Carnot. epiſt. 198; Sigebertus in Chron. ad an. 998; Hildebertus lib. de myſt. Miſſæ; Odo Cameracenſis in expoſit. canonis Miſſæ diſt. 4; Rupertus lib. 3. in Geneſ. cap. 32; Honorius Auguſtodun. in pſal. 6; V. Petrus Cluniac. epiſt. 1, & 2. contra Petrobruſianos; & lib. 1. de miraculis cap. 23; S. Bernardus ſerm. 66. in Cant.; & ſerm. de obitu S. Humberti; Hugo Victor. lib. 2. de Sacram. fidei part. 16. capp. 4, & 6; Richardus Victor. tract. de judicaria poteſtate; Magiſter ſent. in 4. diſt. 21; Hugo Etherianus de regreſſu animar. capp. 1, 13, & ſeqq.; Stephanus Eduenſis de Sacram. altaris cap. 18; Innocentius III. ſerm. 1. in feſto omn. Sanct.; & in pſal. 3. pœnit.; Honorius III. apud Gratianum de

celebr.

tera denique chriſtiana dogmata, quae eorumdem in ſummam veniunt, a quorum ego retexendo catalogo abſtineo, ne faſtidium lectori vel liberali præter modum inferam; ſiquidem modo recenſita

---

celebr. Miſſar. cap. *Quam Creatura*; Jacobus de Vitriaco lib. 2. vitæ B. Mariæ Ogniacenſis cap. 3; Alexander Alenſis, par. 4. q. 8. mem. 3. art. 5; & q. 15. mem. 4. art. 4; Albertus Magnus in cap. 1. Lucæ; Hugo Cardinalis in cap. 3. epiſt. 1. ad Corinth.; S. Thomas in 4. diſt. 21. q. 1. art. 1; lib. 4. contra gent. cap. 91; & in addit. 3. part. q. 71. art. 3; S. Bonaventura par. 7. Breviloquii cap. 2; Concilia Florentinum in decreto union.; Senonenſe, an. 1528. cap. 12; Moguntinum an. 1549. cap. 46; & Tridentinum ſeſſ. 6. can. 30; et ſeſſ. 25. in decr. de Purgatorio.

Accedunt Liturgiæ omnium Eccleſiarum, S. Jacobi Hieroſolymitanæ; S. Marci Alexandrinæ; S. Petri Romanæ; S. Matthæi Æthiopiæ; S. Baſilii Cappadociæ; S. Ambroſii Mediolanenſis; S. Baſilii Syræ; S. Chryſoſtomi Conſtantinopolitanæ; SS. Leandri, et Iſidori Mozarabicæ; Vulphilæ Gothicæ; S. Gregorii Illuminatoris Armenæ, aliarumque apud Aſſemanum, Renaudotium, Solerium, et Brunium, quas quidem præclaris illis nominibus ſubditicias eſſe cenſemus, venerandæ tamen antiquitatis notas præſeferre, ac priſcæ traditionis teſtes eſſe locupletiſſimas affirmamus. De quibus in diſſertationibus de re Sacramentaria. Confer acta SS. Perpetuæ, et ſociar. apud Ruinartium. Ad hæc uſus perennis, Eccleſiæque praxis pro defunctis preces fundendi ad Deum, ſuffragia, ac Miſſas offerendi, cujus teſtes locupletiſſimi ſuccurrunt Tertullianus lib. de coron. milit. capp. 3, et 4; et lib. de Monogamia; S. Cyprianus epiſt. 66; S. Ambroſius loc. ſupra laudatis; et S. Auguſtinus ſuperius commemoratus; ut propterea Calvinus lib. 3. inſtit. cap. 6. eum uſum non auſus negare, abuſum maluit appellare. Accedit uſus etiam olitanus celebrandi exequias, et mortuos ſepeliendi, quorum mentio occurrit apud S. Paulinum in Epiphetio ad Pammachium; S. Hieronymum in epiſt. ad Paulam de obitu Bleſillæ, et in vita S. Pauli Eremitæ; S. Auguſtinum lib. 9. Confeſſ. cap. 12; et de cura pro mortuis cap. 4; S. Chryſoſtomum hom. 33. in Matth.: et colligitur ex Conciliis Bracarenſi I. cap. 36; Triburienſi cap. 17; Moguntino cap. 52; et Meldenſi cap. 72; a quibus pro mortuorum ſepulturis cautum eſt. Adhæſiſſe doctrinæ huic de Purgatorio Hebræos cum veteres, tum recentiores oſtendit Jodocus Coccius lib. 7. Theſauri de pœnit. art. 5. Muhamedanos, ac Muhametum ipſum in Alcorano azoara 5, 17, 29, et 46. Ex Novatoribus imo nonnullos, Lutherum in diſput. habita Lypſiæ cum Echio; Melanchthonem in apolog. confeſſ. Auguſt. art. 22: alioſque, quibus adnumerat Vvicleffum dialog. lib. 2. cap. 22.; et Johannem Hus in tract. de Corp., et Sang. Dom. cap. 4; et in ſerm. de exequiis. Tournellius tract. de divin. attrib. q. 12. art. 2. Etiam Æthiopes olim, et nunc eidem doctrinæ de Purgatorio, imo de Indulgentiis adſtipulari referunt Damianus Goez in collect. hiſtoricor. Hiſpaniæ tom. 2, ubi eorum fidei profeſſionem exhibet; et Jobus Ludolphus in hiſt. Æthiopica lib. 3. cap. 11.

ſita frugi cuilibet ſufficere debeant, Traditione vel innotuiſſe, vel invaluiſſe adparet, inquam, adparet.

Quæ quum ita ſint quanti ponderis, quantique pendenda ſit SS. PP. traditio exploratum ſit, ut propterea qua Catholici, qua Hæretici quoque magno in pretio illam habendam putarint. Hærere hic tandem orationem meam oporteret, poſtquam diu, plurimumque extra præſtitutos fines progreſſa, ac pluſquam opus eſſet, vel prolegomeni ratio pateretur, fuit pervagata. Niſi quod lectorem liberalem rogare etiam, atque etiam liceat, ut pro ea, qua præſtat humanitate, ſiquidem hactenus diſputantem ſuſtinuit, quatenus non ægre admodum ferat, ſi nondum ab hacce diſputatione me reſilientem accipiat. De Traditione diſputans, fateor, nonnihil ab inſtituto meo digreſſus ſum; fas mihi tamen ſit factum id affirmare, non paginas implendi cupidine. At quam ob cauſſam, quove conſilio id tandem, inquies, factum? Feci ex neceſſitate, ut firmiter traditionis articulo loco ſuo ſtabilito, fidentiſſime, quod verſo argumentum, ex traditione ſuſceptum ſuperſtruerem: feci ex rationabili cauſſa, ut ducto per 24. dogmata catalogo commonſtrarem eidem doctrinæ Eccleſiam Romanam jugiter adhæſiſſe; in eademque doctrina Eccleſiæ univerſæ tradenda ſibi ſemper cohæſiſſe Patres: feci ex induſtria, ut collatis invicem teſtimoniis, tum quæ ad confirmanda præcipua fidei dogmata ex Patribus deſcripta ſunt, tum quæ ad comprobandas peculiariter Romani Pontificis divinas prærogativas ex Patribus pariter decerpi poſſunt, diſpiciat, dignoſcat, dijudicet quiſquis num ex æquo, non ſecus atque illi fidei articuli, ſic iſtæ de Pontifice aſſertiones inconcuſſæ veritatis nomine in traditionis cenſum venire queant. Permittas ergo præconceptum ſermonem penitus effundi: quod ſi ægre feras adhuc me affluere, hinc oculos, hinc manus averte, ad ea traiciens, quæ magis ad ſaporem faciant, magiſque ad argumentum conformentur.

Obſervo itaque 1. ſacram Scripturam tot tantiſque interpretationibus ſubjacere, ac pati imo invicem pugnantes, ut non niſi traditione duce germanum, genuinumque ipſius detur aſſequi ſenſum. Ita namque circa ipſius intelligentiam cum a veteribus, tum a recentibus Heterodoxis in diverſas ſæpiſſime itum eſt ſententias; ac

ac verius, ab utrisque erratum, ut ex hoc uno intelligere deberent, ac revera nonnulli intellexerint, Traditionis ad S. Scripturarum studium, & ad earum sensum obtinendum opus esse subsidio. Ita vero jure ac merito Ecclesia in Concilio Tridentino Scripturæ sacræ religioni cautum, consultumque jussit, ut in ipsius interpretatione præcipue, ac præ omnibus præ oculis Patrum traditio haberetur: quandoquidem ipsi Patres scripturas ipsas ex traditione potius, quam ex sententia interpretati; fidei dogmata item traditione magis, quam scriptura tutati sunt; hæreses, magis quam ex scripturæ, ex traditionis penu decerptis armis confoderunt, debellaruntque. Ita factitatum a S. Irenæo contra Gnosticos, Valentinianos &c; a Tertulliano contra Marcionem; a S. Hieronymo contra Jovinianum, Elvidium, Vigilantium &c; a S. Augustino contra Pelagium, Cælestium, Julianum &c., ut ex lib. 1. contra ipsum Julianum perspicuum fit, quo loci testimonia promit SS. Cypriani, Hilarii, Ambrosii, Chrysostomi, Rheticii, Olympii, & Hieronymi. Ita, ne longior sim, traditione adversus hæreticos dimicandum Epiphanius, Philastrius, Theodoretus, Vincentius Lirinensis &c. nos docent, qui traditione præsertim hæreses cunctas oppugnarunt, profligarunt, prostraverunt. Qui propterea in sacrarum Scripturarum studio parvi, aut minoris, quam par sit, Patrum sententias pendit, semper pessime audivit; eaque de re jure optimo, quod officio erga Patres eo in studiorum genere peccarint, vapulant Cajetanus a Cano; Simonius a Bossuetio, imo a Spanhemio; Erasmus ab Auctore lectionis Patrum; Launojus a Thierrio; Thierrius ipse, Launojus, Dupinus, Baillettus a Mabillonio, Petitdidierio, Bollando, Honorato a S. Maria &c.

Observo 2. Novatores Patrum traditione oppressos consentire nobiscum de plerisque fidei dogmatibus; profiteri se imo, ac religioni ducere traditis a sex priorum sæculorum Patribus se probe adquiescere: nolle se vero Junioribus morem gerere, ut qui Scripturam sacram, traditionemque germanam adulterarint. Ea de re veteres imitati, quibus insolens non erat Sanctorum, ac Majorum auctoritate se, & errores suos obtegere, defendere, & excusare, conquisitis undique ex SS. Patribus testimoniis,

iiſque coacervatis in arenam deſcendere, iiſque armis decertare. Ita enim, ut nonnulla exempla exhibeam, Crellius, & Volchellius Sociniani nedum ex S. Scriptura, ſed ex Traditione Patrum, ſcilicet Clementis Alex., Origenis, Tertulliani, S. Baſilii, S. Hilarii, S. Gregorii Nazianz., aliorumque Filii, & Spiritus S. Divinitatem impetiverunt, & impugnarunt: qui tamen dignis vapulant a Tournellio, & Berti, aliiſque in tract. de Trinitate. Ita de Eccleſiæ dogmatibus pugnantes traditione inter ſe ſe hæretici affirmant hi, negant illi. Purgatorii doctrinam ſcripturæ, & traditioni innixi ultro citroque amplexi ſunt Wicleffus, & Hus; at contra eam debacchantur Calvini, & Lutheri Symmiſtæ non modo ſcriptura decertantes more Andabatarum, ſed traditione; ſcilicet teſtimoniis S. Cypriani epiſt. ad Demetrian.; S. Cyrilli catech. 18; S. Chryſoſtomi in pſal. 50; S. Ambroſii in 22. Lucæ; S. Auguſtini Enchirid. cap. 68, & de Civit. lib. 21. cap. 26; & S. Gregorii Nazianz. orat. 15: quos tamen refutant, & refellunt poſt Bellarminum Tournellius tract. de divin. attrib. q. 12. art. 2, ubi de Purgatorio; Cardinalis Gotti tom. 2. p. 1. art. 10, & alii. Ita peccatum Originale negabant Pelagiani teſtimonio quoque Patrum innixi, uti S. Chryſoſtomi Julianus apud S. Auguſtinum lib. 1. adverſ. ipſum; & pernegant Sociniani, Coccus, & Hottingerus auctoritate ſuffulti Clementis Alex. lib. 3. ſtrom.; Tertulliani lib. de baptiſmo cap. 18; & de anima cap. 39; Origenis lib. 5. in epiſt. ad Rom., qua abuti apertiſſime oſtendunt ex noſtris Natalis Alex. hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. V. diſſert. 21; Tournellius tract. de peccatis cap. 1; & Berti de Theolog. diſcipl. lib. 13. cap. 1. Ex Heterodoxis vero, qui contra pro peccato Originali pugnant, Gerardus Voſſius plura ex Patribus teſtimonia congerens, præſertim ex S. Irenæo lib. 3. cap. 20; lib. 4. cap. 5; & lib. 5. capp. 14, 17, 19, & 21; nec non ex Patribus laudatis a S. Auguſtino lib. 1. contra Julianum. Ita liberum hominis arbitrium poſt lapſum fatiſciviſſe effutierunt olim Manichæi, dein Novatores; ac nunc Janſeniſtæ effutire pergunt, ducti, ut inquiunt, præſertim non modo S. Scripturæ Jer. 10, 23; Johannis 6, 44; Johan. 8, 34; Johann. 15, 5; & 2. ad Timoth. 2, 26. teſtimoniis, quibus abutuntur; ſed imo in ſui erroris patrocinium advocantes S. Auguſtinum Enchiridii cap.

cap. 30.; lib. 14. de Civit. cap. 11; epiſt. 154; lib. 1. Retract. cap. 15; lib. 1. oper. imperfecti cap. 15; & lib. 3. de lib. arbitr. cap. 18. quem tamen ab impacto temere errore egregie vindicant doctiſs. Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. III. diſſert. 26; Tournellius tract. de Deo q. unica; Cardinalis Gotti de vera Chriſti Eccleſia tom. 2. p. 1. art. 7. §. 5, 6, & 8; ac Berti de Theol. diſcipl. lib. 16. cap. 3. Ita adverſus Gratiæ divinæ neceſſitatem poſt Pelagianos, Semipelagianoſque refricant Janſeniſtæ non ſolum ſacræ Scripturæ loca Lucæ 11; & Rom. 2, 7, & 8; ſed etiam S. Auguſtinum erroris participem agere lib. de ſpiritu, & litt. cap. 27, & epiſt. 130 non verentur; eidem ſuperaddentes Clementem Alex.; nec non SS. Juſtinum, Irenæum, Hilarium, Chryſoſtomum, & Optatum. Verum digna pro inverecunda temeritate recipiunt a Natali hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. V. diſſert. 22. art. 2, Tournellio de Gratia; Berti lib. 15. cap. 4; Card. Gotti tom. 2. p. 1. art. 7; Thomaſſino de Gratia, aliiſque de ſchola Theologis.

Quid quod Iconomachos imitati Novatores, præſertim Dallæus in SS. Imagines bacchantium more, & inſania, inſurrexerunt ex ſacra Scriptura non modo, ſed ex SS. Patribus quinque priorum ſæculorum conflatis textibus, atque ex poſterioribus ex S. Gregorio Magno, Pattibus Conciliorum Francofordienſis, & Pariſienſis, Hincmaro, Agobardo, Jona Aurelianenſi, Dungallo, & Walafrido? Quos tamen omnes toto oſtio ab eo errore fuiſſe extorres oſtendunt Natalis ad ſæcul. IV. diſſert. 6; Tournellius de Incarn. q. ultima; Cardinalis Gotti p. 2. art. 15, & 16. §. 10, & ſeqq.; Bellarminus, Beccanus, aliique veteres, recenteſque controverſiarum tractatores. Ita Sanctorum cultum, & invocationem non ſecus, ac olim Vigilantius, ſic dein Dallæus inter Calviniſtas præcipue pugnaciter ivit inficias accerſitis ex SS. Irenæo, & Cypriano; Clemente Alex, Origene, & Tertulliano; S. Gregorio Nazianz., & Ambroſiaſtro, ſive Hilario Sardo teſtimoniis: quibus tamen illum impudentiſſime abuti demonſtrant apertiſſime Natalis ad ſæcul. V. diſſert. 25.; Tournellius de Incarn. q. ultima; P. Hieronymus a S. Auguſtino de Eccleſia Militante controverſia 5. diſſert. 5; & Card. Gotti tom. 2. de vera Chriſti Eccleſia par. 2. art. 14. Ita ſola fide juſtificari hominem, & ſalvari

ſine operibus bonis contendunt Calviniſtæ, & Lutherani; præſertim Jenenſes pſeudo-Theologi, Flaccus, Hinchelmannus, Forbeſius, & Voſſius in pugnam pro ſuis partibus accerſentes Patres SS. Hilarium, Baſilium, Auguſtinum, & Bernardum: ſed eorum temeritatem retundit doctiſs. Berti de Theolog. diſcipl. lib. 19. cap. 7. Vide & Bellarminum, Beccanum, Valentiam, Valemburgios, Gravinam, & Card. Gotti tom. 2. p. 1. art. 8, & 9. Ita Indulgentias irridendas propinant, & poſt Tertullianum negantem dandam veniam Mœchis, & Novatianum negantem dandam eamdem homicidis, & Idololatris; poſtque Wicleffum, & Hus affirmantes inutiles, vanaſque indulgentias, eaſdem affirmavit pro vivis, & defunctis inutiles Johannes Weſſelus apud Lupum; inutiles pro defunctis Johannes Epiſcopus Chiemenſis in libro inſcripto *Onus Eccleſiæ* apud Euſebium Amort. hiſt. indulg. p. 2. ſect. 1; & probare errorem ſuum enituntur, prior quidem auctoritate SS. Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, aliorumque Patrum, apud quos ne vola quidem de Indulgentiis; poſterior vero auctoritate SS. Gregorii, Auguſtini, Hieronymi, & Chryſoſtomi perpetuo docentium peccatores debere præterita delicta, quibus Deum offenderunt, pœnitentia diluere, & delere, atque pro gravitate criminum pœnitentiam agendam prædicantium. Vapulant ii vero, meritoque a PP. Chriſtiano Lupo p. 5. diſſert. de Indulg.; & Euſebio Amort loco citato. Ita Monachorum inſtitutum ex traditione improbare non puduit Chamierum, Spanhemium, Piceninum, alioſque e grege Proteſtantium impudentiſſimos homines, qui auſi ſunt in ſui erroris turpiſſimam defenſionem advocare S. Athanaſium in epiſt. ad Dracontium; S. Ambroſium in exhort. ad Virg.; S. Hieronymum in epiſt. ad Demetriadem; S. Iſidorum Hiſpal. in Synonimis lib. 2. cap. de mendacio; S. Bernardum ſerm. 66. in Cant.; Patres præterea Concilii Nicæni I. can. 3; Nicæni II. can. 18; Gangrenſis can. 4, & 17; & Illiberitani apud Gratianum 22. q. 4. can. *Definitio*. Sed pro meritis caſtigantur a Card. Gotti de vera Chriſti Eccleſia tom. 2. p. 1. art. 5; Bellarmino, Hellioto, Semerio, aliiſque Monachorum Vindicibus. Ita jejunia Eccleſiaſtica, ne dum cum Monraniſtis confundere Calviniſtæ apud Dallæum contendunt, ſed ex Scriptura 1. Corinth. 10; 2. Col-

Colloſs.; 1. Timoth. 4., & Matth. 15; ſed etiam ex traditione Majorum S. Auguſtini, Juliani Pomerii, S. Iſidori Hiſpal., Theodoreti, Euſebii Cæſare., Sozomeni, S. Epiphanii, Socratis, S. Leonis, S. Chryſoſtomi, S. Gregorii Turon., Victoris Antioch., Caſſiani &c. damnanda conclamant. Eorum cavillationes, calumniaſque exceperunt, ac penitus profligarunt Thomaſſinus in tract. de jejun.; Natalis ad ſæcul. II. diſſert. 4; Gotti tom. 2. pag. 1. art. 6. §. 5, aliique de ſchola Theologi.

Quid plura Sacramentum pœnitentiæ impugnare Patrum teſtimoniis adorſus eſt Dallæus, nihil non auſus pro ſua audacia, præſertim SS. Gregorii Niſſeni, Chryſoſtomi, Hilarii, Baſilii, Ambroſii, Auguſtini, Maximi Taurinen., Caſſiani, Juliani Pomerii, Bedæ, & Marci Eremitæ: pœnas tamen temeritatis dedit Morino, Juvenino, Natali ad ſæculum XIII, & XIV., Boilleau tract. hiſt. de pœnit.; & Tournellio de pœnitentia q. 6. Ita contra Chriſti Domini præſentiam in Euchariſtia repugnantibus, eamdemque propugnantibus Rochyſana de Sacram. cap. 12; Wicleffo 4. dialogor. cap. 7; Luthero ad cap. 47. Geneſ., ſerm. de præparat. ad mortem; ſerm. de triplici juſtitia; & contra Articulos Lovanienſium; Brentio in apolog. confeſſ. Wirtemberg.; Kirchnero in theſauro fol. 586; Eraſmo lib. adverſus Leopoldi librum inſcriptum: *Eraſmi, & Lutheri opiniones de Cœna Domini*; & lib. 19. epiſtolar. epiſt. ad Pellicanum; Salomone Glaſſio lib. 2. tract. 2. ſectione 1. articulo 2; Hornejo in compend. Theolog. pag. 408; Grabbio in adnot. ad cap. 2. lib. 5. S. Irenæi adverſus hæreſes; Sculting o in confeſſione Hieronymiana, aliiſque Lutheranis; blaterant, pugnant, bacchantur, Albertinus, Blondellus, Larroquius, Salmaſius, Allixius, Clericus, aliique Calviniſtæ, aut nullius religionis homines invicem contendentes de ſcripturæ ſenſu, atque in ſui erroris patrocinium audaciſſime producentes SS. Gelaſium, Juſtinum, Irenæum, Cyprianum, Origenem, Tertullianum, Euſebium, Hilarium, Epiphanium, Chryſoſtomum præcipue; Auguſtinum præſertim, Ambroſium, Hieronymum, Cyrillum Alex., Heſychium Hieroſol., Facundum Hermianenſem &c., ut vix ſit reliquus, cui erroris ſui perſonam non impoſuerint: quos tamen pro meritis plurimis caſtigant Bellar-

larminus, Perronius, Coeffetellus, Arnaldus, Renaudotius, Jacobus Boileau in diſquiſit. de Sang Chriſti poſt reſurrect.; Natalis ad ſæcul. XI, & XII. diſſert. 12; Boſſuetius in hiſt. variat., & lib. de Communione; Tournellius de Euchar. q. 2. art. 4; & Gotti de vera Chriſti Eccleſia tom. 2. p. 2. art. 12. Ita dogmata tranſubſtantiationis, Sacrificii miſſæ, & Communionis ſub una tantum ſpecie non alio ferme argumento impetunt, & impugnant Lutherani, & Calviniſtæ, niſi quod novitia ſint dogmata; quod nullibi tradita ante Innocentium III. a Patribus antiquis legantur: atque quidem dogma tranſubſtantiationis Cyrilli, Auguſtini, Euſebii Cæſareenſis, Theodoreti, Theophylacti auctoritati adverſari Simplicius Verinus (is eſt Salmaſius) obgarrit. Quid ſimiliter adverſus idem dogma pro ſua impudentia Johannes Tillotſon non obtrudit? Quibus tamen os obſtruunt Theologi noſtrates, quos ad calcem dogm. 7. cum laude commemoravimus. Ita Blondellus in apologia pro ſententia, ut falſo putat, Hieronymi de primitiva Epiſcopi, & Presbyteri æqualitate, in qua ſectatorem habuit Grotium de imper. ſumm. poteſt. cap. 11., Epiſcopo Presbyterum æqualem contendit traditione veterum Clementis, Hermæ, Juſtini, Papiæ, Irenæi &c. Vapulat vero a clariſs. Mamachio orig., & antiq. chriſt. lib. 4. cap. 4. §. 2; a doctiſs. Blanco de poteſt., & polit. Eccleſ. tom. 3. lib. 1. cap. 2; & Chardono hiſt. Sacram. tom. 3. lib. 2. capp. 1, & ſeqq. Confer Petavium, & Hallierium de Eccleſ. hierarchia.

Obſervo 3. Acatholicorum multos ſanioris mentis Religionis chriſtianæ dogmata nonnulla defendiſſe ex Traditione non modo, ſed ſacræ imo Traditionis doctrinam a ſuorum calumniis diſerte vindicaſſe, ac defendiſſe. Ea de re Johannem Clericum iniquiſſimum, ſi quis alius, erga Patres, ac præſertim S. Auguſtinum, plurimis acerbe excepit Caveus in diſſert. de Euſebii Arianiſmo. Et ſane quis æquanimiter ferat hominis profligatiſſimi impudentiam, qui eó proceſſit, ut commiſeratione dignos diceret SS. Juſtinum, & Irenæum, ſi Grotio, & Hammondo comparentur; alioſque ita contemneret, ut quiſque recti, verique æſtimator Clericum inſaniiſſe potius, quam cogitaſſe facile dixerit? Petrus Molinæus Patribus inſenſiſſimus, qui eó impudentiæ devenit, ut S. Cy-

S. Cyprianum Anabaptiſtis adnumeraret, acerrimæ calumniæ reprehenſionem meruit a Salmaſio, Caſaubono, & Johanne Fello, qui præfatione in opera S. Cypriani ab ſe adornata erga Patres, ac præſertim S. Cyprianum maxima ſe ferri reverentia profitetur. Dallæus, qui furentium more, aut phreneticorum Patres inſectatus eſt, ab Anglicanis Epiſcopalibus præſertim, Presbyterianis paullo æquioribus, pro meritis caſtigatus eſt; ac præ aliis a Scrivenero in apologia Patrum adverſus ipſum adornata plurimis vapulat. Rivetum, alterum plane nebulonem Patribus infeſtum, graviſſime increpat ea de re Grotius in animadverſionibus adverſus eumdem Rivetum, & in diſcuſſione Apologetici; qui perinde in annotatis ad conſultationem Caſſandri pro communione ſub utraque ſpecie S. Scripturas facile in contrarium ſenſum detorqueri Patrum traditione neglecta affirmat; Proteſtanteſque arguit, quod in ſcripturis enucleandis traditionem rejiciant. *Unde*, inquit, *tot & tam gravia inter ipſos diſſidia, & quotidiana divortia*: Catholicos laudat, quod ſcripturas ſacras ad amuſſim traditionis interpretentur, atque ita ſubdit, *Stat omne verbum in duobus teſtibus; in ſcriptura, & in traditione, quæ mutuo faeem ſibi allucent*. Iſaaccus Pereyrus ſuum Præadamitarum ſyſtema, una cum ſecta Calvini ejuravit traditione SS. Patrum impulſus, ac permotus, ut ipſemet teſtatur in epiſtola anno 1657. ad Philotimum inſcripta, ac in libello ſupplici, quem Alexandro VII. Pontifici Maximo porrexit, ad calcem præfatæ epiſtolæ adnexo, quo inter alia ſic fatur: *Fateor coram ſanctitate veſtra, tanquam coram Deo, cujus imaginem ſanctitas veſtra gerit in Eccleſia Dei, me non latuiſſe hypotheſim, quæ mihi venit in mentem de primis hominibus ante Adamum conditis, diverſam penitus abiiſſe ab opinione SS. Patrum, nec non aberraviſſe a toto Orthodoxorum canone Conciliorum, tamquam doctrinæ Chriſtianæ fabricam de homine lapſo, & redempto fundatam fuiſſe a Patribus Concilii ſuper hypotheſim de Adamo primo omnium hominum formato, a quo deinceps totum genus humanum derivatum, ac propagatum eſſet.* Jacobus Uſſerius, imo ipſemet Andreas Rivetus apud Natalem, ſeu Bonaventuram Argonenſem de vera methodo legendi Patres cap. 2, in eosjure invehuntur, qui priſcis Patribus ſuccenſent, ac injuriis illos afficiunt. Ex

Ex traditione, cui ipſe ſubſcribit, S. Petro innotuiſſe Angelorum lapſum ſcribit in ipſius D. Petri epiſt. 2. Thomas Smith. Ex traditione, cui ea in re conſentit, Judæis Trinitatis myſterium innotuiſſe aſſerit in hiſt. Judæor. Jacobus Baſnagius. Ex traditione S. Paulum edoctum de Johannis, & Mambris Magorum Pharaonis nomine affirmant Druſius, & Grotius. Ex traditione, cui ea in re aſſentitur, ſacræ Scripturæ libros in Eccleſia recipi fatetur Jacobus Piceninus. Univerſim SS. Patribus deferendum fore, & Traditiones Majorum non parvi pendendas veritate aliquando edocti faſſi ſunt Heterodoxi. Lutherus in epiſt. ad Marchionem Brandeburgenſem diu, multumque hæſit antequam Patrum auctoritatem exploderet, atque horrendum quidem, ac periculoſum principio affirmabat aliquid æquis auribus accipere, quod univerſæ majorum doctrinæ adverſaretur. Calvinus apud Frontonem Ducæum in *Antitheſeon Auguſtini, & Calvini*, quidquid ſciret, doceretque, illud Eccleſiæ Patribus, præſertim Auguſtino, (ſicut poſtea præſtitit Janſenius), acceptum retulit: ſicubi vero a Græcis Patribus receſſit, aut eos etiam repulit, iccirco ſe facere dixit, ut iis Latinos ſufficeret. Ita jam olim Ariani, (quorum calumniam recoquunt nunc Sociniani, quodque mirari adhuc magis ſubit, Socinianis obloquendi occaſionem præbuit doctiſs. Petavius lib. de Trinit. plurimam operam conferens, ut planum faceret ante-Nicænos Patres ab Arianis, aut re, aut loquendi modo multum non abluſiſſe), Ariani, inquam, ante-Nicænos Patres ſui erroris participes agebant, quos tamen vindicat vel Bullus Anglus Presbyter. Idem Calvinus contra Albertum Pighium de libero arbitrio non difficulter ſe cum Pighio in ea de traditionibus contentione conſentire profitetur, ſi modo Eccleſiæ traditionem ex certo, & perpetuo Sanctorum, & Orthodoxorum conſenſu demonſtraret. Philippus Melanchon in epiſt. ad Fridericum Myconium *Neque vero*, inquit, *tutum eſt a communi ſententia veteris Eccleſiæ diſcedere*: & in epiſt. ad Johannem Cratonem gemina habet obſequii erga Eccleſiæ Patres, ſpeciatim vero erga Irenæum, Tertullianum, & Auguſtinum, quos Magiſtrorum, Ducumque loco haberi vult, refertiſſima. Brentius apud Lindanum lib. 1. panopl. capp. 3, & 4. de traditione identitatis

Scri-

5. Scripturæ differens, *Hanc Traditionem*, inquit, *affirmamus certam, firmam, & indubitatam, imo neceſſariam, & omnibus modis amplectendam.* Idem concedunt Chamierus lib. 3. cap. 3; Zanchius theſ. 13; & Kemnitius apud eumdem Lindanum lib. 1. cap. 13. laudans illud Apoſtoli: *Tenete Traditiones*. Marloratus in 2. ad Theſſalon. cap. 2. *Agnoſcimus nos*, ait, *Traditiones Apoſtolicas, non minus recipiendas eſſe, quam ſcriptas epiſtolas.*

Obſervo 40. Hæreticos, qui ſuo in luto hærere maluerunt, erroribuſque pertinaciter adhærere, quibus ſemel imbuti fuerant, traditionibus fuiſſe infenſiſſimos. Fuerunt ii vero ex antiquis Baſilidiani, Gnoſtici, Cerinthiani, Valentiniani, & Marcionitæ apud S. Irenæum lib. 3. cap. 2, & Tertullianum lib. de præſcript., a quibus refutati ſunt. Deinde Donatiſtæ apud S. Auguſtinum de unitate Eccleſiæ cap. 9, & S. Optatum Milevit. lib. adverſ. Parmen., a quibus ſunt repulſi. Ariani teſtimonio S. Hilarii lib. contra Conſtant.; S. Epiphanii hær. 69, & 73, & S. Auguſtini lib. adverſ. Maximinum, a quibus proſtrati ſunt. Macedoniani, & Eunomiani, ut liquet ex S. Baſilio lib. de Spiritu S. cap. 27, qui illos exagitavit. Aeriani, ut liquet ex S. Epiphanio hær. 75, qui ipſos exſufflavit. Eutychiani, ut conſtat ex act. 1. Concilii Chalcedonenſis. Neſtoriani, ut adparet ex Concilio Epheſino, atque ex Baſilio Ancyrano in confeſs. cathol., quæ extat act. 1. Synodi VII. Pelagiani apud S. Auguſtinum lib. de nat., & grat. cap. 39, qui illos penitus profligavit. Apoſtolici ſæculo XII. teſte S. Bernardo ſerm. 66. in Cant.; Wicleffiſtæ ſæculo XIV. teſte Thoma Waldenſi lib. de doctrina fidei cap. 19. Lutherani, & Calviniſtæ ſæculo XVI; atque ex hiſce peſtibus præcipui Traditionibus bellum indixere, atque in Patres debacchati ſunt Kemnitius, Dallæus, Georgius Calliſtus, Claudius Salmaſius, Andreas Rivetus, Samuel Baſnagius, Johannes Clericus, Johannes Barbeyracius &c., contra quos acie inſtructa proceſſerunt, pugnarunt, ac proſtraverunt Kemnitium quidem Guillelmus Lindanus in libr. ſtrom.; Dallæum Nicolaus l' Herminier tom. 8; Rivetum Natalis ad ſæcul. II. diſſert. 16; Barbeyracium Ceillierius; Baſnagium Bachinius in epiſtolis polemicis; alioſque alii, de quibus paullo poſt. Iſaacius Beauſobrius in ſua defenſ.

doctr. Reformat. quó audaciæ non proceſſit, homo ad audendum projectus? Parum habuit Patrum textus detruncare, qui nihil conferrent ſuo ſyſtemati quam imprudenter excogitato, tam impudenter ibidem exagitato de perenni in Eccleſia Proteſtanti ſucceſſione, quod invicto Catholicorum argumento ex perpetua in Eccleſia Romana Pontificum ſucceſſione deducto opponere volebat, parum id, inquam, habuit homo pro quodlibet audendi libidine, niſi frequens putidiſſimi mendacii Patres vir effrenis, ingeniique efferati coargueret. Non id vero mirum de viro, qui poſt Thomam Hydde,& Petrum Bayle ſpecioſo ſub ſymboli nomine Manichæiſmum inſtaurare non erubuit. Eum tamen dignis excepit doctiſs. Cacciari in ſua accuratiſſima Manichæiſmi hiſtoria præfixa tom. 1. novæ edit. oper. S.Leonis Magni. Aliud conſilium inivit Thomas Jameſius,ut ſuadere potius eniteretur Patrum textus paſſim in editionibus inique fuiſſe interpolatos. Verum expeditius Proteſtantium alii profligatiſſimi exiſtimarunt Patrum textus interpolare potius, quam interpolatos cauſsari: atque ita ab illis frequens factum,a Calviniſtis quidem adverſus Mornæum Dupleſſium oſtendit David Perronius;a Lutheranis autem in libro inſcripto *Papatus Acatholicus* adverſus Jacobum Hailbronerum demonſtravit Jacobus Cellarius. Adverſa denique fronte Proteſtantes alii, qui tam impie, quam impudenter contra Patres pugnant, cedo,quibus nam pugnant argumentis? Pugnant præcipue Scripturæ ſacræ, nec non ejuſdem traditionis teſtimoniis, de quibus impræſentiarum nihil dicam, quum abunde hiſce ſatisfecerint Scholaſtici noſtrates mox laudandi.

Pugnant 1. igitur Traditioni contraria ab Eccleſia Romana doceri, & credi. Ita enim B Virginem omni vel leviſſima culpa, quæ propria actione, & voluntate committitur, omnino caruiſse Eccleſia docet,& definivit in Concilio Tridentino ſeſs. 6. can. 23. Oppoſitum tamen tradiderunt, aliquodque in veniale peccatum incurriſse Deiparam aſſeruerunt S. Irenæus lib. 3. cap. 18, nunc 16; Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. 7; & lib. 4. contra Marc. cap. 19; Origenes hom. 1. in Geneſ.; & 17. in Luc.; Ammonius in Evang. Johan.; S.Cyprianus ſerm. de paſſion. Dom.; S. Athanaſius orat. 4. contra Arianos; S. Gregorius Niſſenus orat.

orat. in illud 1. Corinth. 15, 28. *Quando ſibi ſubjecerit omnia*; S. Chryſoſtomus hom. 4. in Matth.; 20. in Johann., & in pſal. 63. V. Beda hom. ſuper *Miſſus eſt*; Theophylactus, & Euthymius in 1. Lucæ. Eamdem B. Virginem abſque peccato originali conceptam fuiſſe ſententia eſt in Eccleſia jam obtinens, quam piam vocant Pontifices, juxta quam Eccleſia feſtum diem in ejuſdem honorem celebrat, cuique favet Tridentina Synodus ſeſs. 5. Econtra tamen, ajunt Eraſmus, & Rivetus lib. de Patrum auctoritate poſt Kemnitium in exam. Concil. Trid. ſeſſ. 5, B. Virginem peccato Originali fuiſſe obnoxiam, eoque inquinatam affirmant S. Irenæus apud S. Auguſtinum lib. 1. contra Julian.; S. Cyprianus in epiſt. de baptizandis parvulis; S. Olympius Epiſcopus Hiſpanus; S. Gregorius Niſſenus lib. contra Novatianos; S. Baſilius lib. contra Manichæos; S. Chryſoſtomus hom. ad Olympiam; S. Hilarius lib. de Trinit.; S. Ambroſius in Iſaiam; lib. de Noe, & arca, & in pſalm. 118, quorum loca profert S. Auguſtinus lib. 1, & 2. contra Julian.; S. Hieronymus lib. 2. contra Pelagium, & in epiſtolis ad Laurentium, & ad Dulcitium; S. Auguſtinus lib. 1. de nupt., & concup. cap. 12; lib. 2. contra Julianum cap. 9, epiſt. 57, & alibi; S. Fulgentius lib. de Incarn. cap. 6; S. Remigius in pſal. 21; S. Maximus ſerm. de aſſumpt.; S. Iſidorus Hiſpal. lib. 1. ſententiar. capp. 12, & 14; V. Beda in 1. Lucæ, & ſuper *Miſſus eſt*; S. Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo* capp. 15, & 16.; S. Bernardus epiſt. ad Canon. Lugdunenſ., & alii.

Quid quod Angelos incorporeos eſſe Eccleſia docet, definivitque in Concilio Lateranenſi IV. cap. *Firmiter de ſumma Trinitate*? Angelos nihilominus non eſſe corpore omnino expertes perhibuere Græci Patres, & Latini apud Suarez lib. 1. de Angelis cap. 6; Vaſquez, alioſque, e quibus S. Juſtinus in dialogo cum Tryphone; Athenagoras in apolog.; Origenes lib. 1. de princip. cap. 6, lib. 2. cap. 8, aliiſque in locis; Clemens Alex. lib. 8. ſtrom.; Tertullianus lib. de cultu fœmin. cap. 10; Lactantius lib. 2. Inſtit. cap. 14, qui Angelos mulieribus commiſtos affirmarunt: S. Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 16; S. Cyrillus Alex. lib. 9. in Johann.; S. Macarius hom. 4; S. Auguſtinus lib. 21. de Civit. cap. 10; Johannes Theſſalon. act. 5. Concilii Nicæni II; S. Bernardus lib. 5.

de conſid. cap. 4; qui Angelos corporibus aereis præditos putarunt: S. Hilarius in cap. 5. Matth.; Caſſianus collat. 7. cap. 13; S. Gregorius Nazianz. lib. 2. de Theolog.; S. Fulgentius lib. de Trinitate; & S. Gregorius lib. 2. moral. cap. 12, qui omne creatum eſſe corporeum docuerunt. Ita ante Mundi exitum nullum futurum millenarium Chriſti, & Sanctorum in terris regnum credit, & docet Eccleſia, quod tamen futurum ex adverſo olim docuere S. Papias apud Euſebium lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 32; S. Juſtinus in dialogo cum Tryph.; S. Irenæus lib. 5. cap. 32; Tertullianus lib. de ſpe fidelium apud S. Hieronymum in cap. 36. Ezech.; & lib. 3. adverſ. Marcion. cap. 24; S. Victorinus Pitabionenſis apud S. Hieronymum de ſcriptor. Eccleſ.; Lactantius lib. 7. inſtit. capp. 24, & 26; & Severus Sulpitius in dialogo, cui titulus *Gallio*, apud eumdem S. Hieronymum.

Pugnant 2. Traditionem ex SS. Patribus difficillime, quin imo nullo modo hauriri poſſe; quandoquidem ipſorum libri perierunt; vel ipſis alii ſuppoſiti ſunt; vel ex conſcriptis ab ipſis, vix certi aliquid dogmatis exculpi poteſt; vel in eodem dogmate adſtruendo vix inter ſe, ac ſibimet Patres in libris conſtant, & cohærent. Porro tribus primis Eccleſiæ ſæculis, (ita enim oblatrat Dallæus lib. 1. de vero Patrum uſu,) pauci fuerunt, qui libris conſcribendis operam dederint, eorum vero, qui dederunt, pauca admodum ad nos pervenere; ſive temporis nulli parcentis injuria; ſive hæreticorum omnia pervadentium malitia pars major intercidit, quorum vix nomina ſuperſunt, opera vero periere: ita S. Papiæ quinque libri; Quadrati, & Ariſtidis apologiæ; Caſtoris Agrippæ opus contra 24. libros Baſilidis hæretici; Hegeſippi 5. libri; Melitonis Sardenſis; Dionyſii Corinthii; Apollinaris Hierapolitani opera; Pinyti Cretenſis epiſtola; Philippi, Muſani, Modeſti, Panthæni, Rodonis, Miltiadis, Apollonii, Serapionis, Bachylli, Polycratis, Hippolyti, Julii Africani, Dionyſii Alexandrini, aliorumque. Item Patribus pleraque ſuppoſita fuiſſe exemplo ſunt Liturgiæ nominibus ſacris SS. Petri, Jacobi, Matthæi, Johannis, Marci, Clementis &c. inſcriptæ. Decretales etiam Romanis Pontificibus ante S. Siricium adſertæ, atque ab Iſidoro Mercatore conſarcinatæ.

Quid

Quid plura? Patrum, & Pontificum libros, Conciliorum canones, Scripturæ imo ſacræ textus innumeris interpolationibus fuiſſe fœdatos exploratum eſt, ut ſingula recenſere ſupervacaneum ſit. Præterea non facile patere, intelligentiaque aſſequi poſſe ſcripta Patrum, cujus rei multiplex ratio eſt, & cauſſa: tum quod linguis, idiotiſmis, dialectiſque diverſis uſi ſint; unde difficiles, ſpinoſæ, ac diverſæ admodum occurrunt locutiones: tum quod quoties Ethnicis, & Catechumenis coram de myſteriis, ac Religionis dogmatibus agerent, diſciplinæ arcani ſtudentes, obſcure loqui, ac locutiones obtegere metaphoris, allegoriis, figuriſque affectarent: tum quod nondum ea tempeſtate motis de verborum ſignificatione in rebus religionis controverſiis, quæ poſt ab Sabellio, Ario, Macedonio, Neſtorio, Eutychete, Pelagio, &c. excitatæ ſunt, vel de illis obſcure admodum loquerentur, vel admodum libere. Etſi vero daretur Patrum ſenſum, & locutiones facile aſſequi nos poſſe, parum id operi præſtare: nam de innumeris, qui nunc in Eccleſia adſtruuntur, articulis, de uno, aut altero vix diſſeruerunt priſci Patres: de quibus vero diſſeruere, ſatis nec ſignificant an eadem articulis deputanda; an preciſe inter privatorum opiniones adnumeranda ſint.

Pugnant 3. Traditioni Patrum fidere periculi rem plenam eſſe: nam ut fidere poſſimus, duo ſaltem explorata eſſe deberent; eos cum ſui temporis Eccleſia ſenſiſſe; eoſdemque ſemper in vera, rectaque ſententia manſiſſe: utrumque vero horum admodum ambiguum, imo a veritate abhorrens. Principio enim ſicuti Patrum, ſic et Eccleſiarum variæ opiniones. Ita enim libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, Judith, & Tobiæ in ſacræ Scripturæ canone Laodicena Synodus ſuppreſſit; e contra in canonem retulit Concilium Carthaginenſe III; unde de iis libris aliud Syri, aliud Africani ſentiebant. Eſt & aliud, de quo a Latinis Syri diſſentiebant, nempe de Apocalypſi, Epiſtolis 1, & 2. S. Johannis; nec non epiſtola S. Judæ Apoſtoli, quæ propterea deſiderantur in editione novi Teſtamenti Syriaca adornata a Widmanſtadio. Ita Aſiæ minoris Eccleſiæ Paſcha Luna 14. celebrandum pugnabant: Romana e contra. Eccleſiæ Cappadociæ, Ciliciæ, Galatiæ, & Africæ baptiſmum probabant, quem Romana Eccleſia im-

improbavit. Sabbato jejunare fas esse docebat Ecclesia Occidentalis; nefas autem Orientalis: ista iterum in fermentato conficit, illa in azimo: ita de innumeris, quæ coacervat sine delectu Dallæus lib. de vero Patrum usu. Quæ vero adversus Patres conglomerat non alio, nisi obloquendi, & obtrectandi animo post Placetæum tract. de consc. lib. 2. cap. 16, post Bernardum in suis ephemerid. litter. mens. Septemb. an. 1704, post Buddæum in hist. juris natur., & post Clericum in biblioth. univers. tom. 16, Barbeyracius Groningæ professor, atque Protestantium homo profligatissimus in præfat. juris natur., & gent. Puffendorfii, & in tract. moral. Patrum, sunt fere hujusmodi, scilicet: Patres in iisdem fidei capitibus non semper perstitisse, sed & alios aliis adversatos plerumque in pluribus: errasse eos sæpe in humanis scientiis: perraro admodum ab illis actum de rebus morum; neque perraro tantum, sed & pessime, nam in re morum eos sacra Scriptura abusos: regulas juris naturæ commiscuisse cum jure positivo: regulas etiam servatu impossibiles præscripsisse: ac tandem ab regulis morum turpissime aberrasse. Hoc postremum demostrandum suscipiens, plurimorum illos accusavit: præcipua hic referemus. Igitur,

Accusat 1. allegans Dupinum tom. 1. biblioth. Auctor. Eccles. pag. 65. edit. Batav., Athenagoram, quod apolog. cap. 28. secundas nuptias damnarit, & honestum adulterium appellarit. Accusat 2., Dupinum pag. 86, & Clericum tom. 10. biblior. laudans, Clementem Alex., quod lib. 6. strom. cap. 9, docuerit Christianum perfectum immunem fore ab omni passione, etsi innoxia; Christum Dominum motui ullo doloris, aut voluptatis non fuisse obnoxium: & lib. 6. cap. 14. idololatriam excusaverit, ajens Deum idololatris dedisse Solem, Lunam, & Astra, ut eadem adorarent, medioque eo cultu ad Deum adsurgerent. Accusat 3., Clericum sectatus tom. 12. bibl. pag. 215, & seq., S. Cyprianum, quod post baptismum dimissa uxore cælibatum servare maluerit: quod juri naturæ vim fecerit, docens tract. de bono patient. fratrem non resistere fratricidæ: quod in epist. 69. Puppianum insolentiæ damnarit, eo quod ipsum Cyprianum pro legitimo Episcopo non agnosceret; ex quo conqueritur se a sex annis

nis non potuiſse ſacramenta conferre, nec lapſos ad pœnitentiam recipere. Ex quibus S. Cypriani verbis cum Clerico hoc concludit: ſalutem populi pendere a valore electionis Epiſcopi. Accuſat 4. Lactantium, quod lib. 5. divin. inſtit. cap. 17. ſcripſerit viro juſto non licere bellum, aut negotium: quod lib. 6. cap. 18. docuerit non licitam eſse uſuram; & cap. 20. nec licitum accuſare alium crimine capitali.

Accuſat 5. poſt Clericum biblioth. tom. 15, & Fleurium hiſt. Eccleſ. tom. 3. S. Baſilium, quod epiſt. 2. ad Amphiloch. can. 43. aſseruerit homicidam eſse eum quoque, qui ſe defendens alium occidiſset; & can. 26. melius eſse, magiſque expedire, ut ſeparentur, qui mœchati ſunt, quam eos matrimonio copulare: quod in epiſt. ad S. Gregorium contra Evangelium docuerit Monachum debere triſtem ſe exhibere, caput habere neglectum, & veſtem incomptam: quod hom. de legend. Græcis dixerit chriſtianos arceri debere a litigiis, & juramentis. Accuſat 6. cum Clerico tom. 18. S. Gregorium Nazianz., quod orat. 46. prædicarit non permittendos hæreticis conventus: quaſi id eſset, inquit, eorum doctrinam approbare. Accuſat 7, poſt Dallæum, & Bayle dict. V. *Sara*, S. Ambroſium, quod lib. 1. de Abraham ſcripſerit adulterium ante Evangelium non fuiſse prohibitum: quod lib. de Tobia capp. 3, & 15. fœnus omne, uſuramque condemnarit: quod lib. 3. offic. cap. 4. affirmarit non licere chriſtiano cum inimici morte vitam ſuam tueri; & quod lib. 1. cap. 23. ſecundas nuptias devoverit. Accuſat 8. cum Noodt lib. 1. de uſuris, & fœnore capp. 4, & 6. S. Chryſoſtomum, quod uſuras, fœnuſque improbaverit: quod in cap. 12. Geneſ. dixerit Abrahamum Saræ adulterium procuraſse; quam S. Chryſoſtomo calumniam jam pridem inuſserat Bayle in dict. verbo *Abimelech*; qui verbo *Acyndinus* S. Auguſtinum de ſerm. Domini in monte lib. 1. cap. 16. edit. Benedict. parilis erroris inſimulat. Accuſat 9. S. Hieronymum, quod in cap. 8. Zachariæ, & 5. Matth. omne juramentum damnarit: quod in cap. 1. Jonæ ſui ipſius necem pro tuenda caſtitate probaverit: quod lib. adver. Vigilant. Reliquiarum, & Martyrum cultum docuerit, laudans in eam rem Clerici diſsertationem de argumento Theologico ab invidia ducto.

Ac-

Accuſat 10. S. Auguſtinum, quod lib. 16. de Civit. Dei cap. 25. ſcribens de Agarre cognita ab Abrahamo docuerit poſſe uxorem juri ſuo, quo potitur in Maritum, cedere, illudque in alienam transferre mulierem; ex quo conficere ſe putat Barbeyracius poſſe quoque maritum jus ſuum in uxorem transferre in alium virum: quod docuerit hæreticos fore exturbandos, atque exterminandos; quam doctrinam poſt Dallæum', & Clericum lib. 3. artis crit. deteſtabilem vocat, & adverſam lumini, & æquitati naturali, charitati, politicæ, & Evangelio. Accuſat 11. cum Clerico bibl. ſelectæ tom. 8. Abdam Epiſcopum Suſæ in Perſide, quod templum igni ſacrum incenderit; quodque jubente Rege Isdegerde reædificare detrectarit, malueritque mortem ſubire, ac chriſtianos ceteros perſecutionis incommodis objicere. Refert Theodoretum lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 39. adnotaſſe: zelum intempeſtivum Abdæ; ſed optime egiſſe Abdam, dum templum reædificare igni recuſavit: carpit ea de re Theodoretum, & cum Bayle dict. V. *Abdas*, aſſerit lege naturali ad id obſtrictum fuiſſe Abdam, nempe teneri quemcumque damnum illatum refarcire, & quod alioquin ipſi imputata non fuiſſet idololatria, quia ipſe templum idololatricis uſibus non dedicaſſet. Accuſat 12. multis Origenem, & Tertullianum, ſed eorum noſtra non intereſt. Ex quibus inſolentiſſimus Sychophanta concludit Patres quatuor priorum ſæculorum malos eſſe magiſtros, ac in rebus morum addiſcendis ineptos duces.

At non unam accuſationem intentavit vir iniquus in doctrinam morum a SS. Patribus traditam, ſed imo in mores ipſos, ac vitæ rationem ab ipſis Patribus excultam. Unde redarguit 1. S. Victorem Pontificem Maximum, quod pacem Eccleſiarum turbarit levi de cauſa, nimirum ob celebrationem Paſchatis die Dominico poſt 14. Lunam. 2. SS. Cyprianum, & Stephanum, quod ſimultates ſcandalo plenas invicem geſſerint, ac leges patientiæ enormiter violaverint, & infregerint. Eadem ſcripturierat in vita S. Cypriani Clericus tom. 12. bibl. univ. Redarguit 3. cum Fleurio tom. 2. hiſt. Eccleſ. Synodum Cyrtenſem in Africa ſæculo IV. celebratam, in qua 11, vel 12. Epiſcopi ſibi invicem gravia crimina objectarunt, inter quæ de traditis libris ſacris Gentilibus:

cum

cum Uſserio lib. de Eccleſ. chriſtian. in Occidente ſucceſſione, mores depravatos Eccleſiaſticorum, quod nempe a pace reddita Eccleſiæ a chriſtianis Imperatoribus ſchiſmata, inimicitias, ſcandala, & maxime ſimoniam in Eccleſiam invexerint; a qua criminatione immunem nec facit S. Damaſum Papam juxta teſtimonium Ammiani Marcellini lib. 27. cap. 3. Violentiæ arguit Theophilum Alex. adverſus hæreticos: ſuperbiæ Eccleſiaſticos Galliæ: iræ intemperantis adverſus Origenem, & Ruffinum S. Hieronymum; id criminationis mutuatus a Clerico in quæſt. Hieronym. q. 8. Violentiæ iterum, & ambitionis adverſus Novatianos, & Judæos S. Cyrillum Alex.; ea in accuſatione Dupino, & Clerico tom. 21. bibl. aſsentitus. Redarguit 4. Epiſcopos, & Eccleſiaſticos V, & VI. ſæculi ſuperſtitionis, odii, invidiæ, malitiæ, tyrannidis, machinationis, ac crudeliſſimæ intolerantiæ erga Neſtorianos, & Eutychianos: quia nempe Religionis cauſſa nemini faciendum eſſe negotium vult.

At nedum circa mores, aut doctrinam morum Patres objurgat, homo poſt natos homines petulantiſſimus, ſed etiam circa rerum intelligentiam, & cognitiones, ingenii perſpicaciam, & cogitationum rectitudinem redarguit. Ita cum Clerico tom. 2. bibl. ſelectæ inſimulat S. Juſtinum, quod apologia 2. cap. 8. Dæmones mulieribus commixtos, atque adoleſcentulos ab ipſis corruptos dixerit. S. Irenæum cum Photio cod. 120, quod ratiunculis minus ſolidis, nimiumque extraneis ſimplicem, puramque fidei veritatem adulterarit; quod lib. 3. cap. 11. docuerit quatuor eſſe Evangelia, quia quatuor ſunt mundi partes: vel quod Eccleſia in Evangelio fundata ſit; ad ædificium vero ſuſtentandum quatuor exigi columnas. Quam quidem querelam decerpſit ex Bernardo in ephemerid. litter. Decemb. 1703. Theophylactum carpit quoque, quod inepte pariter affirmarit quatuor ideo eſſe Evangelia, quia quatuor ſunt virtutes Cardinales; vel quia in Evangelio continentur dogmata, præcepta, promiſſiones, & comminationes. Carpit etiam cum Fabritio in cod. apocryphor. novi Teſt. S. Maximum, & Theophanem ob eamdem rem, quod ideo quatuor eſſe Evangelia dixerint, quia quatuor ſunt elementa. Inſimulat S. Cyprianum cum Clerico bibl. univ. tom. 12,

tum quod epiſt. 23. edit. Baluzii ad Lucianum Martyrem, qui lapſos reconciliandos contendebat, ſcripſerit, quod quum Dominus dixerit baptizari gentes in nomine Patris &c., ac in baptiſmate remitti peccata, *Hic neſciens præcepta, nec leges jubet dari pacem, ac remitti peccata in nomine Pauli*: inter quæ magnum ponit ipſe diſcrimen: tum quod in tract. de unit. Eccleſ. eam unitatem præfiguratam velit in tunica Chriſti inconſutili: tum quod lib. de opere, & eleem. ſcripſerit, ſicut baptiſmo peccata delentur ante baptiſmum commiſſa, ita eleemoſina redimi, quæ poſt baptiſmum patrata ſunt. S. Hieronymum, ſive quod lib. 2. adv. Jovinian. inepte dixerit: cælibus, quod cælo digni ſint, inditum nomen. Ob hoc ipſum S. Doctorem criminatus fuerat Bernardus Profeſſor Leidenſis in Ephemer. litt. Mai anno 1702: ſive quod toto libro adv. Jovinian., & lib. adverſ. Elvid. nihil, niſi ſophiſmata, ac inepta ratiocinia attexerit. Inſimulat S. Auguſtinum cum Pheroppono, ideſt Clerico in append. contra S. Auguſtinum; ex cujus erratis, & ſycophantiis integrum librum confici poſſe calumniator hic audaciſſimus aſſerit. 1. Quod lib. 2. in Geneſ. adv. Manich. cap. 17. illud Gen. 3, 14. *Super pectus tuum gradieris*, per pectus intelligi jubeat ſuperbiam, per ventrem deſideria carnis, & per terram curioſitatem rerum temporalium, ſeu avaritiam. 2. Quod riſu digna ſit ejus obſervatio in titulum pſal. 2, *Pſalmus primus*; ea ſcilicet de cauſſa titulo carere pſalmum primum, quia in primo pſalmo Deus locutus ſit, nefaſque ſit quidpiam divinæ locutioni præferri. Idem in S. Auguſtino irriſere pro inſolenti ſua intemperie Theologi Batavi in epiſtolis inſcriptis: *Sentiments des quelques Theologiens Hollandois*.

Ab recenſendis erratis ſequiorum temporum ſe abſtinere ea ratione ait Barbeyracius, eo quod ignorantia, morumque depravatio ita tum invaluiſſent, & exundaſſent, ut neque ſani, integrique ſenſus, & virtutis ullius ſcintilla tenuis, leveque veſtigium in Eccleſiaſticis remanſerit; quodque ſuperſtitionum colluvies, atque idololatriæ ſpecies innumeræ in Romanam Eccleſiam irrepſiſſent, eamque turpiſſime inquinaſſent, inter quas illa de poteſtate Papæ in Reges; & illa de Indulgentiis veno poſitis. De fide demum hæreti-

reticis datæ violatione, vel in Concilio Conſtantienſi quetelam recoquit, laudans eam in rem Sechendorfium in commentar. hiſt., & apologet. Lutheran. lib. 1, & Lenfantium tom. 1. hiſt. Concil. Conſtant. Hiſce igitur, & ſimilibus inſolentiæ plenis, & inſaniæ dicteriis, ſarcaſmis, & ſcommatibus propudioſus Sychophanta venerandam SS. Patrum doctrinam, virtutibus omnigenis refertiſſimam vitam, præclarumque ingenium vexat, & proſcindit. Nempe hæc gloria, hæc laus reſervabatur a primis Eccleſiæ ſæculis ſuis Proteſtantibus, ut ingenio, vita, & doctrina integritatem Evangelicæ morum diſciplinæ ſuam reſtituerent, ac priſca Apoſtolorum tempora revocarent. Apage blaſphemum blateronem, impoſtoremque impudentiſſimum! qui in eo, quod ab aliis peccatum arguit, graviſſime ipſe peccat, & doctrinæ, vitæque peſtilentiſſimæ, & ingenii peſſimi ſe, maſtigia, prodit, ut nox palam facio.

℟. ad primum 1. ab Eccleſia rectiſſime B. Virginem omni laude digniſſimam, ab omni vel leviſſimo culpæ cujuſque reatu immunem adſeri. Ut enim id privilegii B. Virgini adſereret edocta Eccleſia eſt S. Scripturæ non modo teſtimoniis Pſal. 45. *Sanctificavit Tabernaculum ſuum Altiſſimus*: Cant. 4, 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*; & Luc. 1, 26. *Ave gratia plena Dominus tecum*; &; *Fecit mihi magna, qui potens eſt*, ſed & SS. Patrum traditione; S. Juſtini, ſive veteris Auctoris q. 136; Origenis hom. 1. in diverſ., ubi ait *Mater ejus mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta*; & hom. 8. in Lucam; S. Gregorii Neocæſareen hom. de Annuntiatione; S. Athanaſii epiſt. ad Epictetum, ubi *Idcirco*, inquit, *gratia cognominata eſt, & quod adimpletione Spiritus ſancti omnibus gratiis abundaret*; S. Ephræmi orat. de laud. B. Virg.; S. Epiphanii ſerm. de laudib. Mariæ; S. Gregorii Nazianz. in Tragedia; S. Chryſoſtomi hom. in hypopantem Domini, & orat. de Annunc. B. Virg., ubi ait: *Miſſus eſt ſervus incorporeus ad Virginem immaculatam*: *Miſſus eſt a peccato integer ad corruptionis expertem*; Theophili; S. Procli Conſtantinopolitani hom. de Nativ. D. N. J. Chriſti; Theodoreti in Cantica; S. Sophronii Hieroſol. orat. de Nativ. Chriſti; & de Aſſumpt. B. Virg.; Titi Boſtrenſis in cap. 11. Luc.; Chryſippi presbyteri de laud. B. Virg.; S. Germani Conſtantinopolitani de veneran-

da Zona Deiparæ Virg.; S. Johannis Damaſceni orat. 1. de nativ. Mariæ, & orat. 2. *De germine meo filii mi aſcendiſti*; Eliæ Cretenſis in orat. 4. Nazianz.; Johannis Hieroſol. de inſtit. Monach. cap. 32; Theophanis hymno de Annunc. B. Mariæ Virg.; Michaelis Syncelli de martyrio S. Dionyſii Areopag.; Pſelli in Cantic.; Euthymii orat. de adorat. venerandæ Zonæ Deiparæ cap. 8; Michaelis Glicæ par. 3. annal.; Johannis Cantacuzeni apologia 3, aliorumque, quos ad unum omnes dinumerare diſtædet.

Ex Latinis S. Cypriani, ſive auctoris antiquiſſimi ſerm. de Chriſti nativit., ubi *Spiritu ſancto obumbrante*, ait, *incendium originale extinctum eſt . . . unde & Matri plenitudo gratiæ debebatur, & virgini abundantior gloria, quæ carnis, & mentis integritate inſignis, ſpiritali, & corporali, intus, & extra Chriſti præſentia fruebatur*; S. Ambroſii ſerm. 22. in pſal. 118, & lib. 2. de virgin.; S. Hieronymi in cap. 10. Eccleſiaſtis; 11. Iſaiæ, in pſal. 77, & epiſt. 22. ad Euſtochium cap. 8; S. Auguſtini lib. de nat., & grat. cap. 36, ubi ait: *Scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum*; Arnobii ſenior. in pſal. 10; S. Petri Chryſologi ſerm. 140; S. Eucherii Lugdun., ſeu Euſebii Emiſseni in Evang. ſer. 4. Dom. 4. advent.; Sedulii lib. 2. Paſchali; S. Fulgentii ſerm. de laud. Mariæ ex partu Salvatoris, & ſerm. de duplici Chriſti nativ.; S. Gregorii Magni in lib. 1. Reg. cap. 1; S. Idelphonſi Tolet. de perpet. Virgin. Mariæ; V. Bedæ hom. in nativ. omn. Sanctor., & in Annuntiat. B. Virg., ubi *Vere*, inquit, *erat Maria gratia plena, cui ipſum, per quem gratia, & veritas facta eſt, Jeſum Chriſtum generare donatum eſt*; Alcuini lib. 3. de Trinit. cap. 14; Idiotæ contempl. de B. Virg. capp. 1, 2, & 6; Haimonis hom. de Aſſumpt. B. Virg.; Fulberti Carnot. de Salut. Angel.; Auctoris altercat. cap. 14; S. Petri Damiani ſerm. 3. de Nativ. B. Virg., & ſerm. de ejuſdem Aſſumpt.; S. Gregorii VII. lib. 1. epiſt. 47, ubi *Maria*, ait, *quanto altior, melior, & ſanctior eſt omni matre, tanto clementior, & dulcior eſt circa converſos peccatores*; S. Anſelmi Cantuar. in cap. 5. epiſt. 2. ad Corinth., de excellentia B. Virg. cap. 3, & de conceptu virginali cap. 18; S. Brunonis Signini in pſal. 101; Ivonis Carnot. ſerm. de Nativit. Dom.;

Ru-

Ruperti lib. 4, & 6. in Cant.; Hugonis Victor. de epithetis rerum lib. 4. cap. 2.; S. Bernardi ſerm. 2. de Aſsumpt., ſerm. de privilegiis S. Johannis Baptiſtæ, ſerm. de B. Maria, ſerm. 4. ſuper *Salve Regina*, ſi ejus tamen eſt, & epiſt. 174; Richardi Victor. in Cantica cap. 26; V. Petri Cluniac. lib. 5. epiſt. 1; Petri Bleſenſis ſerm. 44; S. Dominici Ord. Præd. Patriarchæ tract. de corp. Chriſti; Innocentii III. ſerm. 2. de Aſsumpt.; Alberti Magni in cap. 1. Lucæ; S. Thomæ 1. ſent. diſt. 44. art. 3. reſp. ad 3; p. 3. q. 27. art. 4, & in expoſit. ſalut. Angel.; S. Bonaventuræ in 3. ſent. diſt. 3.; Franciſci Maironis 2. ſent. diſt. 3. q. 2. art. 2; & 3. diſt. 2. q. 1. art. 9; Bonifacii IX. conſtit. 1; S. Bernardini tom. 1. ſerm. 53, & tom. 4. ſerm. 88; S. Laurentii Juſtin. in faſciculo amoris cap. 7, ſerm. de Annuntiat., & ſerm. de Nativ. B. Virg. Mitto alios videndos apud Coccium in Theſauro tom. 1. lib. 3. art. 1.

Poſtremo B. Virgo ab actualis cujuſque peccati macula abſtergitur procul dubio, ſiquidem ei ab Originalis quoque peccati labe immunitas adſcritur. Quare Patres, ac Scriptores Eccleſiaſtici, qui B. Virgini vitii aliquid affingere viſi ſunt, ſicut vel dubitationis de Chriſto, uti Tertullianus, Origenes, & Ammonius, quorum auctoritatem hac in re parvi pendimus: vel inanis gloriæ, uti SS. Athanaſius, & Gregorius Niſſenus, aut benigna interpretatione donandi ſunt, aut ſibimet conciliandi, uti SS. Athanaſius, & Chryſoſtomus, quorum paullo ſupra loca pro vindicanda B. Virgini omnimoda a peccato immunitate protulimus. Nam quod ad S. Cyprianum ſpectat, vel ſermo de paſſione ipſi ſuppoſitus fuit; vel ſi ejus eſt, non minus ei adcenſendus erit ſermo ex ipſo ſupra laudatus de Nativ. Chriſti: unde Cyprianus Cypriano eſt conciliandus: ſed neque ex cit. ſerm. de paſſione quidquam certi de S. Cypriani ſententia de B. Virgini afficta culpa extundi poteſt, ut legenti liquebit: aut denique non ſequendos ea in re dicimus, in qua ipſos procul a traditione abſceſſiſſe ex dictis exploratum eſt.

℟. ad 1. 2. iiſdem S. Scripturæ teſtimoniis, & SS. Patrum traditioni innixam Eccleſiam diem Conceptionis B. Virginis ſub titulo Immaculatæ ſolemnem agere, quam quidem etſi fide divina

cre-

credendam nondum præceperit, piam tamen ſententiam probavit, quam oppugnari nullo modo permittit. Longe ante Latinos feſtum hoc Conceptionis Immaculatæ celebrarunt Græci. In Hiſpania inſtitutum feſtum hoc a S. Jacobo ſcribit Flavius Dexter in chronico, cui ſcriptori tamen nolim fidem omnem meam obſtringere. Age vero firmiora, & ſolidiora proferamus, ut hic capta opportunitate officii noſtri, ac debitæ erga Deiparam reverentiæ, & devotionis ſpecimen exhibeamus. Ergo id myſterii, Immaculatæ ſcilicet Conceptionis B. Virginis, fundamentum ſatis firmum habet 1. in verbo Dei ſcripto Gen. 3, 15. *Ipſa conteret caput tuum*; Proverb. 8, 22. *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum*; Cant. 4, 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*; Luc. 1, 28. *Ave gratia plena*, & 49. *Fecit mihi magna, qui potens eſt*. Ex quibus profecto ajo, quod Eccleſia potiori jure, quam de Hieremia intelligens illud Hier. 1, 5. *Antequam de vulva exires, ſanctificavi te*; & de Johanne Baptiſta interpretata illud Lucæ 1, 41. *Ut audivit ſalutationem* &c. utrumque ſanctificationis privilegio donatum, antequam in lucem ederentur, edoceat, potiori jure, inquam, declarare B. Virginem Deiparam ulla abſque macula culpæ fuiſſe conceptam poſſit. Habet 2. in verbo Dei tradito; cujus quidem accedunt teſtes Origenes, S. Athanaſius, S. Ephræm, S. Epiphanius, S. Chryſoſtomus, S. Amphilochius, S. Proclus, Theodoretus, S. Sophronius, S. Germanus, S. Johannes Damaſc., Johannes Hieroſol., Theophanes, Pſellus, Euthymius, Glicas, & Johannes Cantacuzenus locis ſupra laudatis.

Ex Latinis vero teſtes ſunt liquidi S. Ambroſius ſerm. 22. in pſal. 118; S. Hieronymus in pſal. 77, & locis ſupracitatis; S. Auguſtinus lib. de natura, & grat. cap. 36; & lib. 5. contra Julian. cap. 15; Arnobius ſenior, Sedulius, S. Fulgentius, S. Idelphonſus, S. Anſelmus, Haimo, Fulbertus, Paſchaſius Ratbertus, Idiota, S. Petrus Damiani, S. Bruno, S. Laurentius Juſtinianus, aliique ſuperius commemorati, quos referunt Coccius loc. cit.; Velaſquez de Immacul. Concept.; Nierembergius de omnimoda puritate B. Virg.; Lancitius opuſc. 11. cap. 13; Salazar in defenſ. Concept. Immacul.; Thyrſus Gonzalez tract. Theolog. de Immacul. Concept.; Sfondratus in Innoc. vindic.; Bellarminus de

de amiſs. grat., & ſtatu peccati lib.4. capp. 15, & 16; Catherinus, Maldonatus, Caniſius, Suarez, Wadingus, & maxime noſter P. Salvator a Sambucca.

Jure ergo, & merito Eccleſia Immaculatæ Concept. Myſterio palam, ac publice favet, pieque imo illud colendum proponit. Ita enim illi favent Synodus VII. act. 3. in epiſt. Synodica Theodori Hieroſolym., qua B. Virgo *Immaculata* nuncupatur; Synodus Forojulienſis anno 791. ſub Paulino Aquilejenſi in Symbo fidei, quo *Immaculata* pariter B. Virgo audit; Synodus Baſileenſis ſeſs. 36, in qua B. Virgo *Immaculata* declaratur, cujus quidem articulum confirmavit Synodus Avenionenſis, & Academia Pariſienſis, quæ anno 1496. alumnos ſuos ad tenendam hancce de Immacul. Concept. doctrinam juramento ſolenni adſtrinxit; Synodus denique Tridentina ſeſs. 5, in qua declaravit in decreto de peccato Originali ſe non comprehendere B. V. Deiparam. Ita etiam illi favent Romani Pontifices Sixtus IV. an. 1476. conſtit. *Quum præcelſa*; S. Pius V. anno 1567. conſtit., cujus Gregorius XIII. anno 1579. in conſtitutione ſua incipienti *Proviſionis noſtræ* meminit; Paulus V. anno 1617: Gregorius XV; Alexander VII. conſtit. *Sollicitudo omnium Eccleſiarum*; & Clemens XI; a quibus vel B. Virginis Immaculatam Conceptionem devote celebrantibus Indulgentiæ conceſſæ, ut a Sixto IV; vel poſt Bajum prop. 73. aſſerere B. Virginem mortuam ob peccatum ex Adamo contractum, prohibitum eſt, ut a S. Pio V, & a Gregorio XIII; vel eamdem omni laude digniſſimam Deiparam cum peccato Originali conceptam publice affirmare vetitum, graviſſimis adjectis pœnis, ut a Paulo V; imo nec privatim (Dominicanis exceptis (ut a Gregorio XV; imo nemine excepto, ſive ſcripto, ſive voce, tam privatim, quam publice, cum directe, tum indirecte: imo nedum Conceptionem ipſam, ſed etiam feſtum ipſius Conceptionis ſecundum piam ſententiam celebratum impugnare quovis modo, aut quovis prætextu ſub graviſſimis pœnis interdictum eſt, ut ab Alexandro VII; vel feſtum Conceptionis, quod agitur ab Eccleſia, eſſe ſecundum piam ſententiam, hoc eſt objectum feſti non Conceptionem tantum, non Sanctificationem ſolam eſſe, ſed præſervationem ab Originali peccato declaratum, ut ab eodem Ale-

Alexandro VII; vel feſtum iſtud B. Virginis ab Originali peccato immunis, ac prorſus immaculatæ præceptum eſt, & ad univerſam amplificatum Eccleſiam, ut a Clemente XI. Exinde adeo evaſit certa ſententia pia, ut facile ſit oſtendere, ſicuti præſtitere doctiſs. Caſſinus Encyclopediæ tract. 3. prop. 11., & Johannes de Lucca in confutat. 6. prior. epiſt. Ferdinandi Valdeſii, adverſus Lampridium, Lamindum, Valdeſium, larvatum ſcilicet Ludovicum Antonium Muratorium; quod laudabile, & honeſtum ſit piæ ſententiæ tuendæ, juxta quam feſtum ab Eccleſia celebratur, ſanguinem, & vitam profundere, pro ejuſque defenſione juriſjurandi, votique religione ſe obſtringere. Proinde ſi Patres aliqui aliud ſentire viſi ſunt; ii plane traditionem nec efficiunt, nec proferunt: utque ipſos a Traditione non receſſiſſe dicamus, de peccati Originalis debito proximo, vel remoto facile exponi poſſunt, atque reapſe exponunt Bellarminus ſupra citatus; Natalis ad ſæcul. II. diſſert. 16; Theologi ſuperius laudati; & Tournellius tract. de peccato Originali cap. 1. art. 4, ubi inter alia oſtendit S. Thomam eidem piæ ſententiæ adhæſiſſe, aut certe ea docuiſſe, quibus poſitis Immaculatam Conceptionem probiſſime adſtrui oporteat. Perperam demum Patres nonnullos contra piam hancce ſententiam a Kemnitio, Eraſmo, & Riveto objectos fuiſſe pateſcit facile ex collatione SS. Patrum, quos pia pro ſententia paullo ſupra protulimus.

℟. ad 1. 3. Angelos eſſe omnino incorporeos, ſeu corporis omnis expertes longe plures, & auctoritate pluris faciendos Patres docuiſſe: inter quos referuntur ex Græcis S. Ignatius in epiſt. ad Trallianos; S. Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 1; S. Gregorius Niſſenus orat. 4. in orat. Domin.; S. Gregorius Nazianzenus orat. 34; S. Johannes Chryſoſtomus hom. 22. in cap. 6. Geneſ.; Euſebius Cæſareenſis lib. 4. demonſtr. evang. cap. 1; Theodoretus q. 20. in Geneſ.; Theophylactus in cap. 13. epiſt. 1. ad Corinth.; & S. Johannes Damaſcen. lib. 2. fid. orthod. cap. 3. Ex Latinis vero S. Hilarius lib. 4. de Trinit.; S. Hieronymus epiſt. 59. ad Avitum; Caſſiodorus in pſal. 103; Julius Africanus lib. 11. cap. 11; S. Ambroſius in cap. 1. epiſt. ad Hebr.; S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3; S. Leo I. epiſt. 59; S. Gregorius Magnus lib. 4. Moral-

ral. cap. 19, & lib. 4. dialogor. cap. 29; Alcuinus lib. 2. de Trinit. cap. 17, aliique plures apud Petavium de Angelis. Porro Patres, qui in oppoſitum pugnare videntur, vel Angelos incorporeos, aut immateriales negarunt iccirco, quod compoſitionis omnis ita expertes eos negarint; quo ſenſu loquuti ſunt SS. Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Caſſianus, & S. Gregorius Magnus: vel Angelos corporeos ea ratione affirmarunt, quod eos vera, reali, phiſicaque natura, & ſubſtantia conſtare aſſererent, non vero pura putaque figmenta eſſe crederent; unde corpus improprio vocabulo pro vera, & reali ſubſtantia acceperunt, prout contra diſtinguitur ab ente fictitio, aut mere imaginario; eoque ferme ſenſu, quo Apoſtolus in epiſt. ad Coloſs. dixit divinitatem in Chriſto habitare *Corporaliter*, ideſt vere, & realiter, non apparenter; quomodo loquuti ſunt S. Hilarius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, & Tertullianus: vel de corporibus Angelorum affirmarunt, non quidem propriis, ex quibus coaleſcerent, ſed de aſſumptis, & adſcititiis, quæ interdum induunt Angeli, dum hominibus adparent; quo plane ſenſu intelligendi ſunt S. Cyrillus Alex., S. Auguſtinus, Johannes Theſſalon., & S. Bernardus: vel demum dubitanter ita loquuti ſunt, ſuamque opinionem de Angelorum ſubſtantia conſtante ex ſpiritu, & corpore ita propoſuere, ut facultas fieret cuique pro libito licite ab ea abſcedendi. Ita SS. Auguſtinus, & Bernardus, qui tamen, animam rationalem, quin ea ſit incorporea, nequaquam dubitandum fore docuerunt, ille quidem lib. 2. de anima, & ejus origine cap. 5, & lib. 4. cap. 12, & ſeqq.; iſte vero ſerm. 40. in Cant.; & lib. de inter. domo cap. 67. Quod ſi non nulli, inter quos adnumerandos S. Irenæum, S. Juſtinum, Origenem, & S. Hilarium putat Petavius tom. 3. Theolog. dogmat. cap. 2, Angelos corporibus, etſi tenuioribus aeris inſtar conſtare revera docuerunt: ea in re eos abs vero aberraſſe, homines enim erant, & aliquando humani aliquod paſſos non diffitemur, atque ideo ab eorum errato abſcedere nobis, quin officio erga eos deſimus, licitum eſſe ducimus.

Ex. ad 1. 4. Patres illos Millenarium Chriſti regnum in terris putantes erraſſe cum Papia, a quo decepti ſunt apocryphis

Domini ſermonibus, quos Papias conſcripſerat: non erraſſe tamen cum Cerintho, qui tum temporis templum Hieroſolymitanum inſtaurandum, circumciſionem, & alia legalia reſtituenda, dandamque operam voluptatibus omnis generis, nequidem libidinum intemperie excepta jactaverat. Patres illi ſiquidem, teſtibus SS. Hieronymo in cap. 19. Hierem., & Auguſtino lib. 20. de Civit. cap. 7, delicias quidem illi Chriſti Regno tribuebant, ſed ſpirituales; ut Tertullianus lib. 3. adverſ. Marcion. cap. 24, & ſiquidem corporeas, illas modeſtiæ, & moderationis plenas, & quæ populum Chriſti decerent. Præterea iidem ipſi Patres, inter quos S. Irenæus loc. cit., & S. Juſtinus in dialogo cum Tryphone, teſtantur a plurimis aliis ipſam opinionem fuiſſe oppugnatam. Ex quo patet nequidem ab ipſis opinionem Papiæ habitam pro traditione a Chriſto Domino, aut ab Apoſtolis accepta. Profecto opinioni Papiæ refragati multo plures ſunt ex antiquis Patribus, quorum quoque major auctoritas habetur. Sunt vero, qui Millenariorum fabellam, ut errorem imo exploſerunt, Cajus Presbyter, S. Dionyſius Alexandrinus, Euſebius Cæſar., S. Epiphanius, S. Baſilius epiſt. 74. ad Occidentales Epiſcopos; S. Hieronymus, & S. Auguſtinus locis ſupra citatis, ut proinde hæc poſtrema magis loco traditionis habenda ſententia ſit.

℟. ad 2. 1. Dolendum plane eſſe magno, ſin minus Religionis, litterariæ ſaltem Reipublicæ damno plurima veterum Patrum ſcripta periiſſe, tum temporum injuria, tum hominum negligentia, tum hæreticorum impietate. Præterea dandum Patres trium priorum ſæculorum pauca conſcripſiſſe, & ſi quæ conſcripſere, integra ad nos non perveniſſe, atque magnam partem excidiſſe. Nihilominus ex iis, quæ ſcripſere, & quæ ſuperſunt vel opera, vel operum fragmenta; ex iis, quæ antequam illa periiſsent, ex ipſis decerpſere, aut vivæ vocis traditione ab iis accepta litterarum monumentis ſequiores Patres, ac Scriptores, in iiſque Euſebius, S. Hieronymus, Theodoretus, Photius &c. poſteris demandarunt, ſat eſſe, ut traditione fidei catholicæ dogmata probentur, & adverſæ hæreſes profligentur. Plane numero plurima, & ſi non omnia, præcipua, ac præclariora veterum, ac ſequentium veterum veſtigiis inhærentium Patrum opera hacce ætate noſtra

noſtra poſſidemus; quodque Religionis magis intereſt, ea Eruditorum ſtudio, navoque labore accuratis, nitidiſque typis vulgata, ab innumeris mendis tranſcribentium olim inſcitia, librariorum oſcitantia, & hæreticorum malitia expurgata, quibus inoffenſo pede traditionis ſeriem Theologus quiſque decurrere poteſt. Revera ut obſervat Bailletus in Judicio Sapient. tom. 2. p. 2. art. 3, Eraſmo omnium primo gloria deberetur, quod SS. Patrum opera ad critices lancem expenderit, atque ab eorum codicibus innumeras maculas abſterſerit. Verum in eo culpandus eſt, quod conjecturis ſuis plus æquo indulſerit, ac dum Patres emendare ſtuduit, in illos iniquum, ac ſe caſtigandum præbuerit. Meliori igitur conſilio, & exitu id præſtitere viri eruditi alii, quorum ſi non piget, aliqua ſub oculos exempla pono.

Itaque S. Ignatii epiſtolarum ſeptem editionem elucubrarunt Uſſerius, & Voſſius, earumdem contra Calvinum, Blondellum, Dallæum, Oudinum, Salmaſium, &c. patrocinium ſuſcepere Pearſonius, Bollandiani, Duguetus obſerv. Eccleſ. diſſert. 2, Nourrius in appar. ad bibl. PP. diſſert. 7; & recens doctiſſ. Mamachius orig. & antiq. Chriſt. lib. 4. cap. 4. Cotellerius Patrum priorum ſæculorum collectionem inſtruxit. Huetius commentaria in Origenem adornavit. Ejuſdem Origenis, quem ab invidia liberare adnixi ſunt Picus, Eraſmus, Merlinus, Halloixius, & alii, opera cum notis errorum condidit Carolus de la Rue Benedict.; ab ejuſque erroribus ut præcaveret ſibi lector edocuit Pamelius, qui in lectione Tertulliani eidem beneficium impendit; non ſecus atque Lupus, Rigaltius, Gabriel Albaſpineus, Ludovicus de la Cerda, & Gregorius Ambianenſis Ord. Cappucc.; ut de Rhenano, Mercerio, & Salmaſio taceam. In S. Juſtini opera ſtudium ſuum contulit Marandus. Hiſtorias Euſebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Theodori Lectoris, Philoſtorgii, & Evagrii, non ſecus ac alios Euſebii libros de præpar., & demonſtr. Evangel. typis vulgavit, notiſque egregiis illuſtravit Henricus Valeſius: ut nihil dicam de officio iiſdem ab hæreticis impenſo. Petavius opera S. Epiphanii; S. Cyrilli Hieroſol.; Nicephori Conſtantinopolit.; & Sineſii in lucem eduxit, & animadverſionibus adornavit. S. Cyrilli Hieroſol. novam editionem

adornavit P. Toutæus. Fronto Ducæus, & Savilius ad opera SS. Chryſoſtomi, Baſilii, Gregorii Niſſeni, & Nazianzeni edenda, illuſtranda, & emendanda ſtudia ſua contulere. Studio ſuo illuſtrata a Sirmondo, & Garnerio lucem adſpexere Theodoreti, & S. Baſilii opera; S. Auguſtini ſermones; Marii Mercatoris commonitorium; Liberati Breviarium, ut alios ſequioris ætatis mittam. Nonnulla opera Patrum, & Rom. Pontificum epiſtolas edidit Antonius Caraffa. Julii Africani epiſtolas notis illuſtravit Wetſtenius. Ad S. Optati opera doctiſſimas adjecit obſervationes Albaſpinæus. S. Chryſoſtomum latine reddidit Nicolaus Fontaine. Ab Joſepho Antelmo, & Paſchaſio Queſnello in opera S. Leonis, in quæ nuper iterum a doctiſſ. Cacciaro eſt animadverſum; & ab Antelmo præterea in opera S. Proſperi Aquitani diſſertationes eruditæ editæ ſunt. Ludovicus Antonius Muratorius Anecdota ex bibliotheca Ambroſiana notis, & diſquiſitionibus aucta; & Laurentius Alexander Zachagnius collectanea monumentorum veterum Eccleſiæ Græcæ, ac Latinæ, quæ eatenus in bibl. Vaticana delituerant, publici juris fecere. Lucas Holſtenius opuſcula paræneticaSS. Patrum; canones Conciliorum; epiſtolas Rom. Pontificum, aliaque vetera monumenta collegit, illuſtravit, & vulgavit. Leo Allatius Symmicta, ſive opuſcula complura Græco-Latina, ſed præcipue Euſthatii Antiocheni Patriarchæ edidit, notis ſelectis. S. Irenæi Fevardentius, & Maſſuetius; ut ſilentio præteream Bullum, Fabritium, Dodvvellum, Grabbium, Simonium; S. Johannis Damaſceni Lequienius; Baſilii Seleuc. Dauſquejus opera adjectis notis, & diſſertationibus ediderunt. S. Ephræm Græco-Latinum Gerardus Voſſius; Lactantii librum de mortibus perſecutorum cum notis Paulus Bauldri, & Stephanus Baluzius; quem librum tamen ſubditititium exiſtimant eruditi; Sulpitium Severum item cum notis Johannes Worſtius publicam in lucem produxerunt.

SS. Irenæi, Athanaſii, Baſilii, Hilarii, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, Gregorii Magni, Gregorii Turon., Caſſiodori, Lantfranci, Benedicti Anianenſis, Bernardi, aliorumque opera adjectis caſtigatiſſimis adnotationibus incredibili ſtudio, criterio elaboratiſſimo, & improbo labore adornarunt do-

doctiſſ. Benedictini Monachi congregat. S. Mauri. Lucas Dacherius, ut nihil dicam de doctiſſimis notis ab ipſo adjectis ad opera Lantfranci, & Guiberti de Novingento, Spicilegium tom. 13. comprehenſum, quo ſcriptorum plurima opera, Conciliorum acta, & canones, Sanctorum geſta, & chronica in bibliothecis diu latentia collegit, elucubravit. Acta, & opera Sanctorum, & ſcriptorum Ordinis Benedict. Mabillonius; acta item ſincera, & ſelecta SS. Martyrum Ruinartius in lucem emiſerunt. Novam etiam operum S. Gregorii Turon. idem Ruinartius; & operum S. Hilarii Coutantius editionem, diſſertationibus, & notis adjectis, evulgarunt. Eidem Petro Coutantio editio epiſtolarum Summorum Pontificum debetur accepta. Edmundo Martenio Theſaurus novus Anecdotorum, & collectio ſcriptorum, & monumentorum hiſtoricorum, moralium, & dogmaticorum, quæ ſpectant negotia Eccleſiaſtica, Monaſtica, & Politica. Johanni Martianæo operum S. Hieronymi in quinque tomos diſtributorum editio, debetur. Dionyſio Sanmarthano operum S. Gregorii Magni editio, quam præfationibus, notis, & diſſertationibus doctiſſimis auxit. Bernardus Montfauconius Analecta, ſeu plura opuſcula græca hactenus inedita, vulgaria fecit; Origenis Hexapla; novas etiam numeriſque omnibus abſolutas, & doctiſſimis notis, obſervationibuſque adornatas, editiones operum SS. Athanaſii, & Chryſoſtomi idem Montfauconus elucubravit. S. Hippolyti fragmenta collegit Moynius; Chronicon edidere Caniſius, Ducangius, & Scheleſtratius; Canonem illuſtrarunt Scaliger, Petavius, Bucherius, & Vignolius. Notis, & diſſertationibus adjectis S. Cypriani opera, qua evulgarunt, qua exornarunt Latinius, Pamelius, Baluzius, Rigaltius, Pearſonius, Johannes Fellus, & Dodvellus.

Ad hæc S. Cyrillum Alexandrinum Aubertus; SS. Paulinum, & Fulgentium Chiffletius; Vincentium Lirinenſem Salvianus Maſſilienſis; S. Fulgentium rurſus Theophilus Raynaudus; Petrum Bleſenſem Guzanvillæus; S. Bernardum Merlus Orſtius; Marculphum Bignonus, & Nivardus; Sidonium Apollinarem Savaronus, & Sirmondus; S. Petrum Damianum Conſtantinus Cajetanus; S. Paulinum iterum Ludovicus le Brun, & Maf-

& Maffejus ; Caſſiodorum Garetius, qua in lucem ediderunt, quæ notis illuſtrarunt. Combeffiſius S. Baſilium ex integro reſtituit, & notas in Theophanem, Leonem ſapientem, S. Amphilochium, S. Methodium, Andræam Cretenſem, & S. Maximum martyrem dedit. Goarius notas etiam elucubravit in præmem. Theophanem, Georgium Syncellum, & Nicephorum Conſtantinopolitanum. Venantium Fortunatum Brovverio ; S. Iſidorum Hiſpal. Margarino Bignæo ; Chronicon S. Hieronymi, & notas in Euſebium Suffredo Petri, & Pontaco Arnaldo ; S. Anſelmum Gerberonio ; Stephanum Tornacenſem P. Molineto ; Vincentium Lirin., Salvianum, Cæſarium, Lupum Ferrar., Agobardum &c. Baluzio caſtigatos debemus. In libros S. Auguſtini de Civ. commentarios elucubrarunt Ludovicus Vives, & Leonardus Coquæus. Excerpta ex SS. Baſilio, Gregorio Nazianz., Chryſoſtomo, & Johanne Damaſceno, cujus poſtremi integram quoque latinam adornavit verſionem, latine reddidit Billius Brunæus. Guillelmus Parvi S. Gregorii Turonenſis, Pauli Diaconi, Luitprandi Ticinenſis &c. opera edidit. S. Hilarii opera Jacobus Gilliotus; ejuſdem fragmenta Nicolaus Fabrus. Johannes Leunclavius S. Gregorium Nazianz., Conſtantinum Manaſſen, & Michaelem Glicam latinos fecit. Franciſcus Balduinus in S. Optati Milevitani lib. 7, Victoris Vitenſis libros 3, & Minutii Felicis Octavium prolegomena & adnotationes egregias inſtruxit; in quem poſtremum operam pariter impenderunt ſuam Ouzelius, & Cellarius. Mitto, ne prolixior ſim, alios plurimos.

Accedunt collectiones aliæ SS. Patrum, inter quas prima anno 1555. Baſileæ tomo unico impreſſa *Orthodoxographia* inſcripta eſt: poſterior aliis operibus aucta volum. 8. comprehenſa a Margarino Bignæo Pariſiis an. 1576. edita eſt ſub nomine iſto : *Bibliotheca Patrum*. Iſti vero an. 1579. volumen nonum, & an. 1610. decimum, & undecimum acceſſere. Iterum collectio iſthæc ſub nomine *Magnæ Bibliothecæ veterum Patrum* Coloniæ primum tom. 15. an. 1622, Pariſiis deinde tom. 12. græce, & latine prodiit. Eidem paullo poſt trium voluminum auctuarium adjecit Combeffiſius. Poſtremo collectio iſta Lugduni an. 1677. volum. 27. promulgata eſt ſub titulo : *Bibliotheca Maxima veterum Patrum*

trum, & antiquorum Scriptorum Eccleſiaſticorum. Accedunt apparatus ad Bibliothecam Maximam editus a. tomis a P. Nicolao Nourrio; ac præter eas, quas exornarunt Dacherius, Mabillonius, Martenius, Zachagnius, Holſtenius, Allatius, aliique de quibus paullo ſuperius eſt dictum, Raderi Collectiones: Muratorii Collectanea; Baluzii Miſcellanea; Stevartii collectio Græca, & Latina; Poſſini editiones Græcorum Scriptorum; Johannes Bapt. de Bellegarde nonnullorum Patrum Græcor., & Latinorum verſiones. Accedunt Catalogi Scriptorum Eccleſiaſticorum, quos olim adornarunt Euſebius, S. Hieronymus, Gennadius Maſſilienſis, S. Iſidorus Hiſpallenſis, S. Idelphonſus Toletanus, Sigebertus Gemblacenſis, Honorius Auguſtodunenſis, & Henricus Gandavenſis, quos ad unum omnes collegit Aubertus Miræus, & Antuerpiæ edidit an. 1639. Bibliothecæ quoque, quas ſubinde adornarunt Trithemius, Sixtus Senenſis, Conradus Geſnerius, Poſſevinus, Caniſius, Bellarminus, Labbeus, Fabianus Juſtinianus, Olearius, Dupinus cum notis Petitdidierii, Simonii, Ceillierii, Soucietii, ut taceam de bibliothecis Sculteti, Riveti, Clerici, Cavei, Oudini aliorumque de Proteſtantium grege.

Adjumento ſunt Bibliotheca Photii, quam latine reddidit P. Andreas Scottus; & Bibliotheca Græcorum Patrum, quam latina verſione donavit P. Fronto Ducæus &c., Bibliothecæ item Orientales Herbelloti, & Aſſemani. Quibus attexere juvat Catalogos illuſtriorum bibliothecarum, quos compilarunt viri eruditi quamplures ſive ex Catholicis, ſive ex Heterodoxis, ideſt Bibliot. Cæſareæ Vindobon. Lambecius; Conſtantinopolitanæ Calaminius; Bavaricæ Hervardus; Venetæ Thomaſſinus Philippus; Florentinæ Ernſtius; Oxonienſis Jameſius; Batavæ Meurſius; Wirtembergenſis Sennertus; Lipſienſis Fellerus; Nurimbergenſis Saubertus; Auguſtæ Vindelic. Hoeſchelius, Ehingerus, & Reiſerus. Adjungendi Annales Eccleſiaſtici Baronii, ejuſque Critici Pagii, ut de Caſaubono, Uſſerio, Pearſono, Baſnagio, aliiſque, a quibus ii conſpurcati potius ſunt, nihil dicam; Continuatorumque Spondani, Bzovii, Raynaldi, & Laderchii. Hiſtoriæ item Eccleſiaſticæ Godavii, Choiſii, Couſini, Tillemontii, Fleu-

Fleurii, & nuper Clariſſimi Orſii, ut nunc taceam de Sudorio, ejuſque Continuatore Picteto, atque nonnullo alio, a quibus Eccleſ. hiſtoria plurima labe potius aſperſa eſt. Accedunt acta SS. Martyrum Ruinartii, & Aſſemani; Acta Sanctorum Surii, & Bailleti, aliorumque. Acta maxime tanto labore, ſtudioque tot voluminibus comprehenſa, edita, etiamque edenda a PP. Societ. Roſvveido, Bollando, Henſchenio, Papebrochio, Cardono, Janningo, Baertio, Rayæo, Boſchio, Sollerio, Pinio, Cupero &c. Igitur ex iſtis fontibus vix ac ne vix quidem indigitatis, patere ſatis, probatamque omni modo fore Patrum traditionem affirmamus, & quidem non jam ſi idem unus, vel alter, ſed omnes, aut omnium multa, aut maxima pars dicat; cujuſmodi Patrum conſenſus exempla ducta ſerie per dogmata 24, quibus illud quoque de Romano Pontifice, cujus in gratiam præſens adornatur opus, adjicimus, ſuperius protulimus.

R. ad 2. 2. Patribus pleraque quidem fuiſſe ſuppoſita, innumera interpolata, vitiata alia, alia mutilata: offendi multa captu difficilia ob linguas diverſas, & dialectos: nonnulla ambigua, dubia, obſcura, & ambagibus obvoluta. Verumtamen ex iis, quæ germana ſunt, & genuina, integra, indubia, quæque intellectu aſſequi, aut interpretatione adhibita intelligi poſſunt, exemplis plurimis demonſtravimus in re dogmatica Patrum concordem doctrinam non adeo difficulter obtineri: eoque imo facilius, ſi ratio habeatur cum mox laudatis eruditorum Criticorum ſtudiis ab ipſis in opera SS. Patrum naviter impenſis. Profecto Theologo non deſperandum erit, imo neque difficile futurum, ut ex Patrum operibus traditionem hauriat, ſi ad regulas attendat, quas magno rei Chriſtianæ bono, de eadem Chriſtiana re viri optime meriti elaborarunt. Mabillonius in ingenti opere de re diplomatica artem docuit, qua diplomata, inſtrumenta, tabulæ, & Mſs. Codices Latinorum facile dentur intelligi. Montfauconus Palæographiam græcam, ſeu de origine, & progreſſu caracterum, quibus uſi ſunt Græci, & vario apud illos in diverſis ſæculis ſcribendi modo, idem beneficium quoad ſcripta Græcorum præſtitit. Papebrochius Propylæum Antiquarium circa veri, ac falſi diſcrimen in vetuſtis membranis adornavit. Antiquorum diplo-

plomatum vindicias elucubravit Juſtus Fontaninus. Scheleſtratius tractatum adornavit de modo dignoſcendi ex forma characterum ſive Græcorum, ſive Latinorum ſcripturæ vetuſtatem. Joſephus Stephanus Epiſcopus Olorenſis Lexicon Eccleſiaſticum vocum, & phraſium ad ritum veteris Eccleſiæ ex Græcis, Latiniſque Patribus conſcripſit. Carolus Dufreſnius Ducangius Gloſſarium mediæ, & infimæ latinitatis; & Gloſſarium mediæ, & infimæ græcitatis concinnavit. Jacobus Billius Brunæus lectionum Græcarum volumen confecit. Gaſparus ipſe Suicerus etſi e Proteſtantium grege Eccleſiaſticum Theſaurum, ſeu Græcorum Patrum vocabularium ampliſſimum adornavit. Leo Allatius diſſertationes de libris Eccleſiaſticis Græcorum, & diatribas de variis Græcis ſcriptoribus, eorumque ſcriptis exaravit: non ſecus ac duos tomos de Græcia orthodoxa; cujus ſimilem operam in ſcriptores, libroſque Orientalium aliorum impenderunt Naironus, Echellenſis, Renaudotius, Aſſemanus &c., ut Cruſium, Crouzæum, Gronovium &c. præteream, qui ad unum omnes veterum ſcriptorum lectionem facilem tibi præbebunt.

Ad hæc plurimam ad aſſequendas veterum ſententias operam conferre poſſent Jo: Albertus Fabricius, qui bibliothecam Græcam, item Latinam, iterum bibliographiam antiquariam, ideſt introductionem ad notitiam Scriptorum, qui ſcripſerunt de antiquitatibus Hebraicis, Græcis, & Romanis vulgavit: Johannes etiam Henricus Hottingerus, qui inter alia hiſtoriam Eccleſ., & bibliothecam orientalem concinnavit; ſed longe meliores adornarunt Herbellotus, & Aſſemanus, quos ut præ illis, qui de pravo ſuo ingenio peſſima multa miſcuerunt, adeas, tibi auctor ſum. De origine, & cauſſis mendorum tractatum edidit Henricus Stephanus, & agunt etiam Mabillonius de ſtudiis monaſt. p. 2. cap. 16, Clericus art. Crit. tom. 2. ſect. 1; nec non Auctor lect. PP. par. 2. cap. 16. P. Nicolaus Nourrius in apparatu ad bibl. maximam veter. Patrum regulas tradit ad ſecernenda genuina a ſpuriis, atque intelligenda loca difficiliora Patrum. Nihil dicam heic de Harduino, & Germonio intemperantioris critices erga codices veterum Scriptorum accuſatis a Juſto Fontanino, & Petro Coutantio, aliiſque. Joſeph Maria Suarez Epiſcopus Vaſatenſis diſſertationes

nes in antiquitates Eccleſiaſticas condidit. Duguetius collat. Eccleſiaſt. eruditionis cumulatiſſimas adornavit. Item Johannes Filles; Gabriel Albaſpinæus, Antelmius, Morinus, Thomaſius, Bollandiani &c. Johannes Baptiſta Caſalius de ritib. veter. Chriſtian., & Ægyptior., item Jo: Michael Wanslebius; Edmundus Martenius de antiq. Eccleſiæ ritib.; iterum Joſeph Vicecomes, Paganinus Gaudentius de veteris Eccleſiæ dogmatibus, & cæremoniis egregie ſcripſerunt. Petrus Alloixius, & Angelus Rocca de Græcorum Patrum doctrina; Jacobus Goarius de Græcorum ritibus; Clariſs. Cardinalis Quirini de orthodox. vet. Græciæ Off.; Clemens Galanus de Armenorum Orthodoxia egregie diſseruere. Lucas Holſtenius, Emanuel Scheleſtratius, Johannes Ciampinus, Johannes Fonteau, Franciſcus, ac Joſephus Blanchinius; ut de Uſserio, Binghamo, Picteto &c. ſileam, de antiquitatibus Eccleſiaſticis optime meriti ſunt. De Eccleſiaſtica diſciplina Thomaſſinus, Thierrius, Du Meſnil, V. Cardinalis Thomaſius in indiculo inſtit. theolog. veter. Patrum; Laubruſellus in tract. de malo uſu Critices; Honoratus a S. M. in animadv. in regul., & uſum Critic.; Bonaventura Argonenſis in tract. de optima legend. PP. methodo; Petavius Theolog. dogmat. tom. 2. lib. 8, & lib. 9; Renaudotius tom. 7. perpet fidei; Mabillonius de ſtudiis monaſticis; Aguirræus de ſtud.; Fleurius in tract. de methodo ſtud.; Rollinus, aliique ut nihil morer criticos moroſiores Launojum, Dupinum, Bailletum, & ex Proteſtantibus Rivetum, Sculteum, Clericum, Cavæum alioſque hujus generis critices intemperantioris homines, præclaras regulas elucubrarunt, quibus ſi inhæreas, nihil captu difficile, nihil fidei adverſum, nihil illis ſubditicium, nihil tibi anceps, dubium, periculoſum, aut præpoſterum in lectione Patrum erit reliquum.

Ad perdiſcendas quoque varias, multipliceſque formas veterum Scripturarum egregias regulas, ac notiones tradunt Smetius, Hennius, Poſtellus de duodecim linguis, Duretus de linguis, & caracter. omnium Linguarum, Lancellotus in tabulis orthographiæ, Auctor tabularum alphabeticar. variorum characterum edit. Francofur. anno 1596., Sirmondus, Jobertus,

tus, Maffejus, Dauſquius, Voſſius, Scioppius, Havercampus, Eduardus Bernardus, aliique. Apud Romanos ante Imperatorum epocham litteras ſimplices fuiſſe, atque conſimiles obſervatum eſt: ab Auguſto uſque ad Antoninos adhibitos characteres quadratos. Ab Antoninis, & deinceps adhiberi cœpiſſe obliquos primum, & oblongos poſtea, ac demum impolitos, & Gothicis ſimillimos. A Longobardis poſtremo repertos minutos latinos characteres, rotundiores, noſtratibuſque ſimiliores; atque libenter ab Occidentalibus Monachis adhibitos, propterea quod illorum uſus ſcriptioni opportunior foret. Acceſſerunt poſtea Saxonici a prioribus aliquanto diſſimiles. Apud Germanos peculiares characteres a Rabbano Mauro inventos fuiſſe, & invectos. Apud Gothos teſte Socrate lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 22. ſæculo Eccleſiæ IV. ab Ulphila eorum Epiſcopo veteribus ſuffectos characteres, qui ab eo tempore Gothici audiunt. Celeberrimi habentur characteres antiquiſſimi Cyrilliani, & Hieronymiani vulgo dicti, quorum primos a S. Cyrillo ad uſum Illyricorum excogitatos ferunt; poſteriores Græcis ſimillimos a S. Hieronymo Dalmatis una cum bibliis in eorum linguam translatis datos. Apud Græcos exiguos characteres ab Ægypti Monachis, qui ipſos a Coptis acceperant, fuiſſe brevioris ſcriptionis gratia inductos. Notas vulgares, quibus compendio ſcribitur, ab Ennio inventas ſcribit S. Iſidorus: de iis vero egere Petrus Diaconus, Juſtus Lipſius, Vigenarius, Sertorius Urſatus, Gruterus, & alii. Fuerunt in uſu & aliæ notæ arcanæ dictæ, quarum ope olim litteræ Canonicæ, ſeu formatæ diſtinguebantur, atque Religionis Chriſtianæ negotia, & myſteria occultabantur. De hiſce agit Pacichelius in tract. de jure hoſpitalitatis lib. 1. cap. 4, & nos alibi diximus. Itaque ab hactenus laudatis ſcriptoribus omni ex parte, ſatis ſuperque SS. Patrum lectioni conſultum eſt, adeo ut difficultas omnis ab hæreticis objecta facile evaneſcat, illorumque neque menda, neque antilogiæ, neque errata, neque additamenta, neque idiotiſmi, neque implexæ, & implicatæ locutiones, neque phraſes difficiles, ac diſpares impediant, quominus ex illis traditio integra, & illibata hauriri, & haberi, & perennis quidem poſſit, ut exemplis plurimis ſuperius prolatis exploratum eſt. Atque plane ita

digitum ad fontem intendiſſe; dimiſſis innumeris, ex quibus magnum in lectione Patrum beneficium capi poſſet, ſatis ſuperque erit iis, pro quibus iſta procudimus, qui nempe a primo limine Theologica dogmata ſalutant.

℟. ad 2. 3. Eccleſiam noſtræ ætatis eamdem eſſe, ac Eccleſiam vetuſtiſſimi ævi, unum eſſe Deum quem colit; unam fidem, quam tenet; unum baptiſma, quo imbuitur. Ceteras res mutationi obnoxias eſſe, non Deum, non fidem, non Sacramenta; adeoque nec Eccleſiam. Igitur eſto novis emergentibus cauſſis quædam, quæ prius implicite credebantur, nunc explicite credenda proponantur, eadem tamen dogmata heri, & hodie: eadem doctrina vetus, & nova: atque Eccleſia, quæ adverſus novas inſurgentes hæreſes Arii, Neſtorii, Pelagii, Macedonii, Eutychetis &c. commota continuo eſt, eadem adverſus veteres invectas, inſtauratasque hæreſes a Valdenſibus, a Wicleffiſtis, a Socinianis, a Lutheranis, a Calviniſtis &c. tacere nequit: & ſicut olim ſcriptura non modo, ſed traditione hæreſes omnes interemit, ita nunc eodem ex traditione deſumpto mucrone renaſcentes intercidit. Eſto vero quæ nunc exardeſcunt controverſiæ, quibus finiendis tot ingentis molis volumina elucubrata ſunt, antiquitus non exarſerint, puta de Euchariſtia, de Confeſſione, de Purgatorio, de Juſtificatione, de Indulgentiis &c., quibus proinde explanandis ab opere, & labore integros cudendi libros peperceruntPatres, ſatis tamen ſuperque fuit, ut fidem noſtram obligent, quod aliquando, in aliquove ſuorum operum loco de iisdem proloquuti ſint, quæ teſtimonia illorum libris interſparſa, ac diligenter a theologis noſtris collecta traditionem apertiſſime oſtendunt, invictiſſimeque efficiunt. At neque adeo diverſa, & aliena erant argumenta, de quibus priſci Patres ſcripſerunt, ab argumentis, quæ hodie circa Religionem agitantur. Erant Apologiæ pro Chriſtiana Religione: erant Tractatus adverſus hæreticos: erant Cathecheſes ad baptizatos: erant Homiliæ ad fideles, & infideles, quibus etſi ex arcani diſciplina cathecumenis, & infidelibus ſacratiora Religionis myſteria abſcondebant, fidelibus tamen explorata ita erant, ut etiam allegoriis, metaphoriſque obvoluta ſatis ab illis dicta innoteſcerent, quæ vel contra Pa-

Paganos, Judæos, & Hæreticos; vel coram Cathecumenis, & Infidelibus enuntiabant.

Qui porro adverſus Paganos rem chriſtianam apologiis, libris, tractatibus, Orationibus, epiſtolis propugnarunt, ſunt præſertim S. Juſtinus, Clemens Alex., Athenagoras, Origenes, S. Cyprianus, Commodianus, Tertullianus, Lactantius, Minutius Felix, Julius Firmicus, S. Athanaſius, Arnobius, S. Gregorius Nazianz., S. Chryſoſtomus, S. Cyrillus Alex., S. Auguſtinus, Theodoretus, & maxime Euſebius in lib. de præpar., & demonſtr. Evang. Qui adverſus Judæos opera adornarunt ſunt S. Juſtinus in dialogo cum Tryphone, Tertullianus in lib. adverſ. Judæos, S. Cyprianus lib. 3. de teſtimon. ad Quirinum; quos ab Eraſmi cenſura vindicant Pamelius, & Baluzius; SS. Chryſoſtomus, & Auguſtinus in tract., & epiſt., & Euſebius in cit. libri 7. de præpar., & demonſtr. Evang. Qui contra hæreticos ſtrenue decertarunt, ſunt S. Ignatius in epiſt. ad Smyrn., ad Epheſ., & ad Trall. contra Simonem, Menandrum, & Ebionem, S. Irenæus contra Valentinum, Baſilidem, & Gnoſticos, Tertullianus contra Hermogenem, & Marcionem, S. Cyprianus, S. Dionyſius Alex., & S. Pacianus contra Novatianos; SS. Athanaſius, Hilarius Pictav., Ambroſius, & Auguſtinus contra Arianos; SS. Baſilius, & Gregorius Nazianz. contra Eunomianos; SS. Optatus, & Auguſtinus contra Donatiſtas; Theophilus Alex., & S. Hieronymus contra Origeniſtas; Idem S. Hieronymus contra Jovinianum, Helvidium, Vigilantium, & Pelagium. Contra Manichæos SS. Siricius, Leo, Gelaſius, Gregorius, aliique Pontifices; S. Serapion Thmuenſis; S. Dionyſius Alex; Titus Boſtren.; S. Auguſtinus, aliique apud Jacobum Baſnagium in præfat. ad Serapionem. S. Auguſtinus adv. Pelagianos: S. Cyrillus Alex. contra Neſtorium; S. Leo Papa contra eumdem Neſtorium, Eutychetem, & Priſcillianiſtas; & contra Eutychetem S. Gelaſius; & Vigilius Tapſenſis, nec non contra Neſtorium. SS. Sophronius Hieroſol., & Maximus Martyr. contra Monothelitas. SS. Johannes Damaſcenus, & Theodorus Studita contra Iconomachos. S. Anſelmus contra Græcos ſchiſmaticos, & S. Bernardus contra Abælardum, alioſque ſui ævi hæreticos, quorum quum pleroſque

que errores recoxerint Novatores, uti cum SS. Irenæo, Epiphanio, Theodoreto, Philaſtrio, & S. Auguſtino veteres recenſentibus, conferenti Sanderum, Hoſium, Lindanum, Prateolum, Reſcium, Gravinam, Berninum, Jovetium, ac nuperum Sciandam navos hæreſum novarum collectores conſtabit, palam fit a priſcis Patribus novos cum veteribus hæreticis fuiſſe confoſſos.

Qui de fidei articulis egere, atque quidem de Deo uno, & Trino ſunt S. Juſtinus lib. de Monarchia; Lactantius lib. de creatione; pſeudo-Dionyſius Areopag. de Divin. nomin.; S. Chryſoſtomus hom. *De incomprehenſibili Dei natura*, & de providentia; Theodoretus item de providentia; S. Athanaſius de Trinitate, & in epiſt. ad Serapionem, ad Adelphium, & ad Maximum; SS. Hilarius, & Auguſtinus in lib. de Trinitate; SS. Ambroſius, & Fulgentius in lib. de fide; S. Baſilius de ineffabili Trinit., epiſt. ad Amphil., & lib. contra Eunomium; S. Cyrillus Alex. in Theſauro; Vigilius Tapſenſis in libris contra Neſtorium, & Eutychetem; S. Dionyſius Roman. epiſt. adv. Sabellian.; SS. Liberius, & Damaſus epiſt. ad Orient.; S. Hieronymus epiſt. ad Damaſum de hypoſtaſibus; Didymus Alex. de Spiritu Sancto; SS. Gregorius Nazianz., & Gregorius Niſſen. de divinit. Spiritus ſancti. Qui de Incarnatione S. Irenæus lib. 3. adv. hæreſ. cap. 32; S. Hilarius Pictav. lib. 10. de Trinit.; Tertullianus lib. de carne Chriſti; S. Athanaſius in epiſt. ad Epictetum; S. Gregorius Niſſenus contra Apollinarem, & ſerm. de Nativit.; S. Cyrillus Alex. adverſus Neſtorium; S. Auguſtinus lib. 26. contra Fauſtum; S. Leo M. epiſt. ad Flavianum; S. Gelaſius lib. de duabus in Chriſto naturis; Vigilius ſupralaud.; S. Bernardus epiſt. ad Innocentium II. contra Petrum Abælardum, alioſque in collectione Lupi, & Coccii. Qui de gratia, & libero arbitrio SS. Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & Bernardus. Qui de Reſurrectione mortuorum Athenagoras in apolog.; Tertullianus de reſur. carn.; S. Cyrillus Hieroſ. cath. 18; S. Ambroſius lib. de fide reſur.; S. Hieronymus epiſt. 61; S. Auguſtinus lib. 20, & 22. de Civit.; Theodoretus lib. 5. hæret. fabul. cap. 19; S. Gregorius lib. 14. moral. cap. 27. Qui de ſacramentis, SS. Baſilius de baptiſ.; Ambroſius de initiand.; Cyrillus Hierol. in cathec.; Chry-

Chryſoſt. hom. 83. in Matth.; Auguſtinus de baptiſmo, & contra Parmenian.; Gaudentius in homil.; Pacianus de baptiſmo; Tertullianus de pœnit.; S.Fulgentius in epiſt. ad Ferrandum, & de remiſſ. peccat.; S.Cyrillus Hieroſol. de Euchariſtia. Qui de Eccleſia S. Cyprianus de unit. Eccleſ.; S. Irenæus adverſ. hæreſes; Tertullianus de præſcript.; S. Auguſtinus de vera Relig.; S.Optatus adverſ. Parmen.; Euſebius lib. de præpar., & demonſtr. Evang.; Vincentius Lirin. in Commonit.; S.Fulgentius de fide ad Petrum. Ex hiſce itaque, aliiſque genuinis, puriſſimiſque fontibus, quos vix uno, aut altero digito attigi, ſincera traditio plurimorum fidei dogmatum promanat, quibus cum laude non exigua ad ſtabiliendam Theologiæ ſacræ doctrinam uſi ſunt Petavius, Thomaſſinus, Aguirræus, Lauræa, Tournellius, Natalis, Bouchatius, Gotti, Berti, Thomas de Charmes, Dominicus a SS.Trinitate, aliique nuperi de Theologicis dogmatibus tractatores; contra quam proinde pudeat oblucłari Novatores, & oblatrare.

R. ad 3. 1. nefas eſſe de Patrum fide dubitare, ac ſuſpicari, ſicuti Eccleſiæ fidem in dubitationem adducere nefas eſt. Eadem enim Patrum, & Eccleſiæ fides ſemper fuit, ut exemplis ex doctrina 24. dogmatum excerptis, ac ſuperius exhibitis palam factum eſt. Duo vero diligenter ſunt diſtinguenda, quæ Dallæus cum fraude, & dolo commiſcuit, diſciplinam ſcilicet, & dogma: primam in Eccleſia variam extitiſſe pro varietate locorum, morum, temporum, hominumque ultrocitroque concedimus; non etiam variam circa dogmata doctrinam. Itaque ad diſciplinam ſpectant, quæ de jejunio, azymo, aliiſque ſimilibus objectat Dallæus: quinimo veluti diſciplinæ genus ſpectata fuiſſe ab Aſianis Paſchæ celebrationem Luna 14, & ab Africanis hæreticorum Anabaptiſmum ſuo loco luculenter demonſtrabitur. Quod ſi contendat Dallæus eas de Anabaptiſmo hæreticorum, & de Paſchatis celebratione, non ſecus ac de vario ſacrorum librorum Canone controverſias, aliaſque hujus generis ad fidem ſpectare: reponimus 1. de multis olim dogmatibus fuiſſe dubitatum, quæ facta dein diligenti inquiſitione Eccleſia ex Dei verbo ſcripto, aut tradito ad fidem pertinere declaravit: 2. circa multa etiam dogmata olim ſicut nunc hallucinatos permultos, ac imo erraſſe nonnul-

nullas Eccleſias; attamen ab Eccleſia Romana confeſtim fuiſſe correctos illos, iſtaſque emendatas: cui quidem qui auſcultarunt facile ab errore revocati ſunt, atque in communionem ejuſdem Romanæ Eccleſiæ recepti, ut ex innumeris laudatis ſuperius exemplis liquet; qui vero obſurdeſcere, atque obfirmato animo ſuo in hæreſis luto hærere maluerunt, ut nunc malunt Novatores, heu illos miſeros! E re ergo Romanæ Eccleſiæ fuit, in qua integra, & immaculata ſemper eſt ſervata traditio, emergentes hæreſes proſcribere, inſurgentes controverſias compeſcere; de fide motas quæſtiones finire; fidei dogmata, de quibus dubitaretur, patefacere, & declarare; ſacrarum ſcripturarum canonem cudere; Eccleſiarum errores corrigere &c. Romanæ igitur Eccleſiæ Traditioni, doctrinæ, fidei, decretis, definitionibus Patrum cohortem firmiter adhæſiſſe, ſemperque ſibi religioni duxiſſe, ac ſategiſſe, ut nunquam ab ea diſcederent, ac divellerentur, ex collatione dogmatum, quæ Patres tradidere, & quæ Pontifices Romani docent; atque ex lectione teſtimoniorum, quæ Patres de Romana Eccleſia protulere, quæque paullo poſt exhibebimus, exploratiſſimum eſt.

Regula 1. eſt ergo ad dignoſcendum quæ, & quando fide divina credenda docuerint, atque ab illis diſcernenda, quæ privatas inter opiſiones repoſuerunt: ſi videlicet Romana Eccleſia fide divina aliquid tenendum jubeat, id procul dubio fidei dogmatibus Patres adnumerarunt, atque fide divina crediderunt. Regula 2. ea eſt profecto Patrum ſententia, eſto methaphoris, allegoriis, aliiſque difficilibus locutionibus obvoluta eadem ſit, eaque ad fidem ſpectans, quam eſſe declaret Romana Eccleſia, verbi Dei ſcripti, & traditi interpres, motarumque exinde controverſiarum judex. Duabus hiſce generalibus regulis alias nonnullas particulares adjicere ad Patrum intelligentiam præſtat. 1. Patres ſuam de dogmatibus ſententiam tamquam neceſſario tenendam, fideque divina credendam propoſuerunt; ſi oppoſitam ut hæreticam habuerint; ac in hæreticis damnarint: ſi verbis uſi ſint fidei confeſſionem exprimentibus, quibus uſi ſunt in exponendis certis aliis fidei articulis: ſi de his Chriſtifideles, aut Catechumenos imbutos, inſtructoſque voluerint: ſi e contra de his adver-

adverſus hæreticos decertaverint. Regula 2. Patres imperitorum æque, ac doctorum fidelium gratia ſcribentes uſitatas vulgo loquendi formulas adhibuiſſe, neque ſumma diſtinctione grammaticalem vocum vim, ac poteſtatem quæſiviſſe: attamen eam vim, & ſignificationem ſemper detuliſſe verbis ſacræ Scripturæ, in qua a ſacris Auctoribus uſurpata ſunt. Regula 3. Patres coram ethnicis, aut cathecumenis diſſerentes, ſæpe ſæpius ænigmatice, methaphorice, & allegorice locutos eſſe: eas tamen locutiones non adhibuiſſe, unde ad litteram intelligendi ſunt, dum hiſtoricum, dum exegeticum, dum dogmaticum, dum polemicum agerent. Regula 4. de doctrina, & ſententia Patrum inquirendum eſt, intelligendumque ex illis locis præſertim, in quibus data opera rem excuſſerunt, opuſque ea de re elaborarunt: ibidem enim conſueverunt mentem ſuam magis aperire, oppoſitam acrius oppugnare, argumentiſque perſtringere adverſarios: quamquam argumentationes omnes ad rectæ omnino ratiocinationis amuſſim interdum diſputationis æſtu abrepti non ſemper exegerint, atque perduxerint. Præ oculis hiſce habitis regulis omnia Dallæi objecta evaneſcunt.

Regulis hiſce nihilominus ad majorem earumdem intelligentiam, ompemque prorſus in Patrum lectione amovendam moram nonnullas adhuc attexere juvat, atque jam allatas magis illuſtrare. Regula 1. Principio diſtinguendum eſt diligenter inter Traditiones: nam traditio alia fidei, alia morum, alia diſciplinæ; juxta quas res aliæ ad fidem, aliæ ad mores, aliæ ad diſciplinam attinent. Traditio item alia divina, alia Apoſtolica, alia Eccleſiaſtica, juxta quam diſtinctionem accepta alia Deo, alia Apoſtolis, alia Eccleſiæ referenda traditio eſt: de qua quidem varia acceptione quia agunt dilucide, & luculenter Theologi noſtrates Melchior Canus lib. 3. cap. 5; Martinus Beccanus 22. cap. 4; Gaudentius Bontempius in pallad. Theolog. tract. 1. diſput. 3. proem.; Dominicus a SSma Trinitate lib. 2. bibl. Theolog. ſect. 2. cap. 5; Petrus Annatus in appar. ad poſit. Theolog. lib. 3. art. 1. nolo heic eſſe multus. Regula 2. Antilogias quod attinet, quæ in Patribus aliquando offenduntur, vel inter plures occurrunt, vel in uno eodemque ſe offerunt, qui quæ

alicubi affirmavit, inficias alibi ivit, in anteceſſum eſt attendendum, num antilogiæ dumtaxat apparentes ſint, ut obſervatum eſt pridem appoſite a Patribus Concilii Nicæni II. act. 1, & Florentini ſeſſ. 25. cap. 2; nec non a SS. Auguſtino lib. 1. contra Julian. cap. 2, & Hieronymo epiſt. 28. Sin autem rei veritate ſubſiſtant, animadvertendum an circa dogmata obverſentur, an circa adiaphora, de quibus in utramque partem diſputare potuerunt, quin propterea invidiæ affrciantur. Quum vero diſſenſio in re dogmarica eſt, admodum intereſt attendere ad tempus, quo ſcripta ejuſmodi ſunt, num nempe antequam exorta hæreſis ab Eccleſia hoc nomine haberetur; quo ſane nondum ſatis accurate, cauteque Patres loqui conſueverant, ut apte adnotarunt SS. Hieronymus lib. 2. adv. Ruffin.; Auguſtinus lib. 1. contra Donat. cap. 7, & lib. de bono perſev. cap. 20; atque S. Thomas præfat. oper. adv. error. Græcorum. Si vero poſt definitionem Eccleſiæ, eliquatamque veritatem, tum religio erit a Patris opinione recedere, juxta effatum S. Cypriani epiſt. 73. ad Jubajan. Demum ſi contradictio in eodemmet Patre adpareat, qui diſſimiliter de eadem re dixerit, tum imprimis de vera Patris ſententia dijudicandum eſt ex iis locis, in quibus accurate, ex propoſito, naviterque rem pertractavit, non ex iis, in quibus carptim, perfunctorie, ſummiſque dumtaxat digitis rem obiter attigit; tumque tandem poſtremæ citius, quam priori Patris ſententiæ ſubſcribendum eſt; atque iis ſtandum, quæ dogmatice tradidit præ iis, quæ tradidit hiſtoricum, aut interpretem agens; quod duplex officium in Patribus olim diſtinxit S. Hieronymus lib. 1. contra Jovin.; vel quæ Senior exaravit, vel quæ retractavit, ut fecere, exemploque ſuo admonuere S. Auguſtinus duobus libris Retractationum adornatis, & V. Beda in Retractatione ſuper Actus Apoſtolorum. Regula 3. Errores quod attinet, qui Patribus affricari poſſent, attendendum principio eſt libros pleroſque Patribus ſive Heterodoxorum malitia; ſive pia Catholicorum fraude fuiſſe attributos: germanos autem Patrum libros plerumque ab hæreticis dolo, arteque, vel ab catholicis ſocordia, atque ignorantia, vel per detractionem, vel per tranſmutationem, vel per additionem interpolatos. Porro Patribus ſuppoſitum opus tum conjicitur, quum

quum vel in veteribus optimæ notæ codicibus deſideratur; vel ab omnis ætatis ſcriptoribus alteri attribuitur, ut adnotavit S. Auguſtinus lib. 33. contra Fauſtum cap. 6; vel nullum apud ſyncronum, atque ſubſequentem ſcriptorem, etſi occaſio, & neceſſitas afforet, mentio occurrit, ut obſervavit Euſebius lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 3; vel certo conſtat auctorem in oppoſita opinione hæſiſſe; ut admonuit Ruffinus in epiſt. ad Macarium; vel in opere res, & perſonæ regeruntur Scriptore illo, cujus nomine inſignitur, recentiores, ut vidit Photius cod. 101; vel ſtylus ab aliis auctoris ſcriptis omnino diſcrepat, ut diſpexit Euſebius lib. 3. cap. 25. Interpolatum vero opus conjicitur ex collatione cum vetuſtioribus codicibus; aut ex citatione eorumdem locorum apud ſcriptores coævos, & accuratos: aut ex conſideratione diligenti contextus, antecedentium, conſequentium, phraſium &c. Poſthæc ſi rite poſſunt, explicandi, interpretandique ſunt. Ita jubent Facundus Hermian. lib. 9. de trib. Capit. cap. 5; & Vincentius Lirin. Common. cap. 38. Atque ita ex aliis inveſtiganda eorum mens, uti dixit de S. Dionyſio Alex. S. Athanaſius in epiſt. adv. Arianos; & docent S. Gregorius Nazianz. epiſt. 26; atque Philippus Abbas Bonæſpei epiſt. 5. Si non error poteſt, excuſari ſaltem perſona debet, quatenus carptim, curſimque ſcripſerit, aut in ſententia non permanſerit, aut per ignorantiam peccarit: quemadmodum egit erga S. Cyprianum S. Auguſtinus lib. 6. de baptiſ. adverſ. Donat. cap. 2; agendumque docuit lib. 2. de Trin., & epiſt. 62. Adhæc aliquando Patres ex aliena ſententia loquuti ſunt, ut de Origene adnotavit S. Athanaſius lib. de decret. Synodi Nicænæ; de aliis S. Hieronymus lib. 1. adv. Jovinian.; & de S. Gregorio Thaumaturgo S. Baſilius epiſt. 64: aliquando vero ex adverſariorum ſententia retulerunt, ut fecit S. Auguſtinus lib. contra Adimantum cap. 12: & aliquando ex aliorum ſcriptis regeſſerunt, ut ait S. Hieronymus de ſe ipſo præfat. 11. Comment. in Iſaiam. Regula 4. Circa controverſias a Patribus exagitatas quæſtionis ipſius ſtatus introſpiciendus, diſquirenduſque eſt diligenter; atque accurate rationum momenta, antecedentia, & conſectaria attendenda, indaganda, & expendenda. Præ oculis præterea habere oportet tempora, occaſioneſque, pro

quibus jactatæ quæſtiones ſunt: cujates item, & cujuſmodi ſint quæſtiones, quorumque placitis minime reſpondentes reſpiciendum: ad Philoſophicas perinde ſectas, quibus addicti Patres verba perſæpe ſectis illis ſolemnia adhibuerunt: intendere etiam juvat in ſtylum, loquendique modum illorum proprium, frequentem, ac peculiarem, pro ingenio, loco, tempore, ac re, prout obſervarunt S. Auguſtinus tract. 97. in Johan.; S. Hieronymus epiſt. 57. ad S. Damaſum de varia acceptione vocum Uſiæ, & Hypoſtaſis; S. Athanaſius epiſt. de ſentent. S. Dionyſii de variemode uſurpata voce *Omouſion* a PP. Antiochenis adverſus Paulum Samoſatenum, & a PP. Nicænis adverſus Arium; S. Thomas 1. p. q. 19. art. 2. ad 1; & S. Bonaventura in 1. ſentent. diſt. 1. q. 1.

℟. Ad 3. 2. iniquiſſime erga Patres ſe gerere Barbeyracium, antiquataſque calumnias recoquere, quibus quum abunde Doctiſſimus Ceillierius in apolog. *de la Morale des Peres* ſatisfecerit, omneſque ad unam diſpulerit, & diſpunxerit, non eſt cur hiſce iterum diſpungendis, diſpellendiſque multa, eaque inanis impendatur opera. Satius erit propterea, ſi præcipua, ac ſumma capita diſcutiantur. At in anteceſſum nolo exiſtiment Novatores ita pro Patribus tamquam pro aris, focisque pugnare Catholico-Romanæ communionis homines, ut in illis, quos tamen pro officio ſumma reverentia, ut filios erga Patres, & diſcipulos erga Magiſtros decet, proſſequuntur, ut in illis, inquam, nihil erratum, nihil incurioſum, nihil vanum, nihil veri minus ſimile, ſed omnia vera, omnia ſacra, omnia excellentia, omnia ſumma velint: homines enim fuerunt, humani aliquid paſſi, quibuſque præter ſententiam aliquid obreptionis, vel ſubreptionis adhærere, aliquidque minus veri, minuſve conſulti excidere potuit. Quamobrem, ut in Patribus vera ab incertis, communia a ſingularibus, verbo, ſequenda, & amplexanda a rejiciendis, & abjiciendis diſcernantur, ad allatas regulas attendere jubent viri Clariſs. Thomaſius, Mabillonius, Laubruſſellus, Fleurius, Billius, Nourrius, Thierrius, aliique, qui hoc in ſtudii genere cum gloria ſe ſe exercuerunt. Jam vero parce ſtrictimque, quoad fieri poterit, ad impactas ab impudentiſſimo, proſligatiſſimoque conviciatore SS. Patribus calumnias, impoſitas

fitasque criminum personas deterrendas, delendasque descendo.

Atque quidem 1. Athenagoras, uti qui de castitate maxime sollicitus erat, sicut ex apologia apparet, atque cælibatum longe matrimonio anteferebat, & a secundis nuptiis temperantes Christifideles, propterea quod non pudici admodum animi id esset indicium, peroptabat, paullo durius de secundis nuptiis loquutus est: qui proinde eodem sensu explicandus est, quo Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, SS. Basilius, & Hieronymus, qui quamvis alicubi secundas nuptias honestum adulterium, vel fornicationem appellarint, uti Clemens lib. 3. strom.; Tertullianus lib. 2. ad Uxor. cap. 2; Origenes hom. 17. in Luc.; S. Basilius epist. 197. ad Diodorum; & S. Hieronymus epist. 85. ad Salvinam edit. Martianæi: ubi tamen serio de re actum est, num videlicet secundæ nuptiæ licitæ, an illicitæ essent, licitas affirmarunt. Ita Tertullianus lib. 1. ad Uxor.; Origenes hom. 19. in Hierem.; Clemens Alex. lib. 3. Strom. pag. 428. edit. Paris. anni 1641; S. Basilius loc. cit.; & S. Hieronymus epist. 27. ad Marcellam; & in apolog. ad Pamachium. Præterea Athenagoras epitheto illo *Honesti* voci *Adulterii* adjuncto satis significat, quo statu adulterii vox accipienda sit. 2. Clemens Alex. neque Stoicum egit, neque idololatriam suasit: priori enim loco differens de exhortatione Christi Domini ad fugam capessendam tempore persecutionis, id de fuga ea ratione dictum a Christo Domino ait, ne nos aliis, nobisque mali auctores simus, non autem quod malum sit pati persecutionem, quum ipsa potius mercedis in Cælis reportandæ sponsio sit, atque ea ratione alacri animo sustinenda. Posteriori vero loco non alia est plane Clementis sententia, quam S. Pauli Rom. 1, 20. data videlicet visibilia, ut ad invisibilia assurgerent homines: atque quidem ut oculus in visibilibus hisce hæreret, non autem sensus, & animus, sed ab his ad Deum ascenderet.

S. Cyprianus equidem 3. cælibatum laudavit, & servavit, neque id ei crimini vertat, nisi qui Scripturæ sacræ Matth. 19, 7; 1. Corinth. 7, 1; & traditioni S. Justini apolog. 2; Athenagoræ in Legat.; Tertulliani lib. 1. ad Uxor. cap. 6; Minutii Felicis in Octav.; Theophili Antiocheni lib. 3. ad Autolycum; S. Epiphanii

nii in expoſit. fidei n. 21, & hær. 59; S. Hieronymi adv. Vigil., & Jovin.; S. Chryſoſtomi hom. 2. in Job; Euſebii Cæſar. demonſtr. Evang. lib. 9. cap. 9; Syneſii epiſt. 105; S. Ambroſii de offic. lib. 1. cap. ult.; S. Auguſtini de adulter. conjug. lib. 2. cap. ult.; S. Leonis M. epiſt. 84, & 92, aliorumque cælibatum matrimonio anteferentibus detractum velit. S. Cyprianum vero matrimonio pridem conjunctum pernego. Ante Epiſcopatum quidem eum uxoratum Baſnagius, & Fellus ex Proteſtantibus; & Baronius, quem non ſecus atque in pejora delapſum Pearſonium corripuit propterea in poſt. edit. Pagius ad annum 248., putant, ex eo quod Pontius in ejus vita ſcripſerit: *Non uxoris ſuadela deflexit*: ſed id Pontius de Jobo, cujus meminit, non de Cypriano dixit, ut Pagius recte, appoſiteque ibidem n. 5. animadvertit. Quare quod S. Cyprianoaffingit Barbeyracius, grave nempe illi fuiſſe, quod ſe ab uxore ſejunxerit, omnino commentitium eſt. Confer Ruinartium act. ſinc. SS. Martyr. pag. 180. edit. Veron., Pamelium in epiſt. 49. S. Cypr.; & Scheleſtratium diſſert. 3. cap. 4. Idem S. Cyprianus lib. de bono patientiæ in medium prolato Chriſti Domini exemplo, inter alios de patientia commendat Abelem, qui adverſus fratrem parricidam non reſtitit, nec reluctatus eſt; ſed humilis, & mitis patienter mortem pertulit. Quid hinc criminatur violatum jus naturæ, ac hujuſmodi juri vim illatam? Quorſum Barbeyracius confundit cum jure præceptivo jus permiſſivum? Abeli permiſſum erat contra Cainum ſe tueri, non ei id præceptum erat, ut cum Fratris nece ſe tueretur. Si attendiſſet iis, quæ de Chriſtianorum ptiſcorum patientia in adverſis rebus perferendis, ac tolerandis malis perſecutionum ſcriptis conſignarunt Clemens Alex. lib. 5. ſtrom.; Tertullianus lib. de patientia; Athenagoras in legat. pro Chriſtianis; S. Juſtinus in apolog.; Arnobius ſenior lib. 1. contra gent.; Origenes lib. 2. contra Celſum; Euſebius Cæſar. lib. 1. præpar. Evang. cap. 4; Lactantius lib. 5. inſtit. cap. 13; & acta SS. Martyrum apud Ruinartium regerunt; imo Chriſtus in Evang. Matth. 5; & Apoſtoli act. 5. verbo, & exemplo docuerunt, non ita inſaniiſſet. Poſtremo loco, ſcilicet in epiſt. ad Puppienum, S. Cyprianus equidem arguit, quod ſi ipſe nec Epiſcopus, nec Sacerdos eſſet, uti Puppienus Novatianus

tianus eum eſse inficias ibat, invalidum fuiſset Sacramentum reconciliationis, ſeu pœnitentiæ, & peccatorum remiſſionis toties Fidelibus a ſex annis ab ipſo adminiſtratum. Forte etiam, aut ego fallor, ex eo quod Puppienus ipſi Epiſcopatum, ac etiam ſacerdotium ſua ſententia abjudicaret propter criminum perſonam ipſi objectam, intulit ſuum errorem, quo jam erat imbutus, ſcilicet invalidum eſse baptiſmum ab hæreticis collatum; nam ait: *Subveniat Puppienus, ne novus credentium populus nullam per nos conſecutus eſſe baptiſmi, & Spiritu S. gratiam judicetur*: de quo quidem Cypriani errore alio in loco dicendum erit. At vero inferri, quod imaginati ſunt Clericus, & Barbeyracius, videlicet validam Epiſcopi ordinationem ab ejuſdem moribus pendere, atque ab valida Epiſcopi ordinatione ſalutem populi, nullo modo poteſt: ab hæreticis enim Baptiſmum, & Ordinationes collatas nihil valere, eſto cenſuerit Cyprianus, ut qui in eo verſabatur errore, quod a charactere non diſtinguens gratiam, gratiam, & ſalutem extra Eccleſiam non eſſe cenſeret, non ita cenſuit de collatis ab hominibus crimine quoppiam præter ſchiſma, vel hæteſim irretitis.

Quod 4. ad Lactantium attinet, is plane bellum Chriſtiano non licere non docuit, ſed abhorrere ab humana natura, ac multo magis ab homine juſto homicidia. Non enim Lactantium latebat ex S. Scriptura Luc. 3; & Act. Apoſtol. 10. fas fuiſſe Chriſtianæ militiæ nomen dare: atque reapſe ſub Adriano, Antonino, & Severo Imper. Chriſtianorum plurimos rei militari implicatos fuiſſe. Sed & Chriſtianis hominibus caſtra ſectari licuiſſe perſpectum fuerat Tertulliano apologet. cap. 37; Origeni lib. 1. contra Celſum; Clementi Alex. lib. 2. pædagog. cap. 11; Apollinari Hierapolit. apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 5. aliiſque; quippini igitur Lactantio idipſum exploratum fuerat? Negotium, & mercaturam in locis, ubi manebant, veteres Chriſtiani etiam gerebant, ut ſe, ac familiam alerent; non etiam rei familiaris augendæ, amplificandæque gratia itineribus longis ad loca diſſita ſe ſe committebant. Eo itaque ſenſu loquutum Lactantium, non ſecus ac Tertullianum lib. de Idolol. cap. 11; S. Juſtinum in epiſt. ad Diognetum; & Minutium Felicem in Octav., legenti patebit.

tebit. Eo quoque ſenſu ſcripſit Lactantius juſto non licere quemquam accuſare crimine capitali, quod hominem occidi, quum res eſſet ſummopere odioſa, ei partem ullam, operamque dare Chriſtianum nollet. Ea igitur Lactantio inſederat ſententia, Chriſtianis, quemadmodum ethnicis, cauſſa ambitionis, aut lucri, aut odii nec militandum, nec navigandum, multo minus alterum capitali crimine accuſandum eſſe: neceſſitate tamen, aut Principis imperio adactos mercaturam exercere, & militiæ nomen dare poſſe: & quandoque poſſe, gratia conſervandæ propriæ aut Reipublicæ tuendæ, hoſtibus vitam adimere. Confer clariſs. Mamachium orig., & antiq. Chriſt. lib. 3. cap. 4., ubi a Petavio, & Salmaſio, quibus addendus Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. IV. Synop. cap. 6. art. 3, in Lactantium minus æquis, hacce in re ipſius doctrinam egregie vindicat. Quod poſtremo de fœnore a Lactantio damnato objicitur, paullo poſt explodetur: eumque certe edita apologia egregie vindicavit Aloyſius Bulteau.

S. Baſilii Magni 5. ſenſum profecto aſſequuti minime ſunt, qui ea objiciunt. Priori enim loco epiſt. canon. cædibus in bello patratis, aut ad ſui defenſionem aperte notam homicidii non eſſe inurendam affirmat; earum tamen auctoribus conſulit, ut pœnitentiam agant, idque ad eluendam, ſi quæ intervenit, culpam, atque ad præcavendum omne voluntariæ cædis periculum. Poſteriori vero loco ſtatuit, ut qui fornicatione ſunt conjuncti, ſeparentur, & pœnitentiæ ſubjiciantur; atque ipſis ſuadendum, ut matrimonium poſt pœnitentiam differant contrahendum: ſi vero antequam pœnitentiæ fornicationi decretæ adjicerentur, matrimonio conjuncti fuiſſent, pœnitentiæ etiam tempore propter incontinentiæ periculum non eſſe ſeparandos, niſi ipſi ſeparationi conſentiant, & incontinentiæ periculum procul abſit. Ita Balſamon in hunc canonem. Multo magis pendendum, ac ponderandum videtur, quod S. D. epiſt. 1. canon. ad eumdem Amphiloch. can. 9. ſtatuit: ſcilicet cauſſa fornicationis licitam eſſe ſeparationem conjugum quoad thorum, eaque in cauſſa par eſſe jus viri, ac mulieris juxta legem Evangelicam: at juxta Eccleſiaſticam diſciplinam virum hac in cauſsa ſuperiorem eſſe, adeout vir mulierem adulteram dimittere poſſit, atque alteram ducere uxorem, non

non autem mulier virum adulterum dimittere, & alteri viro matrimonio copulari. Ejuſdem ſententiæ eſse videntur Ambroſiaſter, ſeu Hilarius Sardus Diaconus in cap. 7. epiſt. 1. ad Corinth.; Lactantius lib. 6. inſtit. cap. 23; S. Aſterius hom. de repudio; Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 34; Origenes in cap. 7. Matth.; Theodoretus lib. 4. hæret. fabul. cap. 6; S. Epiphanius hær. 59; Theodorus Cantuarienſis in pœnit. cap. 116. apud Morinum; Concilia S. Patritii can. 26; Romanum ſub S. Leone IV. can. 36. apud Luitprandum, ſeu Auctorem libri de vitis Rom. Pontif.; Veneticum circa annum 465. can. 2; & Bituricenſe anno 1031. can. 16: atque ita conjugia diſſolvi adulterio legibus Principum declaratum eſt, quas legere eſt in codice Juſtiniani lib. 5. *De Repudiis* tit. 17; & lib. 9. *De Adulteriis* tit. 9; & in codice Theodoſiano lib. 3. tit. 16; nec non in Capitularibus Regum Francorum. Et ſane in Concilio Florentino cum Græcis expoſtulavit Eugenius IV, quare Matrimonia ob adulterium dirimerent: iis tamen in ſententia manentibus non ultra de fide negotium eſt faceſſitum. In Tridentino etiam dum ſeſs. 24. teſte Pallavicino Canonem 7. ita meditati eſſent Patres, ut anathemate damnarent eos, qui aſſererent matrimonium ob adulterium diſſolvi, interceſſere Oratores Veneti ejuſmodi canonis promulgationi reponentes fore, ut Græci apud ipſos degentes a fide deſciſcerent, non paſſuri matrimonia ob adulterium diſſoluta anathemate damnari. Cujus quidem interceſſionis, & ſupplicationis habita ratione Canon ita ut extat nunc emendatus, temperatus, & emollitus eſt. Denique hanc quæſtionem ſuo tempore obſcuram, ac maxime implexam fuiſſe teſtatur S. Auguſtinus lib. de fide, & oper. cap. 19; ideoque hiſce permoti in eamdem ſententiam conceſſere Cajetanus, Catharinus, Eraſmus, Launojus, & alii. Igitur excuſatione dignus eſt S. Baſilius, ſi eam in ſententiam abiit.

Cæterum vera, & certa ſententia eſt viro, æque ac uxori illicitum eſſe a matrimonii vinculo ob adulterium alterius partis reſilire, quam tradunt Athenagoras in apologia pro Chriſt.; Clemens Alex. lib. 2. Strom.; Origenes tract. 7. in Matth.; S. Gregorius Nazianz. orat. 31; S. Chryſoſtomus hom. 17. in Matth.;

Victor Antioch. in 16. Lucæ; & Theophylactus in 7. epiſt. 1. ad Corinth. Ex Latinis autem Tertullianus lib. 4. contra Marc. cap. 34; & lib. de Monogamia capp. 9, & 11; S. Ambroſius lib. 8. in cap. 16. Lucæ; S. Hieronymus in cap. 19. Matth.; epiſt. 3. in epitaphio Fabiolæ; & epiſt. 147. ad Amandum; S. Auguſtinus de bono conjugali capp. 7, 15, & 18; de adulterinis conjugiis lib. 1. capp. 9, & 11; & lib. 2. capp. 5, & 9; S. Innocentius I. epiſt. 3. ad Exuperium cap. 6; Primaſius in cap. 7. epiſt. 1. ad Corinth.; S. Iſidorus lib. 2. offic. cap. 17; V. Beda in cap. 10. Marci; Carolus Magnus lib. 6. Capitul. cap. 87; Haimo in cap. 7. epiſt. 1. ad Corinth.; S. Nicolaus I. epiſt. 59; Johannes VIII. epiſt. 65, & 198; S. Anſelmus in 5. Matth., & 7. epiſt. 1. ad Corinth.; Ivo Carnot. epiſt. 152. Concilia Trullanum can. 87, & 98; Illiberitanum cap. 9; Arelatenſe I. an. 314. can. 10; Milevitanum II. an. 416. can. 17; Herufordienſe an. 673. cap. 10; Forojulienſe anno 791. cap. 10; Tullenſe II. anno 860. in epiſt. Synod.; Triburienſe anno 895. cap. 46; Nannetenſe circa annum 900. cap. 12; Alexander III. cap. *Ex parte* de ſponſalibus, & matrimoniis, & cap. *Quæſivit* de divortiis; Innocentius III. cap. *Gaudemus* de divortiis, & lib. 1. de contemptu mundi cap. 18; Albertus Magnus in cap. 5. Matth.; S. Bonaventura in 4. diſt. 35. q. 4; Tridentinum ſeſſ. 24. can. 7; & communiter Theologi, & Canoniſtæ. Quinimo nonnullis ex antiquis Patribus oppoſitam ſententiam perperam appingi oſtendunt viri eruditi: ita Tertulliano, & Origeni oſtenditur ex ſupra citatis locis, in quibus pro vera ſententia ſtant, & aliorum referunt, quam ſuam non faciunt: vel ſaltem debere, ac poſſe rite exponi: ita Ambroſiaſtrum, & S. Aſterium loquutos eſſe de ſecundis nuptiis prima uxore defuncta; ita etiam loquutos Theodoretum, & S. Epiphanium: quamvis Theodoretum de ſolutione matrimonii quoad thorum, non quoad vinculum intelligendum contendit Duhamel tom. 7; & S. Epiphanii locum depravatum pugnat Petavius; quem tamen accipiendum de ſolutione matrimonii ob mortem alterius conjugis, adeoque de ſecundis nuptiis cenſet Nourrius. Ita antiqua pœnitentialia, & Concilia allegata eſſe accipienda hoc modo, videlicet quum vigerent Impera-

ratorum leges, quibus licebat poſt repudium alia inire matrimonia, autumarunt ſibi abſtinendum a rigore præcepti, adhibendaque potius verba conſilii, ſuaſionis, & exhortationis; quamquam nihilominus Evangelicum eſſe præceptum, ne quis dimiſſam a viro ducat, niſi adulter haberi velit, ſatis ſignificent. Leges vero Principum nos non moramur hacce in re, de qua judicandum juxta legem Divinam, & Eccleſiaſticam, non civilem, & laicam. Quamquam neque abſque ullo limite concedunt Leges laudatæ, ut dato uxori repudio a marito, & viceverſa liceat alteram, vel alterum ducere, ſed eo dumtaxat caſu, quo maritus fuerit homicida, vel maleficus, vel ſepulchrorum defoſſor, aliud connubium uxori conceditur; conceditur que viro eo caſu, quo uxor mœcha ſit, vel medicamentaria, aut conciliatrix, hoc eſt adultera, venefica, aut lena. S. Baſilium denique quod ſpectat, benigne æque, ac rite ita accipi poſſe, ut indulgentia quidem erga viros, qui ob adulterium dimiſſa uxore aliam duxerint, ab aliquibus actum eſſe ſignificet, qua indulgentia non agendum æque erga uxores in pari cauſsa putarint, adeoque ſe hujuſmodi viros nolle pœnitentiæ adjicere, quamquam juxta legem Evangelicam illicitum æque eſſe hujuſmodi viri connubium indicet. Eum eſſe S. Baſilii ſenſum confirmatur ex lib. de Virginitate, ubi ait: *Non audis quoniam, qui dimiſſam duxerit, mœchatur? Etſi enim*, ſubdit, *pro culpa dimiſſa eſt, vivit tamen vir ejus*. Confer Petavium in animadverſ. ad hæreſim Novatianorum; Nourrium in appar. ad Bibl. maximam SS. Patrum diſſert. 4; & Cottellerium in adnotationibus ad PP. Apoſt. Quod poſtremo contra S. Baſilium producitur, leve adeo eſt, ut vix reſponſo dignemur: ſeria cogitantem, mundana ſpernentem, carnem crucifigentem voluit Monachum, non Evangelio contradicentem: Chriſtianum docuit non facile jurare, & a litigiis abſtinere, quod docuit Chriſtus.

S. Gregorius Nazianzenus 6. jure optimeque ſcripſit, non permittendos hæreticos conventus agere, non quod alioquin id quaſi foret eorum doctrinam approbare, ut perperam infert maleferiatus Barbeyracius; ſed quia conventicula illa in contemptum Religionis cederent. Plane id eo ſenſu intulit Calviniſta

iſte, quod corporales pœnas infligendi hæreticis poteſtatem omnem Eccleſiæ ademptam vellet, longeque procul amandatam. At fruſtra id refricat: quippe jure ab Eccleſia hæreticos pœna temporali puniri, eoſque imo ſæculari poteſtati contradi pœna etiam capitali plectendos multis, invictiſque argumentis oſtendunt noſtri Theologi, præſertim Bellarminus lib. 3. de Laicis capp. 21., & 22; Diana in dogmatico tract. 16; Suarez de fide diſp. 20. ſect. 3; & diſp. 23. ſect. 1; Natalis hiſtor. Eccleſ. ad ſæcul. XIII., & XIV. diſſert. 3, aliique tum nempe ex S. Scriptura Deuter. 13, 17, & 18; 3. Reg. 18, & 4. Reg. 20, & 23: item Johann. 10; Matth. 7; Lucæ 20; 2. Petri 1; 2. Corinth. 10; & Rom. 13. Quibus ex poſtremis locis S. Pauli colligit S. Bernardus ſerm. 66. in Cant. etiam miniſtros Eccleſiæ poſitos eſſe ad vindictam de hæreticis repetendam: tum ex SS. Pontificibus S. Innocentio I. epiſt. ad Concil. Carthag.; S. Leone I. epiſt. 2, 47, 90, & 93. de Manichæis, & Priſcillianiſtis; S. Gelaſio, ſive S. Felice III. in commonit. ad Fauſtum magiſtrum; S. Symmacho relato can. *In Canonibus* 17. q. 1; Pelagio I. epiſt. 3. ad Narſem Patritium; S. Gregorio Magno lib. 1. dialog. cap. 4; lib. 1. epiſt. 72. ad Gennadium Patritium; lib. 3. epiſt. 32. ad Pantaleonem Epiſc.; & lib. 4. epiſt. 3; Lucio III. extra de hæret. lib. 5. tit. 7. cap. 9; Innocentio III. ibidem; Gregorio IX. ibidem cap. 15; Alexandro IV. 6. decretal. de hæret. capp. 2, & 4; Clemente V. extra de hæret. cap. 3; Martino V. in Concil. Conſtant., & Leone X. conſtit. *Exurge*: tum ex Conciliis Antiocheno anno 341. can. 5.; Nicæno apud Sozomenum lib. 1. cap. 20, & S. Auguſtinum epiſt. 66; Epheſino generali epiſt. ad Clerum, & populum Conſtantinopolit.; Toletano IV. capp. 57, & 59; Lateranenſi IV. cap. 3; Viennenſi extra de hæreticis; Conſtantienſi, & Lateranenſi V.

Nec altera inſedit ſententia SS. Patribus Ignatio in epiſt. ad Epheſios, & Philadelphios; Irenæo lib. 3. cap. 3; Tertulliano in ſcorpiaco cap. 2; S. Cypriano de exhort. Martyrii cap. 5; Euſebio Cæſar. lib. 3. vitæ Conſtant. cap. 64; Athanaſio de Synodis Arimin., & Seleuc.; Gregorio Nazianz. epiſt. 77. ad Olympium, orat. 31, & 46; Optato Milevitano lib. 3. adverſ. Parmen.;

Lu-

Lucifero Calaritano *De non conveniendo cum hæreticis*; Ambroſio lib. 1. de Spiritu Sancto in prologo, & epiſt. 81. ad S. Siricium; Ephræmo Syro de virtute cap. 8; Johanne Cyprio in vita S. Epiphanii cap. 59; Hieronymo lib. adverſus Pelagium cap. 2, ad Fabiolam de 42. manſionibus, manſione 29., & in cap. 5. epiſt. ad Galatas relato can. *Reſecanda* 24. q. 3; S. Auguſtino lib. 2. Retract. cap. 5, lib. contra duas epiſtolas Gaudentii Donat. capp. 19, 25, & 34, lib. 1. contra epiſt. Parmen. cap. 7, tract. 11. in Johann., epiſt. 48, nunc 93. ad Vincentium Rogatiſt., epiſt. 50, nunc 186. ad Bonifacium Comitem, epiſt. 166, nunc 105, & epiſt. 167, nunc 89. ad Feſtum; Philone Carpathio in Cantica ad illud: *Capite nobis vulpes parvulas*; Cyrillo Alex. lib. 8. de Spiritu Sancto, & epiſt. 20; Sozomeno lib. 2. cap. 30, & lib. 5. cap. 5; Theodoreto lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 10, & lib. 5. cap. 1; Proſpero Aquit. contra collator. cap. 41; Johanne Maxentio in reſpon. ad epiſt. S. Hormiſdæ; Procopio Gazæo in Exod. ad illud: *Si quis furatus fuerit* &c., & in Deuteron. ad illud: *Si deprehenſus fuerit* &c.; Evagrio lib. 5. cap. 18; Johanne Damaſceno in dialogo adverſus Manichæos; Beda lib. 3. in Cant.; Rabbano in cap. 11. Judith.; Anaſtaſio bibliot. variar. hiſtoriar. lib. 16, & 24; Bernardo ſerm. 66. in Cant., & epiſt. 195; S. Thoma 22. quæſt. 11. art. 3; S. Antonino par. 2. ſummæ Theolog. tit. 12. cap. 4, & aliis apud Coccium tom. 1. lib. 7. art. 3. Confer cap. *Ad abolendam*: cap. *Excommunicamus*: & cap. *Super eo* tit. de hæreticis in 6.

Auſpicio etiam ſuo, auctoritateque faciunt laicorum leges Principum, puta Conſtantini Imperat. apud Nicephorum lib. 8. cap. 25, & Euſebium de ejus vita lib. 3. capp. 62, & 63; Conſtantini, Conſtantis, & Conſtantii lib. 1. Cod. de hæreticis, & Manichæis; Arcadii, & Honorii ibid.; Theodoſii, & Valentiniani L. *Arianos*; Marciani, & Valentiniani L. *Quicumque* de Eutychianiſtis, & Apollinariſtis; Theodoſii, & Honorii L. *Si quis* de iterantibus baptiſmum; Juſtiniani L. *Manichæi*, & L. *Divinum* tit. de hæreticis; Friderici I, & Friderici II. Cod. de hæreticis, & Manichæis. Tum exempla pœnarum, quibus in hæreticos a Principibus eſt animadverſum: in Arianos teſte Sozomeno lib. 1.

lib. 1. cap. 20. a Conſtantino Imp.: in Donatiſtas ab eodem Conſtantino teſte S. Auguſtino epiſt. 166: In Baſilium ſectæ Bogomilorum Principem ab Alexio Comneno, teſte Zonara lib. 3. Annal.: in Stephanum, Liſojum, & alios a Roberto Galliarum Rege teſte Glabro Rodulpho lib. 3. hiſt. cap. 8: In Petrum de Bruis teſte V. Petro Cluniacenſi: in Arnaldum de Brixia a Friderico Imper. teſte Ottone Friſing.: in Arnoldum Catharum teſte Echberto Abbate S. Florini ſerm. 8. adver. Catharos. Mitto exempla Albigenſium, Johannis Hus, & Hieronymi Pragenſis, aliorumque. Tum teſtimonia, quæ habentur ex ipſis hæreticis jure gladii illos coercendos affirmantibus, Calvino in refutat. errorum Serveti; Theodoro Beza lib. de hæreticis a Magiſtratu puniendis; Luthero in poſtillis minoribus Dom. 5. poſt Epiphaniam; Melanchone lib. de officio Principis; Brentio lib. de Republica bene adminiſtranda; Urbano Regino in confeſſione oblata Concilio Trid.; Capitone lib. de jure Magiſtrat. in Religionem; Bucero enarrat. in cap. 12. Matth.; Bullingero in decadis 2. ſerm. 4, & 8, & Muſculo commentar. in Pſal. 2, quos citat Theodorus Beza.

Quandoquidem vero ſæculi tantum Principibus coactivam poteſtatem adjudicant, Eccleſiæ vero Paſtoribus eam ablegant, qua poſſint legum fractores, & hæreticos fidei hoſtes pœnis temporalibus compeſcere, poſt Marſilium Patavinum, & Johannem Jandunum Proteſtantes Angli, præſertim Purritani, & Presbyteriani; atque ex catholicis etiam Guillelmus Barclajus, & Rogerus Widringthonus, abs re non erit nonnulla indigitare hic momenta, quibus contra pugnant ex noſtris Gerſonius, Hervæus, Alliacenſis, Hallier, Bellarminus, Suarez, ac recens doctiſſ. Berti, aliique Romano præſertim Pontifici utramque poteſtatem facientes, qua pœnis cum ſpiritualibus, tum temporalibus a fide, & obedientia devios plectere poſſit. Ducuntur vero hujuſmodi momenta 1. ex S. Scriptura iis in locis, ex quibus Pontificis Primatus adſeritur: item Johannis 9, ubi a Sacerdotibus ejectus de templo, & ſynagoga cæcus a Chriſto illuminatus legitur: Act. 6, & 13, ubi ab iiſdem Sacerdotibus ejecti de ſynagoga ſunt SS. Stephanus, Paulus, & Barnabas: Act. 5. ubi a S. Petro

ver-

verbo interfecti ſunt Ananias, & Saphira, quod notarunt S. Ambroſius ſerm. 19, & S. Gregorius M. lib. 1. epiſt. 24. Confer Lorinum: Act. 13, ubi a S. Paulo cæcitate percuſſus legitur Elymas magus: 1. Corinth. 4, & 2. Corinth. 10, ubi illis virgam, & ultionem minitatur Apoſtolus, quod obſervarunt S. Auguſtinus lib. 3. contra epiſt. Parmen. cap. 1, & S. Bernardus ſerm. 66. in Cant.; & 1. Corinth. 5, ubi a Paulo traditus eſt inceſtuoſus Satanæ corporaliter vexandus, quod adnotarunt Theodoretus, & S. Thomas. 2. Ex jure canonico cap. *Unam ſanctam* in extravag. de Major., & Obedient., ubi Bonifacius VIII. Romano Pontifici aſſerit utrumque gladium ſpiritualem, & temporalem, uſurpatque verba S. Bernardi lib. 4. de conſid. cap. 3, & epiſt. 237: Cap. *Ad Apoſtolicæ* de ſentent., & re judicata in 6, ubi Innocentius IV. cum Concilio gener. Lugdunenſi I. declarat ſe potem eſſe animadvertere temporaliter in Imperatorem, & cap. 1. de Homicidio, ubi idem Innocentius cum eodem Concilio pœnas temporales minatur Principibus non compeſcentibus homicidas. Videſis Covaruviam lib. 1. variar. reſolut. cap. 20, & lib. 2. cap. 9: Cap. *Poſtulaſti*; & cap. *Quidem ea* in extravag., ubi a Pontificibus pœna pecuniaria plexi ſunt, qui in Clericos violentas manus injecerant, & Cives Tuſciæ juſſi ſunt arma parare, & militi ſtipendia pendere: Cap. *Novit* de Judiciis, ubi Innocentius III. multa de hac poteſtate habet: Can. *Si vos* 23. q. 5. relato ex S. Auguſtino lib. de unit. Eccleſiæ cap. 7: Can. *Sæpe* 28. q. 1. ſumpto ex Concilio Toletano IV. cap. 59, & ſeqq. Sed plura de his par. 2. Vindiciar. Addo a Johanne XXII. id declaratum, eique declarationi aſſenſum præbuiſſe ſuum Academiam Pariſienſem.

S. Ambroſio per ſummam calumniam 7. appingitur, quod docuerit adulterium licitum ante legem Moyſis; longe enim abfuit ab eo errore: ibi enim, ſcilicet lib. 1. de Abraham cap. 4. aſſeruit dumtaxat pœnam ſtatutam adulterio non fuiſſe lege aliqua poſitiva ante legem Moyſi datam, ideoque tunc temporis benignius actum cum adulteris, non ita poſt legem promulgatam. Nam alioqui S. Ambroſium agnoviſſe lege naturali illicitum adulterium liquet ex epiſt. 41. ad Irenæum, qua ait: *Eſſe autem naturalem legem in cordibus noſtris etiam Apoſtolus docet*: imo & ipſo-

ipsomet libro de Abrahamo loquens de Pharaone, qui Saram abstractam cognoscens Abrahamo esse conjugatam eidem confestim restituit, sic ait: *Etsi natura ferus, ac barbarus, tamen significat & adulterii crimen sibi esse cavendum... Nec mirum si barbarus jus novit naturæ. Ita major lex naturæ, quam legum præscriptio est*: & cap. 7. *Omnes*, inquit, *viri, mulierisque concubitus nulla legitima matrimonii sorte celebratos, habere suam culpam.* Quia vero maxime S. Doctor studebat cathecumenos a pellicatu absterrere, polygamiam quoque ut eliminaret, obnixe sategit, ideoque nonnulla uti verborum duritie duxit. Ea de re Abrahamum ancillæ non nupsisse putat, quem tamen ea ratione ab adulterio excusat, quod id egerit studio quærendæ posteritatis, & propagandæ sobolis. Sed de hoc argumento rursus infra, quum de S. Augustino. Quod de secundis nuptiis a S. Ambrosio damnatis objicitur, ajo ipsum intelligendum quomodo paullo supra intelligendos dixi Athenagoram, Tertullianum, Origenem, Clementem Alex., S. Basilium, & S. Hieronymum. Porro lib. 3. Officior. cap. 4. juremerito adhortatur virum justum, ut pietate, non jure agat cum invadente se hoste, & irruente in sui vitam, videlicet ut mortem ipse corporis potius patiatur, quam jure tutelæ utendo inimico cum morte corporis animæ quoque mortem conscisçat. Eam esse S. Doctoris sententiam ex uno, vel altero verbo *Non videtur, quod vir Christianus, & justus*, quibus utitur, constat. Postremo vitio S. Doctori datur, quod fœnus, & usuras condemnarit. Næ isti Nuperi morum doctrinæ vindices in Lactantio, in Ambrosio, in Chrysostomo hancce doctrinæ morum corruptelam condemnant! Videlicet illicitæ, & inhonestæ licitationis, atque imo anatocismi putidissimi defensores, specioso Religionis reformatæ prætextu, oppugnant præceptum juris naturalis, & divini.

Enim vero Christianos prisci temporis usuras non exercuisse, auctores sunt S. Justinus apolog. 2; Clemens Alex. lib. 2. strom.; Athenagoras in legat.; Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 16; Lactantius lib. 6. instit. cap. 8; & S. Cyprianus lib. de lapsis, ubi refert, quod quum suo tempore plurimi Ecclesiastico, imo Episcopali charactere insigniti amplificandæ rei familiari inhian-

hiantes fœnus augerent, periculumque foret, ne eorum exemplo fideles ejuſmodi nefariæ licitationi operam darent, orta eſt in Eccleſia Decii perſecutio, ſub qua aliena quærentes propria perdiderunt. Itaque ab eo tempore fuerunt in Eccleſia fœneratores, ſed qui fœnus licitum docerent non fuerunt, niſi poſt ſæculum XII. Sunt equidem, qui in ejuſmodi errorem Græcos ſchiſmaticos ſæculo XII. prolapſos accuſant: at impactam calumniam diluunt Balſamon in ſcholiis ad epiſt. S. Gregorii Niſſ. ad Letojum, & in epiſt. S. Baſilii ad Amphilochium; Ariſtenus ei coævus in canon. Concilii Carthagin. an. 419; Zonaras in can. 17. Concilii Nicæni, & 43. Apoſt.; Gabriel Philadelphus tract. de ſacram. pœnit. cap. 11; Nicolaus Cabaſillas in orat. contra uſurarios; & Nicolaus Comnenus Papadopolus orthodoxus in prænotionibus myſtagogicis, ubi aliorum teſtimonia adducit. Qui ergo omnium primi fas eſſe chriſtiano fœnus, uſuraſque exercere docuerunt, habentur initio ſæculi XIII. Cathari, ſeu Patareni teſte Ven. Moneta in opere adverſus eoſdem, quod egregiis notis, doctiſſimiſque diſſertationibus illuſtravit Clariſſ. P. Auguſtinus Thomas Richinius; Albanenſes teſte S. Antonino patt. 4. tit. 11. cap. 7. §. 6. ſummæ Theolog., eodemque teſte damnatus eſt illorum error in Concilio Vienn. a Clemente V. Clement. *Ex gravi* de uſuris. Hiſce ducibus inhærentes uſuras indiſcriminatim nec jure naturali, nec jure divino illicitas Chriſtianis, ut quæ hebræis quoque erga alienigenas licerent, etſi non licerent erga confratres, lege Deuteronom. 23, 19, quam legem inter politica præcepta in nova lege ſublata reponunt, docuere Calvinus prælect. 54. in Ezechiel. 18, & in 8. decalogi præceptum; Carolus Molinæus in tract. de uſuris, & Claudius Salmaſius lib. de uſuris, lib. de fœnore trapezitico, aliiſque in operibus. E contra uſuras moderatas licere quidem, at immoderatas, præſertim erga pauperes, lege divina, aut naturali prohiberi, merumque Chriſti Domini conſilium his verbis *Mutuum date nihil inde ſperantes* contineri; peccarique quidem contra juſtitiam, ſi ultra modum; & contra charitatem, ſi ab egenis exigantur, ex ipſis Calviniſtis propugnarunt Theodorus Beza comment. in cap. 6. Lucæ; Johannes Cloppenburgius in Theolog. inſtitut. de uſuris adverſus Salmaſium; Guil-

lelmus Amæſius lib. 5. de conſcient. cap. 44.; Hugo Grotius lib. 4. de jure belli, & pacis cap. 12. §. 20, & in cap. 6. Lucæ; Puffendorfius lib. 5. de jure nat., & gent. cap. 7; Noodt lib. 1. de uſur. capp. 4, & 6; Placetæus in tract. *de l' Interet*; Buddæus inſtit. Theolog. moral. par. 2. cap. 3. ſect. 5; Spanhemius dubio Evangelico 127; & Salmaſius ipſe lib. de uſuris cap. 20. Calviniſtis eo in errore dein adhæſere Janſeniſtæ in Belgio fœderato profugæ, & ipſi purioris diſciplinæ morum profeſſores, ut narrat Illuſtr. D. Petrus Franciſcus Lafiteau Epiſcopus Siſtaricenſis in hiſtor. conſtit. *Unigenitus* lib. 5. ad an. 1728; & refertur in opere gallice inſcripto: *Memoire ſur l' etat preſente des refugiez Francois en Hollande au ſujet de la Religion*. Acceſſere item Diroiſius, is eſt Launojus in epiſt. ad amicum de uſura tom. 2. part. 2. edit. Genevenſ.; Thierrius in epiſt. ad Brachmannum pſeudo-Epiſcopum Ultrajectinum in citato opere gallico *Memoire ſur l'etat*; Broederſenius in lib. ingentis molis *De Uſuris licitis, & illicitis* inſcripto, aliique apud doctiſſimos Hieronymum, & Petrum Ballarinios fratres in præfat. tom. 1. de jure divino, & naturali circa uſuram, & Danielem Concinam tom. 8. Theologiæ Chriſtianæ lib. 3. de Juſt., & jure diſſert. 3, aliiſque in operibus hoc de argumento elucubratis. At Janſeniſtis ipſis alii ex ipſorum grege adverſati ſunt, ut eſt apud laudatos Lafetæum, & Ballarinios. Ex catholicis vero ſcriptoribus ſi qui parum circa uſuras habenas laxarunt, ab aliis plurimis dignis vapularunt.

Ergo ſtat catholicum dogma uſuras omnis modi, ſive a pauperibus, ſive a ditioribus, ſive ſupra, ſive infra modum exprimantur, illicitas eſſe jure naturali, ac divino. De jure naturali agunt uberrime citatis locis laudati Ballarinii, & P. Concina, unde nihil dicam: de jure divino ex ipſis aliquid delibabo. Ejuſmodi juris divini itaque 1. Teſtis eſt S. Scriptura Exodi cap. 22, 25; & ibidem S. Ambroſius lib. de Tobia cap. 2; Levit. 25, 35; & S. Chryſoſtomus hom. 57. in Matth. Pſal. 14; & Druſius etſi heterodoxus in cap. 5. Matth. 22. Ezechiel. 18, 5, & 22, 2, & ibidem S. Hieronymus. Eſdræ 2, 5, & ibidem Grotius, & Clericus. Matth. 5, 42, & 21, & ibid. S. Hieronymus. Lucæ 6, 32, & ibidem Tertullianus lib. 4. adv. Marc. cap. 17, & S. Baſilius

filius in pſal. 14. Matth. 25, 27, ideſt Lucæ 19, 23, & ibidem Ligtfoot etſi acatholicus in horis hebraicis in Matth. 25, & S. Gregorius Nazianz. orat. 5. in plagam grandinis. Teſtis eſt 2. SS. Patrum traditio: ac inter eos ſunt S. Juſtinus apolog. 2; Clemens Alex. lib. 2. ſtrom., & lib. 1. pædagog. cap. 10; Origenes hom. 3. in pſal 36; S. Baſilius in epiſt. ad Amphiloch. can. 14, & in orat. adv. uſurarios; S. Athanaſius in pſal. 14, S. Gregorius Niſſenus in epiſt. ad Letojum cap. 6, hom. 4. in Eccleſiaſtem, & orat. adverſ. uſurarios; S Chryſoſtomus hom. 57, nunc 56. in Matth., & ſerm. de utilit. lect. ſacræ Script; S. Cyrillus Alex. lib. 8. de adorat. in ſpiritu, & verit.; Theodoretus in cap. 18. Ezech., & in pſal. 58; Juſtinianus Imper. Novella 72. cap. 6; Antiochus Palæſtinus Monachus hom. 12. in uſurar.; S. Johannes Damaſc. in paralellis ſacris tit. 9; Theophylactus in 5. Matth., aliique Græci ſupra laudati. Ex Latinis Tertullianus lib. 4. adv. Marc. cap. 17; S. Cyprianus lib. 3. teſtimon. ad Quirinum; Lactantius lib. 6. inſtit. cap. 18; S. Hilarius in pſal. 14; S. Ambroſius lib. de Tobia capp. 14, 15, 16, & 23, epiſt. 19. ad Vigilium Trident. Epiſcopum, & lib. de bono mortis cap. 12; S. Zeno Veron. lib. 1. tract. 9; S. Hieronymus in cap. 18. Ezech., in 58. Iſaiæ; & in pſal. 14; S. Auguſtinus ſerm. 3. in pſal. 36, & 128, ſerm. 38. cap. 6, ſerm. 86, ſerm. 113, & lib. 4 de baptiſ. cap. 12; S. Paulinus epiſt. 32. ad Severum; Caſſiodorus in pſal. 14; Martinus Bracarenſis Epiſcopus capitulo 62; Firminus Abbas in lib. de ſingulis libris Canonicis apud Mabillonium in Anecdotis; V. Beda in pſalm. 14, 36, & 54; Ulfadus Bituricenſis Epiſcop. in epiſt. paſtorali apud Mabillonium in Analect.; Egbertus Eboracenſis in pœnitentiali apud Morinum de pœnit.; Halitgerius in pœnitentiali capit. 7; Hildebertus ſerm. 15. de libro vitæ; Petrus Bleſenſis epiſt. 17. ad Clericum negotiat., & epiſt. 91. ad Rodulphum Lexovienſem; S. Bruno Signinus Epiſcopus in pſal. 14, & 71; S. Anſelmus hom. 12. in parabol. de villico iniquitatis; Auctor ſermonum in *Salve Regina* inter opera S. Bernardi ſerm. 6.

Teſtes 3. accedunt Rom. Pontifices S. Leo I. ſerm. 6, nunc 16. de jejun. decimi menſis; S. Gregorius hom. 9. in Evang.; Clemens V. Clem. *Ex gravi* de uſuris; Alexander III. epiſt. ad Pa-

normitanum cap. *Super* de uſuris; Urbanus III. cap. *Conſuluiſti* ibid. de uſuris; Innocentius III. lib. 1. epiſt. 399. ad Epiſcopos Galliar.; Gregorius IX. cap. *Naviganti* de uſuris; Alexander V. epiſt. ad P. Pontium Feugeironis Ordin. Minor. inquiſitorem Avenionenſem anno 1409. apud Wadingum ad cit. annum; Martinus V. epiſt. 1418, & conſtit. anno 1419. apud Clariſs. P. Antoninum Bremontium Ord. Prædicat. Magiſt. General. tom. 2. bullar. Dominican.; Alexander VII. ptop. damn. 42; V. Innocentius XI. ptop. damn. 41, & 42. Teſtantur 4. Concilia Nicænum I. can. 17. ex interpretatione Dionyſii, & Balſamonis; Catthaginenſe anno 348. cap. 13; Turonenſe anno 461. can. 13; Calchutenſe in Anglia anno 787. cap. 14; Pariſienſe anno 829. cap. 53; Regiaticinum, ſeu Ticinenſe anno 850. can. 21; Lateranenſe II. can. 13; Lateranenſe III. can. 25; Viennenſe cit. Lugdunenſe I. cap. 13; Turonenſe an. 1163. can. 2; Avenionenſe an. 1209. cap. 3; Narbonenſe an. 1227. cap. 3; Albienſe an. 1254. cap. 62; Monſpelienſe an. 1258. can. 5; Colonienſe an. 1260. cap. 2; Senonenſe an. 1269. cap. 3; Pictavienſe an. 1280. cap. 6; Avenionenſe an. 1282. cap. 1; Bituricenſe an. 1286. cap. 3; Herbipolenſe an. 1287. cap. 23; Auſcitanum an. 1308. cap. 3; Ravennatenſe an. 1317. cap. 15; Vaurenſe an. 1368. cap. 120; Saltzburgenſe an. 1386. cap. 13; Burdigalenſe an. 1583. cap. 29; Remenſe eodem anno cap. 24. Ad hæc jus Provinciale Alemanicum ſæculo XIII. compactum cap. 351; Capitulare 1. Caroli Magni cap. 5.; Capitulare 5. cap. 2; Capitularia Benedicti Levitæ lib. 6. cap. 5. apud Baluzium. Edicta Philippi IV. Regis Francor. anno 1311, & 1312. Statuta Eccleſiarum Anglicanæ apud Thomaſſinum in tract. de uſura cap. 17; Meldenſis, Nannetenſis, & Æduenſis apud Martenium tom. 4. Analect.; Leodienſis, Cadurcenſis, Ruthenenſis, & Tutellenſis apud eumdem; Nicoſienſis cap. 29. apud Harduinum tom. 7. pag. 1705; Cleri Gallicani an. 1700. Decreta apud Reginonem lib. 1. cap. 286; Burchardum lib. 2. cap. 126; Ivonem par. 6. cap. 200, & Gratianum cauſſa 14. q. 3. can. 3, & apud Baluzium in miſcellan. tom. 1.

Adſtipulantur Scholaſtici, & Canoniſtæ: atque imprimis Gerſonius conſider. 13. de contractibus; S. Antoninus in ſum. p. 2.

p. 2. tit. 1. cap. 6, tit. 3. cap. 3, & par. 4. tit. 11. cap. 7; Alexander Alenſis par. 3. q. 86. mem. 4. art. 3; S. Thomas 22. q. 78. art. 1, & Silvius ibidem; S. Bonaventura in 4. diſt. 37. dubit. 7; in centiloq. par. 1. ſect. 31, & in ſpeculo animæ cap. 2; S. Bernardinus Senenſ. ſerm. 43. in ſer. 2. poſt Dom. paſs. art. 3, & ſerm. in ſer. 3. poſt. Dom. 4. quadrag. art. 3; quos ſequuntur ſcholæ. Ex poſterioribus S. Raymundus lib. 2. tit. 7. de uſuris in procœmio, & §. 2; Johannes Andreas in gloſſa ad caput *Ex gravi* de uſuris; Cardinalis Zabarella in gloſſa ad idem caput; Antonius de Butrio in lib. 5. decretal. cap. *Quum tu*; Cardinalis de Laurea in epitome canon. de uſura; Leotardus de uſuris quæſt. 2, & 3, ubi Carolum Molinæum, Hugonem Donellum, & Petrum Heigium I. C., uſurarumque immoderatarum defenſores explodit; quibus ceteri aſſentiuntur. Confer Natalem Theolog. dogm. moral. lib. 3. cap. 7. art. 3, Dupinum hiſt. Eccleſ. XIV. ſæculi; Laurenium de foro Eccleſ. tom. 4. lib. 5. tit. 19. q. 3395 Jacobum Gaytte in oper. adverſ. Molinæum, Salmaſium &c.; Johan. Laurentium Semelerium in collation. de uſura, & reſtitutione; Ludovicum Thomaſſinum in tract. de uſura; Jacobum Torrentierium doct. Sorbon. in tract. de uſura ſub nomine D. du Tertre; Pougetium inſtit. cathol. par. 2. ſect. 3. cap. 8; Concinam, & Ballarinios locis ſupra citatis; præſertim vero Benedictum XIV. Pontificem Maximum in præſtantiſſimo opere de Synodo Diœceſana lib. 10 capp. 4, & 5. Jam ad propoſitum regredior.

S. Chryſoſtomum quod 8. attingit, hom. 32. in Gen. 12. in eo, quod docet Abrahamum in diſcrimen mortis adductum in Saræ adulterium conſenſiſſe, deſerendum eſſe adnotarunt Ferdinandus Velloſillus Epiſcopus Lucenſis in advertentiis ad tom. 1. S. Chryſoſtomi quæſt. 6, ubi S. Auguſtini quoque opinionem expendit; Sixtus Senenſis lib. 5. bibl. Sanctæ adnot. 89, & 96, & lib. 6. adnot. 232; & Antonius Poſſevinus in apparatu ſacro ad S. Chryſoſtomum, ubi homilias 67. in Geneſ. S. Chryſoſtomo vindicat. S. Auguſtinus etiam lib. 22. contra Fauſtum cap. 27; & lib. 1. de ſerm. Dom. in Monte cap. 29. dubitare videtur, num Saræ pudicitia barbari Principis libidini ſupponi potuerit citra ullum adulterii crimen, quaſi pro mariti vita liceat uxo-

uxori, ipso consentiente, cum alio viro concumbere, quam in rem factum refert, quo sub Acyndino Præfecto vir quidam uxori copiam sui, ut alteri viro faceret, permisit consequendæ gratia pecuniæ, qua ipse a carcere, & morte redimeretur. Verumtamen eo loci S. Augustinus in eam partem propensior est, quod nullo in casu, nulloque consensu adulterium liceat; aliis vero in locis apertius sententiam suam exprimit, tum de Abrahæ cum ancilla congressu, tum de adulterio lege divina, & naturali prohibito, ut inferius dicetur. Quid ni ergo eo quoque modo explicari S. Chrysostomus potest, quod adulterio Saræ consensisse Abrahamum dixerit, quod illud impedire non valens, viribus, non volontate, impar, permiserit ad impediendum aliud majus malum, sui nempe necem; eademque de re Saram laudibus extulerit, quod in se contumeliam pati, quam impedire non poterat, consenserit, ut ab Abrahamo cædis periculum amoveret? A ceteris ei objectis ab Erasmo egregie vindicatur S. Chrysostomus a Jacobo Billio in lib. observationum sacrar.; Antonio Possevino in appar. sacro, Frontone Ducæo, aliisque.

S. Hieronymo, ita eum interpretatus, 9. injuriam intulit: is enim de juramento loquens, nonque jurandum adstruens juxta Evangelium, loquitur, ut legenti constabit, de juramento per res creatas; loquitur de juramento pro rebus levissimis; loqnitur de juramento facto ex animi levitate. Ut pejerandi periculum, imo jurandi juxta morem Judæorum, aut Ethnicorum per Herculem, aut per Deum Fidium, aut per Fortunas Imperatorum; aut per Angelos, per Urbem, per Templum, aut per Cælum, & Terram, aut per Caput suum a Christianis averterent antiqui Patres, vix ac ne vix quidem jurandum statuebant. Ita S. Justinus in apolog. 1; Clemens Alex. lib. 7. strom.; Lactantius divin. instit. epitom. cap. 64; Origenes lib. 8. contra Celsum; & tract. 35. in Matth.; Tertullianus lib. de Idolol. cap. 21; & apologet. cap. 32; S. Hilarius can. 4. in Matth.; S. Epiphanius hær. 19; S. Chrysostomus hom. 8, & 19. ad popul. Antioch., & hom. 17. in Matth.; Auctor oper. imperf. in Matth. inter opera ejusdem Chrysostomi; S. Ambrosius in psal. 118; Theophylactus, Euthymius, aliique in cap. 5. v. 34. S. Matthæi. Idem S. Hieronymus

nymus in cap. 1. Jonæ ſcribit quidem carptim non licere ſibi mortem conſciſcere, ſed ab aliis in perſecutione eam pati, niſi caſtitas in periculum adduceretur. Qua in re S. Doctori non adhærendum aſſerimus, ſed magis S. Auguſtino lib. 1. de Civit. apud S. Thomam, & ipſi S. Thomæ 22. q. 64. art. 5, cui aſſentiuntur ceteri Scholaſtici, aſſerentibus nemini licere occidere ſe ipſum: neque mulieri, ne pudicitiæ contumeliam patiatur: nec ob timorem conſentiendi in peccatum: *Quia*, inquit S. Doctor, *non ſunt facienda mala, ut veniant bona, vel ut vitentur mala, præſertim minora, & minus certa*. Quamquam ea quoque S. Hieronymi ſententia veriſimiliter fuit licere in perſecutione ex peculiari Spiritus S. afflatu pro tuenda virginitate ſibi violentas manus injicere; quod ex S. Auguſtino loco cit. factitatum a quibuſdam fœminis approbat Doctor Angelicus in reſp. ad. 4. Certe tempore perſecutionum ſub Ethnicis Principibus chriſtianas Virgines ſervandæ religionis non minus, quam pudicitiæ ſtudentes quam maxime, graviora quælibet perferenda ſupplicia, quam alterius jacturam pati, duxere. Explorata vero res eſt olim ingenti SS. Virgines numero Martyrio affectas, quin pudicitiæ honos illis fuiſſet ademtus. Quamobrem P. Martinus Benedict. Congreg. S. Mauri in tract. Gallice inſcripto: *Explication des pluſieurs textes difficiles de l' Evangile, qui juſque à la preſente n'ont ete, ni bien entendus, ni bien explique par les Commentateurs*; quo loci aut nullas, aut perpaucas Virgines non vitiatas martyrium oppetiiſſe, ac perperam, ne gravius quid proferam, ſcripſit, jure atque merito a doctiſs. Mamachio orig., & antiq. Chriſt. lib. 3. cap. 6. §. 2. pag. 366. not. 3. vapulat, exemplis in oppoſitum productis ex Euſebio lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 5. de S. Potamiœna; cap. 41. de SS. Apollonia, & Ammonaria, & lib. de Martyribus Palæſtinis cap. 7. de S. Theodoſia; & cap. 8. de aliis SS. Virgininibus, & Martyribus. Ex Ruinartio in actis ſinceris SS. Martyrum, ubi de SS. Theodoto, & Sociis; de SS. Andrea, Paulo, & Dionyſia; de SS. Theodoſio, & Sociis; de SS. Didymo, & Theodora, aliiſque in actis. Imo Fœminas, & Virgines fuiſſe, quæ Spiritus S. afflatu, inſtinctuque incitatæ, veritæ ne ab aliquo ſibi vis illata, vitiumque inuſtum iret, aut in flumina ſe projece-

jecerunt, aut inter flammas profiliere, aut ferro ſe peremerunt, teſtata res eſt apud Euſebium lib. 8. hiſt. Eccleſiaſt. capp. 12, & 14; & apud S. Auguſtinum lib. 1. de Civit. 36; apud Nicephorum lib. 7. cap. 21; & Euſebium lib. 1. de vita Conſtant. cap. 28. de S. Sophronia; apud eumdem lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 41. de S. Apollonia; apud S. Ambroſium lib. 3. de Virgin., & epiſt. 7. ad Simplician., & apud Surium ad diem 9. Junii de S. Pelagia, ejuſque Filiabus; apud S. Chryſoſtomum hom 70, & Euſebium loc. cit. de S. Domnina, & Filiabus Berenice, & Proſdoce; apud Procopium lib. 2. de bello Perſico de duabus Fœminis Antiochenis; apud Olaum in hiſt. Attilæ de fœmina Aquilejenſi Digna nomine. Ceteras in S. Hieronymum a Dallæo intentatas calumnias diluit Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæculi IV. Synop. cap. 6. art. 31. Conſer & Ceillierium in apologia Patrum. Nam de objecto crimine ex edocto SS. cultu ſatis ſuperque oſtenſum eſt ſupra, quam putide, ac petulanter iſta obiiciantur. Nunc iis, quæ 10. loco objicit, ſic offendo.

S. Auguſtini ſententiam non eſt ſane aſſecutus Barbeyracius. Eo enim loci, ſcilicet lib. 16. de Civit. cap. 25, equidem Fauſtus Manichæus teſte eodem S. Auguſtino lib. 22. cap. 30. adverſus ipſum, Abrahamo crimen inurebat, & quod habendæ prolis inſana cupiditate flagrans, & Deo, qui jam id ſibi de Sara conjuge promiſerat, minime credens cum pellice volutatus ſit. Ad eam igitur propulſandam injuriam tres rationes S. Auguſtinus protulit adverſus Manichæos: 1. quod id non fecerit ardore libidinis, ſed amore prolis: 2. quod id non fecerit proprio conſilio, ſed uxoris Saræ conſenſu non modo, ſed inſuper ſuaſu: 3. quod id fecerit, quia Sara ei dederat facultatem ineundi aliam fœminam prolis ſuſcipiendæ gratia. Infirmæ dubio procul ſunt hujuſmodi rationes, ſi in ſe ſpectentur; non ita ſi referantur ad ejus ſcopum: ſiquidem eas tantummodo ea de re adhibuit ad refellendos Manichæos, qui crimen inſanæ libidinis Abrahæ impingebant, nec niſi inſano libidinis impetu cum ancilla volutatum contendebant: non vero, quod ob eas rationes cenſeret S. Doctor licitum, & legitimum conjugium Abrahæ, & Agar; noverat enim connubium illud licitum, & legitimum aliunde fuiſſe, ſcili-

ſcilicet ex diſpenſatione divina, qua Patriarchis licita erat Polygamia. Ita enim docet lib. 3. de doctr. Chriſt. capp. 12, & 38; tract. 11. in Johan.; & lib. de bono conjugali cap. 15. Idem ante ipſum docuerant S. Juſtinus in dialogo cum Tryph.; Clemens Alex. lib. 1, & 3. ſtrom.; Tertullianus lib. de exhort. ad caſtit. cap. 6; S. Chryſoſtomus hom. 56. in cap. 29. Geneſ., & hom. 56. in Matth.; S. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 4; S. Hieronymus in epiſt. ad Geruntiam; & poſt ipſum Theodoretus q. 66. in Geneſ.; Innocentius III. in cap. *Gaudemus* Extra de Divortiis; D. Thomas 3. par. q. 65. art. 3; & diſt. 33, atque Scholaſtici communiter. Neminem tamen movere debet, quod a S. Auguſtino Agar Abrahami Concubina dicatur, ſicut illam quoque nuncuparunt Tertullianus lib. de Monogamia cap. 6, & S. Leo Magnus epiſt. ad Ruſticum cap. 4. Quippe antiquitus Concubinæ nomine appellabantur ſecundariæ uxores, quod non eſſent ea dignitate, qua uxor prima; nec filios gignerent paternorum bonorum hæredes. Confer Agelium lib. 18. cap. 6; Gratianum diſt. 34; & adnot. in novam S. Ambroſii editionem tom. 1. pag. 290; & in S. Auguſtini lib. 16. de Civit. cap. 25. Ceteros S. Auguſtino objectos nævos a Dallæo, Clerico, Eraſmo, & Baſnagio diſpellunt Natalis, Coquæus, Noriſius, Ceillierius, Muratorius in apologia S. Auguſtini ad calcem libri de ingenior. moderat. in relig. negotio, & nuperi oper. S. Auguſtini editores doctiſſimi Maurini Monachi. Objecto vero ex doctrina de perſequendis hæreticis paullo ſuperius fecimus ſatis.

Ad 11. S. Abdam in Perſide Epiſcopum imprudenti, & intempeſtivo zelo templum igni conſecratum, ac Perſis ſacrum *Pyreum* dictum deſtruxiſſe haud invitus do. Apoſtolum ſane non eſt imitatus Abdas, qui quidem Athenienſium errores verbis coarguit, & veri Dei cognitionem inferre ſtuduit, nullam tamen Athenis Deorum aram ſubvertit: ſed nec S. Marutham Epiſcopum Martyropolis, ſeu Tagrit in Meſopotamia Perſidis novum Apoſtolum, qui quamvis apud Iſdegerdem Perſarum Regem optime gratia valeret, ipſique Abdæ religione, & amicitia conjunctus eſſet, nil tale attamen meditatus eſt, & molitus. Quod autem jubente Rege Iſdegerde templum inſtaurare noluerit, eamque ob rem juſſu

Regis an. 414. trucidatus sit, recte egisse, jureque Martyrem audire contendimus: utque ita contendamus in caussa sunt Theodoretus ita censens; S. Ambrosius in pari casu ita existimans; S. Simeon Stylites Theodosium Jun. Imp. in simili caussa Judæis faventem durissimis verbis excipiens; Ecclesia cum Græca, tum Latina S. Abdæ memoriam ceu Martyris agens; illa quidem ad 31. Martii; ita vero ad 16. Maii: Ratio etiam Theologica, qua docemur Idololatriæ ingens crimen esse non minus igni thus adolere, quam templum ædificare. Pudeat propterea Barbeyracium, & Baylium hujusmodi objicere; sed hujus generis est, ut jam dixi, Religionis Reformatæ morum disciplina, & doctrina. Quod autem exinde occasionem arripuerit Isdegerdis desæviendi in Christianos, ipsi crimini, non Abdæ deputandum id est: rem optimam Abdas operatus est: rem pessimam exinde peragendi impius Isdegerdes opportunitatem est nactus: at etsi non recte egerit Abdas, non erat tamen cur exinde innocentes Christiani diris omnibus divexarentur. Legito Theodoretum lib. 5. hist. Eccles. cap. 39; Socratem lib. 7. cap. 18; & Clariss. Orsium hist. Eccles. sæculi V. lib. 26. num. 32.

Age modo vindicata SS. PP. doctrina morum, vindicandi manent eorumdem mores ab iisdem iniquis Novatoribus nefaria temeritate vellicati, assuetis nempe alienos ex propriæ improbitatis mensura metiri. SS. Victor, & Stephanus Pontifices Maximi nullo modo in culpam vocandi sunt, ille quidem, quod Asianis anathematis minas intentarit, nisi a judaico more Paschatis diem Luna 24. celebrandi recederent: iste vero, quod Africanis crimini verterit hæreticorum indiscriminatim anabaptismum. Quo de argumento fuse agendum paullo post. In Concilio Cirtensi an. 303. juxta Baronium, & Petavium, vel 304. juxta alios, vel verisimilius 305. juxta Valesium, Harduinum, Natalem, Langletium, aliosque celebrato, ut in eo agitaretur caussa traditorum, eorum scilicet, qui Diocletiani, & Maximiani Herculei impio edicto obtemperantes sacros codices, aliasque Dei cultu mancipatas res Magistratibus tradiderant igne concremadas, aut Idolis thura adoleverant, Episcopos 11, aut etiam 12. ejusmodi criminis convictos fuisse fatemur; eaque de re, quod ii omnes

omnes eadem in navi eſſent, ac in eodem clivo incumberent, ne in Eccleſia ſchiſma, & ſcandalum excitaretur, mutua ſe communione donaſſe. Qua de Synodo legendi S. Optatus lib. 1. adv. Parmen. pag. 39, & S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. capp. 26, 27, & 28. Quinimo in Africa non modo plures in perſecutione violata religione prolapſos; ſed in reliquo Occidente Chriſtifidelium, Eccleſiaſticorumque multam partem deturpatis moribus plurimorum criminum perſonam geſſiſſe. Et ſane Euſebius lib. 8. hiſt. Eccleſ. cap. 22. ea de re, ut Eccleſiam vitiis expurgaret, Eccleſiaſticorumque mores ad meliorem frugem revocaret, Deum optimo conſilio perſecutionem tam gravem permiſiſſe ſcribit. Interea tamen cur Ethnicos, a quibus tempore ejuſmodi perſecutionis pretio conductæ meretriculæ ſunt, quæ ſe olim chriſtianæ Religioni nomen dediſſe palam dicerent, ſed ob turpia, quæ in Chriſtianorum Eccleſiis, & conventibus patrarentur facinora, ab iis receſſiſſe, imitati, mala tunc in Eccleſia graſſantia evomunt; ſilentio vero bona longe majora premunt? Verum enim vero his malis ut occurrerent, remediumque opportunum, quoad fieri poterat, quantocius adhiberent, Concilia habita ſunt Illiberitanum; Alexandrinum, an. 306, a cujus Eccleſiæ Epiſcopo S. Petro canones pœnitentiales conſcripti ſunt; Carthaginenſe an. 312; Romanum an. 313; Arelatenſe an. 314; Ancyranum an. eodem; Neocæſareenſe an. eodem; Alexandrinum an. 315; aliud an. 319; Romanum an. 320; Laodicenum eodem anno; Alexandrinum an. 321, & alterum eodem anno; Gangrenſe an. 324, ut nihil dicam de Nicæno I. œcumenico; Carthaginenſi an. 333; Antiocheno an. 341; Colonienſi an. 346; Sardicenſi an. 347; Carthaginenſi an. 348, aliiſque, quorum acta legere eſt in collect. Labbei, & Harduini tom. 1.

Quid innumeros Martyres commemorem, qui vigente Diocletiani, Maximiani, Galerii, Maximini, & Licinii perſecutione vita, & morte Eccleſiam illuſtrarunt? Quorum memoriam celebrem in Eccleſia fecerunt Euſebius lib. 8. hiſt. Eccleſ.; Lucius Cæcilius lib. de mortibus perſecutorum; Baronius, Pagius ad an. 302; Valeſius ad lib. 8. Euſebii; Ruinartius in act. ſinc. SS. Martyr.; Aſſemanus in act. SS. Martyr. Eccleſ. Orient., &

Occid.; Baluzius, Toinardus, & Nourrius in lib. Lucii Cæcilii, Brunius, & Langletus; Tillemontius tom. 5. monum. hiſt. Eccleſ.; Morinus in hiſt. *De la delivrance de l' Egliſe*; Johannes Boæus diſſert. de initiis perſecut. Dioclet.; Fleurius, atque, ut mittam alios, Orſius hiſt. Eccleſ. ſæcul. IV. lib. 9, & 10. Longe enim lateque ea vexatione invaleſcente, & ad decennium duratura nullas certe, excepta Gallia, quam unus Conſtantius adminiſtrabat, in toto, quo ample patebat Romanum Imperium, fuit locus, qui SS. Martyrum ſanguine aſperſus non fuerit. Celebriores præ ceteris numero, præſtantia, & fortitudine fuere Martyres Palæſtini, qui nempe Diocletiano ipſi Imperatori deſerviebant: Martyres Eccleſiæ Nicomedienſis, qui magno numero pro Chriſti fide mortem obiere: Martyres urbis cujusdam in Phrygia, cujus cives ad unum omnes, quod Chriſtum colerent, circumducto per urbem igne concremati ſunt. Legeſis laudatos auctores, ut intelligas quam late, ſæviſſimeque graſſata fuerit ea Diocletianea perſecutio, quam multus ubique immolatus ſit Chriſtifidelium numerus. Utrumque negare unus auſus eſt Dodvvellus diſſertatione Cyprianica 11. §. 69, in Africa enim nullos fuiſſe ferme martyrio affectos defendit: alibi vero in Clericos ſolos ferme fuiſſe capitali pœna deſævitum. At hallucinari ſummopere Dodvvellum oſtendunt doctiſſ. Ruinartius, Mamachius lib. 2. cap. 8, & Berti in hiſt. ſæculi II. diſſert. 5; nam ubique, & in omnes promiſcui generis chriſtianos perſecutionem Dioclecianeam, atque quidem ad decennium patuiſſe liquet ex Cæcilio lib. de mort. perſecutor.; Euſebio lib. 8. hiſt. Eccleſ., & Lactantio lib. 5. divin. inſtit. Idem probat, quæ apud Gruterum inſcript. pag. 280, & Baronium ad an. 304. n. 9. extat inſcriptio: *Diocletiano Cæſare Auguſto, Galerio in Oriente adoptato ſuperſtitione Chriſtiana ubique deleta, & cultu Deorum propagato*. In Africa equidem plurium Chriſtianorum pro Chriſti fide factas cædes traditum eſt ab Auctore actorum SS. Saturnini, Dativi, & ſociorum; item S. Felicis, & S. Criſpinæ apud Ruinartium, & Orſium: teſtatur etiam S. Optatus lib. 3. adverſ. Parmen. pag. 64. In Hiſpania quoque, quod inficias ivit Dodvvellus, efferveſcente perſecutione quamplures martyrio affectos teſtata

tata res eſt in actis SS. Martyrum Encratididis Virginis, & Vincentii Diaconi; imo plebis univerſæ Civitatis Cæſarauguſtanæ Daciani juſſu a militibus cæde mactatæ; ex qua præcipuos, qui fortitudine enituerunt, 18. Martyres laudibus celebravit Prudentius hymno 4. Item utriuſque Eulaliæ, Barcinonenſis, & Emeritenſis; Leocadiæ, Juſti, & Paſtoris Complutenſium, Aciſcii, & Zoelli Cordubenſium; Felicis Gerundenſis, & Cucuphatis Barcinonenſis; SS. Juſtæ, & Ruffinæ Hiſpalenſium apud Eulogium Tolet., & Prudentium. In Galliis, quinimo, non Conſtantii Patris Conſtantini juſſu, Præſidum tamen furore, dum ille abeſſet, plures Chriſtianorum internecione deletos liquet ex actis SS. Martyrum Juliani, & Ferreoli apud Sidonium Apollinarem lib. 7. epiſt. 1; S. Gregorium Turon. de gloria Martyr. lib. 8. cap. 4, & Ruinartium in actis Sinc. SS. Martyr., quamquam in Oriente longe plures Martyrium paſſos exploratiſſimum ſit apud Euſebium. Celeberrimi audierunt Martyres Agaunenſes ſub S. Mauritio duce ad 6600. anno 286. juxta Ruinartium interfecti, quorum cum laude memoria celebrata eſt a S. Eucherio Lugdun.; Venantio Fortun., & S. Gregorio Turonenſi.

Poſtremo præter tot Martyres, quamplures IV. ſæculo floruiſſe, qua ſapientia, qua ſanctitate celeberrimos viros, a quibus abunde ceterorum vitia ſuppleta fuerint, perſpecta res eſt cuicumque Eccleſiaſticam hiſtoriam modo vel a ſolo limine ſalutaverit. Horum in cenſum veniunt Lucius Cæcilius, Lactantius Firmianus, qui a pleriſque non diſtinguuntur, Commodianus, S. Alexander Alex., S. Pachomius, Euſebius Cæſareenſis, S. Athanaſius, Juvencus Presbyter, S. ReticiusEpiſcopus Auguſtodun., S. Euſtathius Antiochenus, S. Jacobus Niſibenſis, S. Leontius Cæſar., Oſius Cordubenſis, Julius Firmicus Maternus, S. Theodorus Monachus, S. Antonius, S. Paulus Eremita, SS. Maximinus, & Paulinus Trevir., Euſebius Emiſſenus, tres SS. Macarii, S. Hilarius Pictavienſis, S. Pelagius Laodic., S. Philogonius Antioch., S. Euſebius Samoſ., S. Euſebius Vercel., S. Sabas, Marius Victorinus, S. Pacianus Barcinon., Febadius Agennenſis, S. Optatus Milevit., S. Petrus Alexandr., S. Cyrillus Hieroſolym., S. Ephræm Syrus, S. Baſilius Cæſareenſis, S. Gregorius

gorius Nazianz., S. Amphilochius Icon., S. Philaſtrius Brixienſis, S. Martinus Turon., S. Potamon Heracleenſis, S. Arſenius, S. Paulinus Nolanus, S. Hilarion, S. Honoratus Lirin., S. Epiphanius, S. Ambroſius, S. Chryſoſtomus, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, S. Porphyrius Gazæus, S. Marcus Eremita, S. Simplicianus Mediolan., S. Vigilius Tridentinus, Prudentius, S. Gregorius Niſſenus, S. Aſterius Amaſenus, aliique, ut de Romanis Pontificibus, qui ea temporis intercapedine de Eccleſiæ regimine optime meriti ſunt ſileam. Puræ vero, putæque calumniæ ſunt, quæ ex Ammiano Marcellino in S. Damaſum evomit blaſphemo ore Barbeyracius: S. Damaſi ſiquidem integerrimos mores prædicant Socrates, Sozomenus, Theodoretus, & S. Hieronymus epiſt. 50. ad Pammachium, quibus potius quam hiſtorico ethnico fides eſt adhibenda. Non moror vitio datum ab hæretico homine Theophilo, & S. Hieronymo, quod Origeniſtis; S. Cyrillo quod Novatianis, & Judæis; aliiſque Epiſcopis, quod Neſtorianis, Eutychianis, aliiſque hujus generis peſtibus infenſi fuerint: ſolemne enim Heterodoxis eſt, Religionis cauſſa nemini faciundum eſſe negotium: quod quam falſum ſit ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Neque etiam moranda duco dicteria, quibus inſane, inſolenterque Patrum ingenium, rationemque interpretandi ſcripturam, ac ſcribendi petulantiſſimus Calviniſta proſcindit. Quamvis enim eorum aliqui in opiniones ab Eccleſia improbatas abjerint, aut in diſputationibus ad dialecticæ, & critices regulas minus expenſas, exactaſque ratiocinationes, & argumenta minus ad rem facientia adhibuerint: aliquando etiam in humanis ſcientiis defectum aliquem rei, puta, grammaticæ, criticæ, geographicæ, chronologicæ paſſi ſint, atque etiam in S. Scripturis exponendis incurioſe ſe quandoque geſſerint, ac in earum interpretatione aliqua minus certa, minuſve conſona protulerint, tanti ea tamen non ſunt, ut propterea illos ingenio tardiore præditos, aut turpi ignorantia laboraſſe proferendum ſit: atque efficiant, quominus illorum in rebus fidei ſarta ſit, tecta, & integra traditio, a qua vel latum unguem deflectere magnum nefas ſit, viroque catholico grande piaculum.

Quid

Qui plura aveat de Patrum traditione, adeat Lindanum in Panoplia; Canum de loc. Theolog. lib. 3.; Bellarminum lib. 4. de verbo Dei non ſcripto; Gravinam de præſcript. lib. 4; Valemburgenſes de Trad.; Valentiam 22. diſp. 1. q. 1; Tannerum 3. diſp. 1. q. 5; Henricum Holden de analyſi fidei, & in tract. de ſchiſmate; Launojum diſſert. de Severo Sulpitio; Nicolaum l'Herminier tom. 8, ubi contra Dallæum pugnat; Ceillierium in apolog. SS. Patrum, ubi Barbeyracium explodit; Leoratum adverſus Pictetum; Tonti, & Gotti adverſus Piceninum; Hieronymum a S. Auguſtino controv. Polem. de Eccleſia controv. 6; Honoratum a S. Maria animadv. in regul. & uſum crit. tom. 1. diſſert. 2, & ſeqq.; Bonaventuram Argonenſem de optima legend. Patr. methodo parte 1; Natalem Alex. hiſt. Eccleſ. ad ſæcul XII. diſſert. 16, ubi Dallæum, & Rivetum profligat; Benedictum Bachinium in epiſtolis polemicis, quibus Piceninum, & Baſnagium refellit; Beccanum in controv.; Bouchatium de tradit.; Berti de Theolog. diſcipl. lib. 23. cap. 6; Gabrielem Antoine de fide cap. 2; Nicolaum Nourrium in appar. ad bibliot. VV. PP.; Caſſinum Encyclop. diſp. 9; Havermannum diſſert. de Patrum auctoritate; Troylum tract. 1. de loc. Theolog. art. 6. Ex Heterodoxis vero (ſi licet) Scrivenerum in apolog. Patrum; Grotium ad conſultat. Caſſandri in confeſſ. Auguſt. art. 7, & in voto pro pace Eccleſiaſt.; Johannem Fellum præfat. ad opera S. Cypriani, alioſque innumeros qua ex Catholicis, qua ex Proteſtantibus, qui pro Traditione SS. Patrum pugnant adverſus Dallæum de vero Patrum uſu; Clericum S. Auguſtini præſertim in append. audaciſſimum cenſorem; Savubrandum lib. de princip. cum Rullo Baſileenſi diſput. de tradit.; Rivetum tract. de Patrum auctoritate, & lib. 3. crit. ſacr.; Guillelmum Amæſium tom. 1. controv. lib. 4; Girhaldum tom. 5. confeſſ. Cathol.; Zachariam Urſinum q. 5. de Scriptor.; Antonium Sadaelem tract. Theolog. de verbo Dei; Chamierum tom. 1. lib. 8; Ana-Mariam Scarman epiſt. ad Fridericum; Bullingerum apud Cochleum de tradit. cap. 9; Vedelium lib. 1. cap. 4; Barbeyracium præfat. in Puffendorfium de jure nat., & gent., aliaſque hujus generis peſtes. Poſt hæc rogo etiam atque etiam a benigno lectore meo veniam, ſi

hæc

hæc fusius, quam par fuisset, ac ferret, depoſceretque instituti mei ratio, persequutus sum. Non id, repeto, eo consilio feci, ut multam paginam implerem, sed ea dumtaxat de causſa, ut dogmate de traditione firmiter stabilito, præoccupatisque omnibus adversariorum effugiis, veritas præjactæ initio propositionis magis, magisque explorata esset: item, ut ex collatione testimoniorum, quæ ex SS. Patribus circa alia dogmata, & testimoniorum, quæ circa privilegia Rom. Pontificis excerpsi, & paullo post exponam, perspectum fieret nullum extare dogma, cui tanto consensu, tanta Patrum nubes, ac tanta testium traditio suffragetur, cujusmodi est Rom. Pontificis Primatus, & ceteræ ejusdem prærogativæ: adeo ut si Religioni ducendum est, ut ea dogmata ita tradita minime in dubitationem adducantur, pari modo nefas esse intelligatur de præfatis Rom. Pontificis privilegiis dubitare. Jam eò, unde digressa est, redeat oratio.

Ex SS. Patribus, aliisque Scriptoribus Græcis.

§. I.

GRæcos; qui sequiori ætate invidia plurimum laborare cœperunt, priscis ævis Romani Pontificis privilegiis nedum non invidisse, sed laudibus celebrasse summis, & loco collocasse suo, cedo, jam est demonstrandum. Eorum sæculo I, & II. cohortem ducat S. Ignatius M. Is in inscriptione epistolæ suæ ad Romanos, *Ignatius*, inquit, *Ecclesiæ sanctificatæ, quæ præsidet in loco regionis Romanorum*: quibus ab se agnitum Romanæ Ecclesiæ Primatum, quo procul dubio edoctus fuerat a S. Petro Apostolo, aperte significat. Porro septem a S. Ignatio conscriptas epistolas, quarum hæc una ad Romanos, reliquæ sex ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Philadelphienses, ad Smyrnenses, & ad Polycarpum, quasque puras, & ab omnibus assumentis liberas Isaacus Vossius ex Mſ. Græco bibliothecæ Mediceæ græce edidit, & Usserius latine vertit ex duobus Mſſ. Codicibus bibl. Cantabrigensis, & Richardi Montacutii, germanum esse, & genuinum S. Ignatii fœtum, etsi repugnent Salmasius,

ſius, Blondellus, Albertinus, Dallæus, Ovvenus, & Oudinus, propugnant tamen, invictiſque argumentis evincunt Petavius lib. 5. hierarch. Eccleſ. cap. 8; Tillemontius tom. 2. monum. hiſt. Eccleſ.; Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. I. diſſert. 23; Cotellerius tom. 2. PP. Apoſtolicor.; Nourrius apparatu in bibl. maxim. SS. PP. diſſert. 7; Ceillierius tom. 1. Scriptor. Eccleſiaſt.; Bollandus ad diem 1. Febr. tom. 1; Duguet obſervat. Eccleſ. diſſert. 2; Mamachius orig., & antiq. Chriſt. lib. 4. cap. 4. pag. 363, & ſeqq., & alii: ex Proteſtantibus vero Uſſerius tom. 2. Apoſtol. Patrum; Voſſius in edit. græca epiſt. S. Ignatii; Fabricius lib. 5. bibl. Græcæ; Beveregius lib. 2. codic. canon. Eccleſiæ primit. cap. 11. tom. 2. par. 1. Apoſtol. Patr.; Hammondus diſſert. 2. cap. 22. de jurib. Epiſc.; Pearſonius in vindiciis epiſt. S. Ignatii tom. 2. par. 2. Apoſtolic. PP.; Ittigius diſſert. de Patribus Apoſtol. in bibl. PP. Apoſtol.; Vedelius, & alii. Id obiter erat dicendum, quia de S. Ignatio ſæpius occurret ſermo.

S. Polycarpus, ut referunt S. Irenæus in epiſt. ad Victorem Papam apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 24; Euſebius ipſe in chron., & lib. 4. cap. 23; S. Hieronymus de ſcriptoribus Eccleſ., & Chronicon Alexandrinum ad an. 158, Romam ad S. Anicetum Papam venit, cum eo acturus de controverſia exorta circa tempus celebrandi Paſchatis. Quid, rogo, S. Epiſcopum negotii Eccleſiaſtici cauſſa Romam pertraxit, niſi, quam ab Apoſtolo acceperat, doctrina, ad Apoſtolicam Sedem referendas cauſſas omnium Eccleſiarum? Non acquievit, fateor, S. Aniceto Paſcha celebrandum Dominica proxima Lunæ 14. poſt æquinoctium vernum affirmanti Polycarpus, Traditionem a S. Johanne Evangeliſta manantem putans, quæ in Aſia obtinuerat conſuetudo Paſcha cum Judæis Luna 14. celebrandi: nec ei propterea a Pontifice faceſſitum eſt negotium, iccirco quod res eſset ad diſciplinam pertinens, quæ varia pro varietate Eccleſiarum, integra manente religione, eſſe poſſet: attamen Synodum ab S. Aniceto habitam fuiſſe, cui adfuit idem Polycarpus cum aliis decem Epiſcopis, contra eos, qui judaico more Luna 14, aliiſque judaicis ritibus Paſcha celebrandum contendebant, refert Auctor vetus libelli

Synodici apud Fabricium tom. 11. bibliothecæ græcæ. Valesius equidem in notis ad Eusebii lib. 5. cap. 24. adversus Baronium negat S.Polycarpum ob causam Paschatis venisse ad S.Anicetum; sed ob alias privatas causas, quarum occasione egerit pariter de Paschate. Sed refellitur testimoniis apertissimis S.Irenæi apud Eusebium lib. 4. cap. 14; S. Hieronymi de script. Eccles. in Polycarpo; Nicephori lib.3. cap.30; & Auctoris Chron. Alexand. ad consul. Tertulli, & Claudii. Sed & S. Irenæum, de quo mox, a SS. Martyribus Lugdun. Romam missum, eorumque officio apud Pontificem defunctum Valesius inficias it. Verum ejus opinio corruit testimonio Eusebii, & S. Hieronymi in Catalogo, de qua fusius par. 2. Confer interea Pagium ad annum 177. n. 2, & seqq., Petavium de hier. Eccles. lib. 5. cap. 7, & Blancum de potest., & polit. Eccles. tom. 3. lib. 1. cap. 4, qui Valesii conjecturas elidunt; necnon Blondelli, & Dodvvelli momenta, quibus isthæc S.Irenæi missio impetitur, penitus evertunt.

S. Hegesippus, ut refert Eusebius lib. 4. hist. Ecclesiast. cap. 22, consueverat Episcopos Romam proficiscentes convenire, eosque in doctrina consentientes deprehensos collaudare. Romam ipse profectus illic hæsit usque ad S. Anicetum, cui successisse ait Soterem, & isti Eleutherium, in singulis autem successionibus integram mansisse fidem. Viden jam tum ex Oriente ab Episcopis, & Hegesippo Romanum iter arreptum ea de re, ut recta doctrina a Romana Ecclesia edocerentur. Cur vero ut edocerentur, difficillimo itineri se commisissent, nisi existimassent a recta doctrina excidere Romanam Ecclesiam nullo posse modo? S. Dionysius Corinthiorum Episcopus in epist. ad S. Soterem Papam apud Eusebium lib. 4. cap. 23, qua refert Ecclesiæ Romanæ eam ab initio consuetudinem extitisse, ut Christifidelibus ad metalla damnatis, aut in exilium missis alimenta, & munera submitteret, aliarumque Eccl.siarum inopiam sua liberalitate, & misericordia sublevaret, ita inquit: *In hoc sacro die Dominico vestram epistolam* (Soteris) *legimus, sicut etiam priorem nobis a Clemente missam ad nostram institutionem legere solemus*. Tanti ergo, fiebat Romanorum Pontificum doctrina, ut in Corinthiorum Ecclesia, publico in cœtu, diebusque Paschalibus eorum per-

perlegerentur epiſtolæ. Quanti etiam premeret Romanos Pontifices ceterarum Eccleſiarum, & Chriſtifidelium omnium cura, & ſollicitudo in his, quæ ad animarum ſalutem ſpectant, patet ex ſollicitudine, & cura, quam gerebant eorum, quæ ad corporum ſpectarent neceſſitates.

S. Irenæus liquidum, & luculentum hanc in rem exhiber teſtimonium apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 3. Is primo rogatus a Martyribus Lugdunenſibus litteras ad S. Eleutherium Papam detulit, quibus illi Eleutherium *Patrem* appellant, circa Cataphrygas, ſive Montani Prophetias, quo nempe loco habendæ eſſent, a Pontifice edoceri petunt; ut Irenæum commendatum haberet, deprecantur; atque de Paſſione SS. Martyrum, & Confeſſorum, qui adhuc in vivis agebant, certamine certiorem faciunt. Quid vero, quæſo, ſcripſiſſent illi, veniſſet iſte, niſi eorum ſententia rerum Chriſtianarum ſumma unum penes Pontificem ſtetiſſet? Præterea idem S. Irenæus Romanorum Pontificum a S. Petro uſque ad Eleutherium catalogo contexto ſubjungit: *Eodem ordine, eadem doctrina, & traditio Apoſtolorum in Eccleſia, & veritatis prædicatio ad nos uſque pervenit*: ac paullo ſuperius agens de S. Clemente: *Sub hoc*, inquit, *ſeditione non modica Fratribus Corinthiacis oborta, validiſſimas litteras Romana Eccleſia ad Corinthios ſcripſit, concilians eos ad pacem, ac fidem eorum, ac traditionem recens ab Apoſtolis acceptam renovans*. Itaque Irenæi ſentia a Romana Eccleſia recta in omnes fides emanat, omniumque Eccleſiarum cura jure ſummo exercetur, nulla excepta. Quare hoc uno S. Irenæi teſtimonio retunditur Anonymus auctor libelli gallice inſcripti *Diſcours ſur la puiſſance du Pape* quam putide, tam perverſe affirmans ex epiſtola Clementina ad Corinthios æqualitatem inter utramque Eccleſiam inferri, non unam præter aliam excellere. Poſtremo S. Irenæus nedum in Eccleſia Romana ſervatam ſemper integram doctrinam, & traditionem Apoſtolorum affirmat; ſed imo quod Catholici per ejuſdem Eccleſiæ traditionem de Pontifice in Pontificem hæreticos confundere ſolerent, & quod Eccleſiæ Romanæ fidei fideles omnes per Orbem diffuſi adhærere teneantur. *Quoniam valde longum eſt*, inquit lib. 3. adverſus hæreſ. cap. 3, *in hoc tali volumine*

omnium Ecclesiarum enumerare successiones, Maximæ, & Antiquissimæ, & omnibus cognitæ a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per successores Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel cæcitatem, & malam sententiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem (alii legunt potiorem) *principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Quibus quid illustrius ad infallibilitatem, Primatum, supremamque Romani Pontificis potestatem adstruendam ?

Haud me fugit adversus hunc S. Irenæi locum ingenti æstu disputare Gallasium, Blondellum, Clericum, nonnulloſque ex Janseniſtis, de quibus iterum alibi, contendentes scribi debuisse *Potiorem antiquitatem*, eoque nomine intelligendam *Majorem*. Verum non de antiquitate, sed de auctoritate ibidem loquutum S. Irenæum, vel ex eo liquet, quod alioqui Romana antiquiores Hierosolymitana, Antiochena, aliæque Ecclesiæ fuerint : ut nihil hic subtexam de scopo, & contextu sermonis ; similibusque verbis a S. Cypriano, & Tertulliano usurpatis. Agnovit etiam S. Martyr in Romano Pontifice supremam potestatem in omnes Orbis Episcopos, dum agnovit illius potestatem Asianos Episcopos excommunicandi : unde ea de re S. Victorem rogavit, ne ob varios usus, ac disciplinæ consuetudines tot Asiæ Ecclesias ab ipso dissidentes ab Ecclesiæ corpore sejungeret. Constat id ex Eusebio lib. 5. cap. 24 ; & Sozomeno lib. 7. cap. 19. Num autem S. Irenæus id a Victore impetrarit, ut intentatum in Asianos anathema suspenderetur, an potius ut pax restitueretur, digladiantur viri Eruditi. Ego Scheleſtratio antiq. illustr. p. 2 ; Pagio in crit. Baronii ad an. 196 ; Tillemontio tom. 3. monum. ; Massuetio dissert. prævia ad opera S. Irenæi, aliisque utroque subscribo pollice, qui Asianos vere a S. Victore anathemate fuisse innodatos auctoritate Eusebii lib. 5. cap. 24 ; S. Epiphanii hær. 70 ; & S. Nicolai I. epist. 9. ad Michaelem Imper., aliorumque probant. Eusebio

ſebio vero referenti a S. Irenæo rogatum Victorem, ne tot Eccleſias Aſiaticas a corpore Eccleſiæ amputaret, reſpondent vel S. Irenæum, quod rogaverat, non impetraſſe: vel haſce S. Irenæi litteras ad Victorem conſcriptas fuiſſe, antequam Pontifex Aſianos excommunicatos pronunciaſſet: vel id S. Martyrem impetraſſe litteris illis, ut Aſianis communio Eccleſiaſtica reſtitueretur. Sed de hoc argumento uberius par. 2. vindiciar. agemus. Interea tamen ex mox dicendis confirmatur iſta ſententia.

Theophilus Cæſareæ Epiſcopus, quum Romam veniſſet ſub S. Victore, Pontifex Synodo habita decrevit Paſcha die Dominico poſt Lunam 14, & poſt vernum æquinoctium occurrente juxta Apoſtolicam traditionem celebrandum, ut refert Euſebius lib. 5. cap. 23, & legitur in veteri libello Synodico apud Fabricium tom. 11. bibl. græcæ, cujus Auctor agitur vel Cyrillus Hieroſolym.; vel Germanus Conſtantinopolit.; vel Anonymus IX. ſæculi, ex quo novimus Synodo 14. adfuiſſe Epiſcopos. Idem vero Theophilus Victoris Papæ juſsu Concilium Cæſareæ in Palæſtina eadem de cauſsa coegit, cujus fragmentum extat apud V. Bedam de æquinoctio vernali. Sibi igitur ex officio incumbere, Pontifici Romano parere, ejuſque potius ſententiæ adhærere, cui pari obſequio adhæſiſse probe intelligebat ceteras Occidentis Eccleſias, ut conſtat ex Conciliis Lugdunenſi an. 197. apud Baluzium; & Romanis ſub Aniceto, Sotere, & Victore apud Fabricium; imo Eccleſias nonnullas Orientis, ut conſtat ex Conciliis Pontico, & Oſroeno in Aſia, & Corinthiaco in Græcia, apud Harduinum tom. 1; & in Meſopotamia habito apud cit. Fabricium, potiuſquam jactatæ ab Epheſina Eccleſia S. Johannis Evangeliſtæ Traditioni, Theophilus agnovit.

Sæculo III, & IV. Origenes, ut auctor eſt Euſebius lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 14, S. Zephyrino Eccleſiam adminiſtrante Romam iter ſuſcepit, quod ſibi admodum erat in optatis, Romanam Eccleſiam plane *Antiquiſſimam* inviſurus. Antiquiſſimam vero nonniſi ratione præcipuæ dignitatis, ac præſtantiæ in doctrina poterat dicere. Idem quum in plures incidiſset errores, obidque ſciret debere ſe Romano Pontifici fidei ſuæ rationem reddere, ad S. Fabianum Pontificem Maximum epiſtolam nuncupavit, in qua,

qua, teſte S. Hieronymo in epiſt. ad Pammachium, & Oceanum, ſe pœnitere ait, quod talia ſcripſerit, cauſsamque temeritatis in Ambroſium (non illum Mediolanenſem, qui longe poſt floruit, ſed alterum olim Valentiniana hæreſi infectum, atque ab Origene demum ad frugem redactum, ipſique amicitia conjunctiſſimum) refudit, conqueſtus quod ſecreto exarata in publicum protuliſſet. Exinde exploratum fit quanta antiquitus Romani Pontificis rario in Gæcia haberetur, utpote ad quem conſulendum de fide viri doctiſſimi inde proficiſcerentur, & apud quem, ſi quid in fide erraſsent, pœnitentiam per epiſtolam agerent ſaltem, ſeque illi corrigendos, emendandoſque exhiberent.

S. Dionyſius Alexandrinus, ut eſt apud Euſebium lib. 6. cap. 44, poſtquam a S. Cornelio Papa intellexiſſet in Synodo Romana larum anathema in Novatianum, qui tum ſchiſmate conflato Epiſcopum ſe Romanæ Eccleſiæ circumferebat, tum hæreſi obtruſa ab Eccleſia lapſis veniam indulgendi, ac poſt Baptiſmum patrata crimina dimittendi poreſtatem ablegabat; ac ex epiſtola Encyclica S. Cornelii ad Fabium Antiochenum, & Africanos intellexiſſet unum eſſe debere in Eccleſia Catholica Epiſcopum, atque ab eodem Cornelio decretum, ut lapſis peracta pœnitentia communio, & pax reſtitueretur, litteras dedit, tum ad Fabium Antiochenum, quibus admonuit, ut Novatiani hæreſim, in quam ille proniori animo ferri videbatur, prorſus abjiceret, agnoſcereque in Eccleſia poreſtatem eſſe remittendi peccata: tum ad Novatianum, quibus adhortatur, ut Epiſcopatu Romano, quem invaſerat, ſe abdicaret, neque Eccleſiam diro ſchiſmate ſcinderet, & nihil non ferendum ſibi potius ſciret, majoriſque eſſe gloriæ martyrium, quod Chriſtianæ pacis gratia toleratur, quam quod in odium fidei ab Idololatris infertur: tum ad S. Cornelium, quibus ſe ipſius epiſtolæ contra Novatianum conſcriptæ penitus adquieſcere profitetur, ſignificatque accitos ab ſe Elenum Tarſenſem, Firmilianum Cappadociæ, & Theoctiſtum Palæſtinæ Epiſcopos, eorumque ſuffraganeos ad Synodum Antiochenam, ut Novatiani ſchiſma, & hæreſis in ea damnarentur: tum ad Clerum, populumque Ægyptium, Laodicenum, & Armenum, quos ut ſibi a Novatiani ſchiſmate, & hæreſi præcaverent,

rent, præmonuit. Ea igitur agendi ratione quid aliud ſignificabat S. Dionyſius, niſi Romano Pontifici ab omnibus patendum, ejuſque ſententiæ inhærendum? Iterum idem S. Dionyſius quum in Sabellium ſcribens in extremum errorem inflecti viſus fuiſſet, atque divinas inter Perſonas diſtinctionem nedum, ſed etiam diviſionem inducere, & eſſentiæ unitatem inficiari, a Pentapolitanis tamquam violatæ fidei reus ad S. Dionyſii Romani Pontificis tribunal delatus eſt, qui Synodo ſtatim congregata eumdem monuit, juſſitque, ut fidei ſuæ accuratam redderet rationem. Igitur Alexandrinus Antiſtes miſsa ad Pontificem apologia etrotis omnis ſuſpicionem ab ſe amolitus eſt. Ita refert S. Athanaſius in epiſt. de ſententia S. Dionyſii Alex. adverſus Arianos; & in lib. de Synodis. Quorſum autem apud Romanum Pontificem eum accuſaſsent Pentapolitani, ipſe veto Dionyſius fidem ſuam apud ipſum defendiſset, niſi exploratum habuiſsent Romani Pontificis jus eſſe, parteſque in Epiſcopi cujuſque fidem inquitendi, ac de omnibus judicandi? Poſtremo teſte eodem Euſebio lib. 7. cap. 9. idem S. Dionyſius Alex. in epiſt. ad S. Sixtum Romanum Pontificem poſtquam retuliſset quemdam adſui ipſius pedes provolutum confeſſum eſſe, ac juraſſe baptiſmum, quo ablutus ab hæreticis fuerat, non eſſe verum baptiſmum, ſed impietate, & blaſphemiis refertum, rogat quid ſibi cum illo agendum foret: *Conſilio*, inquit, *opus habeo, & tuam ſententiam abs te peto, quod tale quid mihi acciderit, unde vereor ne fallar*. Quorſum autem S. Antiſtes ita ſcripſiſſet, niſi Romani Pontificis indefectibile eſſe judicium ſenſiſſet?

Firmilianus Cæſareenſis Epiſcopus eadem in epiſt. ad S. Cyprian. inter Cyprianicas 75, qua adverſa fronte bacchantium more pro anabaptiſmo contra S. Stephanum Pontificem pugnat, vel nolens ſupremæ a Pontifice exercitæ, & ab ſe agnitæ poteſtati teſtimonium perhibet. Ait ob cauſſam anabaptiſmi ab ſe ad Stephanum Oratores miſſos decreti in Synodo de rebaptizandis hæreticis editi rationem reddituros; eoſque a Pontifice repulſam paſſos, ſuaque communione privatos. Ait Stephanum de ſui Epiſcopatus loco gloriari: *Seque ſucceſſionem Petri tenere, ſuper quem fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt*. Ideſt jubere, ut ſua ubique ſenten-

tentia valeat. Euſtathius Sebaſtenus, quum a Concilio Melitinenſi in Armenia fuiſſet a gradu deturbatus, litteris Liberi Romani Pontificis, quibus in ſuam redintegrabatur ſedem, coram Synodo Tyanenſi in Cappadocia prolatis, ad priſtinum gradum reverſus eſt, quin ulla ei mota ſit quæſtio. Scilicet cum Euſtathio, tum Epiſcopis Tyanenſis Synodi exploratum erat, ut refert S. Baſilius epiſt. 74. ad Occidentales Epiſcopos, Romani Pontificis ſupremas eſſe partes de cauſſis dijudicare Epiſcoporum. De Euſtathio, ſociiſque erroris Silvano, & Theophilo fuſius par. 2.

S. Athanaſius, ſi quis alius, præclara in hanc rem præbuit argumenta. Is in Synodo Antiochena Epiſcopatu ab Arianis dejectus ad S. Julium Papam confugit: ad eumdem viritim litteris, & Legatis miſſis Ariani petierunt, ut ſententiæ in Athanaſium prolatæ ſuffragaretur. At Pontifex Romam cum Athanaſium, tum Euſebianos in jus vocavit. Præſto fuit ille, iſti prætexta excuſatione belli Perſici, quo Romam proficiſci prohiberentur, tribunal Pontificis refugerunt. Igitur S. Julius habita de more Synodo an. 342. Athanaſio ſuam reſtituit ſedem. Agnoſcebant ergo S. Athanaſius, & Ariani ipſi Romani Pontificis ſibi ſupereminere judicium, cui omnibus ſtandum eſſet. Conſtant iſta ex Socrate lib. 2. capp. 15, & 17; Sozomeno lib. 3. cap. 7; Theodoreto lib. 2. cap. 4; S. Julio ipſo epiſt. ad Orientales, & S. Athanaſio apolog. 2. adv. Arianos. Scio Dupinum de antiq. Eccleſ. diſcipl. Synodi potius, quam Pontificis, auctoritate S. Athanaſium communioni, & Cathedræ reſtitutum dixiſſe, ut ita Pontificis judicio detraheret. At infelix Dupini ſagacitas nil melius excogitare ſcivit? Quænam enim, quæſo, Romanæ Synodo, ſeu Italiæ Epiſcopis inerat auctoritas judicandi de Orientalium Epiſcoporum cauſſis? At rem finiunt Socrates, Sozomenus, Theodoretus, S. Julius, & S. Athanaſius ipſe locis ſupra laudatis, uni Pontificis ſupremæ auctoritati id judicii acceptum tribuentes. Quid quod ſæpe ſæpius Romanæ ipſæ Synodi decretorum ſuorum robur ab uno, qui ipſis præerat, Pontifice accipere affirmarunt? Ita Synodus Romana ſub S. Hilaro in cauſsa Nundinarii Barcinonenſis, & Sylvani Calaguritani Epiſcoporum. Ita Synodus Romana ſub

S. Ge-

S. Gelaſio in cauſsa Miſeni antea ſedis Apoſtolicæ Legati. Ita Synodus Romana ſub S. Felice III. contra Acacium Conſtantinopolitan., Petrum Mongum Alex., & Petrum Fullonem Antioch. Eccleſiarum pervaſores, ut liquet ex epiſt. Synodica ad Clericos, & Monachos Orientales in collect. Concil. tom. 2, qua ſic inter alia habetur. *Quoties intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſſas, præcipue fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, conſuetudo retinetur, ut ſucceſſor Præſulum ſedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, juxta ſollicitudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem cuncta conſtituat, qui Caput eſt omnium, Domino ad B. Petrum Apoſtolum dicente*: Tu es Petrus &c. *Quam vocem ſequentes* 318. *SS. Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum ad auctoritatem S. Romanæ Eccleſiæ detulerunt*. Confer quæ tom. 1. art. 6. §. 2. ex Synodis Romanis relata ſunt. Idem S. Athanaſius in apologia 2. auctor eſt Urſacium, & Valentem Arianos Epiſcopos pœnitentes a S. Julio Pontifice veniam delicti popoſciſse: *Ariani*, inquit, *victi veritate veniam ſcriptis litteris a Julio Romano Pontifice popoſcerunt, & ad nos pro pace epiſtolas miſere*. Itaque ipſius ſententia Pontificis fidei, & poteſtati omnes ſe permittere oportet.

S. Baſilius in præl. epiſt. 74. ad Occid. Epiſcop. agnoſcit Sedi Apoſtolicæ fas fuiſse Euſtathium ſuæ reſtituere ſedi, ac in communionem recipere, rogat obnixe tamen, ut eadem conditiones ſignificet, quibus ad communionem ille ſuſceptus eſt; ſed & declaret illius culpa gratiam irritam evaſiſse, utpote qui Apoſtolicæ Sedis gratia abutebatur in ſuæ impietatis defenſionem. Præterea in epiſt. 52. ad S. Athanaſium, *Viſum eſt mihi*, inquit, *conſentaneum, ut ſcribatur Epiſcopo Romæ, ut quæ hic geruntur conſideret, & ſententiam ſuam expromat*: ſcilicet ut Antiochenum ſchiſma inter Meletium, & Paulinum, ortumque diſſidium de una, pro qua Paulini pars ſtabat, aut de tribus hypoſtaſibus in Deo aſſerendis, quas propugnabat pars altera Meletii, Romani Pontificis judicio finiretur. In cauſſa etiam Concilii Ariminenſis, ut Pontifex ſua poteſtate uteretur, in eoque acta reſcinderet, ac tandem, ut Legatos mitteret ad Marcelli hæreſim exterminandam deſiderat. Quibus ſignificat apud ſe habitum Romanum Pon-

tificem, ceu illum profecto, cui in Concilia esset auctoritas, & hæreses supremo judicio damnandi. Multoque magis, quod de Appollinari summo dijudicari jure a S. Damaso enixe desideravit. In epistola 69. data Sabino Diacono ad Pontificem Romanum, scilicet S. Damasum perferenda, sic eum alloquitur: *Revera dignum est illa excellentissima voce, qua te Beatum prædicavit, quod pietati tuæ donatum a Domino est, scilicet ut quod adulterinum est a legitimo, ac puro discernas, ac fidem Patrum sine subtractione ulla prædices.* Quibus Apostolicæ sedi collatam a Christo D. in fide indeficientiam plane confitetur, agnoscitque ex eo maxime, quod formulam ab Episcopis Ariminensis Concilii subscriptam, ceu spuriam S. Damasus in Synodo Romana proscripsisset. Idem in epist. 77. Romam missa per Petrum Presbyterum, hisce Pontificem affatur: *Si ad nos volueritis venire, & a nobis rerum nostrarum exigere rationem, obviis vos excipiemus manibus, vestroque nos sistemus examini, aut si locum judicii designare malueritis debitum veniendi explebimus.* An non igitur judicandum se Pontifici tradit S. Basilius, eumque sibi judicem superstare testatur? Denique epist. 182. mirifice eidem veritati suffragatur, siquidem Romanam Ecclesiam novitate nulla a vetustissima fidei regula recessisse affirmans scribit: *Ecclesias Occidentales immaculatam retinere fidem, & inconcussam doctrinæ Apostolicæ structuram conservare. Orientales autem Cenodoxiæ studio novitates venari.* Confer Baronium ad annum 372. n. 25, & seqq., & Lupum disert. de Synodo Sardicensi cap. 6, ubi observat aliquando S. Basilium ob restitutum Marcellum Ancyranum a S. Julio; obque deceptum, fraudeque circumventum a Vitale S. Damasum oculo per iram turbato epist. 10. ad S. Gregorium Nazianz. suadentem a sede Apostolica adversus grassantes Arianorum hæreses auxilia expetenda, & expectanda, respondisse id frustra expeti, & expectari. Misso tamen a Romana Ecclesia auxilio mitiorem effectum S. Episcopum epist. 51. ad S. Athanasium sententiam mutasse: cui sane adjungenda omnino, quæ in præcit. epist. planius expressit.

S. Epiphanius hæc. 68, quæ est Meletianorum, testatur Valentem, & Ursacium pœnitentia ductos, quod calumniam contra S. Athanasium struxissent, S. Julio Pontifici supplices litteras obtu-

obtuliſſe, quibus ſe ad communionem, & pœnitentiam admitti precabantur. Exploratum igitur erat S. Epiphanio Romani Pontificis jus Epiſcopos omnes vel abſolvendi, vel abdicandi. Recolenda, quæ ex eodem hæreſ. 59, & in Anchor. retulimus tom. 1. in proleg. §. 3. de S. Petri Primatu.

S. Gregorius Nazianzenus, quam animo præconceptam gereret, de Romano Pontifice ſententiam protulit, in carm. de vita ſua Romanam Eccleſiam propterea, cui ille præerat, totius Orbis præſidem prædicans. In epiſt. 1. ad Cledonium Appollinariſtis mentientibus ſe a S. Damaſo Pontifice Maximo in communionem receptos, ita reſpondet: *Si a Damaſo Papa recepti ſunt, probent, & nos contenti erimus; quia manifeſte patebit eos eſſe Orthodoxos, ſi vere ab Eccleſia Romana recepti ſunt; neque aliter eſſe poteſt.* Quibus quid clarius ad oſtendendum creditam a S. Doctore Romani Pontificis in fide infallibilitatem? Eam ob rem in epiſt. 2. ad eumdem Cledonium S. Damaſi Pontificis judicio innixum a Vitalis pſeudo-Epiſcopi Antiocheni partium Apollinaris communione ſe diſceſſiſſe ſcribit; ratus nempe in re chriſtiana non alteri ab ea, quam Romanus Pontifex iniviſſet, ſibi inſiſtendum viæ. Iccirco orat. 23. S. Petrum Alexandrinum ex Arianorum manibus elapſum ad S. Damaſum confugiſſe, ab ipſo contra adverſarios petiturum auxilium perhibet.

S. Johannes Chryſoſtomus, poſtquam latam in ſe præter fas a Theophilo Alexandrino, & a Synodo ad Quercum exauctorationis ſententiam accepiſſet, ad S. Innocentium I. Pontificem Maximum interpoſita appellatione, miſſoque libello ſupplici ſcripſit: *Obſecro ut ſcribas, quod hæc tam inique facta, & abſentibus nobis & non declinantibus judicium, non habeant robur, ſicut neque ſua natura habent; illi autem, qui inique egerunt pœnæ Eccleſiaſticarum legum ſubjaceant: nos autem inſontes, neque convictos, neque deprehenſos, neque ullius criminis reos comprobatos Eccleſiis noſtris jubete reſtitui, ut charitate frui, ac pace cum Fratribus noſtris conſueta poſſimus.* Quid profecto his luculentius ad oſtendendam Romani Pontificis ſupremam poteſtatem, qua cunctos per Orbem Epiſcopos judicare poteſt, atque imo Synodorum judicia retractare, ac reſcindere? Porro narrat Palladius in dialogo, qui inter opera

extat S. Chryſoſtomi, quod Romam profecti Demetrius, Panſofius, Pappus, & Eugenius ab ejuſdem partibus ſtantes Epiſcopi, ut Pontifex S. Chryſoſtomo illatas injurias redimeret, etiam, atque eriam rogarunt. Idem ab Innocentio auxilium poſtulaturus acceſſit paullo poſt Theotecnus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter ſecum epiſtolam Synodicam vigintiquinque, & amplius Epiſcoporum deferens, qua Pontificem enixe deprecabantur, ut tot malis in Eccleſia Conſtantinopolitana exortis, totque in S. Antiſtitem commiſſis occurreret. Iis ſupervenientes Cyriacus Synnadenſis, Euliſius Apameenſis una ſecum deferens litteras 15. Epiſcoporum S. Chryſoſtomo addictorum, & S. Anyſii Theſſalonicenſis, judicium Apoſtolicæ ſedis efflagitantium; Palladius item Helenopolitanus Epiſc., Germanus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter, & Johannes Caſſianus ejuſdem Eccleſiæ Diaconus totius Cleri legatione ad Pontificem Romanum fungentes; Domitianus inſuper ejuſdem Eccleſiæ œconomus, & Vallagas Presbyter Eccleſiæ Niſibenſis, una voce rogarunt, ut Pontifex ea, qua pollebat auctoritate, cum in S. Antiſtitem inſanientium inimicorum audaciam, inſolentiamque compeſceret, tum illius innocentiam in libertatem aſsereret. Ad hæc Theophilus Alexandr., Acacius Bereenſis, Severianus Gabalitanus, Antiochus Ptolemaidis, Cyrinus Chalcedonenſis, Leontius Ancyranus, & Ammonius Laodicenus Epiſcopi tempeſtatis in S. Chryſoſtomum commotæ auctores legatis, litteriſque ad Innocentium miſſis in ſuam iniquitatis plenam ſententiam pertrahere aggreſſi ſunt. Sed cui nam aliquando contigit, ut ab Apoſtolica Sede iniquum extorqueret judicium? Eorum potius temeritatem, impietatemque execratus eſt Innocentius; erga S. Chryſoſtomum autem, ejuſque cauſsæ defenſores benignum ſe, ac, ut par erat, propitium præbens communionis ſuæ participes illos fecit, iniqueque actum cum Johanne pronunciavit, cujus rei teſtes litteras dedit laudato Demetrio Epiſcopo Peſinuntis, quas quum accepiſset longo ſe per Orientem itineri committens, ubicumque evulgavit in Apoſtolicæ Sedis communione manere S. Chryſoſtomum, ejuſque ſententia Theophili, & partiariorum judicium irritum dictum, Johanni vero reſtitutum locum. Et ſane ejuſmodi ſententia tanti habita eſt ubi-

ubique, ut ob eam, iis exceptis, quos Theophili furor abſtraxerat, ceteri omnes Epiſcopi cum S. Chryſoſtomo communionem integram ſervarint. Quo quidem nihil illuſtrius in rem noſtram proferri poteſt: ſiquidem liquido patet, quanti ſive a S. Antiſtite, ſive ab Epiſcopis pro, & contra pugnantibus Romani Pontificis facta poteſtas ſit. Quo de argumento alias. Confer & S. Chryſoſtomum hom. 83. in Matth., ubi verba Lucæ 22. *Rogavi pro te* &c. ita de Petri indefectibili fide eſt interpretatus, ut ad Petri pariter ſucceſſores id privilegii pertranſiiſſe commonſtret, *Ipſius*, inquit, *favore factum eſt, ne omnino Petri fides evaneſceret*. Qua quidem in interpretatione S. Doctori adſtipulatos S. Auguſtinum lib. de corrept., & grat. cap. 8, & in quæſt. N. T. q. 75; S. Proſperum in epiſt. ad Ruffinum; S. Sophronium, & Stephanum Dorenſem relatos in Concilio Rom. ſub S. Martino I. ſecr. 2; V. Bedam in præf. locum S. Lucæ; S. Maximum in epiſt. ad Orient.; S. Bernardum epiſt. 190. ad Innocentium II; Albertum Magn. in Matth. 16, & Luc. 22; S. Thomam lib. 4. contra Gent. cap. 76, & alibi; S. Laurentium Juſtinian. lib. de Obed. cap. 12; S. Antoninum 3. p. tit. 12. cap. 8, & alibi; S. Bernardinum Senenſ. tom. 1. ſerm. 1. de Chriſt. fidei firmitate art. 3. cap. 2, alioſque alibi oſtendimus.

Sæculo V, & VI. S. Cyrillus Alexandrinus, ut eſt apud S. Thomam in catena ad Luc. 22., *Secundum hanc Chriſti*, inquit, *promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione, & hæretica circumventione manet immaculata*. Ita ſcilicet S. Lucæ locum interpretatus eſt, quomodo a S. Chryſoſtomo, aliiſque poſtea Patribus acceptum mox dicebam. Confer eumdem S. Cyrillum lib. 4. de Trinit., & lib. 2. in Johan. cap. 1. Sicubi vero occaſio occurreret, præ Synodicis, ac pro omnium ſumma Apoſtolicæ Sedis ei erat ſententia. Ad eam Juvenalis Hieroſolymitani in Concilio Epheſino conatum pro adipiſcendo Paleſtinæ Primatu detulit, teſte S. Leone epiſt. 62. in edit. Queſnelli 92. ad Maximum Antioch. Ad eam controverſias, turbaſque contra ſe in Oriente motas a Johanne Antiocheno detulit, teſte S. Sixto III. epiſt. 1, & 2. apud Coutantium; cui tandem Johannes caput ſubmiſit. Ad eam Neſtorii graviſſimam detulit cauſſam, de qua quidem

tom. 1. art. 2. §. 2. abunde dictum eſt, aliqua tamen, quantum nunc pretium eſt operæ, retexere non piget. Itaque in epiſtola ad S. Cæleſtinum Papam de Neſtorio ſcribens ait ſibi ex officio, & Eccleſiaſtica conſuetudine incumbere de Neſtorii hæreſi ipſum certiorem facere: ſibi quidem videri a Neſtorii communione ob apertiſſimam ejus hæreſim recedendum fore, non auſum tamen eſſe id facere, antequam ipſius exquiſiviſset judicium. Rogat proinde etiam, atque etiam, ut ſententiam ſuam exprimat, num a Neſtorio ſit abſcedendum, utque ejuſmodi ſententia perſpicue per litteras Macedoniæ non modo, ſed totius Orientis Antiſtitibus etiam exponatur. Sciebat ergo Cæleſtini ſententiæ fore, ut omnes Orientis Epiſcopi ex animo, unanimique aſſenſu adquieſcerent, tamquam illi, qua ineluctabilior expetenda non eſſet: en ejus verba. *Quoniam Deus haſce in rebus prudentiam a nobis exigit, longaque Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, ut iſtiuſmodi Sanctitati tuæ communicentur, non poſſum equidem, quod apertum eſt, ad pietatem tuam non perſcribere &c.* Et infra. *Quamvis hæc ita ſe habeant, non prius tamen Neſtorii communionem confidenter deſerere auſi ſimus, quam hæc ipſa Pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hic ſentias declarare, quo liquido nobis conſtet, communicare ne nos cum Neſtorio oporteat, an vero libere eidem denuntiare neminem cum eo communicare, qui ejuſmodi erroneam doctrinam fovet, ac prædicat. Porro tuæ integritatis mens, ac ſuper hac re ſententia non modo piiſſimis, Deoque devotis Macedoniæ Epiſcopis, ſed totius quoque Orientis Antiſtitibus perſpicue per litteras exponi debet.* Cujus rei vero cauſsa, niſi ut ad eam Orientales ad unum omnes intenderent, ſe ſeque inſtituerent?

De S. Gregorio Niſseno id unum dixerim agnoviſse eum a S. Petro, ac propterea ab ejus pariter ſucceſsoribus in Epiſcopos ceteros poteſtatem in Eccleſia promanare: *Per Petrum*, inquit, de caſtigatione tom. 2. p. 746, *dedit Epiſcopis* (Chriſtus Dominus) *Clavem Cæleſtium bonorum*. Clavium autem nomine auctoritatem intelligendam nemo ignorat. S. Iſidorum Peluſiotem quod attinet, legito ejus epiſtolas 142. lib. 1, 58, & 190. lib. 2, aliaſque, ex quibus, quam eximie de S. Petro, ac Romano Pontifice ſentiret, plane liquet: nolo enim præter modum multus eſſe.

eſse. Confer etiam epiſtolam Eutherii Tyanenſis, & Helladii Tarſenſis ad S. Sixtum III. apud Harduinum tom. 1, qua pleraque, ac præclara de Pontifice prædicant. S. Maximianus, qui abdicato Neſtorio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſubrogatus eſt in epiſt. ad Orientales ſic ait: *Omnes fines terræ, quæ Dominum ſincere receperunt, & ubique terrarum Catholici veram fidem confitentes in poteſtatem Romanorum Pontificum, tanquam in ſolem reſpiciunt, & ex ipſa lumen Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei recipiunt. Nec immerito, quia Petrus legitur primo perfectam fidem eſſe confeſſus Domino revelante, quum dixit*: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. *Decebat tantæ dignitatis, & ſapientiæ Virum, non ab alio cæleſtis myſterii arcana requirere, niſi ab eo potiſſimum, quem non potuit caro, & ſanguis inſtruere, ſed cui Dominus ipſe ſua ſecreta dignatus eſt aperire*: Beatus es, *inquit*, Simon Bar-jona &c. *Hunc enim de ceteris mortalibus ex toto terrarum Orbe Conditor Orbis elegit, cui Cathedram magiſterii principaliter poſſidendam tenere perpetuo privilegii jure conceſſit, ut quiſquis divinum aliquid, aut profundum noſſe deſiderat, ad hujus præceptionis oraculum, doctrinamque recurrat; nec illi humiliter referre, quod ſolvendum eſt, erubeſcat; etiam ſi ipſe, quod quæritur, non ignoret.* Quibus quid amplius, & apertius ad Romani Pontificis adſtruendum primatum, ac infallibilitatis privilegium deſiderari poteſt?

Socrati heic eſto locus. Is lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 8. Synodum Antiochenam ab Euſebio Nicomedienſi collectam ea ratione rejectam refert, quod abſque Julii Romani Epiſcopi conſcientia, quod Canon Eccleſiaſticus prohibet, celebrata ſit: & cap. 15. narrat eumdem Julium datis ad Epiſcopos Orientis litteris juſſiſſe, ut Athanaſius Alexandrinus, Paulus Conſtantinopolitanus, Aſclepas Gazæus, Marcellus Ancyranus, & Lucius Adrianopolitanus ſuis reſtituerentur ſedibus, illoſque minaciter increpaſſe, quod præfatos Antiſtites ſuis exturbare Eccleſiis auſi eſſent. Lib. 4. cap. 11. ſcribit ab Epiſcopis Synodi Lampſacenæ miſſos ad Liberium Pontificem Maximum Legatos Euſtathium Sebaſtenum, Silvanum Tarſenſem, & Theophilum Caſtabalenſem, illiſque in mandatis deditum, ne in fidei cauſsa a Pontifice diſcreparent, ſed cum Eccleſia Romana communione jungi ſtuderent, fidemque

Con-

Conſubſtantialis ratam facerent: quod quum illi Liberio oblato libello præſtitiſſent, a Pontifice in communionem fuiſse receptos, recepiſseque viciſſim litteras ad Epiſcopos Orientales inſcriptas, quibus Ario, & fidei formulæ in Concilio Ariminenſi recitatæ, anathema dicere, Nicænæ vero fidei adhærere jubebantur. Demum cap. 37. perhibet S. Petrum in Eccleſia Alexandrina S. Athanaſii ſucceſſorem ab Arianis pulſum, & carcere mancipatum, e cuſtodia elapſum Romam ad S. Damaſum confugiſse, a quo litteris acceptis, quibus ei Alexandrina Eccleſia confirmabatur, Alexandriam reverſum locum ſuum recuperaſse, a populo Lucio pervaſore expulſo. Compertum ergo erat Socrati Romani Pontificis ſupremum jus in omnes Orbis Epiſcopos, ejuſque judicio in canſſis fidei ab omnibus fore adquieſcendum. Hæc horumque ſimilia perpendens Baluzius, *Magnificum ſane*, inquit, *pro Romano Pontifice, ut Ordinationes Epiſcoporum Eccleſiæ cum Antiochenæ, tum Alexandrinæ ſtent, aut cadant pro ejus arbitrio.*

Sozomenus lib. 3. cap. *6.* enarrat pariter, quod paullo ante Socrates, S. Athanaſium, Paulum Conſtantinopolitanum, Marcellum Ancyranum, Aſclepam Gazæum, & Lucium Adrianopol. de gradu ab Arianis deturbatos a S. Julio Papa, ad quem confugerant, Eccleſiis ſuis reſtitutos fuiſse: & cap. 10. datas ab eodem Julio litteras ad Epiſcopos Orientales, quibus vehementer illos objurgavit, quod præter ſuum conſenſum Synodum Antiochiæ celebraſsent; legemque eſse, quæ pronunciat *Acta illa irrita eſſe, quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani conſtituuntur.* Præterea lib. *6.* cap. 22. refert, quod quum jampridem mota quæſtio increſceret, an Spiritus S. Patri, Filioque conſubſtantialis eſſet aſserendus, id negantibus Anomæis, & Homiuſianis, qui contendebant eum tantummodo ſimilem dicendum in ſubſtantia; e contra affirmantibus Homouſianis, ſeu Nicænæ fidei defenſoribus, Liberius Romanus Pontifex ad Epiſcopos Orientales ſcripſit: ut cum Occidentalibus ſacerdotibus Trinitatem & conſubſtantialem eſse, & gloria æqualem crederent. *Quo facto*, ſubjungit, *ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel judicatis acquieverunt, hæcque controverſia finem habere viſa eſt.* Teſte igitur Sozomeno Ro-

Romani Pontificis judicium in rebus fidei indeficiens, ſupremumque apud Orientales erat, poſt quod nihil foret amplius exquirendum.

S. Flavianus Conſtantinopolit. Epiſcopus de Pontificis ſupra Synodos poteſtate, ac in fide infallibilitate ſententiam aperiens ſuam in epiſtola ad S. Leonem M., quæ inter Leoninas 6. recenſetur, his verbis ſcripſit: *Cauſsa* (Eutychetis) *eget ſolummodo veſtro ſolatio, atque definitione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere. Sic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turbæ, quæ propter eum factæ ſunt, facile reſecantur, Domino cooperante per veſtras ſanctiſſimas litteras: revocabitur autem & Concilium* (Chalcedonenſe), *quod fieri divulgatur.* Patente igitur S. Flaviano Concilio non ineſse robur, niſi eidem calculo accederet ſuo Romanus Pontifex, auctoritateque ſua valere juberet: nec eſse eo opus ad hæreſes proſcribendas; ad id ſatis ſuperque haberi Romani Pontificis definitionem: eamque hujuſmodi eſse, ut cuncti adquieſcere teneantur, quid obtrudunt ejuſmodi privilegio obtrectatores? Quorſum Romanum Pontificem in fide falli, & fallere poſse pugnaciter contendunt? Theodoretus apertiſſimo teſtimonio idem Sedis Apoſtolicæ privilegium profeſsus eſt: ita enim in epiſtola 113. ad S. Leonem, ad quem appellat, liquido ſcribit: *Si Paulus prædicator veritatis, & Spiritus ſancti buccina ad Petrum accurrit, ut iis, qui Antiochiæ de vivendo ſecundum Legem Moyſis diſceptabant, quæſtionem expeditam, ac ſolutam ab eo ferret, multo magis nos, qui puſilli ſumus, ad ſolium Apoſtolicum accurremus, ut a Vobis medicinam ulceribus noſtris feramus. Siquidem Vobis convenit in omnibus rebus primas tenere: Veſtra enim ſedes multis prærogativis ornata eſt .... Urbs enim veſtra Orbi præſidet ... Fides vero præcipue eam ornat: teſtis eſt Paulus, qui clariſſima voce ait, Rom. 1.* Fides veſtra annuntiatur in univerſo Mundo. *Ego vero ſuffragium Sedis Apoſtolicæ expecto, & ſupplex oro, atque obſecro ſanctitatem veſtram, ut ea me tribunal veſtrum juſtum, ac rectum appellantem* (a pſeudo-Synodo Epheſina, in qua fuerat exauctoratus) *defendat, ac protegat, jubeatque, ut ad Vos accurram, & doctrinam meam veſtigiis Apoſtolicis inſiſtentem oſtendam ... Veſtram ſententiam*

expecto ; quod ſi ſententiæ eorum, qui condemnarunt, acquieſcere juſſeritis, acquieſcam, nulli deinceps futurus moleſtus. Agnoſcebat procul dubio ita ſcribens poſt ſynodale judicium reliquam adhuc eſse Romani Pontificis ſententiam, qua lata non relinqui cauſsæ locum. Idem repetit in epiſt. 116. ad Hilarum Rom. Eccleſ. Diaconum, qua ſic loquitur: *Nudarunt me* (in Epheſino conciliabulo) *ſacerdotio... Quamobrem precor te, ut ſanctiſſimo Archiepiſcopo* (Leoni) *ſuadeas, ut Apoſtolica auctoritate utatur, jubeatque ad veſtrum Concilium adire. Tenet enim ſancta iſta Sedes gubernacula regendarum cuncti Orbis Eccleſiarum, cum propter alia, tum quia ſemper hæretici fœtoris expers manſit, nec ullus unquam, qui contrarium ſentiret, in ea ſedit ; quin potius Apoſtolicam gratiam puram cuſtodivit. Quare quæ ab iſto veſtro tribunali proficiſcentur, qualiacumque erunt, judicii veſtri integritate confiſi amplectemur.* Ita Theodoretus una cum Primatus dignitate ſupremam in Concilia poteſtatem, & in fide indeficentiam Apoſtolicæ Sedi indiviſim a Domino collatas confitetur.

Qui pote? Anatolius, cujus ambitionis gratia Concilium Chalcedonenſe Conſtantinopolitano Epiſcopo primas ſupra ceteros Orientis Patriarchas detulerat, non alia ratione S. Leonis in ſe propterea exaſperatum animum delinire, quam profiteri ſibi nihil antiquius, optatiuſque accidere, quam, ut pareſt, ex officio Pontificis imperata adimplere, ejus de fide doctrinis integre ſe jam devoviſſe, affirmareque prætenſo canoni eam adnexam legem, ſi Pontifici probaretur: ita plane, *Quum & ſic*, inquiens, *geſtorum vis omnis, & confirmatio auctoritati veſtræ Beatitudinis fuerit reſervata* &c. Percurre epiſtolam Anatolii ad S. Leonem apud Allatium de conſenſ. Occid., & Orient. Eccleſ., Holſtenium in collect. Rom. part. 1, & Queſnellum tom. 1. oper. S. Leonis poſt epiſtolam 105, alias 70. Qui dum Epiſcopi Mæſiæ 2. in epiſt. ad Leonem Imperat. apud Harduinum tom. 2. S. Leonem M. *Vere Caput Epiſcoporum* vocant: & ab Epiſcopis Armeniæ 2. in epiſt. ad eumdem Imperat. S. Cæleſtinus I. *Petri Sedis, ſententiæque ſucceſſor* vocatus eſt? Qua impudentia fuerit Acacius Conſtantinopolitanus Antiſtes, de quo plurima 2. parte, nihilo ſecius in epiſt. ad S. Simplicium, qua ei Orientalis Eccleſiæ ſtatum refert, *Sollicitudinem omnium*

omnium Eccleſiarum eumdem circumferre ſcribit. Quid plura? In epiſt. ad SS. Felicem III, & Gelaſium I, Acacii ſucceſſores Flavita, & Euphemius Apoſtolicam Sedem *Unitatis centrum, & fidei fundamentum*, a qua deflectere nefas ſit, ultro citroque profeſſi ſunt; & Macedonius Concilio œcumenico Pontificem Romanum adeſſe, & præeſſe oportere affirmavit apud Theodorum Lector. lib. 2, & Theophanem ad annum Chriſti juxta Alexandrinos 102, ideſt vulgaris æræ 509. Sed de graviſſimo hoc argumento fuſius part. 2. Ad hæc Epiſcopi Dardaniæ acceptis S. Gelaſii litteris, quibus ab Eutychianorum communione abſtinere jubebantur, repoſuere gratias rependentes pro officio: *Deſiderii, & voti noſtri eſt juſſionibus veſtris in omnibus obedire, & quemadmodum a Patribus noſtris accepimus, Sedis Apoſtolicæ ... præcepta intemerate ſervare, atque religionem orthodoxam, cujus eſtis prædicatores, fideli, & inculpata devotione ... cuſtodire*. Ita fantur ii, quibus Pontificem deflectere a fide nequire, atque ſuprema in Eccleſia poteſtate defungi perſuaſum eſt. Orientales Epiſcopi in epiſt. ſynodica ad S. Symmachum, qua ſupplicant ab anathemate abſolvi, quo ob Acacii communionem conſtricti tenebantur, ſe Apoſtolicæ Sedi omnino ſubjectos ire non modo, ſed imo ejuſdem ſententiis obſtringi omnino, ejuſque fidei obligari mirifice agnoſcunt, & conſitentur: *Si propter*, ajentes, *Alexandrinorum, aut magis Euthychianorum amicitiam, qui averſantur, & anathematizant ſanctiſſimum, & B. Papam Leonem, vel in Chalcedone Synodum habitam, anathematizatus eſt Acacius, quare nos a Vobis æſtimamur hæretici, & in anathemate ſumus nos, qui amplectimur ſolam illam epiſtolam, & quæ dicta ſunt in ſancta Synodo? Qui propter prædicationem recti dogmatis veſtri quotidie oppugnamur, & ut hæretici anathematizamur ab his, qui Eutycheti conſentiunt? Noli facere judicium ... ne perdas juſtum cum impio, nec æqualiter judicentur a te orthodoxi, & hæretici, vel qui anathematizant prædictam ſanctam epiſtolam, ſanctamque Synodum veſtram, & ii, qui Vobiſcum ab iis anathematizantur, & qui amant mori quotidie pro recta fide, quæ a Vobis prædicatur*. Tanti faciebant Orientis Epiſcopi Apoſtolicæ Sedis fidem, ſententiam, & communionem. Nec ullo omittenda modo, quæ ad epiſtolæ calcem

habent, quibus egregium, vetuſtumque exhibetur monumentum ſacri in Eccleſia moris, quo in venerationis, ac devotionis argumentum deoſculari Pontificis pedes, & ad Pontificem proficiſci pro graviorum delictorum veniæ impetratione, vel Epiſcopis ſolemne erat: per ſe enim non ſtetiſſe quominus Romam acceſſiſſent, ſubnectunt: ut *Sancta adoraremus tua veſtigia, & prævaricationis medicinam, & ſolutionem vinculorum, & delicti remiſſionem de tuo ſancto ore ſuſciperemus.*

Johannes II. Conſtantinop. Patriarcha cognomento Cappadox, qui alioquin omnium primus œcumenici nomen affectavit, ut legitur act. 5. Concilii Conſtant. ſub Menna, quamvis id inficietur Baronius ad an. 518. n. 14, in epiſt. ad S. Hormiſdam, Pontifici Maximo fidei ſuæ rationem reddit, & Legatos mitti ad pacem Orientali Eccleſiæ reconciliandam, lapſoſque recipiendos rogat: in Concilio ab ſe Conſtantinopoli habito Eutychianos, eorumque defenſores damnaſſe, Concilio vero Chalcedonenſi, & S. Leonis epiſtolæ ad Flavianum ſubſcripſiſſe aſſeverat; libello etiam fidei ab Hormiſdæ Legatis oblato ſyngrapham appoſuiſſe, atque demum in ſacra diptycha S. Leonis, ipſiuſque Hormiſdæ venerandis nominibus reſtitutis, ex iiſdem Acacii, Euphemii, & Macedonii, (quos poſtremos reſtitutos poſtea ab Epiphanio ex S. Hormiſdæ indulgentia conjicit Pagius,) necnon Anaſtaſii, & Zenonis Imperatorum nomina expunxiſſe teſtatur, quæque legenda extat tom. 4. Concil. edit. Labb., unde liquet Eccleſiam Conſtantinopolitanam ſub S. Hormiſda cum Romana pacem, communionemque redintegraſſe, inter alia ſic habet. *Redditis litteris veſtræ Sanctitatis lætatus ſum de ſpirituali charitate veſtræ ſanctitatis, quod unitatem ſanctiſſimarum Dei Eccleſiarum ſecundum veterum Patrum requiris traditionem, & laceratores rationabilis gregis Chriſti amore propulſare feſtinas. Certus igitur ſcito per omnia ſanctiſſime, quia ſecundum quod vobis ſcripſi, una tecum cum veritate ſentiens omnes a te repudiatos hæreticos renuo, & ego pacem diligens. Sanctiſſimas Dei Eccleſias, ideſt ſuperioris veſtræ, & novellæ iſtius Romæ, unam eſſe accipio: illam Sedem Apoſtoli Petri, & iſtius Auguſtæ Civitatis unam eſſe definio.* Et infra. *Tuis verbis evidenter utens per præſentia ſcripta hæc dico: Quia prima*

ſalus

ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & a Patrum traditione nullatenus deviare, quia non poteſt Domini noſtri prætermitti ſententia dicentis: Tu es Petrus &c. *Hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica inviolabilis ſemper Catholica cuſtoditur Religio*. Hactenus ille, quibus me hercle quid apertius eſse poteſt, ut demonſtrentur a Græcis agnita, & aſſerta tunc temporis Apoſtolicæ Sedis ea, de quibus agimus, ſupremæ in Eccleſiam univerſam poteſtatis, atque in fide infallibilitatis privilegia? Gemina ſunt, quæ Johannis in Eccleſia Conſtantinopolitana ſucceſsor Epiphanius ad eumdem S. Hormiſdam exaravit: in ea etenim, quam ſuæ electionis miſit, relatione apud Labbeum tom. 4, locum ſibi confirmari ſupplex petit; formulæ fidei a Pontifice præſcriptæ ſincere ſe ſubſcribere profitetur; nec ab ejus obedientia, fide, ac communione, vel latum unguem velle unquam deflectere proteſtatur. *Eſt mihi*, ſcribit, *ratio magnopere, Beatiſſime, uniri me Vobis, & divina amplecti dogmata, quæ ex ſanctis diſcipulis, & Apoſtolis Dei, præcipue Summi Petri Apoſtolorum, Sedi ſanctæ veſtræ ſunt tradita*.

Johannes Nicopolitanus in Epiro veteri Metropolita, necnon ſub eo ex Epiri 7. Epiſcopis anno 516. collecta Synodus illuſtre ſuæ erga Apoſtolicam Sedem obſervantiæ, obedientiæque ſpecimen exhibent, taleque, quod nonniſi ex animis de Pontifice ſupremæ poteſtatis, ac infallibilitatis prærogativa a Chriſto Domino cumulato perſuaſis profectum haberi poſſit. Ergo ad Eccleſiæ Romanæ unitatem redeuntibus undique Orientis Eccleſiis, unoque Dorotheo Theſſalonicenſi Epiſcopo Anaſtaſii Imperatoris gratiam aucupare malente, quam Apoſtolicæ Sedi communione conjungi, in ſchiſmate obſirmato animo adhuc manente, Johannes recens electus Nicopolitanus Epiſcopus, ac ceteri Epiri veteris Antiſtites Dorothei obedientia, & communione abdicata, Apoſtolicæ Sedi ad S. Hormiſdam obſequii refertiſſimis litteris inſcriptis ſe integre devoverunt. *Votum*, inquit Johannes, *mihi eſt veſtram ſequi doctrinam, ſicut inter Sanctos prædeceſſor meus Alcyſon extiterat: & anathematizo Dioſcorum, ac Timotheum appellatione Ælurum, & Petrum, qui Antiochenam perturbavit Eccleſiam, ſequens in omnibus Synodicas, & Apoſtolicas epiſtolas ſcrip-*

ſcriptas a vero Præſule Romanæ Eccleſiæ Leone. Rogo autem plenius, atque perfectius, quae ſervari oportet, commonete, & a quibus abſtinere debeam, veſtris cuſtodibus litteris intimate, ut ſi fortaſſis adhuc inexercitatus ordini deputor lectionum, ſeu dixi, ſeu egi Apoſtolicis veſtris doctrinis incongruum, veſtris imbutus ſermonibus poſſim hæreticorum obſiſtere machinis. Hoc enim facientes, ſanctiſſime, firmiores noſtræ ſanctæ Synodi invenietis Epiſcopos, & bonorum actuum Clerum, & Populum confirmabitis. Similia ſcribunt in Synodica apud Harduinum tom. 2. Epiri Epiſcopi, Johanni gradum confirmari enixis precibus eflagitantes, inque preces, ne Pontifex ſibi ad amplexandum pronis doctrina, & admonitione deeſſet, effuſi. Quid quod Dorotheus ipſe intelligens gravi diſcrimini ſe facile patere, ſi a Pontificis fide, & obedientia deſciſceret, ad eumdem S. Hormiſdam datis litteris, apud Labbeum tom. 4. edit. Pariſ. legendis, obſequio, & devotione cumulatiſſimis, damnatis Neſtorio, & Eutychete, ſe ejuſdem communioni ardenter inhiare profitetur, in ejuſque communionem ceteros omnes redire valde peroptat; ac poſtquam diu obnixus fuiſſet, obluctatuſque, Pontifici demum ſubmiſſis faſcibus ſe dijudicandum permittit? Confer epiſtolas Dorothei ad Hormiſdam, & Hormiſdæ ad Legatos ſuos; ad Dorotheum; ad Anaſtaſium; ad Epiphanium loco apud Labbeum præmemorato. Archimandritæ perinde, atque Monachi ſecundæ Syriæ, ſeu Maronitæ ad eumdem S. Hormiſdam relationem mittentes eorum, quæ ob defenſionem fidei a S. Leone traditæ, & a Chalcedonenſi Synodo receptæ patiebantur ab Eutychianis, ac præſertim a Severo Antiocheno, & Petro Apameenſi, egregium ſuæ de iiſdem Romani Pontificis prærogativis fidei teſtimonium exprimunt in epiſtola eidem Pontifici inſcripta, quæ refertur cit. tom. 4. Concil. a Labbeo: inter alia enim ita præfantur: *Sanctiſſimo, & Beatiſſimo univerſi Orbis terræ Patriarchæ Hormiſdae continenti Sedem Principis Apoſtolorum Petri &c. Quoniam Chriſtus Deus noſter Principem Paſtorum, & Doctorum, & Medicum animarum conſtituit Vos, & veſtrum Sanctum Angelum, dignum eſt paſſiones, quæ nobis contigerunt exponere.* Poſt vero narratam perſecutionem, qua ex ipſorum grege ad 350. interfecti ab Eutychianis ſunt, ſubnectunt:

De-

Deprecamur ergo Beatiſſime, ſupplicantes, & rogantes, ut exurgatis cum fervore, & zelo, & condoleatis juſte pro corpore laniato: nam Caput eſtis omnium: & vindicetis fidem contemta m.., canones conculcatos, Patres blaſphematos, & talem Synodum (Chalcedonenſem) *anathemate impetitam. Vobis a Deo data eſt poteſtas, & auctoritas ligare, & ſolvere*: talis, nempe, ac tanta, quæ ſolutos quoquomodo obliget, ligatoſque a quocumque abſolvat.

Theodoſius Echinienſis in Theſſalia Epiſcopus Legatus ad Bonifacium II. a Stephano Lariſſenſi, qui ab Epiphanio Conſtantinopolitano Epiſcopo e gradu motus ad Apoſtolicam Sedem appellaverat, ipſius partes agens in Romana Synodo, cujus acta ex bibl. Barberina publici juris fecit Lucas Holſtenius, ſic Pontificem affatus eſt: *Conſtat venerandos Sedis veſtræ Pontifices, quamvis in toto Mundo Sedes Apoſtolica Eccleſiarum ſibi vindicet principatum, & ſolam Eccleſiaſticis cauſſis undique appellare neceſſe ſit, ſpecialiter tamen gubernationi ſuæ Illyrici Eccleſias* (ut conſtat ex epiſtolis SS. Damaſi, Siricii, Innocentii I, Bonifacii I, Cæleſtini, Sixti III, & Leonis I. ab ipſo productis) *vindicaſſe*. Duo in Romano Pontifice diſtinguit Theodoſius jus Primatus in Eccleſiam univerſam; ac jus Patriarchicum in Illyricum: ex utroque capite Stephani appellationem urget, ipſiuſque exauctorationem intentatam ab Epiphanio irritam eſſe contendit. Porro Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. XIII, & XIV. in cenſorio ſuffragio ad propoſitionem illam: *Ad ſolam Sedem Apoſtolicam divino immutabili privilegio ſpectat de controverſiis fidei judicare*, hanc Theodoſii Echinienſis propoſitionem coarctandam ad cauſſas perſonales, non extendendam ad cauſſas fidei aſſerit, additque intelligendam de appellationibus a Conciliis particularibus, non œcumenicis, ad quæ imo juxta Gerſonium, (quamvis non paſſim, regulariter, & ab omnibus), certis tamen in caſibus extraordinariis ab Eccleſiis integris in cauſſis fidei appellari a Sede ipſa Apoſtolica poſſit. Hancce ſchiſmatibus latam ſternentem viam parte 2. vindic. ſententiam explodemus; quo etiam loco oſtendemus Conciliorum etiam œcumenicorum decreta nullius eſſe roboris, quoadusque eadem rata juſſerit Romanus Pontifex; atque ab ipſis œcumenicis Conciliis interponi ad Apoſtolicam Sedem appellationes, non

e converſo, poſſe. Ita intelligendum eſſe Theodoſium Echinienſem, ideoque alienum in ſenſum intorſiſſe ejus verba Natalem ſuadet verborum obvius ſenſus, quibus Romanum Pontificem affirmat jure Primatus Eccleſiæ univerſæ præeſſe, eumque ſolum undique appellare neceſſe fore. Quod rite ex Primatu colligit; quandoquidem ratione Primatus Pontifici competit judicare de cauſſis omnibus, quæ in Conciliis aguntur, quum imo ſine ipſo neque agi in Concilio poſſint: ac judicare num rite eædem cauſſæ in Conciliis agitatæ ſint. Sed & audire præſtat ipſummet Stephanum Lariſsæum, qui in epiſt. ad eumdem Bonifacium II. ſic ait inter alia: *Etenim dixi quia authoritas Sedis Apoſtolicæ, quæ a Deo, & Salvatore noſtro Summo Apoſtolorum data eſt, omnibus Sanctarum Eccleſiarum privilegiis antecellit; in cujus confeſſione omnes Mundi requieſcunt Eccleſiæ.* Quibus ſatis ſignificat Apoſtolicam Sedem Eccleſiæ univerſæ a Deo fuiſſe prælatam; ſed inſuper ipſius fidem ab univerſa Eccleſia amplectendam fore. Confer etiam Elpidium, Stephanum, & Timotheum in Theſſalia Epiſcopos in epiſtola eamdem ob rem eidem Bonifacio II. nuncupata apud Harduinum tom. 2. collect. Conciliorum pag. 1117.

Marianus Presbyter, ac Monachorum Primas, nec non ingenti numero Archimandritæ Orientales acerrimi Concilii Chalcedonenſis aſsertores ſimillima habent in libello ſupplici Juſtiniano Imperatori oblato, & in Synodo Conſtantinopolitana ſub Menna lecto: *Miſit*, inquiunt, *Deus huic Civitati* (Conſtantinopolitanæ) *Agapetum Pontificem antiquæ Romæ in depoſitione Anthimi, & prædictorum hæreticorum* (Severi, Petri, & Zoaræ) *tanquam olim Petrum Magnum Apoſtolum Romanis in depoſitione Simonis Goetiani. Iſte ergo Venerabilis Vir ſcienſ.... ea, quæ inique contra Eccleſiam præſumta fuere .... Anthimum juſte ejecit de Sacerdotali ſede ..... & præfecit ipſi Eccleſiæ S. Mennam.* Ob eadem præclare geſta eidem S. Agapeto gratulati ſunt epiſtola ad ipſam inſcripta, quam legere eſt apud Harduinum tom. 2. pag. 1203. Ortodoxi etiam Orientales Epiſcopi libello adverſus Anthimum, Severum, alioſque Acephalos oblato S. Agapeto, loco mox indicato legendo, ita de eo loquuntur, tanquam qui fidei eclipſim pati nequeat, cuique ſit imo datum in devia aberran-

rantes, errorumque caligine obductos, in rectam perducere, ac veræ fidei lumine perfundere: *Ex quo*, inquiunt, *Chriſtus Deus noſter ... propter ipſius in omni tempore cum vera fiducia ſua inviſibili, ac terribili virtute divulgatam confeſſionem ſuper venerabile caput veſtrum requievit, quum Sedem Apoſtolorum Vobis, Pater Beatiſſime, commiſit, & firmavit ſuper firmam petram pedes veſtros ... clarificati a ſpirituali ſplendore veſtro, per quem tanquam lucerna reſplendens ſuper ſancto candelabro caliginem eorum, qui in tenebris ſedent, depuliſtis, & cæcos illuminaſtis, & oculos mentis ipſorum aperuiſtis &c.* Patarenſis Epiſcopus, cujus ignoratur nomen, apud Liberatum in breviar. cap. 22, quum S. Silverius Pataram in exilium deportatus fuiſſet, Juſtinianum Imperatorem adiens judicium Dei conteſtatus eſt de tanta Sedis Epiſcopi expulſione: *Multos eſſe dicens, in hoc Mundo Reges, & non eſſe unum, ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam Mundi totius a Sede ſua expulſus*. Hæc audiens Imperator, agnoſcenſque Romanum Pontificem ſupremum eſſe in Eccleſia Caput, S. Petri ſucceſſorem, & Chriſti Domini in terris Vicarium, revocari Romam Silverium juſſit. De Menna Conſtantinopolit. abunde dixi tom. 1. art. 2. §. 3, non ſecus ac de aliis.

S. Eutychius Conſtantinopolitanus Epiſcopus non abſimili in ſententia verſatus in epiſtola ad Vigilium, poſtquam dogmaticis Romanorum Pontificum devinctum ſe fuiſſet profeſſus, rogans etiam atque etiam, ut Concilium de tribus Capitulis diſceptaturum præſentia ſua, ac præſidentia honorare dignaretur, *Ad Apoſtolicam Sedem*, ait, *veſtræ Beatitudinis manifeſtum facimus, quod ſervamus fidem a Chriſto Apoſtolis traditam, & ab illis in toto Mundo prædicatam, & a SS. Patribus maxime in ſanctis quatuor Synodis explicatam: Suſcipimus & epiſtolas Præſulum Romanæ Sedis Apoſtolicæ; & ideo petimus præſidente nobis veſtra Beatitudine ... communi tractatu eadem Capitula in medio proponenda quæri, & conferri, & finem quæſtioni imponi Deo placitum*. Viden ut Concilii Oecumenici Caput Romanum Pontificem agnoſci, atque Apoſtolicæ Sedis decreta tanquam fidei dogmata ſuſcipi? S. Eulogius Alexandrinus, quam de Pontificis prærogativis animo præclaram perferret ſententiam oſtendit, dum illi partes in Eccleſia

primas detulit : dum ab ſe ſcripta illius judicio ſponte ſubmiſit : dum actorum ſuorum, fideique rationem reddidit, agendique regulam depopoſcit. Legito ejus epiſt. Synodi ad S. Gregorium M. apud Photium cod. 230 ; & S. Gregorii ad eumdem epiſt. 30. lib. 7. Ad eumdem S. Gregorium litteris miſſis, fideique rationem referentibus obedientiam, obſequiumque omne deſponderunt SS. uterque Anaſtaſius Senior, & Junior in Eccleſia Antiochena unus alteri e veſtigio ſucceſſor. Confer epiſtolas S. Gregorii 25, & 26. lib. 1. nov. edit. ; & Pagium ad annum 59 : Iſacius item Hieroſolym. apud S. Gregorium lib. 8. epiſt. 6. Quid imo quod ſupra ſe ſtare Pontificem, qui ipſius titulo invidebant, profeſſi utique ſunt Johannes Jejunator, dum acta in cauſſa Johannis Chalcedonenſis, & Anaſtaſii Iſaurienſis Presbyterorum, qui ad S. Gregorium appellaverant, ad Pontificem pro iterando judicio remiſit, de quo S. Gregorius epiſt. 53. lib. 3. ind. 10 ; nec non Cyriacus ejus in Eccleſia Conſtantinopolitana ſucceſſor, dum litteris, legatiſque ſuæ electionis nunciis ad eum miſſis cum fidei ſuæ rationem reddidit, tum communione ſua cohoneſtari, locoque confirmari rogavit obnixe, de quo S. Gregorius lib. 7. epiſt. 4, 5, 6, & 35. novæ editionis ?

Sæculo VII, VIII, & IX. S. Maximus Abbas, & Martyr celebri in diſputatione habita cum Theodoſio Cæſareenſi Epiſcopo, & duobus Patritiis miſſis ad eum a Conſtante Imp., inter ejus opera edita a Combeffiſio, Monothelitarum hæreſim ad evertendam non validiori ariete ſibi utendum ratus, quam auctoritate Sedis Apoſtolicæ, *Non audeo*, inquit, *hac de re a vobis capere offenſionem ... Sed ut canon docet, Romam hac de re ſcribite, vel Imperator, vel Patriarcha, vel Synodus .... Neque vitabit Imperator, vel Patriarcha ... inter ſe ſe conſtituere Synodali petitione ad Romanum Pontificem tranſmiſſa, & omnino ſi reperiatur ratio Eccleſiaſtica, quæ id concedat ob rectam fidei confeſſionem, convenire ſuper hoc inter vos*. Audiſtin ! S. Maximum aſſerentem ſine Concilio a ſolo Romano Pontifice cauſſam fidei poſſe finiri : neque ſine Romani Pontificis conſenſu Concilium poſſe congregari ! Idem in epiſt. ad Thalaſſium Abbatem Romanum Pontificem vocat *Firmam, & immobilem Petram*. Præterea in fragm. epiſt. *Omnis*,

Omnis, inquit, *qui eos, qui Pyrrhum reprobaverunt anathematizat, Sedem Romanam, ideſt Catholicam Eccleſiam anathematizat ... Itaque ſi vult* (Pirrhus) *hæreticus non eſſe, nec audire, non iſti, aut illi ſatisfaciat, ... feſtinet pro omnibus Sedi Romanæ ſatisfacere, hac enim ſatisfacta communiter ubique omnes pium hunc, & orthodoxum prædicabunt*. S. Anaſtaſius ejuſdem S. Maximi diſcipulus ab ejus ſententia neque unguem abluſit, ſed penes unam Romanam Eccleſiam fidem integram, intemeratamque ſervari affirmans ſic apud Gennadium Scholarium de Primatu Papæ ſect. 8. ait: *Quum fides concordiſſime ab omnibus exagitaretur, niſi ſpeciali gratia opem tulerit, qui ſemper ſuccurrit, ſemine Religionis apud veterem Romam nobis relicto, ad confirmandam promiſſionem mentiri neſciam, quæ facta eſt Principi Apoſtolorum, ſcilicet verbis illis*: Tu es Petrus &c. Ego rogavi pro te &c.

S. Sophronius Hieroſol. Epiſcopus, poſtquam ex Epiſcopis Palæſtinæ Concilio collecto ſexcentis SS. Patrum teſtimoniis duplicem in Chriſto D. voluntatem, & operationem ſtatuiſſet, dimiſit Stephanum Dorenſem Epiſcopum legatum ad Honorium, ut eumdem ad novorum dogmatum damnationem incitaret: *De finibus terræ*, inquit, *uſque ad terminos ejus ambula, donec ad Apoſtolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt, perveniat*. Putaſne hæc dicentem Pontificis Romani fidem labefactari ullomodo poſſe exiſtimaſſe? Quin etiam de legitima Patrum traditione Pontifici fore auſcultandum ei ratum fuit? Sergius Cyprius in epiſt. Synodica ad Theodorum Papam, quæ lecta eſt in Synodo Later. ſub S. Martino I. ſecret. 2, alter Monothelitarum hæreſis acerrimus impugnator, his affatus legitur: *Sanctiſſimo, & Beatiſſimo a Deo honorabili Domino meo, Patri Patrum, Archiepiſcopo, & Univerſali Papæ Theodoro Sergius humilis in Domino ſalutem. Firmamentum a Deo fixum, firmum, & immobile, atque tituli formam lucidiſſimam fidei veſtram Apoſtolicam Sedem conſtituit, ò ſacer Vertex, Chriſtus Deus noſter. Tu es enim, ſicut divinum veraciter pronunciat Verbum, Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ confirmatæ ſunt. Tibi & Claves Regni Cælorum commiſit, atque ligare, & ſolvere poteſtative, quæ in terra, atque in cælis ſunt, promulgavit. Tu profanarum hære-*

ſeon depoſitor exiſtis. Tu Princeps, & Doctor orthodoxæ, & immaculatæ fidei. Igitur non deſpicias Patrum tuorum Pater fidem æſtuantem, & ab aliquibus hæreticis ventis violentatam, nec non periclitantem: reſolve nebulam inſipientium lumine tuæ ſapientiæ divinæ, ò Sanctiſſime &c. Quam magnifice plane Apoſtolicæ Sedis indefectibilem fidem, ſupremamque in Eccleſia poteſtatem exprimit!

Stephanus Dorenſis non abſimili modo Romano Pontifici in perſona S. Petri collatam ſummam in Eccleſia auctoritatem, qua nulla ſit ſuperior, ac in fide indeficientiam, qua imo fideles omnes in fide confirmentur, affirmat, dum in libello ad S. Martinum I. lecto in eadem Lateranenſi Synodo ſecret. 2. ait: *Annuntiamus hæc omnia omnium præpoſitæ Sedi: dico autem ſummæ veſtræ, & principali, ad medicinale conſultum emerſi vulneris,* (videlicet Monothelitarum hæreſis), *quippe quoniam hoc poteſtative olim, & ab antiquitus facere per Apoſtolicam, ſive canonicam conſuevit auctoritatem, dum aperta lucubratione non ſolum claves regni Cælorum ſunt ei creditæ, atque ipſe tantummodo ad aperiendum eas fidelibus quidem digne, minime autem Evangelio gratiæ credentibus juſte claudere magnus ſecundum veritatem, & Princeps Apoſtolorum meruit Petrus; ſed etiam & paſcere primus juſſus eſt oves totius Catholicæ Eccleſiæ, quum Dominus dicit:* Paſce oves meas: *& iterum ipſe præcipue, ac ſpecialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum noſtrum fidem, convertere aliquando, & confirmare exagitatos conſortes ſuos, & ſpirituales meruit fratres, utpote diſpenſative ſuper omnes ab ipſo, qui propter nos incarnatus eſt Deus, poteſtatem accipiens, & ſacerdotalem auctoritatem. Quod ſciens Patriarcha Sophronius, me ad hanc Apoſtolicam, magnamque direxit Sedem* &c. Adeo aperta ſunt Stephani verba, quibus ab ſe, a Sophronio, & ab Epiſcopis Palæſtinis infallibilem in ſuis definitionibus, ſupremumque in fidei quæſtionibus Judicem Romanum Pontificem haberi profeſſus eſt, ut vim ſit verbis facere, illa in alienum ſenſum intorquere, ut Apoſtolicæ Sedis Oſores faciunt. Ad hæc Archimandritæ, & Monachi Orientales in libello eidem S. Martino eadem de re, ſcilicet Monothelitarum hæreſi, oblato, ac in eadem Synodo lecto Apoſtolicam Sedem magnifice

ex-

extollunt, ac, ut eſt vere, *ſummam Sedem* vocant, in eaque ſedentem Pontificem Romanum *Sacerdotem Sacerdotum*, & *Patrem Patrum*, quem in quæſtionibus fidei expetendum, & a quo fidei definitiones expectandas enuntiant verbis iſtis: *Sanctæ Dei, & Apoſtolicæ Synodo ex Dei voluntate, & gratia in hac conſonanter, & unanimiter congregatæ alma antiqua Urbe Roma ad confirmationem ſacram, & erectionem immaculatæ, nec non piæ Chriſtianorum noſtræ fidei per juſſionem ſanctam divinitus præſidentis vobis, atque omnibus his præeminentis Sacerdotis Sacerdotum, & Patris Patrum Domini Noſtri Martini ter Beatiſſimi Papæ* &c. Et infra. *Nec non animæ noſtræ ipſius Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti omnibus modis ſanctam præponentem fidem, & prius quidem communiter, dum Aſrorum habitaremus provinciam, hanc Apoſtolicam, & ſummam expetivimus Sedem.*

Johannes hujus nominis VI, qui Cyro depulſo a Philippico Imperii pervaſore Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfectus fuit, quemque Theophanes in Chron. pag. 319, Zonaras lib. 14. n. 27, & Nicephorus in hiſt. pag. 31, & poſt ipſos Baronius ad ann. 712, (cui forte Johannis epiſtola, qua de agimus, perſpecta non fuit), ipſum a capite ad talos Monothelitica labe infectum non modo agens, ſed imo a S. Gregorio II, ad quem perinde directas litteras Synodicas ab eodem Johanne auctor eſt Anaſtaſius, rejectas haſce litteras perperam arguens, quem, inquam, Monothelitarum hæreſi aſpergunt una cum Andrea Cretenſi, & Germano Cizicenо poſtmodum Conſtantinopolitano Epiſcopo viris ſanctiſſimis, quod ab ipſis an. 712. Concilio celebrato ſexta Synodus damnata fuerit; quos tamen ab hac invidioſa hæreſis nota vindicant doctiſſimi Pagius in crit. ad an. 712. n. 3, & ſeqq.; Guillelmus Cuperus in tract. prælim. de Patriarchis Conſtantinopolit. ſæculo VIII; & Combefiſius in notis ad mox laudandam Johannis epiſtolam tom. 2. ſupplem. bibl. SS. Patrum (quamquam meâ quidem ſententia præpoſtera ejuſmodi erga Principem œconomia culpa non vacet) obſervantes eos ex animo orthodoxos fuiſſe, atque ne Eccleſia Orientalis in grave diſcrimen a Philippico adduceretur, cui ſexta Synodus omnino inviſa erat, ceu homini Monothelitarum hæreſi addictiſſimo, œconomia quadam ſibi uten-

utendum ratos in Synodo Conſtantinopoti habita cit. an. 712. abſtinendum duxiſſe a nuper definitis in ſexta Synodo geminæ in Chriſto operationis, & voluntatis, durioribus, ac Philippico invidioſis vocibus, Johannes, inquam in epiſt. ad Conſtantinum Papam, quæ legitur tom. 6. Concil. Labbei pag. 1409., quaque excuſat ſilendi œconomiam ab ſe Tyranno indultam, petitque ſibi non denegari eam ob rem Romani Pontificis communionem, magnificis hiſce uſurpatis verbis Pontificem ſalutat: *Cum his veſtrum Apoſtolicum præſidendi munus poſſumus comparare, & qui vos Caput Sacerdotii ſecundum Chriſtum reputamus, merito damus operam, ut a Vobis corpori Eccleſiæ noſtræ allevationem offenſionis, quam ex peſtifera animarum tyrannide accepit, feramus. Sane quidem Vos, ut Capitis proprium eſt, non deſpicietis nos, qui præter voluntatem noſtram in morbum incidimus, nec a veſtra conjunctione alienabitis: quin potius triſtitia de noſtris vulneribus affecti (ſi quid enim unum membrum patitur, cætera compatiuntur, ut Apoſtolus ait) recuperata valetudine, ac reſtituta ſanitate meritiſſime congaudebitis.* Jam vero iſtiuſmodi comparatio inſtituta capitis toti corpori præfecti, atque a capite in totum corpus influxus promanantis quid, quæſo, Joannis ſententia importat, quam Pontificem Eccleſiæ univerſæ præfectum, atque a Pontifice in Epiſcopos poteſtatem omnem profluentem? Quid autem de Pontificis inerrantia ſubnectat, audire præſtat: *Quum ſitis*, inquit, *illius ſucceſſores, qui audivit a Domino*, Ego rogavi pro te... *debetis diligenter inducere, quæ fulciunt, & ſtabiliunt ad correctionem.*

S. Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus in Nicæna Synodo II. act. 2. interrogantibus Legatis num conſentiret litteris Hadriani Papæ reſpondit: *Sequimur, & ſuſcipimus, & admittimus*: & in eadem act. *Hadrianus*, inquit, *veteris Romæ Primas, & teſtatorum Principum ſucceſſor clare, & vere... ſcripſiſſe mihi videtur, conſtabilivitque, & rectam eſſe declaravit Catholicæ Eccleſiæ antiquam Traditionem.* Scilicet de SS. Imaginum cultu. Idem in epiſt. ad Hadrianum, *Quum perlatæ*, ſcribit, *primitus veſtræ fraternæ Sanctitatis litteræ legerentur, præſtolabantur omnes* (Synodi Patres) *ſpiritualibus æduliis, tanquam in regalibus cœnis fruentes, quæ Chriſtus per litteras tuas epulantibus præparavit*

parabat: & ſicut oculus totum corpus ad rectitudinis, & veritatis ſemitam oſtendebat. Quæ egregie palam faciunt a Concilio œcumenico Chriſti Vicarii litteras, veluti ejuſdem Chriſti D. digito exaratas, fuiſſe acceptas, atque ad eam fidei regulam Concilium œcumenicum ſe compoſuiſſe, quam ei Romanus Pontifex oſtendiſſet: ut propterea meridianæ luci tenebras offundant, qui hæc obſcurare ſiniſtra interpretatione ſtudent. S. Stephanus Junior dictus egregius SS. Imaginum cultor, earumdem cultus acerrimus vindex, eamque ob cauſſam ſub Copronymo martyrio affectus, cujus acta apud Baronium an. 754. deſcripſit S. Jo. Damaſcenus, occurritque una cum ſociis Monachis 342. in Martyrologio Romano die 28. Novemb. memoria, nec non in actis Concilii Florent. ſeſſ. 7; in Iconomachos, qui Concilium Conſtantinopoli egerè fuerant auſi, acerrime invectus, *Quonam pacto*, inquit, *qui ſancta proſcripſiſtis ſanctum Concilium cogitis? Oſingularem abſurditatem! Jam quis œcumenicum Concilium iſtud vocare queat, quod nec Romanus Antiſtes, citra cujus auctoritatem nullo modo fieri poteſt, ut res Eccleſiaſticæ ad normam dirigantur, ratum habuit?* Hæc adeo liquida ſunt, ut noſtra expoſitione non egeant. S. Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus in epiſt. ad S. Leonem Pontificem Maximum, quæ illi fidei ſuæ profeſſionem nuncupat, rationemque reddit, inter alia nihil antiquius ſe habere ait, quam in omnibus, & per omnia Romanæ Eccleſiæ, ut quæ omnium Eccleſiarum Mater ſit, & Magiſtra, fidem amplecti: *Quodcumque*, inquit, *vel in verbis, vel in rebus nobis deeſt, id dignæ veſtræ auctoritate vitæ noſtræ adjicite, & ſuperædificate. Veſtra divina virtute nos veluti infirmiores fulcite, pedeſque noſtros ad currendam Evangelii ſemitam perficite, neque ulla omnino, quæ ſalutaria, & utilia videbuntur, ſuggerere prætermittite.* Ita ſe infime Romano Pontifici inſtruendum in fidei doctrinis, excolendumque in morum diſciplinis S. Patriarcha demittebat.

S. Theodorus Studites, ſi quis Græcorum alius, Romani Pontificis ſupremæ in Eccleſia poteſtatis, ac in fide indefectibilitatis aſſertor, & vindex eximius, cujus maxime auctoritate contra Marcum Epheſinum pugnavit Gregorius Protoſyncellus, in epiſt. ad S. Paſchalem I. lib. 2. epiſt. 13. *Audi*, ſic eum alloquitur,

Apo-

Apoſtolicum Caput, *Paſtor ovium Chriſti a Deo electe*, *Claviger regni Cælorum*, *Petra fidei*, *ſuper quam ædificata eſt Eccleſia Catholica*; *Petrus enim Tu*, *Petri Sedem exornans, & gubernans*.. *Huc igitur ab Occidente ò Chriſti imitator reſurge*, *& ne repellas in finem: Tibi dixit Chriſtus Deus noſter: &* Tu aliquando converſus confirma fratres tuos... *Habes poteſtatem a Deo*, *eo quod omnium Princeps es*, *in quo poſitus es*. In altera vero epiſtola ad eumdem Paſchalem ſuo, & aliorum Archimandritarum nomine nuncupata hiſce Pontificem compellat laudibus: *Reipſa cognovimus manifeſtum Apoſtolorum Principis ſucceſſorem Romanæ Eccleſiæ præſidere*, *certoque nobis perſuaſimus Dominum Eccleſiam noſtram minime deſeruiſſe*, *cui unum ſolumque auxilium a Vobis hactenus*, *atque ab ipſo exordio in occurrentibus moleſtiis*, *Dei providentia conceſſum eſt*. *Vos igitur illimis*, *ac ſincerus ab initio*, *o fons orthodoxæ veritatis*. *Vos adverſus omnem hæreticam procellam tranquillus ſepoſitus portus Eccleſiæ univerſæ*. *Vos a Deo electa Civitas refugii ſalutis &c.* Viden egregiis ſententiis Apoſtolicam Sedem ab hæreſi immunem omnino adſtrui! Idem in epiſt. ad Michaelem Imp. ſuo, & Orthodoxorum Epiſcoporum nomine ſcripta, *Si aliquid*, inquit, *dubitare*, *vel non credere videtur veſtra divina Magnificentia*, *ejus rei explicatio a Pontifice pie eſt poſtulanda*... *jubeat a veteri Roma capere declarationem*, *ut a principio a Patribus noſtris eſt traditum*. *Ea*, *o Chriſti imitator Imperator*, *inter omnes Eccleſias Dei ſummum*, *& ſupremum obtinet locum*, *cujus Petrus tenuit primam Sedem*, *ad quem dixit Dominus*: Tu es Petrus &c. Iterum in epiſt. ad Naucratium poſtea in præfectura ſucceſſorem ſuum *Teſtor nunc*, ſcribit, *coram Deo*, *& hominibus*, *diviſi ſunt a corpore Chriſti*, (Iconomachi) *& a ſuprema Sede*, *apud quam Chriſtus depoſuit Claves fidei*, *adverſus quam portæ inferi a ſæculo non prævaluerunt*, *nec prævalebunt uſque ad conſummationem ejus*, *hæreticorum videlicet effrenata ora ſecundum promiſſionem veracis Domini*. Non me latet hæc omnia ab adverſariis de Primatu dumtaxat Pontificis intelligenda juberi. At, te amabo, ſuggere, & ſuppedita, ſi vales, ſi habes, alia apertiora, & ampliora verba, quibus S. Theodorus uteretur ad planius faciendum ſentire ſe,

re se, & credere Romanum Pontificem in fide falli, & fallere omnino esse nescium?

S. Ignatius Constantinopolitanus Patriarcha in epist. ad S. Nicolaum I. act. 3. Synodi VIII. lecta, *Eorum vulnerum*, inquit, *atque livorum, qui in membris humanis consistunt, multos Medicos protulit ars... Eorum vero, quæ in membris sunt Christi, & Dei Salvatoris omnium nostrum Capitis, & sponsæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ unum singularem, præcellentem, atque Catholicissimum Medicum ipse Princeps summus, & fortissimus sermo, & ordinator, & curator, & solus ex toto Magister Deus omnium produxit: videlicet tuam fraternam Sanctitatem, & paternam Almitatem; propter quæ dixit Petro magno, & summo Apostolorum*, Tu es Petrus, & super hanc petram &c. *Tales enim beatas voces non secundum quamdam utique sortem Apostolorum Principi solum circumscripsit, & definivit, sed per eum ad omnes, qui post illum secundum ipsum efficiendi erant summi Pastores, & divinissimi, sacrique Pontifices senioris Romæ transmisit. Et ideo ab olim, & a prisco tempore in exortis hæresibus, & prævaricationibus eradicatores, & interemptores malorum zizaniorum, & tabefactorum, & penitus insanabiliter ægrotantium membrorum multi multoties facti sunt eorum, qui Sanctitatem, & summam Paternitatem tuam illic præcesserunt, successores videlicet Principis Apostolorum, & illius zelum in fide, quæ secundum Christum est, imitantes, & nunc nostris temporibus Beatitudo tua digne tractavit datum sibi a Christo potestatem.* Cedo luculentius, ac locupletius testimonium optari ne potest ad ostendendum in persona Petri a Christo D. constitutos Romanos Pontifices fidei indeficientes assertores, ac vindices, hæresumque perennes interemptores, ac debellatores? Proinde operæ pretium fuisse, ut illorum fides illibata perpetuo foret, a nulla unquam hæresis macula labefactanda, quis recte non inferat?

Theophylactus in cap. 22. Lucæ: Tu conversus &c. *Planus*, inquit, *hujus intellectus est: quia te habeo Principem discipulorum, postquam me negato fleveris, & ad pœnitentiam veneris, confirma ceteros; hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es, & firmamentum.* Quod hoc loci Theophylactus planum dicit,

mirum, quod Pontificiæ infallibilitatis oſores obnubilare, ac tenebris obducere conentur! Primatum eo loci Pontificis Romani S. Petri ſucceſſoris, ac munus ceteros fideles in fide confirmandi, (perindeque in fide firmitatem a Chriſto Domino Romano Pontifici collatam, ſupremam quoque in Eccleſia poteſtatem, ut qui poſt Chriſtum ejuſdem Eccleſiæ petra ſit, & firmamentum inferre eſt), conſtabilit Theophylactus. Si ergo ſupereminet Eccleſiæ Chriſtus: ſi Eccleſia a Chriſto Pontifici ſuperſtructa firma omnimodo in fide eſt, qui fit, ut Pontifex Romanus Chriſti Vicarius Eccleſia ipſa, cui præeſt, dicatur inferior, ac in fide, in qua Eccleſiam confirmat, ſit ipſe infirmus? Porro ſi animo partium ſtudio minime abrepto, ac nullis pravis præjudiciis affecto SS. Patrum Græcorum uſque modo laudata teſtimonia perpendantur, facile, aut ego fallor, perſpiciet lector apathes eam jugiter Eccleſiæ Græcæ inſediſſe ſententiam Romani Pontificis in Eccleſia Primatus eam eſſe appendicem, ut Concilio etiam œcumenico ſuperiot ſit, atque in fide omnino infallibilis. Id evincent magis magiſque, quæ ſubnecto evidentiæ majoris gratia, teſtimonia. Confer interea Eccleſiarum Orientalium Liturgias, Euchologia, Archieratica, Doxatica, Hagiologia, Troparia, Synaxaria, alioſque Eccleſiaſticos Græcorum libros apud Goarium, Arcudium, Maſium, Allatium, Morinum, Echellenſem, Renaudotium, Simonium, Lequiennium, Habertum, Brunium, Aſſemanum &c., quibus S. Petrus *Fundamentum Eccleſiæ, Eccleſiæ Petra, Petra fidei* appellatur: Eccleſiam propterea *a portis inferi prorſus inexpugnabilem* evaſiſſe: a Chriſto Domino *poteſtatem omnem* adeptus &c. Quæ omnia Pontificibus, quos S. Petrus in Eccleſia ſucceſſores excipit, propria fore perinde, ac communia facile perſpicis. Adiſis etiam S. Johannem Damaſcenum in parallellis; opuſc. adverſus Neſtorium, & homil. de transfigur. apud Lequiennium præclara gemina prædicantem. Inter hæc in Synaxario Coptorum ad 7. Menſis Meſre Kalendis Auguſti reſpondentem apud Renaudotium perpet. fidei lib. 10. cap. 4. legitur: *Ex hoc die Petrus factus eſt Princeps ſuper diſcipulos; ejuſque ſucceſſori Romæ datus eſt Principatus ſuper omnes Principes univerſi*. Quam in rem proferuntur ibidem Chriſti D. verba: *Tu es Petrus* &c., quibus ejuſmodi Primatus demandatus

datus adfirmatur. Ebedjesu item in collect.canon.cap.1. apud Assemanum, & Echellensem in vindiciis Eutychii par. 2. cap. 24, *Primatus magnæ Romæ*, inquit, *concessus fuit propter duas columnas in ea positas, Petrum dico Principem Apostolorum, & Paulum.*

Ex aliis Auctoribus Ecclesiasticis, & Episcopis Ecclesiæ Græcæ.

§. II.

ET quidem innumeris pene prætermissis, qui minori in pretio habentur, vel aliis in locis prælaudati sunt, ex Scriptoribus Græcis succurrit Theophanes Cerameus, qui serm. de SS. Apost., *Tu Petrus es*, interpretatur, *Petra fidei, Verbi, & Ecclesiæ firmatæ fundamentum... Super hanc confessionem fundamentum Ecclesiæ stabit; tali namque Petra, & rupe collocata reliqua dogmata firme, ac tute ædificabuntur.* Quæ plane de S. Petro dicta ad Romanos quoque Pontifices illius successores pertinere consequens est. Similia habent Michael Psellus in Cant. ad illud *Crura ejus sunt columnæ marmoreæ*: ubi *Per crura*, inquit, *Petrum intellige Apostolorum Principem, super quem Dominus in Evangelio Ecclesiam suam se ædificaturum promisit*: Euthymius in cap. 16. Matth., ubi *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: *Tu es Petrus*, explicat, *ut qui post abnegationem fidei Petra futurus es... Itaque super hanc firmitatem ædificabo Ecclesiam meam, sive te ponam fundamentum credentium*: & in cap. 21. Johannis, *Sequere me*: *hinc*, inquit, *rursum ostendit, quod præ ceteris eum* (Petrum) *ampliori dignatur honore... Quod si quis dicat: quomodo ergo Jacobus Hierosolymitanam accepit Sedem? Dicemus, quod Petrus Orbis constitutus est Præceptor.* Atque ut Matthæum Caryophilum, Johannem Scholasticum, Josephum Egyptium, Blastarem, Harmenopolum, alioque ex Græcis sive S. Scripturæ, sive juris canonici interpretes silentio præteream, Theodorus ipse Balsamon in can. 16. Carthag. *Portæ*, inquit, *Inferi adversus Ecclesiam non prævalebunt, quæ a Domino supra Dei præconem Petrum ædificata est.* Scio hujusmodi dicta de S. Pe-

tro a ſchiſmaticis Græcis de Romano Pontifice denegari, atque ſi non de Primatu, de aliis privilegiis: verum vehementer errant. Eccleſia enim duratura in finem, ac in fide nunquam defectura indiget fundamento nunquam defecturo, ac in finem duraturo. Sed ab initio de hoc argumento jam ſatis actum. Georgius certe Pachymerius lib. 5. hiſtor. capita recenſens initæ Græcos inter, & Latinos pacis hæc inter alia recitat: *Principatus ſit Romanæ Sedis: ad eam appellare liceat Græcis: & memoria Romani Pontificis una cum Patriarchis celebretur*. Gemina habet Nicephorus etiam Gregoras lib. 5. hiſt. cap. 1. de legatione a Michaele Palæologo ad Romanum Pontificem Urbanum IV. miſſa agens, narrat enim Pontificem ſuſcepta legatione viciſſim ad Imperatorem Legatos miſiſſe, qui unionis utriuſque Eccleſiæ negotium conficerent, tribus hiſce tamen legibus præſcriptis. 1. Ut in ſacris hymnodiis Papæ cum quatuor Patriarchis mentio fieret. 2. Ut liceret cuivis Græcorum Apoſtolicam Sedem appellare. 3. Ut illi Principatus in omnibus deferretur. In epiſtolæ ſane, quam ad Urbanum inſcripſit Imperator, quamque refert Wadingus ad an. 1264, epigraphe agnoſcit, & nominat illum Patrem *Patrum*, *Beatiſſimum Papam veteris Romæ*, *Imperii Dominum*, *& Sacroſanctæ, atque Apoſtolicæ Sedis ſummum Pontificem*: in ipſa vero epiſtola ſummopere exorat, quatenus ſicut Princeps omnium Sacerdotum, & univerſalis Doctor Eccleſiæ Catholicæ unionem ejuſdem Eccleſiæ urgeat, cui loco B. Petri Deus ipſum præfecit, ſpondens ſe omnes gentes, & Patriarchales Sedes, ſuo Imperio obnoxias ipſius obedientiæ, devotionique ſubjugaturum. Pluribus par. 2. Vindiciar. de unionibus Græcæ Eccleſiæ agendum erit.

Ex Epiſcopis, aliiſque Eccleſiaſticis viris Orientalibus, ut a tempore, quo Michael Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſchiſma jam a Photio conflatum, atque per annorum 176. ſub tumulo jacens anno 1043. excitavit, exordium capiamus, Nicetas Pectoratus, vir equidem prius Cerularii ſchiſmati addictiſſimus, ac Romanæ perinde infenſus Eccleſiæ, cui inter cetera vertebat crimini uſum azymi, Sabbati jejunium, & cælibatum Sacerdotum; poſtea tamen ab Humberto Cardinali S. Leonis IX. Conſtantinopolim Legato erroris convictus, omnia dicta, facta,

facta, & attentata ab ſe adverſus Sedem Apoſtolicam anathemate damnavit, ſeque deinceps ſacratiſſimæ eidem ſedi obſequio, ſtudioque omni devovit. Ita teſtatur Wibertus in vita S. Leonis IX. lib. 2. cap. 9. Sub id tamen temporis Antiochenam Eccleſiam ſub obedientia Romanæ integram adhuc, intemeratamque manſiſſe liquet ex eo, quod ad S. Leonem IX. Petrus Antiochenus Patriarcha recens inauguratus litteris, legatiſque miſſis una cum profeſſione fidei, juxta morem Majorum, Epiſcopalem cathedram ſibi confirmari, & Eccleſiæ Romanæ communione cohoneſtari impenſe poſtulavit, impetravitque. Permanſiſſe pariter Armenos exinde patet, quod Gregorius III. eorumdem Patriarcha ab homonymo S. Gregorio VII. Pontifice Maximo Romanæ Eccleſiæ regulis, ac diſciplinis ſe ad Eccleſiæ regimen inſtrui enixe rogavit. Manſiſſe & Maronitas exploratum ſit ex eorum Patriarchis, qui Romanis Pontificibus obedientia, obſequioque ſe mancipare, officii, religioniſque habuerunt loco, e quibus Joſeph Giargæ-ſeus Paſchali II; Petrus I. Gelaſio II; Gregorius III. Alathenſis Innocentio II; & Johannes VII. Lephedienſis Eugenio III. Quorum veſtigiis hærentes plerique alii pari devotionis ſtudio Pontifices Summos proſequuti ſunt, de quibus ſuo loco. Quid vero quod Johannes Indorum Patriarcha a Legatis Callixti II. Conſtantinopoli tum degentibus pallium petitum illò ivit, indeque Romam profectus in Pontificis obedientiam, obſequiumque ſe totum tranſcripſit?

Ab Armenorum Catholico, ſeu Patriarcha, aliiſque Epiſcopis amplius mille ad Eugenium III. miſſi Oratores Patriarchæ, gentis, proprioque nomine poſtquam obedientia Pontifici ſe ſe obſtrinxiſſent, de quibuſdam ritibus edoceri obnixe popoſcerunt, de quibus Armenos inter, & Græcos orta controverſia erat, quarumque judicem Eccleſiam Romanam delegerant: præterea quid ſibi agendum foret cum finitimis gentibus, quæ baptiſmi lavacro initiatæ paullo poſt ad ingenium, rituſque ethnicos redibant; de quibus omnibus ab Eugenio diligenter inſtructi ſunt. Ita teſtatur Otho Friſingenſis lib. 7. cap. 31, & ſeqq. ajens ſe tunc temporis Viterbii apud Eugenium egiſſe, dum Armenorum Legati adventarunt. Inter alia vero litis capita Armenos inter, & Græ-

cos

cos recenſet Otho ritum conſecrandi in fermento apud illos non ſecus, ac apud Græcos. Verum Combeffiſius in auctuario bibl. SS. PP. tom. 2. in notis ad duas invectivas Iſaacii Catholici contra Armenos exiſtimat Othonem a Legato Armeno deceptum: (ſeu verius illius ſententiam non eſſe aſſecutum:) conſtantiſſimum enim eſſe ait ante S. Niconem Armenum azyma apud Armenos uſurpata fuiſſe, neque poſtmodum abjecta, ut ad fermentatum tranſirent. Porro quæ de Romani Pontificis indefectibili fide affirmat prælaudatus Iſaacius Armeniæ Catholicus in duabus invectivis adverſus Armenorum errores præclara adeo ſunt, & aperta, ut prætermitti nullo modo poſſint. Ergo poſtquam erroris plurimi gentiles ſuos accuſaſſet, eorum audaciam, qua Romanos Pontifices, quaſi in hæreſim prolapſi fuiſſent, ſuggillabant, retundens, *Chriſtus*, inquit, *ipſe dixit Petro*: Tú es Petrus, & ſuper hanc petram &c., & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, *ideſt hæreſes*. *Qui itaque blaſpheme dicitis Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam lapſam in hæreſim periiſſe, ac Chriſtum mendacem facitis dicentes Romanos omnes in interitum ire, voſque ſolos conſequi ſalutem?* Et infra. *Qui vero magnæ Urbis Antiſtites, Sanctorum Apoſtolorum confeſſores, ac fidei hæredes, qui duas naturas, duaſque operationes in Chriſto prædicant, uti Dominus ipſe in Evangelio docet, blaſphemant, eorumque pietatem impietatem nuncupant, ac confeſſionem negationem dicunt, rectamque fidem alienam a fide doctrinam? Siquidem enim Apoſtolica Eccleſia, ejuſque Pontifices in hæreſim prolapſi ſunt palam eſt mendacem eſſe Chriſtum; ſin autem Chriſtus non eſt mendax, qui ſit verus Deus, ejuſque Catholica, & Apoſtolica Eccleſia cum ſuis omnibus Pontificibus rectam fidem tenet, atque prædicat, liquet Eutychetem, & Dioſcorum, eorumque dogmatis conſentientes Armenios hæreticos, ac blaſphemos, Chriſtique adverſarios errare.* Conſer Combeffiſii notas in haſce Iſaacii invectivas in cit. auctuar. bibl. PP. tom. 2. Vivebat hic vero circa an. 1145. teſte Baronio.

Epiſcopus Gabulenſis in Syria Eccleſiæ Syræ Legatus ad eumdem Eugenium teſte eodem Othone lib. cit. cap. 33, Pontifici tam ſuo, quam Antiochenæ Eccleſiæ nomine ſubjectionem, & obedientiam ſpopondit, apud eumdem detulit Patriarcham ſuum; Apo-

Apoſtolicæque Sedis auctoritatem impetravit pro obtinendis decimis ſpoliorum, quæ Sataceni ablata erant. Baſilius Acridanus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, ad quem Hadrianus IV. Pontifex Maximus, dum ad Manuelem Imperatorem Legatos miſit concordiam utriuſque Eccleſiæ conciliaturos, litteras dederat, eumdem ad eam unionem pro viribus promovendam, (nam apud Orientales vir magni nominis audiebat) adhortans, reſpondit Pontifici facile coaleſcere unionem poſſe, ſiquidem nulla eſſet de ſumma fidei diſſenſio, ſed dumtaxat nonnullis in ritibus diſcrepantia: agnoſcere enim ſe, Græcoſque in Apoſtolica Sede *Fidei fundamentum* ſubſtructum, atque quæ ab eadem tenentur, & docentur æque ab ſe, ac Græcis doceri, & teneri. Cæteroqui Pontificis partes eſſe ait offendicula, quæ Eccleſiam Orientalem ab Occidentali ſeparabant, de medio tollere, unitatemque Eccleſiæ utriuſque conſtituere; ut qui Chriſti exemplo velut e cœlorum vertice proſpiciens diſtantia in unum congregare vult, & poteſt. En ejus verba: *Neque enim aliud novimus fundamentum, quam quod ſubſtructum eſt, eademque tecum prædicamus, & docemus ego, iique omnes, qui ad magnam Apoſtolicamque Sedem Conſtantinopolitanam pertinemus. Et unus, qui in utriſque Eccleſiis perſonat fidei ſermo, idemque ſacrificatur Agnus, qui tollit peccata mundi, Chriſtus, inter Occidentales Antiſtites, qui ſub eum principale culmen agunt, & nos, qui ab Oriente ſole ſublimi Conſtantinopolitana Sede ſacerdotii accepimus ſplendorem: quamvis parva quædam offendicula in medio interjecta nos ſeparârint, quæ tollere e medio, & velut lapides juxta propheticum ſermonem in via projicere, unitatemque Eccleſiarum ſine offendiculo conſtituere, tuæ Sanctitatis erit, quæ Chriſti exemplo velut e Cælo proſpiciens, diſtantia in unum congregare vult, & poteſt.* Exhibent hanc epiſtolam ex codice juris Occidentalis Baronius ad an. 1155. & Pagius Junior in Hadriano IV.

Georgius VII. Armenorum Patriarcha, nec non Johannes VII. ejus in eadem dignitate ſucceſſor Legatis, & litteris ad Innocentium III. miſſis ſe Apoſtolicæ Sedi animum devoviſſe ſincerum, ejuſque placitis ſemet integre permittere ſcripſerunt. Itaque pallium, aliaque privilegia impetrare promeruerunt. *Vobis*, inquit

ille

ille lib. 1. epist. Innocentii III. epist. 206, *Vobis, qui estis Caput post Christum consecrati ab eo, & Caput catholicæ Ecclesiæ Romanæ Matris omnium Ecclesiarum.. Georgius Armenorum... filius vestræ sanctæ Ecclesiæ, quæ est fundamentum legis totius christianitatis* &c. Honorio III. dein Johannes VIII. dictus; Gregorio IX. Constantinus I; Bonifacio VIII, & Clementi V. Gregorius VIII; atque Johanni XXII. Constantinus II. Armenorum Catholici pari devotionis significatione fidem, obedientiamque desponderunt suam. Ad hæc Basilius Bulgarorum Archiep. Trinonitanus ejusdem Innocentii Legato juramentum obedientiæ, ac subjectionis omnimodæ Pontifici Romano in perpetuum exhibendæ ab se, ab successoribus, & suffraganeis nuncupavit: privilegiumque obtinuit inaugurandi Reges Bulgariæ, ea tamen lege adjecta, ut non antea Reges salutarentur, quam Romano Pontifici obedientiam pro se, suisque subditis sub juramenti religione spopondissent. Eidem Innocentio denique obsequio se devinxit Hieremias II. Maronitarum Primas.

Germanus II. hujus nominis Patriarcha Constantinop. Nicææ in Bithynia post captam a Latinis Constantinopolim moram trahens, ibique a Religiosis Ordinis Minorum ad officium redire invitatus, litteris ad Gregorium IX. Pontificem missis, quarum hæc erat epigraphes: *Sanctissimo, & excellentissimo Papæ veteris Romæ, & Apostolicæ Sedis Rectori*, palam (etsi ficte) professus est se Apostolicæ Sedis Primatum suo habere loco, rogavitque maximopere, ut sanctæ, optatæque unionis Ecclesiæ utriusque negotium curaret, solicitaret, urgeret. Rescripsit Pontifex, pluribusque Apostolicæ Sedis Primatum confirmavit: de duplici gladio Ecclesiæ, atque utriusque usu spirituali, & temporali illum instruxit: de unica item agnoscenda Ecclesia: deque Eucharistiæ usu in azymo, & fermentato apud Latinos, & Græcos. Eas epistolas referunt Wadingus, & Raynaldus ad an. 1232; Parisius ad an. 1237, sed Germani epistolam interpolatam; & Gerardus Vossius, qui ad epistolam Gregorii notas, & scholia adjecit. Sed effectu carnere Gregorii quæ litteræ, qua legationes, scilicet ob ingenii Græcorum levitatem, fluxamque, qua agebat Germanus, fidem. Patriarchæ Jacobitarum, & Nestorianorum Religiosorum Ord. Prædic. opera ad ejurandam una

una cum ſchiſmate hæreſim adducti, litteris Chaldaice,& Arabice exaratis ad Gregorium IX. Romanæ Eccleſiæ obedientiam promiſerunt, ejuſque Eccleſiæ fidei ſe firmiter adquieſcere profeſſi ſunt, quamvis promiſſis poſtmodum non ſteterint teſte Matthæo Pariſio, qui illas litteras ex P. Philippi Dominicani Prioris terræ ſanctæ epiſtolis deſcriptas exhibet ad an. 1237. Ad hæc Raban Ara Catholicus Orientis,& Ignatius Jacobitarum Syriæ Patriarcha ad Innocentium IV. epiſt. 119, & 120, eumdem eximiis exornarunt titulis, *Patrem Patrum*, *Eccleſiæ fundamentum*, *Sedem B. Petri tenentem*, *Eccleſiæ Univerſæ Paſtorem* nuncupantes; quibus quanto in pretio ſive præcipiens, ſive docens eſſet habendus, ſatis ſuperque ſignificarunt.

Archiepiſcopi Quiſicenſis, & Sardicenſis inter Græcos eminentiores ſuo, & Eccleſiæ Græcæ nomine, cujus legatione fungebantur, a Religioſis viris Ordinis Min. ad Eccleſiæ Romanæ unitatem requirendam adducti, ſequentes propoſitiones primum coram Innocentio IV, eoque fatis functo, coram Alexandro IV, a Græcis ſuis jurisjurandi religione firmatas expoſuere: 1. *Romanæ Sedi, ejuſque Summo Pontifici præ ceteris Patriarchalibus Sedibus ſummi recognitionem, ac profeſſionem in Eccleſia catholica Principatus; canonicam obedientiam Innocentio, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus exhibendam.* 2. *Prærogativam appellandi Romanam Eccleſiam, quum ſacræ perſonæ Eccleſiæ Græcorum a ſuperioribus ſuis crediderint ſe gravari.* 3. *Liberum recurſum ad Sedem Romanam in quæſtionibus, quas inter Prælatos, & alias Perſonas Eccleſiaſticas Græcas contigerit ſuboriri.* 4. *Obedientiam quoque in ſententiis, quas Romanus Pontifex ſacris non adverſas Canonibus promulgabit.* 5. *In Conciliis eidem Pontifici primam Sedem, & primam ſubſcribendi vicem, quum ſubſcriptiones fuerint faciendæ.* 6. *In quæſtionibus fidei, ſi quæ ibidem fortaſſis emerſerint, præ aliis dare ſententiam, ſuæque voluntatis proferre judicium, quod dummodo Evangelicis, & Canonicis non obviet inſtitutis, obedienter ceteri ſuſcipient, & ſequentur.* 7. *In aliis vero Eccleſiaſticarum perſonarum cauſſis, & negotiis, quæ in Conciliis tractabuntur, ſententiis, quas Romani Pontificis dictabit auctoritas, dummodo ſacrorum non adverſetur Conciliorum de-*

cretis, ceteri acquiescent. Ista ex epist. 325. lib. 2. Regesti Alexandri IV. refert Wadingus ad an. 1256. Interea Græcis indulsere Innocentius IV, & Alexander IV, ut Symbolum absque additamento vocis *Filioque* recitarent, modo in ipso fidei dogmate a Romana Ecclesia non disentirent. Non tamen est tunc confecta unio, ob id verisimiliter, quod Græci sibi Imperium, Patriarchalesque Sedes, quæ in Latinorum jura transierant, restitui minime impetrarint. Sincerius egere Simeon hujusce nominis IV. sacrorum inter Maronitas Præses, nam eidem Pontifici fasces quidem submisit suos, de gentis vero fide spopondit: ex Syris autem Jacobitis Ignatius inter homonymos II, qui cum ad Gregorium IX, tum ad Innocentium IV. litteris obsequii, & obedientiæ cumulatissimis exaratis integre se in ipsorum jus transdidit: sed & eidem Innocentio IV. devotionis, fideique sponsione, se devinxerunt Makika, atque Jesviab Chaldæorum ambo Patriarchæ, sive Catholici.

Maximus Alaphardus Monachus, Andronicus Muzalo, & Michael Abalaus Michaelis Palæologi Legati ad Urbanum IV, ac dein Nicolaus Crotonienſis Episcopus ejusdem Imperatoris ad eumdem Pontificem altera vice Legatus suo, Imperatoris Constantinopolitani, & Græcanicæ Ecclesiæ nomine de unione acturi Romanum Pontificem *Patrem Patrum*, *Imperii Dominum*, *Apostolicæ Sedis Pontificem summum*, *Principem omnium sacerdotum*, *& Universalem Doctorem Ecclesiæ Catholicæ, cui loco B. Petri Deus illum præcipue præfecit*, obedientiam, devotionem, & subjectionem promittentes, agnoverunt, & professi sunt. Qua de re, ac de Legatis ex Ordine FF. Minorum assumptis, Constantinopolimque ab Urbano IV. missis legendi Wadingus ad an. 1263, & Raynaldus ad eumdem annum. Porro Pontifex viam unioni paraturus, quam postea perfecit B. Gregorius X, Græcos quoad Primatus Romani Pontificis, quem illi inficias non ibant, ceteras prærogativas instruendos adorsus, in litteris ad Imperatorem hæc inter alia habet: *Ut hujusmodi unitatis Ecclesiæ gratia firma, & illibata penitus servaretur, unum eidem unitati Dominus videlicet B. Petrum Apostolorum Principem Caput constituit, & Magistrum .... eique magisterium Ecclesiæ suæ conferens, & primatum, oves, & agnos suos pascendos .... commisit, & ne ipsius Prin-*

Principis fides deficeret aliquando, pro ipſo efficaciter exoravit, quod quum poſtmodum aliarum Eccleſiarum nonnullæ fuerint hæreticorum errore fœdatæ, Romana Eccleſia, cujus idem B. Petrus magiſter extitit, immaculata remanſit, nullamque prorſus labem contraxit hæreticæ pravitatis. Ita explicata prima infallibilitatis prærogativa, ſecundam ſupremæ poteſtatis explicans Pontifex ſubdit: *Neque huic inſtitutioni Dominicæ SS. Patres poſtmodum reſtiterunt, ſed ipſius Principis ſucceſſorem tanquam illum, qui Chriſti vices in terris obtinet, venerantes, & ad ejus judicium in fidei recurrentes dubiis, ejus auctoritate hæreſes condemnarunt, manentes ſicut membra in eorum capite, Apoſtolico ſcilicet Throno Pontificum Romanorum, a quo quærendum eſt, quid ſit tenendum, quodve credendum, quum ejus ſit reprehendere, ſtatuere, ordinare, diſponere, præcipere, ſolvere, & loco illius ligare, qui ædificavit illum, & quod nulli alii, ſed ipſi ſoli, quod plenum eſt tradidit, & conceſſit. Huic etiam Throno omnes Catholici jure divino caput inclinant, & Primates mundi veram confitentes fidem, tanquam ipſi Domino Jeſu obediunt, & intendunt, ac in illum tanquam inſolem reſpiciunt, & ab eo lumen veritatis, & fidei ad ſalutem recipiunt animarum.* Quibus quid luculentius, & illuſtrius ad ea, quibus de agitur, Romani Pontificis privilegia adſtruenda, Græciſque inſinuanda adferri poteſt?

Clemens IV. perinde ex officio proſſequens Græcorum cum Patriarcham, tum Imperatorem inſtruere, ut omnem offenſionis lapidem, quo impediretur optatiſſima unio, amoveret præmiſſa expoſitione fidei, & ſacramentorum, quæ de Romano Pontifice credenda forent explicare aggreſſus præcipue gemina privilegia ipſius primatus, ſupremam ſcilicet poteſtatem, & in fide infallibilitatem, hæc apud Raynaldum ad an. 1267. num. 78. habet. *Quod ſicut præ ceteris Romana Eccleſia fidei veritatem defendere, ſic & quæ de fide ſubortæ fuerint, quæſtiones ſuo debet judicio definire: ad quam Eccleſiam Romanam poteſt gravatus quilibet in negotiis ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus appellare, & eidem omnes Eccleſiæ ſubjectæ, ipſarumque Prælati & obedientiam, & reverentiam ſibi debent, apud quam ſic plenitudo poteſtatis conſiſtit, quod Eccleſias ceteras ad ſollicitudinis partem ad-*

mittit, quarum multas, & Patriarchales præcipue diverſis privilegiis eadem Romana Eccleſia honoravit, ſua tamen prærogativa tum in generalibus Conciliis, quam in quibuſcumque aliis ſemper ſalva. Hanc autem fidei expoſitionem, quam puriſſimam, certiſſimam, & ſolidiſſimam orthodoxæ fidei veritatem Clemens vocat, retractari vetat etiam in Synodo Orientis hiſce verbis: *Nec licet, nec expedit in dubium revocari præmiſſam veræ fidei puritatem tot ſacræ paginæ auctoritatibus, tot Sanctorum roboratam ſententiis, tot Romanorum Pontificum ſtabili definitione firmatam.* Atque quidem quæ Clemens IV. edixit, Græcoſque edocuit, eadem ejus deceſſores, ac præſertim a tempore procuratæ Græcorum unionis, videlicet S. Leo IX, Stephanus X, S. Gregorius VII, Urbanus II, Eugenius III, Hadrianus IV, Alexander III, Lucius III, Innocentius III, Gregorius IX, Innocentius IV, Alexander IV, Urbanus IV; atque poſt unionem peractam ejuſdem Clementis IV. ſucceſſores B. Gregorius X, Nicolaus III, Martinus IV, Nicolaus IV, Clemens V, Clemens VI, Innocentius VI, Urbanus V, Martinus V, Eugenius IV, Nicolaus V, Pius II, Paulus II, Sixtus IV, Alexander VI, Julius II, Leo X, Clemens VII, Julius III, Pius IV, Gregorius XIII, Clemens VIII, Paulus V, V. Innocentius XI, aliique docuere: adeo ut mirari ſubeat, quod Græcis tandem, quæ prius a priſcis Græcæ Eccleſiæ Patribus fuerant agnitæ, & aſſertæ, Romani Pontificis cum in fide indeficientiæ, tum ſupremæ in Concilia poteſtatis prærogativas agnoſcentibus, & aſſerentibus, Latinorum nonnulli faſtidioſioris ingenii id totum inficias ire pergant, & perſiſtant.

Jam nunc ad alteram memoratu inſignem excurrendo epocham, atque auſpicando a tempore redintegratæ cum Romana Eccleſia unionis, videlicet in Concilio Lugdunenſi II. ſub B. Gregorio X. an. 1274, ex Epiſcopis, aliiſque Eccleſiæ Orientalis viris doctrina, aut dignitate Eccleſiaſtica conſpicuis, Germanus olim Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui poſtea dignitate ſe abdicavit, Georgius Acropolyta magnus Logotheta, Theophanes Metropolita Nicænus, Nicolaus Panareta Camerarius Imperii, & Georgius Zinuchi Michaelis Palæologi, & Præſulum Græcorum

corum Oratores, qui ſuo, & illorum nomine ejurato ſchiſmate Romanæ Eccleſiæ fidem profeſſi, Romani Pontificis ſupremam poteſtatem agnoſcentes, ab ea fide, & obedientia jurisjurandi religione interpoſita nunquam diſceſſuros ſpoponderunt. Fidei formula, quam profeſſi ſunt, eadem eſt, quam jam pridem Conſtantinopolim miſerant Clemens, & Gregorius, quæ lecta fuerat in Concilio, & habetur C. *De Summa Trinitate, & Fide Catholica in 6*, quæque prima eſt ex Conſtitutionibus in Concilio promulgatis tom. 11. Concil. Labb. Ex ea vero palam fit Romanum Pontificem in Eccleſia ita primatum gerere, ut Concilio omni modo ſuperſtet, ejuſdemque fides defectui nullo modo ſubjaceat. Hujuſce rei gratia Epiſcopi Græci, inter quos 26. Metropolitæ in epiſt. ad Gregorium X. a prædictis Legatis allata, & in Concilio lecta, ſe Romanæ Eccleſiæ fidem amplecti, atque unioni cum eadem finiendæ ſubſcribere profeſſi inter alia ſic fantur: *Scitote quid nos volumus: quod Pontificalis Sedis tota plenitudo, cum toto venerabili Clero* (Conſtantinopolitano) *convenit in unum, ut attribuat prompte veſtræ Sanctitati, & Apoſtolicæ Sedi, quod ad honorem pertinet, nec alium primum, & Summum Pontificem Eccleſiarum omnium nominaturi*. Deinde referunt Joſephum Patriarcham unioni ſubſcribere detrectantem ab ſe ipſis juſſum, ut in Monaſterio maneret, ſpatio ad deliberandum dato, donec reverſis Oratoribus Græcis cum Apocriſariis Sedis Apoſtolicæ, ſi conſentiret, ſuo redintegraretur loco, ſin autem in ſententia maneret, eum e ſacra dignitate dejecturos, & alium Patriarcham ſuffecturos, qui Romanæ Eccleſiæ Principatui caput, faſceſque ſubmitteret, ſpondent, poſt quæ ſubnectunt: *Per hoc ſcriptum noſtrum Vobis conjungi habemus, & nos inclinamus prompte, & veſtræ Altitudini ſubmittimus, & valde gratanter ea, quæ ſunt totius ſubjectionis aſſerimus, & nihil eorum denegamus, quæ ante ſchiſma præſtabant Patres noſtri his, qui Apoſtolicam regebant Sedem, ſed ſtatim & nos attribuimus*. Leguntur hæ litteræ apud Labbeum tom 11., & Wadingum ad an. 1274. Quibus poſtremis verbis profecto ſignificant ſe Romano Pontifici primatus appendices, prærogativas alias ſcilicet primatui adnexas, cujuſmodi profecto ſunt cum ſupra Concilia poteſtas, tum in fide indeficientia,

ſe

ſe agnoſcere: nam alioqui quorſum dicere poſt aſſertum primarum ſe ea, quæ ſunt totius ſubjectionis aſſerere, & ea quæ antea præſtabant Patres, attribuere? Ex quo proinde concidit illorum interpretatio, qui a Græcis unum primatum, nihilque præterea Romano Pontifici adjudicatum putant.

Johannes Veccus Patriarcha Conſtantinopolitanus præmemorato Joſepho ſubrogatus, coacta Conſtantinopoli Synodo, de qua tom. 1. art. 6. §. 1. egimus, quum de Synodis Græcæ Eccleſiæ ſermo eſſet, fidei formulam in Lugdunenſi Concilio II. a Græcis ſuis ſubſcriptam, ab univerſis Græcis ut ſubſcriberetur, nihil non ſategit. De eo equidem referunt Nicephorus Gregoras lib. 5. hiſt. Byzant. cap. 2, Spondanus ad an. 1274; & Cuperus in hiſt. Patriarch. Conſtantinop. quod antea unioni cum Latinis ineundæ vehementer adverſatus ſit; ſed tandem atteute relectis Nicephori Blemmidæ ſcriptis veritati victas manus dedit, ſchiſmati terga vertit, Eccleſiæ Romanæ dogmata ambabus ulnis amplexatus eſt, Apoſtolicæ Sedi animum appoſuit, atque pro orthodoxa fide exilium, calamitateſque alias ad obitum uſque conſtanter toleravit. Georgius Metochyta Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus Romanæ Eccleſiæ fidem, unionemque a Græcis ſuis cum ea initam cum vitæ ipſius diſpendio defendit. Conſtantinus Meliteniota alter egregius ejuſdem unionis aſſertor, & vindex, eximium ſe pariter Apoſtolicæ Sedis, ſedentiſque in ea Pontificis cultorem exhibuit, de quibus adeundus haud in hac re ſuſpectus Nicephorus Gregoras lib. 5, & 6. hiſtoriæ Byzant. Simeon Hieronomachus, de quo Georgius Trapezuntius in epiſt. ad Monachos Cretenſes infra laudandus, Romam adiens a Pontifice impetravit officium inquirendi, exercendique judicium in Græcorum quotquot, qui a Romanæ Eccleſiæ fide deſciſcerent, unioniſque ſacro vinculo diſrupto in veteres errores abirent, extinctumque vix ſchiſma ab orcu revocarent.

Barlaam Hierapolitanus Epiſcopus ad amicum quemdam ſcribens de momentis, quibus motus fuerat ad amplexandam fidem de proceſſione Spiritus Sancti a Filio, ſic habet: *Neceſſarium autem arbitror adhuc, & illud tibi oſtendere, quod licet tria dixi ſuperius eſſe, quæ coegerunt me credere & ex Filio Spiritum Sanctum procedere, hoc eſt multos magnorum Sanctorum hoc apertiſſi-*

me

me tradere : Matrem Eccleſiarum (Romanam Eccleſiam) *hoc ſemper dicere : per Generale Concilium etiam fuiſſe affirmatum ; tamen quodlibet horum ſine aliis per ſe viſum , non habens reliqua duo oppoſita , ſatis ſe habere conſidero , ut idipſum credatur .* In alia item epiſtola qua deſiderat , ac deprecatur unionem Eccleſiæ utriuſque , hæc habet de Romana : *Pluralitas principiorum , & carentia principii ſimilis ſunt inordinationis . Romanæ gentis univerſa multitudo ſub uno eſt ordinata principio , Eccleſiæ videlicet Romanæ , & ejus Præſule , quem omnes honorant . . . . tanquam a Domino Chriſto ordinatum . . . illius mandata cum omni reverentia omnes , non tanquam Apoſtolica tantum , verum etiam Dominica ſcripta recipiunt , & adorant ; & nihil ita decretum ab eo jubetur , ut non quiete parati ſint ad implendum , & omnes ab illo corrigi ſua , & retractari ſuſcipiunt .* En unde fit , quod qui uni non ſubſunt , in diverſos errores diſtrahantur ; ex adverſo qui uni Romano Pontifici parent , firmi in eadem fide permaneant ! At ita ne fieret , dic ſodes , ſi unus iſte Romanus Pontifex in errorem prolabi poſſet , aut ſuprema non polleret poteſtate ? Adjungendus Hiabalaha Chaldæorum Patriarcha , qui in epiſt. ad B. Benedictum XI. ipſum *Chriſti Vicarium , B. Petri Succeſſorem , Patrem Patrum , Regem Regum , Eccleſiæ Catholicæ Caput* confitetur , eidem obedientia ſe obſtringens .

Armeni Epiſcopi in Synodis Sitenſi an. 1307 , Adanenſi an. 1309 , ut eſt apud Gallanum tom. 1. conciliat. Eccleſiæ Armenæ ; & in altera Synodo Armeniaca an. 1342. , ut eſt apud Martenium tom. 7. collect. veter. Scriptor. , ſuis ejuratis erroribus fidei formulæ a Latinis exhibitæ ſubſcripſere , quæ ipſis Romani Pontifices præſcripſiſſent , amplexari ſe promittentes . Ex illis plerique alii Epiſcopi , Abbates , Doctores , ac ſpeciatim Conſolator Armeniæ Catholicus , poſtquam priſcos errores abnegaſſent ſecundum formulam ipſis à Benedicto XII. Pontifice Maximo præſcriptam , Romanæ Eccleſiæ fidem , & Canones amplexati fuiſſent , Romanumque Pontificem frui plenitudine poteſtatis affirmaſſent , iterum Clementi VI. magis adhuc explicatam , apertioremque Pontificii primatus cum ſuis appendicibus profeſſionem juxta formulam ab ipſo Pontifice præfinitam in litteris ad præfatum Conſolato-

latorem, quas exhibet Raynaldus ad an. 1351., nuncuparunt, atque inter alia ſe fide credere profeſſi ſunt *Soli S. Petro ſuper alios Apoſtolos, atque ſuper univerſos Chriſtifideles a Chriſto Domino collatam pleniſſimam juriſdictionis poteſtatem. Eidem S. Petro in eadem poteſtate ſuccedere Romanos Pontifices, qui Chriſti Domini vices in terris gerentes juriſdictionem in univerſum corpus Eccleſiæ tanquam caput exercent: Romanorum Pontificum ſupremam, ac præeminentem auctoritatem, & juridicam poteſtatem eſſe, atque ejuſmodi, ut nullius judicio, niſi ſolius Dei ſubſint, ipſorum vero judicio cæteri omnes ita ſubjaceant, ut ab ipſo nulli fas ſit ad alium judicem appellare: Romanorum Pontificum juris eſſe generales Canones pro Univerſa Eccleſia conſcribere, circa conſcriptos relaxare, & diſciplinam, rituſque diverſos pro diverſitate Eccleſiarum ſtatuere, decernere, tolerare, aut tollere: Romanum ſolum Pontificem dubiis emergentibus circa fidem poſſe per determinationem authenticam, cui ſit inviolabiliter adhærendum, finem imponere; fideque indubia tenendum, quod ipſe de fide eſſe declararit, atque hæreticum eſſe, quod ipſe ceu hæreticum condemnaverit.* De articulis iſtis a Clemente VI. Armenis propoſitis, atque Armenis probatis Vindic. par. 2. fuſius agemus. Interea ex iſtis articulis, quos Armeni profeſſi ſunt, palam eſt in eo agnoviſſe illos Primatum Apoſtolicæ Sedis poſitum, ut ipſius juriſdictioni univerſa Eccleſia ſubjaceat, ipſiuſque de fide judicio abſolute authentico Eccleſia univerſa adhærere debeat. Quæ duo, amabo, quid aliud præferunt, & efficiunt quam id, quod propugnamus: Romanum Pontificem ſupra Concilium potem eſſe, eumdemque in fide eſſe falli, & fallere omnino neſcium? Quid ad hæc, quod Gabriel II. Hagulenſis, & Iohannes X. Algigæus, qui rerum Maronitis ſacrarum ſummæ præerant, Urbano V., & Eugenio IV. ſeſe proſternentes, in his, quæ ad confirmandam fidem conferunt, regendamque chriſtianam Rempublicam Primas uni Pontifici detulerunt?

Ex Epiſcopis rurſus, aliiſque Eccleſiæ Orientalis hominibus, qui a tempore iterato initæ unionis, quæ paullo poſt Lugdunenſe Concilium, ob Græcanici ingenii levitatem ad ſchiſmata facile fluxi, pronique ad fallendam fidem, interrupta fuerat, cum Romana Eccleſia ſub Eugenio IV. in Florentino Concilio celebrio-

lebriores apud Orientales audiunt, Græci Præſules, ipſorumque Imperator Johannes Palæologus in eodem Concilio fidei formulæ ab Eugenio editæ ſyngraphum appoſuere ſuam, unoque excepto Marco Epheſino, omnes inter alia fidei capita, hæc de Apoſtolica Sede affirmarunt: *Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, verum Chriſti Vicarium, totius Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, ipſique in B. Petro Univerſalem Eccleſiam paſcendi, regendi, ac gubernandi plenam poteſtatem a Chriſto Domino eſſe collatam.* Conſer dicta ubi de Concilio Florentino. Armenorum pariter, ac præſertim Conſtantini Patriarchæ Oratores quatuor doctrina præſtantes, ſcilicet Sarchis, Marcus, Thomas, & Joachimus ſuo, & Armenæ Eccleſiæ nomine fidem profeſſi ſunt, quam illi præſcripſit Eugenius Conſtit. *Exultate Deo*, qua præ aliis quidquid tenet, & docet Sedes Apoſtolica ſe tenere, & credere faſſi ſunt. Jacobitæ in Ægypto degentes, quorum legatione, ac præcipue Johannis Patriarchæ functus eſt Andreas Abbas Monaſterii S. Antonii: Neſtoriani Æthiopiam incolentes, quorum vices, ac præſertim Conſtantini Zaræ Jacob Imperatoris geſſit Petrus Diaconus: Syri præterea, a quibus, ac ſingulatim ab Ignatio ipſorum Patriarcha, Nationiſque totius nomine legatus fuerat Abdalas Edeſſæ Archiepiſcopus, ii, inquam, ad unum omnes Eugenio fidei formulam nuncuparunt, quam illis præſcripſerat Pontifex, quamque exhibet Conſtitutio ea de re edita, de qua ſæpius dictum eſt.

Non altera ab Alexandrino, & Antiocheno ſententia Iſaiæ Patriarchæ Hieroſolym. animo inſedit, qui in epiſt. ad eumdem Eugenium IV erga Pontificem nihil non obſequii, & obedientiæ exprompſit, *Patrem, ac Dominum illum, ſeque filium humilem, ac devotum* nuncupans. Quibus adnectere eſt Chaldæos Neſtorianos, Maronitas, & Jacobitas, (qui poſtremi nempe Macarii Antiocheni errorem ſectati in Chriſto Divinam dumtaxat voluntatem, & operationem admittentes, reliquum omne humanum, nihilque præterea affirmabant,) quorum Legati, & quidem ex parte Chaldæorum Cypri Timotheus Archiepiſcopus Tharſenſis; ex parte vero Maronitarum Inſulæ ejuſdem, ac præſertim Eliæ eorumdem Epiſcopi, Iacius ſuo, & ſuorum nomine profeſſionem

fidei ab Eugenio procuſam, quamexhibet Conſtitutio *Benedictus ſit Deus* tom. 13. Concil. edit. Labbei, emiſerunt. Quid vero, quod Philotheus Alexand. Patriarcha in epiſt. ad Eugenium IV. apud Harduinum tom. 9. pag. 992. eximiis his eum affatus eſt: *Pater Sanctiſſime ... Terreſtris Angele, & Cæleſtis homo ... boni gregis optime Paſtor, qui doctrina tua irruentes lupos ab ovibus univerſalis ovilis depellis ... Petra fidei, Caput omnium chriſtianarum Eccleſiarum, qui ex Chriſto Jeſu D. N. ſacram poteſtatem accipiens Papa magnæ Urbis Romanorum ... factus es*: & in fine: *Inclino meipſum, Pater Beatiſſime, ſub ſcabello pedum Sanctitatis tuæ*? Quid plura? Nicodemus Abbas Æthiops in epiſtola pariter ad eumdem Eugenium principio affirmat, quotquot a Romana Eccleſia defecerunt, corruiſſe; poſtquam vero enarraſſet Æthiopicam gentem nunquam voluntaria defectione, aut perfidia a Romana Eccleſia deſciviſſe, ſed ſola locorum diſtantia, nec non Pontificum negligentia accidiſſe, ut ab quingentis annis nulla Apoſtolicæ viſitationis memoria apud ſuos extaret, teſtatur nihilominus tanta ab Æthiopibus Romanam Eccleſiam veneratione coli, ut Roma Æthiopiam appellentium pedes certatim gens deoſculari anhelet, veſtiumque illorum particulas rapere, locoque habere reliquiarum. *Nec mirum*, ſubdit, *ſi enim Regina Saba abiit Jeroſolymam, ut audiret ſapientiam Salomonis, pluſquam Salomon ſummus Pontifex eſt.* Adjungit deinde Æthiopiæ Regem tanti facere Romanorum nomen, & latinorum fidem, ut nihil æque in votis habeat, quam cum illis fide jungi gentem ſuam, Pontificis ſe ſe pedibus ſubjici, amplectique Sedis Apoſtolicæ dogmata: *Pontificem autem*, ait, *omnium Eccleſiarum Caput fatetur, ſuoque ſplendore Orbem illuſtrare, cui omnes Patriarchæ, Epiſcopi, Imperatores, & Reges inclinantur*. Nec ſe legatos diſputandi gratia mittere, ſed ut Summi Pontificis ſententiam de fidei rebus ſequantur. *Quis enim*, inquit, *ſoli lumen inferat? Nec oportet diſcipulum eſſe ſupra magiſtrum*. Proh dedecus! Dum Orientales quam magnifice, tam veraciter Romani Pontificis fidem, ſupremamque poteſtatem laudibus celebrant, audire ex adverſo ex Occidentalibus nonnullos effreni adeo, effrontique audacia Romani Pontificis laudata privilegia proſcindentes!

Præ-

Præſtat modo eos perſequi ex Orientalibus perinde doctrinæ laude, ac dignitate conſpicuos Antiſtites, alioſque integræ fidei homines, qui ab Eccleſia Orientali diſrupto unionis ſub Eugenio IV. Pontifice Maximo peracta vinculo, infracta animi fortitudine in Romanæ Eccleſiæ ſocietate, & fide permanſerunt, nihilque imo non egerunt, ut apud ſuos ipſam redintegrarent, vel ab ſuorum obtrectationibus defenderent. In his Gennadius, ſive Georgius Scholarius Patriarcha Conſtantinopolitanus Apoſtolicæ Sedi primum addictus in tract. de primatu Papæ cap. 9. præclare de primatui adnexis privilegiis diſſerens, *Quomodo*, inquit, *Athanaſius ad Julium, Chryſoſtomus ad Innocentium, Ignatius ad Nicolaum, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Martinum, & ceteri Orientis Sacerdotes ejecti, ac ſuis ſedibus pulſi, vel ipſi venientes confugerunt, vel litteras dantes ſignificaverunt, unde litteris acceptis ſuas ſedes receperunt, niſi ii ſummum Pontificem, ac Petri ſucceſſorem agnoviſſent, ut qui poterat iis eſſe præſidio? Quomodo Reges, ac Principes inſpectis Papæ litteris tacuiſſent, ac illis permiſiſſent ſuas recipere ſedes, ſi Petri tantum poteſtas fuiſſet, ac non ejus ſucceſſorum?* Quo plane invictiſſimo argumento Græculos illos, quos poſtea exſcripſere Proteſtantes, perſtringit, qui Petri poteſtatem in Romanos Pontifices derivaſſe præfracte negabant. Perinde cap. 16. ſententiam ſuam proferens, *Pontifex Romanus*, inquit, *eſt Petri ſucceſſor, & Vicarius Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, iſque ſolus obtinet omnem poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, vel arguendi, benedicendi, maledicendi, corrigendi, & medendi: ſolus habet facultatem de fide, & Sacerdotio exquirendi.* Non ignorabat plane Gennadius Epiſcoporum partes etiam eſſe de fide promendi ſententiam: quum ergo eas partes uni Pontifici adjudicat, ipſum loquutum fuiſſe oportet de judicio infallibili, ac ſupremo, quod ſoli Pontifici competat: atque quidem ita loquutum liquet ex apologia adverſus Marcum Epheſinum, ubi Apoſtolicam Sedem omnibus hæreſibus ſuperiorem ſcribit; & in expoſit. pro Concil. Floren. ſeſſ. 17. id privilegii ex Chriſti promiſſione colligit, unde concludit. *Si ergo illa divina Sedes non recte ſentit* (ut Epheſinus Epiſcopus obloquebatur),

mentitur Christus. Verumtamen de vera Gennadii sententia, germanisque scriptis paullo post.

Josephus Episcopus Methonensis, alter Sedis Apostolicæ sincerus cultor, ac vindex acerrimus, nec non unionis apud suos Græcos conciliator egregius, ex promissionibus a Christo factis S. Petro, quas equidem, ac æque ad Romanos Pontifices pertinere supponit, argumentando subinfert Romanam Ecclesiam super omnes alias Ecclesias summa potestate pollere; atque præ omnibus aliis in fide esse infallibilem. *Romana Ecclesia*, inquit, (*in qua*, ut ante dixerat, *nec infidelitas, nec turpe dogma unquam mansit*, (*potestatem accepit à Christo regendi alias Ecclesias, gubernandi, confirmandi, & corrigendi, non ut ipsa confirmetur ab aliis*: et Tu, *inquit Salvator ad Petrum*, aliquando conversus confirma Fratres tuos, *non dixit confirmare a fratribus tuis, sed confirma fratres tuos*. Legenda illius responsa ad libellum Marci Ephesini in append. Concilii Florentini. Jacobus Navarchus Ondischotanus in epistola Asiatica, post quam narrasset Eugenium IV. ad Orientis, & Æthiopiæ Patriarchas de unione scripsisse, illos vero de Latina Ecclesia, & Pontificis auctoritate orthodoxe, ac diserte respondisse, atque quidem ex illis testimonia Andreæ Abbatis Syri Alexandrini Patriarchæ Jacobitæ Oratoris ad Eugenium, & Nicodemi Abbatis Æthiopum in epist. ad eumdem Pontificem retulisset, quæ & nos paullo supra exhibuimus; nec non a Philotheo Patriarcha Alexandriæ, & Ægypti Romanum Pontificem dictum *Petram fidei*, *luporum Repulsorem*, *omnium Ecclesiarum Caput*, *& ceterorum Patriarcharum Protectorem*, eam tum sibi animo insidere sententiam subjungit Navarchus fore a sacrorum consortio projiciendos, qui Eugenii decretis non parerent.

Georgius Trapezuntius Ecclesiæ unitatem, (quod profecto a S. Cypriano didicerat,) non aliunde repetit, quam ab uno, atque repostam affirmat, quam in uno Romano Pontifice. *Est una*, inquit in epist. ad Monachos Cretenses, *Ecclesia Catholica unius Ecclesiæ Romanæ conjunctione, quæ ipsa cum Pontifice uno unitur: ita fit, ut omnes Ecclesiæ Catholicæ cum Romana uniantur, & Romana cum Pontifice, ac proinde omnes cum Pontifice*. In opusculo autem de dicto

cto Chriſti Domini: *Sic eum volo manere* ad Nicolaum V. ejuſdem Eccleſiæ univerſæ firmitatem in fide, ac durationem uſque ad ultimum diem repetendam ſtatuit, non ab alio, quam ab ejus fundamento, ac fidei columine, quod in S. Petro, ejuſque in ævum ſucceſſoribus Romanis Pontificibus Chriſtus Dominus conſtituit; ad Pontificem proinde referenda, quæ de fide ſcriberet, diceret, cogitaret, ſi ab errore ſibi cavere velit, concludit: *Ad Sanctitatem tuam*, ſic Nicolaum affatur, *& quæ nunc hac in re perfacili quæſtione, auxilio ejus, cujus Tu in terris Vicarius es, & poſtea quæ dictabimus, merito mittenda putavimus, ne dum volumus, & nobis, & aliis prodeſſe, in laqueum dilabamur. Id enim & fuit, eſt, ac divina præſenti gratia erit ſemper mihi inſitum, & propoſitum, mortem optare potius, & exitum hujus vitæ, quam aliquid, non dico ſcribere, aut dicere, ſed ne cogitare quidem, quod Apoſtolicæ doctrinæ, ac Eccleſiæ Dei, cujus Tu Princeps es, repugnare videatur.* Et infra. *Commendatio*, inquit, *militantis Eccleſiæ Petro tunc facta, ſucceſſoribus etiam ſuis facta cognoſcitur. Oportet enim ſicut oves, agnique*, (veteres videlicet in fide, atque novelli) *ad diem uſque adventus in gloria Domini per ſucceſſionem duraturi ſunt, eodem utique modo illum permanere, cujus commendatio facta eſt.* Quid hic obtrudunt indeficientiæ in fide Pontificum obtrectatores Eccleſiæ independenter a Romano Pontifice collatam a Chriſto Domino in fide firmitatem? Præciſo Paſtore adhuc incolumem permanſurum gregem, ſublatoque fundamento immobile futurum ædificium? Probro his perinde ſit Jacobus hujus nominis II. homo inter Maronitas doctrina inſignis, dignitateque, qui quo æſtuabat deſiderio fidei diſcrimen omne devitandi, eo magiſque a religione officii in Pontifices Maximos non declinare ſtuduit: itaque ſemel, ac iterum Nicolao V. & Callixto III. fidem omnem ſuam deſpondit, atque ab illis de fidei rectis dogmatibus edocendum ſe dedidit.

Leonardus Chienſis Epiſcopus Mitylenæus ad Nicolaum V. de excidio Conſtantinopolitanæ Civitatis ſcribens: *Hæc præcogita*, inquit, *Pater Beatiſſime, qui vices Chriſti geris in terris, cujus intereſt tantas Chriſti injurias, & fidelium ulciſci. Igitur ... miſerere Chriſtianitatis tuæ, qui ſcis, & potes, cui ad nutum*

omnes

omnes Chriſtiani Principes . . . facile obtemperabunt : moveat te Pater Beatiſſime fides Petri &c. Porro Gennadius, ſeu veriſimilius. Joſephus Methonenſis in defenſione Concilii Florent. cap. 5. ſeſſ. 14. refert Nicolaum V. litteris, & legatione Conſtantinum Imp., Græcoſque ipſi parentes commonefeciſſe de recipiendis decretis Florentini Concilii: vaticinatum cæteroquin in litteris illis excidium Urbis, & Græcorum internecionem, vindictam ſupremo Numine repetente conviciorum, probrorumque, quibus quotidie a Græcis Romanus Pontifex impudentiſſime proſcindebatur. Legeſis Paginm tom. 5. breviar. hiſtor. chronolog. crit. in Nicolao V. Pontifice Maximo. Quæ prophetico ſpiritu in litteris prænuntiavit Nicolaus V, tres ſcilicet tantum ſupereſſe annos, intra quos niſi Græci ad maternum Romanæ Eccleſiæ ſinum ſe ſe reciperent, occupanda eſſet à Barbaris ſedes Orientalis Imperii; jam pridem, ideſt ab annis 100. S. Birgittæ diſerte prædixerat Chriſtus Dominus vitari Barbarorum jugum a Græcis nequire, futurumque, ut ingentium, graviſſimorumque incommodorum partem maximam ab illis paterentur, niſi, & donec conſtanter, devote, ac integre Romanæ ſe ſe Eccleſiæ conſociaſſent, Romanoque Pontifici ſe ſe gubernandos, atque in rebus fidei regendos humiliter, obedienterque commiſiſſent, ut habetur ejus revelationum lib 7. cap. 9. Qua de revelatione appoſite ſubdit Sanderus lib. 6. de viſibili monarchia: *Quam revelationem vere divinam extitiſſe ex eo ſcimus, quod ita res tunc futuras prædixit, ut eas eveniſſe nunc videmus. Nam S. Birgitta mortua eſt multis annis prius, quam tota Græcorum reſpublica deleretur, futura vero prædici non poſſunt, præterquam a Dei ſpiritu, qui ſolus futura novit velut is, qui & auctor eſt eorum, & cui jam nunc præſentia exiſtunt.* Hæc forte, aut ego fallor, in cauſſa fuere, cur ad ingruentia tot mala declinanda ſanius conſilium Patriarchæ ceteri capeſſiverint, atque animum ad recta dogmata amplectenda demum applicuerint. Itaque Moyſes Archidiaconus Antiochenus trium Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, & Hieroſolymitani ad Pium II. legatione fungens Pontifici ſignificavit decretum equidem unionis ab Eugenio pro Græcis jam pridem editum ab illis tribus Patriachis, zizaniorum ſatore impedimenta apponente, non fuiſſe ſuſceptum, poſtmodum tamen

tamen Patriarchas ad rectum tramitem, rationemque se se recipientes conventum subditorum celebrasse, decretum loco statuisse suo; Romano Pontifici integre se se permittere; velle illi tanquam Jesu Christi Vicario deinceps obtemperare, moremque gerere, atque ad ea enuntianda ideo se ab illis missum. Referunt hæc Gobelinus in comment. Pii II. lib. 3., & post ipsum Pagius Junior in Pio II.

Ex Episcopis ejusdem Orientalis Ecclesiæ, aliisque Ecclesiasticis viris, doctrina præclaris, qui stabilito iterum schismate, atque altius in dies radices agente, sibi tamen Apostolicæ Sedi indivulse adhærendum statuerunt, Petrus Assanus denominatus, qui Maronitis Patriarchæ nomine præerat, de doctrina Apostolica oblivione prope obliterata, atque in Oriente proxime vergente ad interitum, circa unitatem Naturæ, & trinitatem Personarum in Deo, & circa unitatem Personæ, & dualitatem Naturarum in Christo Domino, Paulum II. sibi consulendum duxit, ut certo quid credendum sibi foret, quidve suis perinde fide divina credendum proponeret, ex Romani Pontificis magisterio disceret, & sciret. Doctrinæ Patriarchæ huicce a Pontifice traditæ tenorem describit Raynaldus ad annum 1469. Præterea quum Leo X. Pontifex Maximus legato ad Maronitas misso P. Joanne Francisco de Potentia Ord. Minor. una cum apostolicis litteris, eosdem orthodoxis institutis erudiendos, eorumdemque nonnullos errores emendandos, de eorum salute sollicitus suscepisset, idem Petrus anno 1515. ad Pontificem remissis legatis, & litteris suo, & suorum montem Libanum incolentium Maronitarum nomine Romano Pontifici sub hac epigraphe: *Vicario Dei, Regi Regum* obedientiam, obsequiumque præstitit; se ac suos de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ doctrina edoceri postulavit, eidemque se, suosque in ævum, si superis placeret, adhæsuros promisit. Leguntur hæ litteræ lingua latina donatæ in actis sess. 11. Concilii Later. V. tom. 9. Concil. edit. Harduini, atque apud Raynaldum ad an. 1514. *Gratias Deo*, ait in laudatis litteris ad Pontificem Patriarcha, *reverentur agimus, sub mundissimis pedibus Patris nostri Sanctissimi Christi Vicarii, & Domini nostri Leonis X., qui vices B. Petri veritatis Petræ gerit in terris, sedetque super Sedem Apostolicam ipsius Sanctissimæ bene-*

benedictionis super nos &c. His consonas misit Elias Maronitarum Dominus. Sed & ex Maronitarum Patriarchis Simeon VI. cognominatus Hadethensis Alexandro VI. primum, atque Leoni X. postmodum; ac perinde Moyses Clementi VII, Paulo III, Paulo IV, & Pio IV. communione, & clientela dediderunt se se, & devoverunt.

Zagazabo Episcopus Æthiopum in confessione fidei Æthiopicæ sub Paulo III. editæ perhibet a gente Æthiopum ab exordio jactæ in Æthiopia Christi Ecclesiæ ad eam usque diem Romanum Pontificem tanquam Christi in terris Vicarium agnitum, eidemque exhibitam obedientiam fuisse. *Nostri*, inquit, *certe ab exordio primitivæ Ecclesiæ Romanum Pontificem, ut primum Episcopum agnoverunt, cui etiam hodierno die, ut Christi Vicario paremus.* Subdit præterea fore, ut frequenter Romanum Pontificem adirent erudiendi ab eo Æthiopes, nisi magnis itinerum distinerentur intervallis, & Mahumetanorum interjecta regna intercederent, quæ profectionem ita præpediant, ut sine magnis periculis Romana adornari profectio non possit. Paucis tamen, ac præclaris, quæ de Pontifice crederet, conficit: *Credo S. Petrum Petram esse legis, fundamentum, & Caput Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ, Orientis, & Occidentis, ubi est nomen Domini nostri Jesu Christi.* Petrus Abbas Æthiops in epistola ad Paulum III. exarata his Pontificem alloquitur: *Hoc munus hilari fronte suscipe, sciens nos, etsi Æthiopes simus, tuas tamen oves esse, teque ut summum venerari Pastorem. Quapropter nos ab Imperatorum calumniis vindicatos, ut Ecclesiæ filios recipe, sciantque per te omnes nos ab Ecclesia Romana non abhorrere, quinimo illam, ut Matrem omnium Ecclesiarum amplecti, ac venerari, quod facile ex multis epistolis, quæ ad hanc Sanctam Sedem a Regibus nostris missæ sunt, videri potest.* Ita ab initio gentilium suorum animo insitam de Apostolica Sede sententiam, qua scilicet omni, quo par erat, obsequio, & obedientia ejusdem S. Sedis auctoritatem, & doctrinam prosequebantur, egregie promit.

Moyses Mardenus Antiochenus in fidei professione Julio III. Pontifici Maximo nuncupata præclarum adeo de Romani Pontificis divinis privilegiis reddidit testimonium, ut pudore suffundi faci-

facile poſſint, quotquot Latinorum, eadem privilegia in dubitationem adducere audeant. *Ego Moyſes Mardenus*, inquit, *recipio Paſtores veros, qui inſtituerunt Sanctam Eccleſiam Romanam, ac Patres omnes, qui in ea habentur ab initio chriſtianæ Religionis uſque in hunc diem. Obteſtor Patrem Patrum, & Paſtorem Paſtorum, Benedictionem univerſæ Reipublicæ chriſtianæ, portantem claves Regni, fontem, ex quo profluit ſuavitas, Pontificem Julium III., qui accepit ſignaculum nominis Trinitatis, ut dignetur acceptare meam hanc profeſſionem, meo nomine, atque etiam Patriarchæ noſtri.* Audiſtis Heterodoxi ab Romana Eccleſia ſegreges, qui eamdem deſeciſſe, & a veterum doctrina Pontificum fœde deſciviſſe blateratis, ab initio conditæ Religionis uſque in hancce diem integram, intemeratamque Eccleſiæ Romanæ ab Apoſtolis acceptam fidem religioſe permanere, nulla hæreſum fuligine, aut fraude obſcuratam, aut obliteratam? Audiſtis Orthodoxi ab avita Majorum doctrina degeneres unam eſſe Romanam Eccleſiam, quam penes rei chriſtianæ ſumma conſiſtit, quamque prope nulla unquam erroris ſuſpicio, aut ſpurcities acceſſum habere valuit? Qui Jacobitis per Syriam longe, lateque diffuſis rebus præerat ſacris Ignatius ex homonymis X. ad eundem Julium III. litteris inſcriptis ſe Apoſtolicæ Sedi aſſurgere non modo ob eam, qua Sacerdotiis ubique præfectus eſt auctoritatem, ſed pronas accomodare aures ad ea dogmata excipienda, quæ nulla erroris labe vel maculata leviter exinde manant, aſſeruit.

Siud, ſive Sulacha Patriarcha Neſtorianorum in Syria moram trahentium, qui ſuo, & gentilium pariter ſuorum ad frugem redeuntium nomine Romam profectione adornata ſub Julio III. ad Eccleſiæ Romanæ unitatem ſe, ſuoſque remigrare, Romano Pontifici obedientiam, obſequiumque profiteri teſtatus, ſuæque fidei profeſſionem coram Pontifice emittens, ſic inter alia ſpondet: *Synodus ſcripſit de Eccleſia Sancta Romana, quæ eſt Sedes Petri, quod ſit Caput omnium Eccleſiarum, quod donum dedit illi Chriſtus per illa verba, quæ dixit ad Petrum plantatorem illius, nimirum*: Tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram ædificabo ipſam Eccleſiam meam: *Habetur apud nos illa fides.* Et infra: *Recipimus omnia illa Concilia, quæ recipit Eccleſia Romana, excommunica-*

mus, quos excommunicat Ecclesia Romana. Veneramur quoque, exaltamus, atque laudamus Ecclesiam Romanam, & Caput ejus Papam Sanctum. Enucleatior adhuc fit isthæc Sulachæ fides ex epistola, quam ad eumdem Julium III. Clerus, Populusque Nestorianus Selenciam Parthorum inhabitans exaravit, quaque ejuratis cum schismate erroribus ad sinum Apostolicæ Sedis se recipientes ab eadem Sulacham Patriarcham sibi inaugurari postulantes Romani Pontificis præconia his præclare celebrant verbis: *Patri Patrum, Pastori Maximo, Petro temporis nostri, & Paulo dierum nostrorum, & Cingulo comprehendenti universum cœtum Christianorum, qui es loco Christi Domini nostri: Tu Sedes in Sede alta, & sublimi Principis Apostolorum tenentis claves Regni cælestis, cui ore suo salutari Dominus dixit*: Quidquid ligaveris super &c. *& super eam fundavit Ecclesiam suam &c. Nunc porro Tibi eam dedit Christus Deus noster, ut sedeas super eam. Tu item es Fons, cujus aquæ non deficiunt, & quisquis sitiverit æquum est, ut ex Te bibat aquas vitales, ut sedet sitim suam. Tu es Lucerna, quæ non extinguitur, sed illustrat omnes creaturas, ut candela, quæ est super candelabrum.* Has litteras latinas fecit ex Syriaco Andreas Masius, quibus profecto indeficientis fontis, atque lucernæ inextinguibilis nomine nonnisi Romani Pontificis indeficientem fidem, atque inextinguibilem; Sedis autem altæ, sublimisque Principis Apostolorum Petri, super quam ædificata Ecclesia est, nonnisi ejusdem in Ecclesia summam auctoritatem significatam voluere. Cedo enim, verbis illis veriorem intellectum accommoda, si vales, si audes. Junge Mar-Josephum virum inter Malabaros Indos sacræ rei summam administrantem; qui non habuit quidquam antiquius, quam cum Romana Ecclesia communione conjungi, & Paulo IV. Pontifici Maximo ex animo se obedientem præbere.

Sequioribus ævis, quibus magis, ac magis animo in schismate obfirmato in Ecclesiam Romanam obgannire, atque dira quælibet evomere Orientales non destiterunt, non defuere tamen frequenter ex eorumdem Episcopis plerique, apud quos non penitus avitæ fidei lumen fuisset extinctum, suffocatumque prorsus vetustissimæ a Patribus traditæ veritatis semen, aut quos suo-

ſuorum Miſſionariorum opera Apoſtolica Sedes ad ſinum ſuum, ſupremo auxiliante Numine, revocaſſet, qui de Romana Eccleſia prædicarent, quæ olim a ſuis Majoribus acceperant, traditioneque retinuerant, aut quæ deinceps ejuſdem Eccleſiæ Antiſtites illis credenda, tenendaque edixiſſent, & tradidiſſent. In iis eſt Abdiſus ſive Ebedjeſu Patriarcha Aſſyriorum, qui in ſuæ fidei profeſſione Pio IV. Pontifici Maximo nuncupata, *Ego Abdiſus*, inquit, *juro, quod ita credo, & ore confiteor, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ fidem, approbatis omnibus, & ſingulis illis, quæ ipſa approbat, & damnatis ſimiliter omnibus, quæ ipſa damnat, amplector, & perpetuo me amplexurum, & retenturum eſſe profiteor, & promitto, & omnes Fratres meos Metropolitas, ſive Epiſcopos, ac Diœceſanos quovis modo meæ juriſdictioni ſubjectos ita credendum, & tenendum eſſe docebo, & modis omnibus, quibus potero, perſuadere conabor*. Ex Armenis, qui apud ipſos rei chriſtianæ ſummæ erat præpoſitus, Michael nomine eidem Pontifici, eo quo par erat, obſequio infimo, integroque ſe permiſit, nefas plane arbitratus vel latum unguem ab ejuſdem obedientia aberrare.

Mar-Abraham a Durbetano ad Tigrim Neſtorianorum Patriarcha Archiepiſcopus Angamalæ Chriſtianis S. Thomæ in India, ſeu Malabaria præfectus a Neſtorii erroribus ad Catholicam veritatem Concionatorum Soc. Jeſu opera abductus litteris obſequio plenis ad Gregorium XIII. inſcriptis Apoſtolicæ Sedi obedientiam ſpopondit, amplectique ſe Romanæ Eccleſiæ fidem profeſſus eſt. Maronitæ, quibus Patriarchæ nomine unus poſt alterum tum temporis præerant Michael Riſius, ipſiuſque Frater, & homonymus Sergius, ad Gregorium XIII. Oratoribus miſſis Patriarchæ ſuo dignitatem a Romano Pontifice confirmari poſtularunt, Miſſionarios ad ſe mitti, a quibus de Romanæ Eccleſiæ ritibus edocerentur, petierunt, atque Sedi Apoſtolicæ obedientiam præſtantes cuncta, quæ illa crederet, ſe credere proteſtati ſunt. Ex Chaldæis Simeon VII. ordine dictus, qui Ormi in Montanis Perſidis Urbe ſedem defixit, & a quo deinceps Simeonis nomine ſucceſſores, qui inter Chaldæos ſacerdotiis præſſent, denominati ſunt, eidem Gregorio XIII obedientia, fideque ſe ob-

ſtrinxit, quam pariter eidem Pontifici, non ſecus atque ipſius ſucceſſori Sixto V. deſpondit Armenorum Catholicus Azarias. Quibus adjunge Abrahamum Ruthenum hominem e Lutheranorum grege, alterumque græco-Polonum eodem furfure aſperſum, qui Romam profecti coram Gregorio Pontifice ejuratis erroribus ejuſmodi fidem ambabus ulnis ſe amplecti profeſſi ſunt, quæ Romanæ Eccleſiæ erat accepta, uti referunt Victorellus in comment. de jubilæis apud Spondanum ad annum 1575, & Florimundus Remundus de orig. hæreſ. lib. 4. cap. 12. apud Berninum in hiſt. hæreſ. ſæculi XVI. cap. 10. Præterea Jacobus Palæologus genere Chius, ut eſt apud Berninum ibidem, Romam appulſus Romanæ Eccleſiæ majeſtate, & ſanctitate in admirationem raptus, ejus fidem non modo ſummo in pretio habere cœpit, ſed uni ex approbatis ab ea ſacris Ordinibus nomen dedit. Quamquam leviſſimi animi homo, uti Græcis non inſolens eſt, ad ingenium paullo poſt regreſſus, duplici apoſtaſia a religione, & a fide utramque conſpurcavit; ſed tandem juſtas pœnas dedit.

Ruthenos per Poloniæ regiones longe, lateque diffuſos Græcanico ſchiſmate, erroribuſque ejuratis Romanæ Eccleſiæ fidem profeſſos, & Sedi Apoſtolicæ obedientiam pollicitos ſuæ communione donavit Clemens VIII. Qua de re adeundus Baronius in fine tom. 7. Annalium: ex quo liquet quam falſo Johannes Franciſcus Buddæus Lutheranus diſputationem quamdam ſuam inſcripſerit: *Eccleſia Romana cum Ruthena irreconciliabilis*. Sunt autem inter alios Michael Metropolita Kiovienſis, Hypation Vulodimirienſis, Cyrillus Luceorienſis, aliique 6. Ruthenorum Epiſcopi audiendi in epiſt. ad præfatum Clementem VIII: *Sanctiſſime Pater*, inquiunt, *ac Paſtor ſupremæ Eccleſiæ Chriſti, Domine clementiſſime. Repetentes memoria conſenſum in omnibus, atque unionem Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ, quam Majores noſtri ſub obedientia, & regimine ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Romanæ coluerunt ... ad unionem, quæ in Florentina Synodo ab Anteceſſoribus noſtris conſtituta eſt, accedere decrevimus, ut vinculo hujus unionis adſtricti ſub obedientia, atque regimine ſanctitatis veſtræ, uno ore, ac corde glorificemus, ac laudemus omnes diviniſſimum, & ſanctiſſimum nomen Patris, & Filii, & Spiritus San-*

Sancti. Subinde ſignificant eam ad unionem ineundam ſe Oratores mittere, qui ſuo, & Archiepiſcopi, Epiſcoporum, atque totius Cleri, populique nomine Sedi S. Petri, & Sanctitati ſuæ, uti ſummo Paſtori Eccleſiæ Chriſti, debitam obedientiam deferant. Itaque proprio, illorumque nomine Hypatius Vulodimirienſis, & Cyrillus Luceorienſis Epiſcopi Romam profecti Clemente VIII. coram fidei profeſſionem in Concilio Florentino editam in hæc verba emiſere: *Credo Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum Orbem tenere Primatum; & ipſum Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorum exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam a D. N. J. Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe: Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici B. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro.* Ex Orientali plaga prope moriturus anno 1595. Mar-Abraham, qui Neſtorianis Malabaris erat a ſacris, litteris Romam ad Pontificem miſſis proteſtatus eſt ſe in ea velle fide mortalitatem explere, mortemque adſpicere, quam integram, intemeratamque, ſicuti a Chriſto D. tradita fuerat, in Eccleſia Romana cuſtodiri tum demum probe intellexerat.

Gabriel in Adorbigana Metropolita, qui ſe & Patriarcham Alexandrinum inſcripſit, ad Clementem VIII. Legatis, & litteris miſſis ſuo, ac Chorepiſcopi ſui nomine an. 1595. fidei profeſſionem emiſit, & Romano Pontifici obedientiam exhibuit. *Teneo, & confiteor*, inquit in confeſſione fidei, *Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum Orbem terræ tenere Primatum, & ipſum Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ eſſe Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam a D. N. J. Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. Itaque promitto me tanquam obedientiæ filium*

ordi-

ordinationibus, præceptis, censuris, & jussionibus Sanctissimi Domini nostri D. Clementis divina providentia Papæ octavi, & successorum suorum Pontificum canonice intrantium, & Sedi Apostolicæ semper, & fideliter obtemperaturum. Apertius Sedis Apostolicæ privilegia prædicat in epistola ad eumdem Pontificem exarata, siquidem in ea sic ait: *Humilis Gabriel Dei gratia famulus Sedis S. Marci in Urbe Alexandrina... salutem impartitur... Patri Domino, Patrum Patri, Patriarcharum Principi, tertiodecimo Apostolorum.... Et quinto Sanctorum Evangelistarum, & S. Petri Apostoli successori, Petræ fidei, super ejus Cathedra in Urbe Roma sedenti, cui data est a Deo potestas ligandi, atque solvendi, cujus mentio fit in sacro Evangelio, quum dicit: Tibi ò Petre dedi claves regni Cælorum &c. Tu enim loco ejus constitutus, & successor es super terram, Pater noster, & Dominus noster, atque corona capitis nostri D. Papa Clemens octavus. Gratias agimus Deo... Quod te constituit Catholicæ fidei habenas tenentem, & sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ Dei fundamenta servantem.... Tu qui effectus es Caput, & maximus Patriarcharum, & Magister, & Prædicator totius populi Dei.* Has Patriarchæ litteras, fideique professionem legere est apud Baronium in append. tom. 6. annal. Ex his autem manifeste adparet una cum Primatu agnita ab illo, & affirmata fuisse reliqua Romani Pontificis privilegia, supremam scilicet potestatem, atque in fide indeficientiam.

Eamdem in sententiam pari consensu conspirarunt, universæ Ecclesiæ clavum obtinente Paulo V, Chaldæi Nestoriani, Armeni, & Maronitæ. Illorum Patriarcha Elias Romam ad Pontificem Adamo Archidiacono, & Monachorum Archimandrita oratore misso in S. Romanæ Ecclesiæ doctrina erudiri poposcit. Is itaque Romæ Pontificis jussu apprime instructus duo opuscula patria lingua de Ecclesiæ Romanæ dogmatibus adornavit, quæ postquam Pontifici probata fuissent, Babylonem ad Patriarcham suum detulit, ut cum ipsi, tum genti toti loco catholicæ fidei institutionis essent: idque ita sane ex sententia cessit, nam iis acceptis Elias Patriarcha ex sex Episcopis in Urbe Amida coacto Concilio an. 1616. ejuratis Nestorii erroribus Romanæ Ecclesiæ fidem

fidem juxta formulam a Paulo V. directam una cum iisdem Episcopis amplexus est. Acta autem Concilii anno sequenti ad Pontificem directa, ab ipso confirmata sunt, instructioneſque rescriptæ circa nonnullos ritus, quos omnino ad Ecclesiæ Romanæ amussim exegit. Sed & eidem Ecclesiæ morem gerere studuit, qui Eliæ successit in gradum, Simeon VIII. dictus. Quod ad Armenos pertinet, eorum Patriarcha Melchisedech alias David, ad eumdem Paulum V. Pontificem Maximum oratore, suo, totiusque Nationis nomine misso Zacharia Vartabid, quam Pontifex præscripsit, fidei formulam ultro professus est. Ad Patriarcham misit Pontifex Concilii Chalcedonensis germana acta arabico sermone exarata, injunxitque, ut tum e recitatione Trisagii error Petri Gnaphei omnino eliminaretur; tum ut juxta traditionem, calici consecrando modica immiscceretur aqua. Videsis Bzovium ad an. 1616. Ex Maronitis denique Petrus eorumdem Patriarcha oratoribus missis an. 1612. Pontifici obedientiam pollicitus est, fidemque Romanæ Ecclesiæ proprio, Episcoporum sibi subjectorum, gentisque totius nomine amplexatus est, ab eoque Apostolicam benedictionem, tum plenariam indulgentiam pro se, suisque omnibus impetravit. Legito Pauli V. constitutionem 77. an. 1614. 42 de re editam. Parem ei in obsequio Pontifici deferendo se præbuit alter inter Maronitas Primas Johannes Macluphius.

Urbano VIII. communione, & obedientia se conjunxerunt, exindeque eum ceu Principem supremo, primoque in Ecclesia loco, & honore habuerunt ex Syris Euthymius Damascenus Metropolita; ex Maronitis Georgius Amyra denominatus, & ex Armenis Moyses II, & Zacharias Patriarchæ. Quid autem, quod Melchior Aleppiensis Metropolita, etsi necdum animum a schismate abstraxisset, in litteris tamen ad eumdem an. 1627. exaratis *Ecclesiasticorum Caput omnium*, ejusque se *mancipium* nuncupavit? Nec minoris devotionis, obedientiæque specimen Innocentio X. Pontifici Maximo præbuerunt ex Syris Jacobitis Andreas Achigia Aleppiensis Metropolita alter; ex Nestorianis Macarius Antiochenus Cachadanus denominatus; atque ex Maronitis Josephus Accurensis ipsorum Patriarcha. Ad hæc Patriarcha Nestorianorum Simeon nomine Durbetæ in Mesopotamia considens, Cer-

Cerrio teſte in relat. de ſtatu præſ. S. Congreg. de propag. fide ad Innocentium X, Cappuccinorum noſtrorum opera Romanæ Eccleſiæ reconciliatus ejuſdem Eccleſiæ fidem profeſſus eſt, ab eaque Epiſcopatum, quem ab Neſtorianis acceperat, ſibi confirmari precibus impetravit. Alexandro VII. Eccleſiam adminiſtrante quo non religionis officio, obedientiæque reſpectu Romanæ Eccleſiæ ſe adjunxit Simeon Chaldæorum Patriarcha; cujus erga eam egregium ſane ſtudium in cauſſa fuit, cur a ſchiſmaticis commota tempeſtate e gradu deturbaretur? Illum litteris conſolatus eſt Pontifex an. 1664, locoque reſtitui ſuo, ut ſummopere curaret, ſatageretque, P. Gabrielem a Cainovo Miſſionarium noſtrum monuit. Eidem pariter Pontifici ſacramento fidem ſuam obligarunt Andreas Syris Aleppi degentibus Archiepiſcopi nomine præfectus; nec non Gregorius II. Besbeelenus Maronitarum Catholicus. Sed & Clementi X. Stephanus II. Edenenſis Maronitarum Patriarcha alter ſponſione ſe devinxit, devovitque.

Sub V. Innocentio XI. ex ſchiſmaticis Blaſius Archiepiſcopus Samaci; Maidirius Epiſcopus Samandri; ex Jacobitis Syris Gregorius Petrus, aliique 8. Epiſcopi; Euthymius Archiepiſcopus Tyri, & Sydonis; Joſephus Primas Chaldæorum, Euthymius in Aſiatica Iberia Metropolita; nec non Ignatius Patriarcha Antiochenus ad prælaudatum Pontificem litteris an. 1682, 1683, & 1684. inſcriptis ſchiſmate, & hæreſi damnatis ſe, genteſque ſuas Romani Pontificis obedientiæ ſubmittentes, eam, quam ipſe doceret, fidem amplexari ſe profeſſi ſunt, velleque in ejuſdem communione, & obedientia manere. Extant hæ omnes epiſtolæ apud Antonium Bullifonium par. 1. epiſt. famil.; earumque meminit Berninus hiſt. hæreſ. ſæculi XVII. cap. 8; ſed & P. Michael a Tugio rom. 7. Bullarii Cappuc. noſtrorum opera ad frugem illos reductos oſtendens. Qui apud Neſtorianos Chaldæos ſacrarum rerum ſumma Patriarchæ nomine potiebantur, Joſephus II. Innocentio XII; & Joſephus III. Clementi XI. ſubmittere ſe officio, religionique duxerunt. Nec minori erga eumdem Clementem affectu devotionis afflatos ſe ſe oſtenderunt, qui Syris Jacobitis Aleppi præerant Stephanus, & Athanaſius; atque qui Maronitis, Gabriel de Blauſa. Ad hæc cum Rutheni in Synodo

Za-

Zamoſcii an. 1720. a Clemente XI. confirmata, tum Maronitæ in Synodo habita in Monte Libano an. 1736, quam Benedictus XIV. anno 1741. Conſt. 31. approbavit, qua devotione, animique demiſſione Sedi Apoſtolicæ ſtuderent, quove ſtudio deinceps tradita ab eadem dogmata excolenda ſuſcepiſſent, multis, quæ modo proſequi non vacat, planum fecerunt.

Cyrillus Damaſcenus Græco Melchitarum Patriarcha etiam dictus quo erga Romanum Pontificem obſervantiæ officio eſſet affectus, liquet tum ex litteris an. 1729. a Benedicto XIII. datis ad P. Dorotheum a Sanctiſſima Trinitate Miſſionarium Ord. Cappuc., quibus Cyrilli profeſſionem fidei excipiendi, eidemque Sedis Apoſtolicæ nomine gradum confirmandi facultatem impertitus eſt. Is vero P. Dorotheus præmemoratum Cyrillum in Synodo an. 1730. in Monaſterio S. Salvatoris habita ad obſervantiam ritus græcanici juxta decreta ſanctæ Sedis induxit: tum ex litteris an. 1743. circa ritus Græco-Melchitarum, ac Patriarchæ juriſdictionem a Benedicto XIV, (quem ad bonum chriſtianæ Reipublicæ Deus O. M. diu ſoſpitem ſervet), editis tom. 2. Bullarii ejuſdem Pontificis, & tom. 7. Bullarii Cappuc. pag. 314, a quo Patriarchæ illi anno 1744. pallium conceſſum eſt. Maronitæ Epiſcopi anno 1743. conventu habito decretis a Benedicto XIV. de eorumdem Patriarcha ſe adquieſcere, uti par erat, profeſſi ſunt: qua de re legenda acta celebrata in Conſiſtorio anno 1744. die 3. Julii Typis edita S. Congreg. de propag. fide. Nicolaus Catholicus, ſive Patriarcha Georgiæ in litteris Romam a P. Nicolao Maria a Burgo Miſſionario Ord. Cappuc. ad Benedictum XIV. referendis hiſce præclaris Pontificem Maximum, cui integre ſe permittit, alloquitur: *Sublimiſſime omnium Princeps dator benedictionum, Judex totius Mundi, Vicarie Apoſtoli Petri, Præſes unius Catholicæ Eccleſiæ, quæ eſt Mater omnium populorum, cui obediunt omnes linguæ, omneſque Throni*: tom. 7. Bullar. Cappuc. pag. 248. Sergius Metropolita Cæſareenſis in Cappadocia, ac Legatus Patriarchæ Armeni Hieroſolymitani anno 1743. die 29. Januarii Smyrnæ in Regia noſtra Cappuccinorum, & Conſulari Eccleſia P. Stephano Conſtantinopolitano excipiente ejuratis cum ſchiſmate erroribus fidei

profeſſionem emiſit, ſeque totum Pontificis Romani obedientiæ dedidit. Romam poſtea adveniens ſe obfirmato animo Romanæ Eccleſiæ doctrinæ adhærere oſtendit, conſiliumque cepit de re chriſtiana apud Armenos ſuos amplificanda: eodem tom. 7. Bullar. Cappuc. pag. 281, & ſeq. Patriarcham Neſtorianorum Meſopotamiam incolentium, qui Durbetæ vulgo Moſul ad Tigris latus dextrum reſidet, conjungi cum Romana Eccleſia ſocietate communionis velle, ſubjicique ultro Pontifici, atque ſecum una ad 40. circiter ſibi ſubjectorum millia ad Romanæ Eccleſiæ fidem perducturum, nunciatum nuper a Miſſionariis eſt: imo idem Romam exaratis litteris Miſſionarios ad ſe mitti Apoſtolicæ Sedis dogmata annuntiatum, edoctumque etiam, atque etiam deprecatus eſt. Fertur imo hodie Patriarcha ille opera PP. Franciſci Corradini Turriani, & Dominici Lanſæ Ord. Præd. ad ſacra noſtra perductus. Adeundi Raynaldus, Renaudotius, Strozza, Allatius, Herbellottus, Aſſemanus, Lequiennius, Pagius, Cuperus, aliique, ex quibus horum partem multam retulimus. Cæterum pleraque adhuc dicentur par. 2. Vindic., quum de curis Rom. Pontificum pro reducendis Græcis ad unitatem fidei, deque fidei formulis ab illis procuſis, & ad Eccleſiæ unitatem reducibus propoſitis, erit dicendum.

Ex dictis uſque modo liquet recte a doctiſſ. Petitdidiero obſervatum, quod quæ a tempore ſchiſmatis Græcos inter, & Latinos de auctoritate Romani Pontificis quæſtio viguit, non quidem in eo conſtituta erat, quod Romano Pontifici Primatum ſuper omnes catholicæ Eccleſiæ Præſules Græci pernegarent, uti a nonnullis exiſtimatum eſt, (tametſi non diffitear Græcos quoſdam extitiſſe perpaucos, qui etiam contra Primatum pugnarint, inter quos Nectarius Patriarcha Hieroſolymitanus in libro edito contra Primatum Papæ, quem librum Doſitheus ejus nepos, ac in eadem Sede ſucceſſor in lucem an. 1682. emiſit; & Simeon Theſſalonicenſis in libro pariter contra eumdem Primatum conſcripto, atque ab eodem Doſitheo an. 1683. publici juris facto), ſed in eo, quod pernegarent Romanum Pontificem poteſtate ſupra Concilia pollere, eumque inerrantiæ privilegio eſſe præditum. Id facile conſtabit recolenti non modo, quæ integro articulo iſto deſcripſimus, ve-

verum etiam, quæ fusiori sermone in paragraphis de Conciliis Lugdunensi II, & Florentino tradidimus, ex quibus perspectum fit a Græcis profecto extra omnem dubitationis aleam positum Romani Pontificis in Ecclesia Primatum, quamvis pessima consecutione eidem Primatui adnexas prærogativas dubitationi supponerent: quas tamen iis in Conciliis, ac Florentino quam maxime, qua Latinorum disputatione, qua Pontificis auctoritate, ad agnoscendas sint adacti. Id etiam constat ex doctioribus inter Græcos schismaticos, qui de schismatis caussa scripsere; siquidem Latinis negotium aliud hacce in quæstione non facessiviſse gentiles suos declararunt, nisi quod Romanum Pontificem tum Concilio præstare, tum infallibilem esse inficias irent. Ita namque Theophylactus Bulgariæ Metropolita sæculo XI. in tract. Ms. in Bibliot. Bavarica extante *de Latinorum erroribus*, atque teste Johanne Vecco Constantinopolit. Patriarcha in orat. 2. *de Injusta sui depositione* tom. 2. Græciæ orthodoxæ, discordiam Græcos inter, & Latinos in uno de processione Spiritus S. à Filio articulo reposuit, unamque particulæ *Filioque* additionem Symbolo factam reprehendit. *Invenio*, inquit Veccus, *Theophylactum Bulgariæ Archiepiscopum, dicendi arte percelebrem, additionem in Symbolo tantum reprehendentem*. Ita Nechites Archiepiscopus Nicomediensis sæculo XII. de Primatu Papæ ultro citroque convenit, id unum caussatus, quod Romanus Pontifex absoluta supra Canones auctoritate non potiretur, neque in fidei dubiis decernendis infallibilitatis frueretur prærogativa. Ita Nicolaus Cabasillas Archiepiscopus Thessalonicensis sæculo XIII. in tract. de Primatu Papæ, postquam dixisset Papæ Primatum schismatis non extitisse caussam, eam magis esse asserit, Latinorum doctrinam nempe, quod controversiæ circa fidem exortæ communi Synodi œcumenicæ sententia non finiantur, sed finiendæ sint judicio Pontificis, cui ceteri Episcopi per Orbem ad instar discipulorum dicto audire debeant: & quod Papa a dogmatum rectitudine aberrare nequeat. Quum autem sibi S. Agathonis epistolam VI. Synodo insertam objecisset, in qua dicitur, quod Apostolica Petri Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexerit, respondit, quod Agatho *de præterito loquutus est, futurum*

non incluſit : concluditque ſine Papa equidem canones condi nequire ; ſed inſimul contendit neque a ſolo Papa abſque ceteris Patriarchis eoſdem poſſe canones procudi.

Eamdem Græcanici ſchiſmatis cauſſam allegarunt Latinorum quotquot contra Græcos ſchiſmaticos calamum ſtrinxerunt, aut diſputatione in arenam deſcendentes manum cum Græcis conſeruerunt. Non pigeat hic ſummatim illos attingere. Primus omnium Æneas Pariſienſis Epiſcopus ſub ævum Photii, ideſt Eccleſiæ IX., tractatu adornato adverſus Græcos apud Dacherium tom. 7. ſpicilegii, in id totus incumbit, ut congeſtis undique ex SS. Patribus, & Summis Pontificibus teſtimoniis oſtendat tum in Romana Sede nunquam ullum hæreticum conſediſſe, quod in S. Petro id indeficientiæ privilegii Romanis Pontificibus Chriſtus D. promiſerit dicens : *Tu es Petrus* &c. *Igitur*, inquit, *cui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat ? Quem quum Petram dicit, firmamentum Eccleſiæ indicavit* : tum Romanos Pontifices auctoritate præditos eſse de univerſa Eccleſia judicandi, nec cuiquam facultatem eſse judicandi de illis, eorumque judicia in examen vocandi : tum imo ab omni judicio ad illos poſse appellari ; ab illorum vero judicio appellare nulli fas eſse. Ratramnus Monachus Corbejenſis ejuſdem ſæculi ſcriptor in opere adverſus Græcos adornato, & Carolo Calvo inſcripto apud Dacherium tom. 2. ſpicilegii, totus enititur, ut evincat præaſserta Romani Pontificis privilegia : poſtquam enim dixiſſet privilegia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ab Imperatoribus illa conferentibus robur obtinere non poſse, ſed illa a Romano Pontifice approbari debere, *Ex antiquis monumentis*, ſubdit, *cernimus omnino Romani Pontificis auctoritatem ſuper cunctas Eccleſias Chriſti præeminere, ut omnes Epiſcopi illum habeant Caput, & ad ejus judicium pendeat quidquid in Eccleſiaſticis negotiis diſponitur, ut ex ejus arbitrio vel maneat conſtitutum, vel corrigatur erratum, vel ſanciatur quodcumque fuerit innovandum : & revera omnes Orientales Eccleſiæ ſimul, & Occidentales Romanæ Civitatis Præſulem ſemper quaſi Caput Epiſcoporum veneratæ ſunt, & ad ejus ſententiam reſpexerunt, & de rebus dubiis quæcumque decrevit, ejus judicium ſuſtinuerunt, illiuſque decreto paruerunt.*

Quæ

Quæcumque Concilia ejus ſententia roborata ſunt, rata manſerunt; quæ vero damnavit, pro nihilo reputata fuerunt, nec auctoritatem ullam habere potuerunt.

Humbertus Cardinalis Silvæ Candidæ S. Leonis IX. Apocriſarius ad Michaelem Cerularium, a quo ſæculo XI. Photii jam extinctum ſchiſma e tumulo iterum excitatum eſt, diſputatione habita cum Niceta Pectorato Monacho coram Imperatore Conſtantino Monomacho, eò tandem illum adegit, ut in cunctos anathema diceret, qui Romanam Eccleſiam primam Eccleſiarum omnium eſſe negarent, quique illius fidei vel levem afflare labem audacter præſumerent. Fridericus quoque Legatus alter, ac Rom. Eccleſiæ Diaconus, & Cancellarius cum eodem Niceta diſceptatione inita ejusdem objectiones dilucide adeo diluit, ut pariter magna pars fuerit, cur ille cum erroribus abdicto ſchiſmate ad æquam de Romana Eccleſia ſententiam regrederetur. Poſt hæc Nicetas in eorum communionem receptus, eiſdem pariter amicitia conjunctus evaſit. Extat diſputatio iſta tom. 18. bibl. SS.PP. edit. Lugdun. S. Petrus Damiani opuſc. 38. ad Orientis Patriarcham de proceſſione Spiritus Sancti ſcribens ejuſdem conſilium commendat, & laudibus celebrat, quod quæſtionis ſolutionem ad Romanum Pontificem detulerit, tanquam ad Eccleſiæ univerſæ a Chriſto Domino conſtitutum Magiſtrum, & Doctorem. Locum integrum ſeq. articulo de Latinæ Eccleſiæ Patribus exhibebimus. S. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis ſub XI. ſæculi exitum in tract. de proceſſione Spiritus Sancti contra Græcos, quibus cum Urbani II. juſſu in Concilio Barenſi diſputarat, palmamque facile retulerat, teſte Edinero in ejus vita lib. 2, quum inter alias hanc objectionem propoſuiſſet, cur particula *Filioque* Symbolo adjecta fuiſſet, quin prius de additione facienda conſilium a Græcis caperetur, ut eadem communi Eccleſiarum conſenſione fieret, reſpondit: *Quia & erat nimis difficile eorum Epiſcopos hac de re colligere, nec erat neceſſe; unde non dubitant hoc in quæſtionem adducere.* Quæ S. Anſelmi reſponſio ſupponit profecto agnitam in Eccleſia Latina quamdam auctoritatem Concilio generali ſuperiorem, eamque infallibilem; nam Græci ei additioni non aliud opponebant, niſi quod a Conciliis generalibus Symbolo quidquam addi

pro-

prohibitum fuiſſet. Alium S. Anſelmi inſignem locum articulo ſeq. dabimus.

Hugo Etherianus lib. 3. cap. 16. tractatus ſæculo XII. Conſtantinopoli editi adverſus Græcos, poſtquam dixiſſet licuiſſe Synodo Conſtantinopolitanæ aliquid addere Symbolo Nicæno, & licuiſſe Synodo Chalcedonenſi Symbolo Conſtantinopolitano addere aliquid, id perinde Romano Pontifici licuiſſe concludit: *Licuit enim*, inquit, *ei, ſemperque licebit Fratres confirmare, decreta edere, tudere interpretationes, ſicubi aliquid obſcure ſcriptum ſit*. Anſelmus Avelburgenſis eodem ſæculo XII. ab Imperatore Lothario Conſtantinopolim vices obitum ſuas miſſus cum Nechite Nicomedienſi, a quo Primatum Pontificis nunquam in dubitationem adductum paullo ſuperius adnotavimus, diſputatione inſtituta, quam exhibet Dacherius tom. 13. ſpicilegii, duas dumtaxat Primatui adnexas prærogativas propugnandas ſibi ſumpſit: atque poſtquam de Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, qui ob præclara S. Petri merita prærogativas quaſdam promeruerant, diſſeruiſſet: *Ad hoc*, ſubdit, *Sancta Romana Eccleſia præ ceteris a Domino præelecta ſpeciali privilegio ab ipſo donata eſt, & quaſi quadam prærogativa omnibus Eccleſiis præeminet, & jure divino antecellit. Aliis namque diverſis temporibus variis hæreſibus occupatis, & in fide Catholica nutantibus, illa ſupra petram fundata, & ſolidata ſemper manſit inconcuſſa, nullis falſis, & ſophiſticis hæreticorum argumentis a ſimplicitate fidei ... avelli potuit ... unde & Dominus ... dixit Petro*: Ego rogavi pro te &c., *ac ſi aperte ei dicat*: *Tu qui hanc gratiam accepiſti, ut aliis in fide naufragantibus, ſemper in fide immobilis, & conſtans permaneas, alios vacillantes confirma, & corrige; & tanquam omnium Proviſor, & Doctor, & Pater, & Magiſter omnium curam, & ſollicitudinem gere. Merito ita privilegium prælationis ſuper omnes accepit, qui in conſervanda integritate fidei præ omnibus privilegium a Domino ſuſceperat*. Poſtremo ad Nechitem converſo ſermone: *Ecce vides*, pergit, *quaslibet hæreſes hic, & ubique exortas a Petra fidei per Petrum Apoſtolum colliſas, & deſtructas; itaque non ſolum ex prædictis, verum etiam ex aliis multis Conciliis per Orientem celebratis; nec non etiam ex plurimis Africanorum*

rum Conciliis, in quibus variæ hæreſes damnatæ ſunt, conſtat Romanam Eccleſiam duo privilegia divinitus habere, videlicet præ omnibus incorruptam puritatem fidei; & ſuper omnes poteſtatem judicandi. Hæc ille, cujus præclara alia loca infra proferentur. Plane de his duobus privilegiis, non etiam de Primatu, contentionem ab illis initam conſtat luce clarius ex reſponſione ejuſdem Nechitis: *Quæ ſi ita ſint*, inquit, *quid igitur nobis ſcripturarum ſcientia? Quid nobis litterarum ſtudia?... Sola Romani Pontificis auctoritas, quæ, ſicut tu dicis, ſuper omnes eſt, univerſa hæc evacuat: ſolus ipſe ſit Epiſcopus, ſolus Magiſter, ſolus Præceptor, ſolus de omnibus ſibi ſoli commiſſis, ſoli Deo ſicut ſolus bonus Paſtor reſpondeat* &c. Ecce iſta erant inconvenientia, quæ ille adverſus illa duo adjudicata Pontifici privilegia opponebat: quæ quam elumbia, & inania ſint nemo non videt: ita enim in Republica laica, ubi Rex imperat, nec legum opus eſſe, nec judices ſuppedaneos oportere, verbo, non alium præter Regem operam dare neceſſe eſſe, atque adminiſtrandæ Reipublicæ admovere manum alteram, liceret inferre. Convictus tamen, ac tandem confeſsus Nechites eſt omnia ea, quæ de privilegiis Romani Pontificis Anſelmus diſputaverat, vera omnino eſse, atque eorum apud Græcos extare certiſſima monumenta: cujus locum art. ſeq. §. 2. integrum exhibebimus.

Jacobus de Vitriaco rerum Orientalium callentiſſimus, ut qui Apoſtolica legatione in Palæſtina perfunctus fuerat, hiſt. Orient. cap. 75. perhibet Græcos præſertim Romani Pontificis ſupremam poteſtatem, & infallibilitatem inficias iviſse. Ejus locum integrum dabimus art. ſeq. §. 2. S. Thomas Græcorum errores refellens opuſc. de potentia q. 10. art. 4, ut Græcorum querelam de additione particulæ *Filioque* Symbolo facta refelleret, argumento utitur, quod Græcis probatum ſupponit: *Sicut*, inquit, *poſterior Synodus poteſtatem habet interpretandi Symbolum a priore Synodo conditum... ita etiam Romanus Pontifex hoc ſua auctoritate poteſt, cujus auctoritate ſola Synodus & congregari poteſt, a quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum a Synodo appellatur, quæ omnia patent ex Synodo Chalcedonenſi: nec eſt neceſſarium, quod ad ejus expoſitionem faciendam univerſale Concilium con-*

congregetur. S. Bonaventura adverſus Græcos de proceſſione Spiritus Sancti a Filio agens lib. 1. diſt. 11. q. 1. art. 1, Græcos hæreſis, & ſchiſmatis iccirco arguit, tum quod Romanæ Eccleſiæ definitioni obſiſterent, tum quod ab ejuſdem unitate, & obedientia deſciviſſent. De Doctorum Angelici, & Seraphici hac in re ſententia paullo poſt diſtincte agemus. Itaque liquet de Primatu Romani Pontificis non dubitatum a Græcis: non crimini id illis datum a Latinis; ſed nec facile fuiſſet, niſi oculis cæcutire in ſole, in actis ſcilicet Conciliorum, ſponte mallent: id unum a Græcis poſt ſchiſma dubitationi ſuppoſitum; id unum a Latinis a diſcrimine vindicatum: Romanum ſcilicet Pontificem auctoritate Conciliis antecellere; & a fide indeficientem fore. Id totum vero ex Primatu a Græcis conceſſo Latini neceſsaria conſecutione inferebant, Græci autem ſibi haud conſtantes, cohærenteſque inficiabantur.

Jam vero poſtremo loco, paucioribuſque quoad fieri poterit, (ſiquidem ex prædictis hoc ipſum confici poſſit,) inquirere præſtat in cauſſam, ob quam Græci ab obedientia Romani Pontificis toties, adeoque temere reſilierint, ac tum tandem obfirmato animo in ſchiſmate obſurdeſcant. Græci ſchiſmatici equidem, ac paſſim in ſchiſmatis cauſſam Latinos vocant, ob tyrannidem in Græcos exercitam: certo certius eſt tamen unam, totamque ſchiſmatis cauſſam in Græcorum ſuperbiam fore reſundendam, uti Latini noſtri affirmant, Græcorumque ipſorum ſapientiores fatentur. Michaelem Cerularium ſchiſmatis incentorem ſuperbia inſignem notavit vel ſchiſmaticus Zonaras lib. 18. Annal.; conflati vero ab ipſo ſchiſmatis in cauſſa fuiſſe ipſius ſuperbiam, qua Pontifici Romano faſces ſubmittere detrectaret non modo, ſed imo in Patriarchas Orientis ceteros poteſtatem amplificare ſuam affectaret, auctor eſt locuples, liquiduſque Græcus Anonymus in fragmento, quod Iſmael Bullialdus ex Ms. Bibliot. Regiæ græcolatine edidit in obſervat. ad cap. 31. hiſtoriæ Ducæ. Manuel Imperator ineundi cum Latina Eccleſia fœderis Alexandro III. Pontifici M. ſpem magnam fecerat: at eum a ſancto propoſito ſpecie pietatis, revera tamen ſuperbiæ æſtu, quo Primatum ambiebat, deterruit Michael cognomento Anchialinus, uti

lege-

legere eſt apud Leonem Allatium de Conſenſ. lib. 2. cap. 12: cujus quidem Patriarchæ exaſperati in Latinos ingenii teſtis pariter accedit Fridericus I. Imperator in epiſt. anno 1178. ad Henricum filium ex Oriente exarata apud Martenium tom. 1. collect. veter. monum. Ex quibus liquet mendacio putidiſſimo Macarium Ancyranum apud laudatum Allatium cap. 18. abrupti ſub Manuele fœderis cauſſam illam prætexiſſe, quod Latini Græcos ad omne ſuæ voluntatis arbitrium, & conſuetudines, quæ uſu ſibi veniſſent, trahere vellent; ſiquidem de his nullum uſpiam Græcis faceſſitum negotium fuerat. Quare Oudinum pudeat comment. de Scriptor. Eccleſ. tom. 1. Michaelis Anchialini patrocinium accepiſſe, nempe ut occaſionem arriperet omnem in Romanam Eccleſiam calumniis inceſſendi.

Quod ſub Alexandro III. ineundæ unioni impedimentum appoſuit Patriarchæ ſuperbia, illud ipſum ſub Innocentio III. Imperatoris intulit ambitio. Johannem cognomento Camaterum animum ad faciendam unionem prætuliſſe haud alienum ſuo palam fecimus loco, affirmatque Anonymus Latinus coævus tum Conſtantinopoli degens apud Martenium in theſauro anecdot. tom. 1. col. 788. Iſaacius tamen Imperator præ faſtu impotens Pontifici faſces ſubmittere, fœdereque jungi detrectavit: quin Pontifici ipſi ſcribens Imperium Sacerdotio præpollere impudentiſſime affirmavit, uti regeritur in actis Innocentii III. ab auctore ſynchrono adornatis, atque a Baluzio editis, ubi extat legendum efficax Innocentii reſponſum ad haſce Imperatoris ſuperbiæ, inſolentiæque refertas litteras. Germanus hujus nominis II. Conſtantinopolit. Patriarcha unioni propenſum animum præferre Gregorio IX. viſus fuerat. Verum ſuperbum ingenium, quo ab obedientia Pontificis abhorrebat, hoc dolo unioni declinandæ objecto obtexit, duabus acerbiſſimis litteris, quas edidit Cotellerius tom. 2. monum. Eccleſ. Græcæ ex Ms. Codice Bibl. Regis Galliar., in querelas contra Latinos effuſus, quod ob diverſos ritus Græcis vim feciſſent, Cyprioſque tyrannice vexaſſent. Quam quidem calumniam egregie depexuit Anonymus auctor in tract adverſ. Græcor. errores in ædibus PP. Ord. Præd. Conſtantinopoli circa an. 1252. exornato, inſertoque in ſupplem. ad Colonienſem VV.

PP. Bibl. tom. 15; quo hæ, harumque geminæ Græcorum calumniæ diluuntur, quo deque adeundus Echardus tom. 1. ſcript. Ord. Præd. Eamdem poſtea calumniam a Græculo quoppiam recuſam diſpulit, ac diſpunxit Leo Allatius de conſenſ. lib. 2. cap. 13. Matthæus Pariſius pro ſuo Romanæ Curiæ infenſo ingenio præcitatas Germani litteras calumniis adauxit; ſive potius, uti putant veriſimilius Raynaldus, & Wandingus ad annum 1232, ille n. 49. iſte n. 35, in Pariſii opus haſce in Eccleſiam Romanam calumnias editor Londinenſis intruſit. Intruſas ex pari odio in Romanos Pontifices inficiatur præfracte Oudinus: ſed nugaciſſimi hominis gerras non moror; quippe Wadingus, quæ apud Pariſium leguntur calumniæ, eas non legi in litteris Germani, quas exhibet codex Vaticanus, oſtendit: nec etiam leguntur in Germani litteris, quas Harduinus tom. 7. Concil. ſive latine pag. 149, ſive græce deſcriptas ex Codice bibl. Regis Galliar. 2503, ſibique a Doctiſs. Lequiennio datas pag. 1961. edidit. Quinimo, ut ſuo adnotatum eſt loco, in iiſdem magnæ, quam de Pontificis divinis prærogativis gerebat, opinionis illuſtre ſpecimen elucet. Denique Germani ſuperbiæ deputat Pariſius ad annum 1237, quod infectum fœdus fuerit; Germanumque propterea laudibus celebrant Nicephorus uterque eadem ſchiſmatis pece afflati homines Calliſtus, & Gregoras.

Quum ſub Clemente VIII. reducendi ad Eccleſiæ Romanæ unitatem Eccleſias ritus Græci in Polonia, & Ruſſia ſpes affulgeret non modica, ſuperbia ſua, qua inflatus Romanæ Eccleſiæ infenſiſſimus evaſerat, Meletius Alexandrinus Patriarcha cognomento Pegas, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ tum temporis adminiſtrator (juxta morem tum Græcis receptum, quod Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ob Patriarchæ obitum, vel exilium adminiſtrandæ Patriarcha Alexandrinus accederet), ut initus de unione tractatus ſucceſſu careret, effecit. Quam ob rem laudibus exornatus Meletius eſt a Lutheranis, & Calviniſtis, ac præſertim a Georgio Douſa Batavo in ſuo itinere Conſtatinopolit. græce, & latine ejuſdem vita edita; atque ab Henrico Hilario in notis ad Chronic. Eccleſ. Græcæ pag. 433. Adeundi de Meletio Allatius de conſenſ. lib. 3. cap. 7, & Bandurus tom. 2. Imp. Orient. pag. 1004, ubi

Pro-

Proteſtantium commenta expungunt; ſed & Meletium a Calviniſmi nota, quam ei appingunt Claudius Carentonius, Hottingerus, aliique, vindicant, vindicatumque aſſerunt a Meletio Syrigo, Doſitheo Patriarcha Hieroſol, Synodo Hieroſol. an. 1672, aliiſque. Qui vero Græcorum Epiſcopi communione demum Romanæ Eccleſiæ conſociati ſunt, quibus, putas, probris a ceteris ſchiſmaticis Pontifici ſubjugari neſcientibus, excepti ſunt? Qui perinde conviciandi ſtimuli ſchiſmaticis iſtis adjecti non ſunt, aut quibus ob convicia laudibus exornati ab Achatolicis Latinis? Græcos, in hiſque Joſephum Patriarcham, qui in Concilio Florentino unionis fœderi ſubſcripſerunt, dictis diriſque proſcidit Silveſter Syropulus in hiſt. Concilii Flor., Syropulum vero laudibus cohoneſtavit Creygthonus: ſed illum vindicavit auctor Latinus apud Horatium Juſtinian. in act. Florent. Concilii; hi vero dignis vapulant ab Allatio, & Labbeo. Græcos illos, qui in Florentino Concilio Romanæ Eccleſiæ reconciliati ſunt, a Latinis muneribus corruptos unioni quidem conſenſiſſe, at Conſtantinopolim reduces unioni renunciaſſe mentiuntur paſſim Græci ſchiſmatici, & Latini heterodoxi. Quorum tamen figmenta ex adnotatis §. iſto 2. facile refelluntur, data vero opera refutarunt Johannes Pluſiadenus in diſcept. pro Concilo Florent. apud Allatium tom. 1. Græciæ orthodoxæ; Georgius Trapezuntius ibidem; Gregorius cognomento Melliſenus, ſive Mammas antea Proto-Syncellus, ac dein Patriarcha Conſtantinopolit. in reſponſ. ad Marcum Epheſinum; Joſephus Methonenſis in apologia pro Concilio Florent. cap. 5. ſect. 16., (quod opus Gennadio, ſive Georgio Scholario tribui ſolet, de quo multi multa diſputant. Duos homonymos exiſtimant Matthæus Caryophilus in obſerv. prævia ad Orat. Scholarii apud Labbeum tom. 13, & Leo Allatius de conſenſ. lib. 3. cap. 1. Unum dumtaxat, eumque Schiſmaticum contendit Fridericus Spanhemius, eique ſuppoſita fuiſſe opuſcula pro Eccleſia Latina. Unum etiam cenſuit Renaudotius in diſſert. ad Gennadii homil., qui quidem prius unioni in Concilio Florentino faverit, poſtea tamen ad ſchiſma delapſus ſit: cui opinioni ceu veriſimiliori adhæſit deinde Cuperus hiſt. chronolog. in Gennadio n. 131, ubi diſputat de auctore præfati opuſculi); Ducas

in hiſt. Byzant. cap. 36; Leo Creuſa Wilnenſis in defenſ. Eccleſ. union., ubi inter eos, qui unioni dein adhæſerunt, recenſet Dionyſium, & Niphonem ambos Conſtantinopolit. Patriarchas, de quibus adeundus etiam Spondanus ad annum 1482. n. 9; quamquam de Dionyſii orthodoxia dubitant alii; Leo Allatius de conſenſ. Eccleſ. Orient., & Occid. lib. 3. capp. 1, & ſeqq; ubi cap. 7. refert eidem unioni adhæſiſſe Raphaelem II Patriarcham Conſtantinop. anno 1605, nec non Nicephorum Meliſſenum Neapolitanum Epiſcopum, Ignatium Mindonium Chium &c. Sed de his hactenus. Deus O. M. univerſis & Græcis, & Latinis Oſoribus de Romano Pontifice heu meliora inſpiret!

Ex Traditione SS. Patrum Eccleſiæ Occidentalis.

ARTICULUS VIII.

De vera S. Cypriani ſententia circa privilegia Romani Pontificis.

PROLEGOMENON.

COgitanti mihi, diuque mærenti animo obverſanti, unde factum fuiſſet, (ſupremi Numinis alioquin advigilante providentia, ne detrimentum aliquod in fide Romana patiatur Eccleſia, eidemque ſiniſtrum aliquid in doctrina accidat), ut Sanctorum vetuſtiorum ejus Patrum uſque ad III. ſæculum, & ſummorum veterum ejus Pontificum uſque ad S. Siricium, quæ litterarum monumentis tradita fuerant dogmata, e quibus conſtantiſſime eadem Romana Eccleſia Latinæ communicandum non modicum emolumentum recepiſſet, qua temporum invidia, qua Tyrannorum injuria, qua hæreticorum malitia, & qua orthodoxorum negligentia, vel fraude intercepta interciderint, vel flammis exuſta deperierint, vel lenta tabe conſumpta interierint, ut proinde vix ac ne vix quidem ex tot operibus pauca admodum fragmenta reliqua nobis fuerint, ceteris fruſtra magno rei noſtræ damno deſideratis, dolendæ vices noſtræ videbantur. Niſi ſubito erectæ oculorum

lorum aciei Sancti Petri Sede occurrente, meam etiam mentem ea ſtatim cogitatio ſubiit: Illa in ſede continua ſucceſſione incorrupta a Chriſto inſtituta Religio manet: Illa ab Sede non interrupta ſerie, quæ ab Apoſtolis dogmata accepit, ſarta, & tecta ſervantur, ac traduntur, quin caſui ullo ſubjaceant, fatumque ut ſubeant, quum imo procul abſit periculum. Non ergo neceſſe erat, ut ſcriptis conſignarentur; nec ergo dolendum eſt, quod ſcriptis conſignata perierint. Quamquam & quæ ſcripturæ mandata ſuperſunt, & quæ ſcriptis mandarunt, qui priſcos illos perenni ſucceſſione poſtivere Patres, & Pontifices, ſat ſuperque ſunt, ut quid qui anteiverunt, quæque perceperunt ab Apoſtolis, crediderint, & docuerint, cognoſcamus, & diſcamus. De Pontificibus alias: de Patribus actutum; atque in anteceſſum de S. Cypriani genuina ſententia de Romani Pontificis Privilegiis.

Celeberrima eſt S. Cypriani, ac prope dubioque procul maximi facienda auctoritas. Quapropter quid de Sede Apoſtolica ſenſerit, ſeu acceperit a deceſſoribus, accurate eſt diſpiciendum. Siquidem paullo longior erit ſermo, in cauſſa rei gravitas eſt. Itaque cujuſmodi eſſet Romani Pontificis fides, & poteſtas didicerat plane S. Doctor a Clero Romano, cum quo ei erat commercium litterarum, qui in epiſt. inter Cyprianicas 3. ad Clerum Carthag. de receſſu S. Cypriani, *Eccleſia iſta* (ſcilicet Romana ſcripſerat) *fortis in fide*; & in epiſt. 31. inter Cyprian. ad ipſum Cyprianum, *Antiqua*, ſubjunxerat, *apud nos fides, quoniam nec tantas de nobis laudes Apoſtolus protuliſſet dicendo*, Quia fides veſtra prædicatur in toto Mundo, *niſi jam exinde vigor iſte radices fidei de temporibus illis mutuatus fuiſſet*. Sed quorſum S. Cypriani ſententia a Clero Romano emendicatur? Exploratiſſima eſt cum in epiſtola 40. ad plebem; quippe in ea ſic ait: *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata*: quibus docet plane Eccleſiæ Chriſti veram notam eſſe Apoſtolicam Sedem: tum in epiſt. 44. qua in eos invectus, qui S. Cornelio legitimo Pontifice abnegato in Novatiani partes conceſſerant, ea ratione redarguit, quod ſchiſma contra S. Cornelium centri, & capitis loco a Chriſto conſtitutum conflando, rem feciſſent *Contra Eccleſiaſticam diſpoſitionem, contra Evangelicam legem, contra Inſtitutionis catholicæ unitatem.*

Ma-

Magis, magisque suam de necessitate communicandi cum Romano Pontifice sententiam exprimit, cunctos, qui in Ecclesiæ Catholicæ unitate manere vellent, de tenenda Romanæ Ecclesiæ communione commonefaciens in epistola 45. ad S. Cornelium, ubi enucleate sic scribit: *Nos singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes scimus nos hortatos eos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ radicem, & matricem agnoscerent, ac tenerent.* Cujusmodi nomine Romanam Ecclesiam insigniens, jam tum eamdem omnium Ecclesiarum Matrem, ac Magistram probe intelligebat. Etiam in epistola 52. ad Antonianum de S. Cornelio, & Novatiano agens, qui cum Cornelio, eum cum Ecclesia communicare affirmat; & locum Fabiani, cui suffectus fuerat Cornelius, locum Petri, ejusque cathedram appellat. *Factus est Cornelius Episcopus Dei, & Christi ejus judicio... Quum nemo ante se factus esset, quum Fabiani locus, idest quum locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis jam Episcopus fieri voluit, foris fiat necesse est... Deinde quanta in ipso suscepto Episcopatu suo virtus? Quantum robur animi? Qualis firmitas fidei?* Explicatiora sunt adhuc, quæ habet in epist. 55. ad S. Cornelium contra Hæreticos, seu Felicissimum, & Fortunatum: in ea nemque auctoreſt, a Romani Pontificis contemptu schismata, & hæreses initia sumere, & incrementa auspicari: ad ipsum tamen hæreticis quoque familiare esse confugere, vel ut fucum facere tentent, vel ut in judicio de fide experiantur: ejusdem Romani Pontificis cathedram eamdem esse, ac Petri, Ecclesiam principalem, a qua unitas Sacerdotalis exorta, ad quamve perfidia accedere nullo potest modo. En ejus expressa verba: *Post ista adhuc insuper pseudo Episcopo sibi ab hæreticis constituto navigare audent* (Felicissimus, & Fortunatus), *& ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, a schismaticis, & profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Quibus quid, quæso, illustrius, & luculentius adferri potest ad affirmandum Romanum Pontificem, ex S. Cypriani sententia, suprema pollere potestate, atque in fide errare non posse? Adisis

Pa-

Pamelium in notis ad hunc locum. Legatur & ipſius epiſt. 57. ad eumdem S. Cornelium, qua ejus fidem præclaris laudibus celebrat. Confer & quæ in epiſt. 55. paullo ſupra dixerat, ſcilicet non aliunde obortas hæreſes, aut enata ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, *Nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur.*

Explorata etiam, atque etiam ſit, quam S. Cyprianus animo ferret, ſententia de Apoſtolica Sede ex epiſt. 67. ad S. Stephanum, qua ipſum interpellat, quatenus in Marcianum Arelatenſem Epiſcopum Novatiani partibus addictum ſevere animadverteret. Scilicet a Fauſtino Lugdunenſi Antiſtite una, atque a ceteris Epiſcopis Provinciæ adverſus Marcianum jam incitatus Stephanus in excommunicandis, exauctorandiſque Epiſcopis non feſtinandum, ſed maturandum exiſtimabat; a Cypriano ergo, a Gallis Præſulibus exſtimulato, & ſtimuli additi Stephano ſunt; ut in Provinciam, ita ſcripſit, & ad plebem Arelate conſiſtentem litteras dirigeret pleniſſimas, quibus abſtento Marciano alium in locum ejus ſubſtitueret. *Servandus eſt enim*, ſubdidit, *Anteceſſorum noſtrorum Beatorum Martyrum Cornelii, & Lucii honor glorioſus, quorum memoriam quum nos honoremus, multo magis Tu honorificare, & ſervare gravitate, & auctoritate tua debes, qui Vicarius, & ſucceſſor eorum factus es. Illi enim pleni ſpiritu Dei . . . dandam eſſe lapſis pacem cenſuerunt.* Et in fine. *Significa*, inquit, *nobis quis in locum Martiani Arelate fuerit ſubſtitutus, ut ſciamus ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus.* Sane ſede motus a Stephano Marcianus nullibi, ut ſciam, legitur; attamen id eſſe indicio poteſt, quod nomen ejus in antiquis Arelatenſis Eccleſiæ diptychis a Mabillonio tom. 3. analect. editis non legatur. In confeſſo ergo erat S. Cypriano Romanum Pontificem ſuprema in Epiſcopos omnes poteſtate pollere. Scio hancce S. Cypriani contra Marcianum epiſtolam pſeudo epigraphis adcenſeri a Gerbaſio in diſſert. *de cauſſis majoribus* cap. 8; Launojo diſſer. de duobus Dionyſiis; Johanne Fello in edit. oper. S. Cypriani, & Oudino tom. 1. de ſcript. Eccl. Genuinam tamen dubio procul demonſtrant doctiſſ. Monachi Benedict. in notis ad eamdem epiſtolam; Queſnellus etiam in diſſert. apologet. pro S. Hilario Arelat. par. 1. cap. 14;

Pear-

Pearſonius imo in not. ad epiſt. 58. S. Cypriani edit. Bremenſis. Eamdem etiam poteſtatem agnovit in cauſſa Baſilidis Legionis, & Aſturiæ Epiſcopi: ei etenim plurium criminum perſonam gerenti, atque propterea loco pulſo ſuffectus Sabinus fuerat; ſed ille a S. Stephano, apud quem ſe Romam conferens appellaverat, ſuæ reſtitui obtinuerat ſedi. S. Cyprianus igitur in epiſt. 68. ad Clerum, & plebem Hiſpaniæ S. Stephanum quidem a Baſilide deceptum fuiſſe, circumventumque dixit, & cenſuit, attamen in dubitationem non adduxit id potuiſſe Pontificem. Quamquam potius ipſum deceptum dixerim: ut qui omnem fidem hoc in negotio adhibuit Epiſcopis illis, ſcilicet Sabino, & Felici, qui depoſitis Baſilidi, & Martiali ſubſtituti fuerant, quibuſque S. Cypriano imponere pronum erat. Sed etſi reus detur Baſilides, ex alia cauſſa ejuſdem depoſitio in irritum mitti debuit, quia nempe inconſulta Apoſtolica Sede, ad quam iſtiuſmodi cauſſas referendas probe agnovit idem S. Cyprianus cit. epiſt. 55. ad S. Cornelium, & 67. ad S. Stephanum, gradu ſuo fuiſſet dejectus. Adeundus doctiſs. Cardinalis de Aguirre tom. 1. Concil. Hiſpan. diſſert. 7, & 14.

Eidem iterum Romani Pontificis ſupremæ poteſtati teſtimonium præbuit S. Cyprianus, dum in epiſt. Synodica 72. ſua, & ex ſententia Concilii Carthaginenſis ad eumdem S. Stephanum exarata, rerum in Concilio geſtarum, ac maxime de baptiſmo hæreticorum iterando decreti certiorem fecit, ejuſdem placitum, calculumque exquirens, & efflagitans: *Nam id ad Sacerdotalem dignitatem*, ſubjunxit, *& ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem pertinebat* (ut de hoc negotio Sedi Apoſtolicæ ſcriberetur, ideoque) *de eo Stephano maxime ſcribendum eſſe, & cum ipſo conferendum*. Porro quid reſcripſerit S. Stephanus paullo poſt referemus. Præterea in epiſtola 76. ad Magnum diſertis verbis ſtatuit veræ Eccleſiæ notam eſſe legitimam ſucceſſionem Romanorum Pontificum, utpote quum dicat apud S. Cornelium fuiſſe Eccleſiam, quia legitima ordinatione Fabiano ſucceſſit. Atque hinc eſt, ut advertit eo loci Pamelius, quod alii pariter veteres illam eſſe Eccleſiam Catholicam crederent, cui Romanus Pontifex præſideret. Sic teſte S. Ambroſio in orat. funeb. Satyrus ejus Frater percontabatur ab Epiſcopo quodam, utrum nam cum Romana Eccleſia conveniret.

ret. Sic S.Hieronymus in epiſt.57. ad S.Damaſum, fontem ſignatum, & hortum Eccleſiæ concluſum in Cathedra S.Petri eſse docebat: *Si quis*, inquiens, *Cathedræ Petri jungitur meus eſt*. Sic S. Auguſtinus contra epiſtolam fundam. cap. 4. *Tenet me*, ajebat, *in Eccleſia ab ipſa Sede Apoſtoli Petri ad præſentem Epiſcopatum Sacerdotum ſucceſſio*. Sic, ut verbo dicam, Origenes lib.1. de princip.; S. Irenæus lib.3. adverſ. hæreſ. cap. 3; Tertullianus lib.de præſcript.;& S.Optatus lib.2. contra Parmen. hæreticos extra Eccleſiam eſse comprobabant, eo quod in Eccleſia non eſsent, cui continua ſucceſſione præerant Romani Pontifices. Poſtremo S. Cyprianus lib. de unit. Eccleſiæ latiſſime, & apertiſſime Romani Pontificis in S. Petro privilegia commendat, & laudibus celebrat, luculenterque commemorat exinde exoriri hæreſes, & ſchiſmata conflari, quod Romano Pontifici haud obtemperetur: *Hoc eo fit*, inquit, *dum ad veritatis originem non reditur, nec Caput quæritur, nec Magiſtri cæleſtis doctrina ſervatur. Quæ ſi quis conſideret, & examinet, tractatu longo, atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum*: Tu es Petrus &c. *Super unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas ... Ut unitatem manifeſtaret unam Cathedram conſtituit .... Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur .... Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſse confidit?* Sed ſatis, abundeque actum de hoc argumento in proleg. de S. Petri Primatu. Confer in hunc locum Pamelium, ubi cujuſmodi ſint variantes codicum lectiones, quæque quibus anteferendæ, appoſite animadvertit.

Reponunt, qui in caſtra ſua temere S.Cyprianum trahere conantur, in Romanam Eccleſiam rebelles Heterodoxi. Primo loca ex S.Cypriano in lib. de unit. Eccleſiæ laudata non eſse S. Cypriano tribuenda; deſiderari ea in aliis Mſs. Codicibus; inepta eſse itaque ad ſuadendas ex S. Cypriani ſententia Romanæ Eccleſiæ divinitus collatas dotes: jure ac merito igitur ea loca in editionibus Oxonienſi, & Bremenſi ab operibus S. Doctoris expuncta. Ita

Rigaltius in not. ad hunc locum verba illa de Primatu Petro dato contextui aſsuta dicit: Fellus vero eumdem de Primatu locum in multis ſive Mſs., ſive editis codicibus deeſse, nec eo in libro lectum a Spirenſi, Remboldo, Eraſmo, Griphyo, Gravio, aliiſque editoribus ante Manutium, & Pamelium. Secundo loca in S. Cypriano ſuppetere, quibus inter omnes Epiſcopos honoris, & poteſtatis æqualitas S. Cypriani ſententia ſtatuitur; cujuſmodi in epiſt. 52. ad Antonian., ubi ſcribit: *Epiſcopatus unus eſt Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus*: in epiſt. 72, ubi cum S. Stephano de Baptiſmo hæreticorum diſputans ait: *Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, quando habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum unuſquiſque Præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus*: & in lib. de unit., ubi hæc habet: *Epiſcopatus unus eſt, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur*: & infra de Epiſcopis, & Eccleſia: *Paſtores eſſe omnes, & gregem unum*, ſubjicit, *qui ab Apoſtolicis omnibus unanimi conſenſione paſcatur*. Ita Binghamus orig., & antiq Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 5; Johannes Fellus in not. ad lib. de unit.; Salmaſius de Primatu Papæ cap 7; Deilingius par. 4. obſerv. ſacr. exercit. 6. Buddæus, Goulartius, & alii. Quinimo ex S. Cypriani ſententia in epiſt. 65, & 72. Epiſcopos nulla inſtitutione divina Presbyteris præeſse pugnant Blondellus, & Salmaſius, aliique ex Anglia Presbyteriani. Tertio eo loci lib. de unit. S. Cyprianum loqui non de Eccleſia Romana, & Catholica toto Orbe diffuſa, ſed de Eccleſiis particularibus, quæ Epiſcopo ſuo, in quo unitatis principium, quoad particularem quamlibet Eccleſiam pertinet, collocandum contenditur, adhæreſcunt, ita ut in unitate permaneant, etiamſi cum Eccleſia communione non ſint conjunctæ. Itaque S. Cypriano hunc appingunt errorem: juxta ipſum Epiſcopos, & quidem omnes, qui Sedem Epiſcopalem legitime adepti ſunt, S. Petri eſſe pariter in hoc munere ſucceſſores, ut in ſua quiſque Eccleſia unitatis eſſet principium, ejuſdemque Eccleſiæ fundamentum. Ita Henricus Dodwellus diſſert. Cyprianic. diſſ. 7, ad quem in hac ratione defendendi errorem facile Proteſtantium grex accedit, ut hac ratione a Pontifice peculiare hoc privilegium amoveant, cunctis Epiſcopis commune facientes: quodque mi-

mirari ſubit, in eumdem errorem imprudenter impegere etiam Bailletus, & Tillemontius, de quibus tom. 1. art. 6. in proleg. eſt dictum, ac par. 2. iterum dicetur.

Quam falſo tamen, tam impudenter iſta S. Cypriano a Proteſtantibus appingi perfacile Theologi noſtrates commonſtrant. Quod igitur ad primum attinet, laudata loca lib. de unitate e S. Cypriani editione ſive Oxonienſi, ſive Bremenſi inique a Proteſtantibus eis editionibus præfectis abraſa præſidentiſſime ajo. Manutium, & poſt ipſum Pamelium accuratiſſime ſuas S. Cypriani editiones ad caſtigatiſſimos codices exegiſſe, atque quidem poſtquam ille cum vetuſtiſſimo Vaticano, iſte vero cum Cambronenſi codice contuliſſet, certo certior res eſt. Præterea Manutii, & Pamelii editionibus conſentaneos eſſe codicem Mſs. Bibliothecæ Bavaricæ teſtatur Gretzerus lib. 2. de jure, & more prohib. librorum cap. 73 codicem item Mſs. venerandæ antiquitatis, qui fuit juris quondam Marcelli II. Pontificis Maximi; codices etiam alterum Vaticanum, & Bononienſem juris Canonicorum S. Salvatoris refert Panvinius in tract. de Primatu Petri: codicem iterum, quo uſus fuerit Pelagius II; a quo præfata de Primatu S. Petri verba veluti a S. Cypriano uſurpata in epiſt. 2. ad Epiſcopos Iſtriæ proferuntur; & Sanguerianum, quem ipſe conſuluit, & inſpexit, auctor eſt Baluzius in notatione 11. ad præmemoratum librum S. Cypriani: codices imo quatuor Mſs., ac vetuſtiſſimos ab ſe inſpectos Fellus ipſe fatetur. Quorſum igitur Manutianæ, & Pamelianæ ſuas Oxonienſem, & Bremenſem anteponendas Proteſtantes iſti obganniunt? Quamquam etſi præ Manutiana, & Pameliana, præfatis editionibus deferendum eſſet, adhuc tamen evinco, quod ex S. Cypriano abſolute contendo. Accipe locum, prout in editione Proteſtantium lib. de unit. extat. *Loquitur Dominus ad Petrum:* Ego dico tibi .... *& iterum eidem poſt reſurrectionem* .... Paſce oves meas. *Super unum ædificat Eccleſiam ſuam: & quamvis Apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat, & dicat,* Sicut miſit me Pater ... *tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur,*

ut Ecclesia una monstretur. Quis enim, quæso, est hic *Unus*, supèr quem ædificata Ecclesia est, & a quo Ecclesiæ unitas incipit, nisi Petrus? Quid vero, dic sodes, præfert necessitas ab unitate exordium capiendi, ut Ecclesia una sit, & una monstretur, nisi S. Petri Primatum; ideoque in sententia Cypriani, siquidem Ecclesia eadem in ævum sit mansura, necessaria consecutione uno Pontifici Romano pariter Ecclesiam superstructam, atque extra Ecclesiam esse, nec inter Christi membra connumerandum, qui uno Pontifici non copuletur, eique tanquam suo capiti membrum non cohæreat? Quæ quidem S. Cypriani expressa sententia confirmatur etiam, atque etiam ex epistolis, quas ex editione Pamelii præmemoravimus, quibusque eadem in editionibus Oxoniensi, & Bremensi plane correspondent. Quid quod eodem libro de unit. alia subtexit, quibus magis mentem aperit suam, aperteque interpretatio nostra conficitur? *Quomodo*, inquit, *Solis multi radii, sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum radice fundatum, & quum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine... sic Ecclesia Domini luce perfusa per Orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largitur, rivos latius expandit, unum tamen caput est, & virgo una, & una Mater fœcunditatis successibus copiosa.* Quæ quid aliud præferunt, quam ratione Pontificis habita, cui ceteri comparati Episcopi habentur uti radii ad solem, rivi ad fontem & rami ad radicem, Ecclesiam Romanam unam esse, a qua veluti supremo vertice in Ecclesia universa eminente in ceteras Ecclesias eidem unitatis vinculo conglutinatas virtus omnis emanat? Confer Baluzium in notat. ad hunc librum, nec non in notat. ad epist. 55; Natalem hist. Eccles. ad sæculum I. dissert. 4; Contantium in præfat. ad epist. Rom. Pontif. tom. 1; Blancum de polit., & potest. Eccles. tom. 3. lib. 1. cap. 3. §. 12, & seqq.; & Mamachium orig. & antiq. Christ. lib. 4. cap. 1. §. 3. n. 1. & seqq. in notis.

Ad 2. affirmo non absque ingenti calumnia, gravissimaque injuria ejusmodi errores S. Cypriano affari, a quibus abfuit quam ma-

maxime. Qui enim perpetuus eſt in agnoſcendo Romanam Eccleſiam *in fide fortem*; atque in ea *fidei radices* eſſe poſitas: ab ejuſdem Præſule de graviſſima lapſorum cauſa ſententiam exquirendam; propterea eadem in cauſſa Epiſcopis ſuperſedendum, donec Præſul datus a Deo fuiſſet, qui vacantem Petri locum impleret ex epiſt. 3, & 31. Cleri Romani: qui perpetuus eſt in adſtruendo *Unam Eccleſiam*, *Cathedram unam* Petro unitatis ratione ſuperſtructam: Petri Cathedram a Pontifice Romano perenni ſucceſſione occupari: unitatis cauſſa S. Cornelio juxta *Eccleſiaſticam diſpoſitionem*, *Evangelicam legem*, *& inſtitutionem Catholicam* omnes quotquot in Eccleſia degunt, communicare opportere in epiſt. 40, 44, 52, & 70: ea ratione Eccleſiam Romanam eſſe catholicæ Eccleſiæ *Radicem*, *& Matricem*: ab ea ſegreges in ſchiſmate manere; atque a Præſulis in ea ſedentis inobedientia, ejuſque unius in Eccleſia Chriſti vice judicis ſeceſſione hæreſes erumpi, & ſciſſuras exurgere in epiſt. 45, 55, & 57: qui Epiſcopos ad Romanum Pontificem de criminibus defert; atque Epiſcopos e gradu dejicere, vel dejectos gradui reſtituere Pontificis Romani prorſus eſſe perhibet in epiſt. 67, & 68: Eccleſiæ catholicæ notam eſſe Epiſcopi Romani jugem ſucceſſionem; eique etiam a Conciliis Epiſcoporum reddendam actorum rationem ait in epiſt. 72, & 76; quæque omnia in lib. de unit. proſequitur, & perſtringit. Qui poſtremo Epiſcopos in Eccleſia *præſidere* ait lib. de unitate; qui in Epiſcopis *communionis catholicæ centrum eſſe* poſitum, ab iisque, non ab aliis, communionis, paciſque litteras accipiendas; ac ſi opus ſit, pœnitentiæ impoſitas leges ſubeundas ſcribit epiſt. 27; qui Presbyteros nec Evangelii, nec loci ſui memores, nec ſibi præpoſitum Epiſcopum cogitantes quædam ſibi per nefas vindicare conqueritur epiſt. 16; qui divina inſtitutione omnem actum Eccleſiæ per Epiſcopos gubernari oportere affirmat epiſt. 27; idcirco per ſingulas Urbes ordinatos Epiſcopos, ac portionem gregis ſingulis paſtoribus adſcriptam perhibens epiſt. 52, & 55; ad hæc Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores eſſe, & divina lege in Eccleſia inſtitutos edocens epiſt. 42, & 69; putaſne vel Epiſcopos omnes æquales; vel ex æquo Presbyteris, atque Epiſcopis poteſtatem in Eccleſia ineſſe exiſtimavit? Sed de hoc plura adhuc

huc paullo infra. Quare quum S. Cyprianus Epiſcopo liberum eſse in propriam abire ſententiam ait, accipiendus eſt de ea quæſtione, quam adiaphoram, (etſi ex errore), arbitrabatur, exque illarum genere, in quibus fide, communione, & charitate illæſis diſputare in utramque partem licet, proculque abeſt periculum diſciplinam certa lege, vel conſuetudine ſtabilitam labefactandi: quemadmodum inter Epiſcopos conſortium honoris, & poteſtatis adſtruit, ita tamen, ut nullum præjudicium Pontificio Primatui adferat, qui cum æquali Epiſcopatus charactere peculiari juriſdictionis prærogativa fruitur. Sub hac acceptione Epiſcopatus *Unus* eſt toto Orbe diffuſus; quod omnibus Epiſcopis cum eodem honore idem onus incumbat, ut cum doctrinæ, tum communionis unitate cum Romano conjuncti, curent, ut integra, ubique gentium vigeat religio. Atque hac etiam ratione ab Epiſcopis ſingulis Epiſcopatus partem *in ſolidum* teneri ſubdit, quod ſingularem quiſque ſuum gregem regere teneatur, atque adlaborare ſingulus, ut commiſsus ſibi grex una ſecum in ſacrorum communionis conſortio Epiſcopo Romano conglutinetur. Confer Baronium ad annum 258. n. 8; Pamelium in notis ad epiſt. 67; Sanderum lib. 7. de viſib. Eccleſ. Monarch., & Baluzium in notationibus ad prælaudatam epiſtolam.

Jam ad 3. ſic occurro. Inſipientiſſime ſane S. Cyprianus juxta Dodvvellum egiſset, & ſcripſiſset, dum epiſt. 15, 23, & 29. Eccleſiæ Romanæ Clero rationem geſtorum ſuorum reddere, remque bene gerendi ab eodem Clero leges capere non detrectavit, laudibus propterea, & officio ab eodem Clero epiſt. 30. proſequutus, inſipientiſſime, inquam, egiſset, & ſcripſiſset, dum ſchiſmaticorum illorum quinque Presbyterorum temeritatem ſuggillans, qui a ſuamet ſententia ad Romanum Pontificem provocarant; *Audent*, inquit, *navigare ad Cathedram Petri, & Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt*: nempe Eccleſiam Romanam eo celeberrimo nomine efferens: & ipſe etenim S. Cyprianus, ut placet Dodvvello, S. Petri ſucceſsor erat, Eccleſiæque catholicæ fundamentum, nec non unitatis centrum, fons, & origo. Quorſum igitur id totum Eccleſiæ Romanæ ſpeciatim dedere; ad eamdem pro conſilio, proque agendi ra-

di ratione confugere, eamdemque propterea Eccleſiam *Principalem*, atque ſacerdotalis unitatis principium affirmare? Quorſum adfirmare S. Cornelium vacantem S. Petri locum, & gradum ſacerdotalem obtinuiſſe, nec non Ordinationis Cornelii omnino neceſsariam originem, *Ordinationis tuæ origo neceſſaria*, epiſt. 10; quandoquidem æqualis fuiſset in Romana S. Cornelii Ordinatio, atque quæ S. Cypriani in Carthaginenſi, ſi Dodvvello auſcultes? Quorſum epiſt. 67. ad Stephanum, & 68. ad Epiſcop. Hiſpaniæ opus fuiſſe perhibere opera Pontificis, ſive ut a Gallis Marciano Arelatenſi gradu abdicato, alius in Eccleſia Arelatenſi ſufficeretur; ſive ut ab Hiſpanis dejectus Baſilides, & a Pontifice reſtitutus, detecta fraude, qua Pontifici obrepſerat, loco abigeretur; ſiquidem in Dodvvelli opinione Epiſcoporum par ſit auctoritas, neque præſtantior, tum Carthaginenſi, tum Arelatenſi, eorumque Collegis, ſive Gallis, ſive Hiſpanis poteſtate ſit Pontifex? Præterquam quod ſecummet pugnat, & digladiatur Dodvvellus, qui diſſert. cit. §. 22, *Animadvertendum*, ait, *non ſufficere ad Eccleſiæ unitatem Caput Chriſtum, ſed vere in Eccleſia viſibili de viſibili hæc eſſe Capite intelligenda*. Et infra: *Animadvertendum*, iterum admonet, *viſibilem etiam, quam dixi, Capitis viſibilis unitatem de perſonæ eſſe unitate, non multitudinis, qua commune conflatur Caput, intelligendam*. Jam enim ſi juxta S. Cyprianum, fatente Dodvvello, Eccleſiæ particularis unitas exigit unum Caput viſibile, Epiſcopum nempe, qui centrum ſit, & origo ejusmodi unitatis, cur unitas Eccleſiæ univerſalis pariter non pendeat ab uno Capite viſibili, Pontifice ſcilicet, cui veluti principio, ac centro particularium omnium Eccleſiarum, ſive Epiſcoporum unitas copuletur? Quid autem, quæſo, laudato libro de unit. comparatione radiorum ad ſolem, & ramorum ad radicem aſſumpta, atque Eccleſiæ toto Orbe diffuſæ appoſite aptata deſignavit S. Doctor? Talem profecto Eccleſiam, quæ non ſit particularis aliqua, ſed univerſa, atque catholica ex particularibus omnibus coaleſcens: talis autem Eccleſia ibidem tali nota deſcripta, ſicuti radios cum ſole, & ramos cum radice coaptari oportet, cum Romanæ Eccleſiæ Paſtore, in quo perſiſtit unitatis principium, communione conjungi procul dubio debet. Quid rurſus, obſe-

obſecro, cauſſæ fuit, cur idem S. Cyprianus epiſt. 27. ad Lapſ. repetitis verbis illis Chriſti Domini; *Tu es Petrus* &c. *Dominus noſter*, ſic interpretaretur, *Epiſcopi honorem, & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro*, Ego dico tibi: quia Tu es Petrus &c., niſi ut exinde argueret, quod ſicut Eccleſiæ univerſalis unitas a Petro eſt repetenda, ita in unoquoque Epiſcopo Eccleſiarum particularium unitas reperitur, cum ſubordinatione ad Pontificem: ſub hoc tamen diſcrimine, quod quia deficere Eccleſia Univerſalis nequit, ita neque Pontificis Romani aut ſucceſſio, aut fides defectui ſubjacere poteſt: cujuſmodi defectum, quia pati Eccleſia quælibet particularis poteſt, ita periclitari Epiſcopi cujuslibet ſucceſſio, & fides; quemadmodum longo experimento, plurimiſque exemplis eſt exploratum. Sub hac etiam ratione S. Doctor pronunciavit Epiſcopatum eſſe *unum*, cujus a ſingulis *inſolidum* pars teneatur, quia ſcilicet totius Epiſcopalis auctoritatis, & unitatis fons, & fundamentum, & principium unus eſt Pontifex: pronunciavit epiſt. 45. Eccleſiam Romanam Eccleſiæ Catholicæ eſſe *Radicem*, & *Matricem*; quod aliis verbis efferri ſolet, dum dicitur Eccleſia Romana Eccleſiarum omnium mater, & magiſtra, caput, & centrum: pronunciavit epiſt. 71. Petrum a Chriſto D. *Primum* electum, & ſuper eum *Eccleſiam ædificatam*, quia ſcilicet uni Petro collata ſit poteſtas regendæ Eccleſiæ univerſalis, ceteris vero Epiſcopis lex impoſita de obedientia præſtanda, unitateque ſervanda cum eo, qui Eccleſiæ univerſæ præſit, eique quomodo poſſent, in regimine Eccleſiæ morem gererent, opemque ferrent. Sed vetus eſt illa Dodvvelli calumnia, & hæreſis jam refutata a Bellarmino lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 16: ſed & recole, quæ tom. 1. art. 6. in Proleg. de neceſſitate, & ratione cum Eccleſia Romana Eccleſias omnes communicandi dilucide, ac copioſe ſunt diſputata. Jam enim ad alterum quæſtionis de anabaptiſmo caput, quod cum S. Stephano S. Cyprianum commiſit, properare orationem noſtram oportet.

Reſcripſerat ad S. Cyprianum, & Epiſcopos Concilii Carthaginenſis II. S. Stephanus Pontifex Maximus nihil eo in negotio anabaptiſmi innovandum, ſed uni traditioni ſtandum, qua ab hæreticis

ticis baptiſmum collatum, modo rite collatum, ut qui virtute Chriſti collatus ſit, valere docebatur a Romana Eccleſia: ecce verba Stephani, quæ ſola ſuperſunt S. Cypriano ea referente in epiſt. 74. ad Pompejum: *Si quis a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponantur in pœnitentiam, quum ipſi hæretici proprie alteruntrum ad ſe venientem non baptizent, ſed communicent tantum.* S. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 5. addit a S. Stephano illis denuntiatum fuiſſe, illos a ſua communione abjiciendos fore, ſi in ſua ſententia perſiſterent de rebaptizandis baptizatis ab hæreticis. Apud Stephanum tamen per litteras ſequeſter acceſſit rogans, & obſecrans, ut a ferenda excommunicationis ſententia in Orientales, qui eidem errori S. Cypriani conſentiebant, abſtineret, ſuperſederetque tot, tantaſque exſcindere Eccleſias. Eodem officio humanitatis functus apud S. Sixtum II. Stephani ſucceſſorem, eumdem ab irrogando Aſianis illis anathemate avertit. S. Hieronymus in dialogo adv. Lucifer.; & S. Auguſtinus lib. de unico baptiſ. cap. 14. S. Stephanum eos, qui hæreticos rebaptizarent, vel rebaptizandos eſſe contenderent, excommunicandos fore exiſtimaſſe teſtantur: num autem in eos anathema intorſerit reapſe, non meminere. Imo ſatis indicat S. Auguſtinus lib. 5. de baptiſ. contra Donat. cap. 25. abſtinendos quidem putaſſe Pontificem, ultra minas tamen non fuiſſe progreſsum, ſed cum Cypriano in communione permanſiſſe. Similia habet lib. de unico baptiſ. contra Petilianum cap. 14. Etquidem Stephanum excommunicationis metum, minaſque dumtaxat Cypriano, & Afris, Firmiliano, & Aſianis injeciſſe, & intentaſſe affirmant Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 10; Valeſius in notis ad lib. & cap. cit. Euſebii; Scheleſtratius par. 2. antiq. illuſtr. diſſert. 1. cap. 5. art. 2; Tournellius de Sacram. q. 7. art. 2; Natalis diſſert. 12. in hiſt. Eccleſ. ſæculi III. art. 1; Berti de Theolog. diſcipl. lib. 31. cap. 13; & Auctor obſervat. theolog. hiſt., & critic. in hiſt. Eccleſ. D. de Fleuri lib. 7. E contrario & Cyprianum cum Afris, & Firmilianum cum Aſianis a S. Stephano amotos ab Eccleſiæ communione exiſtimant Rigaltius in notis ad epiſt. Firmiliani inter Cyprianicas 75; Lupus in ſcholiis ad can. 22. Dicta-

ti S.Gregorio VII.ſuppoſiti,& Baſnagius ad annum 256. Baronius vero ad an. 258; Cabaſsutius in notit. Concil. cap. 3, & alii opinantur S. Stephanum communione quidem S. Cyprianum non mulctaſse, bene vero Firmilianum, & Orientales.

Ut ſit de eo, ſane verba reſcribentis S. Stephani ea fuerunt, quæ tantam Cypriano, Firmiliano, aliiſque cum Africanis, tum Aſianis moleſtiam creaverunt, quæque in cauſſa fuere, quod in Stephanum calamum, ſtylumque plus æquo acerbiorem Cyprianus, ac Firmilianus quam maxime, acuerent. Et quidem ea, quæ Firmilianus in S. Pontificem profudit, ejuſmodi ſunt, quæ hominem perhibeant bile adeo agitatum, & motum, ut veritati, æquitati, religioni, charitati, honeſtati, humanitatis officio quoque intendere non valuerit, quæ proinde taliter ſcribenti fidem omnem detrahant, æternoque potius ſilentio ſepelienda eſſe cordatus quiſque duxerit. In ea ſiquidem 75. inter Cyprian., quam a Cypriano e græco idiomate latinam factam, imo ad Epiſcopos Orientales tranſmiſſam, atque ab eodem Cypriano comprobatam falſo (quippe quæ S. Auguſtino, & Donatiſtis ignota fuit) dixere Boſſuetius defenſ. p. 2. lib. 14. cap. 5; Tillemontius, Gervaſius, & Lombertus infra allegandi, in ea, inquam, epiſtola Stephanum ſtultitiæ manifeſtæ arguit, audaciæ accuſat, inſolentiæ, & improbitatis inſimulat, cum Juda proditore, (proh indigna!) confert, pſeudo-Chriſtianum, pſeudo-Apoſtolum, & doloſum operarium appellat. S. Cyprianus autem ſententiæ ſuæ admodum tenax in S.Stephanum fel ſuum pariter effudit,& quamvis mitius egerit, egit tamen intemperantius. Ejuſmodi intemperantia elucet præſertim in epiſt. 74. ad Pompejum: *Deſideraſti*, inquit ibidem, *in notitiam tuam perferri, quæ mihi ad litteras* (Concilii Carthaginenſis) *Stephanus Frater noſter reſcripſerit: miſi tibi reſcripti ejus exemplum*, (iſtud periit), *quo lecto magis, ac magis ejus errorem denotabis ... Nam inter cetera vel ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria, quæ imperite, atque improvide ſcripſit, etiam illud adjunxit, ut diceret*: Si quis a quacumque hæreſi &c., quæ ſupra retulimus. (Ubi obſerva hæc reſcripti verba ea graviora fuiſſe, quæ Cypriani animum commoverunt, immerito tamen, ut ex illis liquet:

cete-

cetera igitur reſcripti verba non adeo gravia, & acerba fuiſſe, oportet, ut ad iracundiam S. Cyprianum concitarent:) *Hic*, pergit S. Cyprianus, *hic*, (Stephanus ſcilicet) *cum omnium baptiſmo communicans univerſorum delicta in ſinum ſuum coacervata congeſſit ...*, *& præcepit nihil aliud innovari, niſi quod traditum eſt; quaſi is innovet, qui unitatem tenens unum baptiſma uni Eccleſiæ vindicat; & non ille, utique, qui unitatis oblitus mendacia, & contagia profanæ tinctionis uſurpat ... Quæ eſt iſta obſtinatio* (Stephani), *quæve præſumptio humanam traditionem divinæ diſpoſitioni anteponere? ... Quæ eſt animi cæcitas, quæ pravitas fidei unitatem nolle agnoſcere? ... Qui hæreticorum amicus, & Chriſtianorum inimicus duræ obſtinationi, & præſumptioni jungit permagnam animi cæcitatem, & pravitatem ... Fit autem ſtudio præſumptionis, & contumaciæ, ut quis magis ſua prava, & falſa defendat, quam ad alterius recta, & vetera conſentiat*. Sane S. Cyprianum errorem ſuum retractaſſe ſcribit S. Auguſtinus in epiſt. ad Vincentium Rogatiſtam: Africanis ab Epiſcopis decretum de rebaptizandis baptizatis ab hæreticis reſciſſum fuiſſe refert S. Hieronymus in dialogo contra Lucifer. prope finem: Aſianos etiam, (ut proinde id quoque factitatum a Firmiliano liceat conjicere,) a priori ſententia de anabaptiſmo receſſiſſe teſtantur Euſebius lib. 7. cap. 4; & S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. cap. 11, ea de re ajens Donatiſtas ab Orientalium communione diſceſſiſſe, quia illi (Orientales) judicium ſuum (de anabaptiſmo) reſciderunt. Sed de his paullo poſt.

Ex iſtis ergo a S. Cypriano ſuſquedeque contra S. Stephanum ſcriptis, contrariaque Stephano ſententia Apoſtolicæ Sedis obtrectatores nacti occaſionem pejus in Romanos Pontifices oblatrandi, illiſque conflandi invidiam, Romanis Pontificibus aſſertam ſupremam ſupra Concilia poteſtatem, atque ab errandi periculo procul ſemotam prærogativam corruere neceſſe eſſe contendunt. Triplici id argumentorum genere agunt 1. S. Stephanum turpiſſime erraſſe, quaſi hæreticorum baptiſmum admiſerit quemcumque. Siquidem S. Stephanus a quacumque hæreſi venientem baptizari rurſus vetuit: unde Benedictus XII. in reſponſ. ad objecta Fraticellorum adverſus Conſtitutiones Johannis XXII, quam ſuo dire-

ctorio Inquiſit. p. 2. q. 17. Eymericus inſeruit, Stephanum, & Cyprianum lapſos fuiſse dixit in errores omnino contrarios: & a Concilio Carthaginenſi III. anno 258. congregato a S. Cypriano Stephani doctrina damnata habetur. Ita effutiunt Launojus lib. 8. epiſt. 15; Baſnagius ad an. 256, & Dupinus in nova bibliot. auctor. Eccleſ. tom. 1. pag. 151, 152, & 176. 2. S. Stephani ſententiæ directo adverſatum S. Cyprianum ſatis oſtendiſse ab ſe Romano Pontifici ſupremam poteſtatem, & infallibilitatis prærogativam abjudicatam iviſse. Siquidem S. Stephano anteponit Conciliorum Carthaginenſium auctoritatem, nam in tribus Carthagine habitis Conciliis, an. ſcilicet 254, & 255, de quibus legendi, S. Cyprianus epiſt. 71. ad Quintum, & 73. ad Jubajanum; Baronius ad an. 258; Labbeus, & Harduinus tom. 1. Concil., Pearſonius in Annal. Cyprian., & Pagius ad annum 255, & ſeq., baptizandos iterum baptizatos jam ab hæreticis decretum fuerat: quinimo S. Stephanum erraſſe manifeſte aſſerit S. Cyprianus in epiſt. cit. ad Pompejum, ad Quintum, ad Jubajanum, & ad Stephanum. 3. S. Cyprianum eam controverſiam in numero habuiſſe quæſtionum, quæ de fide fiunt, patet ex præfatis epiſtolis, in quibus opinionem ſuam probat ex S. Scriptura: ab ea opinione fidei originem incipere: eam imo eſſe aſſerit catholicæ Eccleſiæ veritatem, traditionem divinam, atque a Deo revelatam: unde ſi ſecundum ipſum Stephanus erravit, Pontificem errare in fide poſſe, atque de fidei dogmaribus periclitari indubie S. Cyprianus docuit, & credidit. Ita efferunt Launojus, Baſnagius, Dupinus locis ſupra cit.; Fleurius hiſt. Eccleſ. tom. 2. lib. 7; Tillemontius monum. Eccleſ. tom. 4. art. 49; Lombertus in præfat. ad oper. S. Cypriani gallice edita; P. Gervaſius in vita S. Cypriani gallice adornata ſine auctoris nomine lib. 5; Bailletus in viris SS. tom. 3. ad 16. Septembr.; Felix Deſchamps in epiſt. de Summo Pontifice ad Martinum Steyaert; Jacobus Gilbert in tract. de Sedis Apoſtol. Primatu quæſt. 5; & Boſſuetius defenſ. declar. par. 2. lib. 14. cap. 5. S. Cypriano longe magis complaudentes, quam S. Stephano, in quem imo potius inſoleſcentes, in illum valgiter indulgentiores, quam par ſit, ſe præbentes. Eos tamen pudere ſaltem debuerat in hoc argumenti genere, quod perſpicaciſſimos alioquin ipſorum Pri-

Primipilos Richerium, Gerſonium, Alliacenſem, Majorem, Almainum effugerat, illorum veſtigiis inſtitiſſe, atque relegiſſe exempla, quos duces ſibi præeviſſe non ignorare poterant, Lutherum, dico, in diſput. cum Echio; Magdeburgenſes centur. 3. cap. 7; Calvinum lib. 4. inſtit. cap. 7; Marcum Antonium de Dominis lib. 4. de republ. Eccleſ. cap. 8; Caſaubonum exercit. 15. in Baronium; Joſephum Henricum Ottium in exam. perpet. Annal. Baronii ad an. 258; Herbertum Thorndicium in exercit. de poteſt. Eccleſ. cap. 22; Blondellum de Primatu Pontif. cap. 25. ſect. 6, & cap. 26 ſect. 3; Pearſonium in annal. Cyprian. ad an. 256; Johannem Forbeſium inſtruct. Theolog. lib. 16. cap. 7; Fridericum Spanhemium hiſt. Eccleſ. III. ſæcul. cap. 6; & Baſnagium hiſtor. Eccleſ. Gall. tom. 1. lib. 4. cap. 3, qui omnes ad profligandam Rom. Pontificis poteſtatem, & infallibilitatem S. Cypriani agendi rationem in cauſsa baptiſmatis hæreticorum ad ravim uſque obtrudunt, & objectant.

Ego adverſæ viæ inhærendum duco, rectæque oſtenſæ a D. Chirono Doctore Pariſienſi in diſsert. gallice adornata de controverſia Stephanum inter, & Cyprianum; Thomaſſino diſsert. 2. in Concil; Scheleſtratio Antiq. illuſt. par. 2. diſſert. 1. art. 2; Pagio tom. 1. Crit. Baronii ad an. 256; Petitdidierio tract. de infallib. Pontif. cap. 6; Petro Coutantio tom. 1. epiſt. Rom. Pontif.; Antonio Charlaſio lib. 10. de libert. Eccleſ. Gallic. cap. 15; Auctore Anonymo obſervat. theolog. hiſt. crit. in hiſt. Eccleſ. D. Fleurii lib. 7; Altero auctore tract. gallici de obedientia debita conſtit. Sedis Apoſt.; Auctore item operis, cui titulus: *Theorie, e pratique des Sacrements* tract. de baptiſ. cap 4; aliiſque infra allegandis, qui hinc veſtigia relegentes Auctoris tractatus, cui iſthæc epigraphe: *Non debere denuo baptizari, qui ſemel in nomine Chriſti ſint tincti*, S. Cypriani operibus adjuncti, atque S. Cypriano coævi; S. Dionyſii Alex. apud Euſebium lib. 7. cap. 9; Euſebii ibidem; S. Hieronymi in dialogo adv. Lucifer.; S. Auguſtini locis infra citandis; Vincentii Lirinenſis Commonit. cap. 9; Facundi Hermianenſis pro defenſ. trium Capitul. lib. 10. cap. 3; V. Bedæ in lib. aliquot quæſt.; Nicephori Callixti lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 7; Georgii Syncelli apud Anaſtaſium

ad

ad an. 246, aliorumque, a quibus S. Stephano hac in cauſſa tantum abeſt, ut negotium ullum fuerit faceſſitum, ut potius ipſius agendi ratio præconiis celebrata ſit, S. Stephanum omni ex parte vindicarunt: illinc vero ſemitæ inſiſtentes tritæ a SS. Auguſtino, Hieronymo, &c. S. Cyprianum etiam ab errore excuſarunt; ab eodem alioqui Romani Pontificis auctoritatem apprime excultam, & aſſertam adfirmarunt; & tandem reſipuiſſe, erroremque revocaſſe conjecerunt. Quod a nobis jam præſtandum eſt, atque ita adverſariorum objectis occurrendum. Et quidem, ut heic hoc dicam, S. Auguſtinus præ aliis poſtquam S. Stephano cauſſam adjudicaſſet, illique a S. Cypriano morem gerendum fuiſſe ſæpiſſime affirmaſſet, totus poſtea fuit in excuſando S. Cypriano, ad id variis excogitatis modis. Nam modo dubitari poſſe ait, an Cyprianus rebaptizandos hæreticos revera ſenſerit, adductiſque aliorum teſtimoniis id dubitationis ut confirmaret, ſategit: ita lib. 2. de baptiſmo capp. 31, 33, 35, & 38; lib. 4. cap. 17; lib. 1. contra Creſcon. cap. 32, epiſt. 108. ad Macrobium, & epiſt. 93. ad Vincentium Rogatiſt. cap. 10. Modo contendit ipſum, ſi ita ſenſit, errorem correxiſſe: ita lib. 2. de baptiſ. capp. 4, & 5; lib. 2. contra Creſcon. cap. ult.; & epiſt. cit. ad Rogatiſt. Modo tradit S. Cyprianum errorem ſuum charitate operuiſſe, & paſſione expiaſſe: ita lib. 1. de baptiſmo cap. 18; lib. de unico baptiſ. contra Petilian. cap. 13; & epiſt. cit. ad Rogatiſt. Illud interea affirmat S. Auguſtinus, quod ſi Cyprianus ita ſenſit, ita ſcripſit, (uti ſenſiſſe veriſimilius ſenſit, & ſcripſit S. Auguſtinus mox allegandus,) non modo reprehendendum eſſe, quod minus temperanter in Stephanum ſcripſerit, ſed quod Stephano contrarium ſenſerit. Ita in cit. epiſt. ad Vincent. Rogatiſt.; epiſt. cit. ad Macrobium; lib. 1. de baptiſ. cap. 18; lib. de unico baptiſ. contra Petil. cap. 13; lib. 3. de baptiſ. cap. 19; & lib. 2. contra Gaudentium cap. 8. Sed de hoc fuſius mox: nunc objectis adverſariorum occurrendum eſt.

Raymundus Miſſorius Ord. Min. Convent. elegans, & eruditus ſcriptor diſſert. elucubrata S. Cypriano errorem de rebaptizandis hæreticis ſuppoſitum fuiſſe, eidemque pariter epiſtolas ad Pompejum, ad Quintum, ad Jubajanum, & ad Stephanum, quibus

bus eum errorem tuetur, inſcriptas falſo fuiſſe plurimis propugnat, id ipſum de Firmiliano affirmans; cujus inventum ſi veritati innixum eſt, ideſt ſi vera Miſſorii eſt ſententia, ecce tibi uno ictu conciſum nodum. Verumtamen viris omnibus eruditis vera Miſſorii ſententia non videtur. Nam quod ad Firmilianum ſpectat ipſum eo in errore verſatum liquet 1. ex ipſius epiſtola inter Cyprianicas 75, quæ etſi in editione Manutii deſideretur, extat tamen in editionibus Pamelii, qui eam deſcripſit ex 6. Codicibus Anglicano, Afliginenſi, Blandino, Marchiano, Dumenſi, & Cauchiano; Morelli, & Rigaltii, qui eamdem contulit cum laudatis codicibus, & codice Regio; Baluzii, & Johannis Felli Oxonienſis, qui eam reperit in 7. antiquiſſimis MſS.; & Maurini Monachi, a quo eadem cum 10. codicibus collata eſt: unde non erat cur cum Miſſorio de ea graviter etiam dubitaret Ludovicus du Meſnil doctrinæ, & diſciplinæ Eccl. lib. 7. n. 46. levibus admodum iis ductus momentis: quod illam ignoraverit S. Auguſtinus: quod primus ediderit Morellus Calviniſta: quod ſtylum, græcamque dictionem non redoleat. Nam græce fuerat exarata, ideoque facile S. Auguſtinum præterivit: a S. Cypriano latine reddita fertur, (etſi veriſimilius ab altero, Latino tamen, fuerit), ideoque a græca ad latinam elocutionem facile potuit transferri: Morelli demum bonam fidem liberant ab invidia quacumque præmemorati ingenti numero, optimæque notæ codices, ex quibus deſcripta eſt. Liquet 2. ex SS. Dionyſio Alexandrino apud Euſebium lib. 7. cap. 5, & Baſilio in epiſt. 1. canon. ad Amphiloch., qui Firmilianum hæreticos rebaptizandos affirmaſſe verbis apertiſſimis referunt. Quod vero attinet ad S. Cyprianum, ipſum pro anabaptiſmo pugnaſſe liquet 1. ex ipſius epiſtolis, quibus nihil non agit, ut errorem hunc in tuto collocaret, quas genuinas eſſe patet ex S. Auguſtino, qui ejuſdem epiſtolas ad Quintum de baptiſ. lib. 2. cap. 1; ad Jubajanum lib. 2. cap. 11, & lib. 3. capp. 2, 4, & 11; ad Pompejum lib. 5. cap. 23; ad Stephanum, quæ periit, ad Magnum, ad Numidas; & quas ſupra ad Jubajanum, ad Quintum, ad Pompejum lib. 6. capp. 7, & 15. commemorat. Liquet 2. ex teſtimoniis Euſebii loc. cit., S. Baſilii epiſtola laudata ad Amphiloch.; S. Hieronymi in dialogo

logo adv. Lucifer; S. Auguſtini locis mox allegatis; Facundi Hermian. lib. 10. de tribus Capit.; Vincentii Lirin. Commonit. cap. 9; Nicephori Callixti lib. 6. cap. 7; Georgii Syncelli apud Anaſtaſium; ejuſdemque Anaſtaſii ad an. 246, qui S. Cyprianum eo in errore hæſiſſe affirmant. Etſi vero S. Auguſtinus dixit aliquando non deeſſe, qui S. Cypriano hunc errorem non inſediſſe contenderent, ſed ſub ejus nomine a mendacibus, & audacibus fuiſſe confictum, id potius ex aliorum opinione dixit, quin etiam, ut contra Donatiſtas id omne proferret in aciem, quo eorum præſumptio retundi poſſet; ipſum alioqui S. Cypriano nec epiſtolas illas fuiſſe ſuppoſitas, neque errorem illum eidem falſo impoſitum agnoviſſe, & affirmaſſe veriſimilius fit ex locis ſupra laudatis, tum quoque ex aliis locis, de quibus paullo ſuperius, ubi de aliis agit viis, modiſque excuſandi S. Cyprianum. Miſsorii, in cujus ſententia verſatus eſt etiam Tourneminius, momenta, quibus conjecturas ſuas fulciri conatus eſt, diluit doctiſs. Berti de Theolog. diſcipl. lib. 31. cap. 13.

Gerardus Voſſius diſput. 19. de baptiſmo in ea opinione verſatur, Concilii Carthaginenſis anno 215. juxta Harduinum, vel 217. juxta Baronium ſub Agrippino celebrati decreto de rebaptiſmo, illorum dumtaxat hæreticorum baptiſmum rejectum fuiſſe, a quibus forma baptiſmi adulterabatur, quales juxta ipſum erant Hermogeniani, Praxeani, Cataphryges, Quintilianiſtæ, aliique ſimilis furfuris homines. Verumtamen toto oſtio a veritate aberrat Voſſius: nam S. Cyprianus, quem Agrippini deceſſoris ſui, ac Synodi illius ſententiam non eſſe aſſecutum nemo dicet, omnium indiſtincte hæreticorum baptiſmum rejiciendum, ac reiterandum contendit. S. Stephanus, cui teſtibus SS. Hieronymo, Auguſtino, Vincentio Lirin., aliiſque potior pars Eccleſiæ, & paullo poſt Eccleſia omnis conſenſit, Agrippini, & Cypriani errorem proſcripſit: intellexerat profecto itaque propugnari ab illis hæreticotum omnium anabaptiſmum. Quorſum enim prohibuiſset iterari baptiſmum, cujus forma violata fuiſſet? Concilium denique Nicænum Paulianiſtas dumtaxat rebaptizandos decrevit. Quorſum igitur Voſſius comminiſcitur Hermogenianos, Praxeanos, Cataphrygas, & Quintilianiſtas, quaſi ab iſtis quoque ba-

baptiſmi forma depravaretur? His itaque dimiſſis, ut parum, vel nihil veritati accomodis, reſponſiones aliæ ſunt adhibendæ. Quocirca.

℟. ad primum 1. S. Stephanum nequaquam in errorem Cyprianico oppoſitum prolapſum fuiſſe, quaſi promiſcue hæreticorum omnium probarit baptiſmum; quandoquidem baptiſmum dumtaxat approbavit, ideoque repetendum prohibuit, qui conſecratus eſſet evangelicis verbis, ideſt in nomine Trinitatis collatus. Hoc tam verum eſt, quam maxime. 1. Siquidem S. Stephanus, ut decretum illud ſupra laudatum legenti liquet, id unum volebat, uti innovaretur nihil, ſed antiqua ſarta, & tecta ſervaretur traditio; ſicuti teſtantur Cyprianus ipſe cit. epiſt. 74. ad Pompejum, Euſebius lib. 7. cap. 3; S. Hieronymus in dialogo adv. Lucifer., & Vincentius Lirin. Commonit. cap. 9. At traditio erat, ut baptiſmus quidem in nomine Trinitatis collatus etiam ab hæreticis ratus haberetur; baptiſmus vero, in quo ea forma a Chriſto D. præſcripta vitiata fuiſſet, omnino nihil valeret, adeoque iteraretur, uti teſtantur Euſebius lib. 7. cap. 2; Firmilianus ipſe in epiſt. 75. inter Cyprian. affirmans hanc traditionem obſervatam fuiſſe ab Afris ante decretum Agrippini; S. Auguſtinus lib. 3. de baptiſ. contra Donat. cap. 2, & lib. 5. cap. 23; S. Innocentius I. epiſt. 22. ad Epiſcopos Maced. cap. 4; S. Leo I. epiſt. 129. ad Nicetam Epiſcopum; & S. Gregorius M. lib. 11. epiſt. 67. ad Quiricum. 2. Siquidem Stephani reſcriptum neque Firmilianus, neque S. Cyprianus ita interpretati ſunt, quaſi juſſerit ratum haberi baptiſmum hæreticorum quocumque modo collatum; ſed ſolummodo quod noluerit inquiri a quo, ſed cujus nomine, auctoritate, quibuſque verbis collatum eſſet: uno verbo S. Stephanum inter, & Firmilianum, Cyprianumque lis non fuerat de forma baptiſmatis, ſed de fide baptizantium, ut liquido adparet ex epiſt. 75. Firmiliani, & 74. S. Cypriani ad Pompejum. 3. Siquidem Stephanum ita eſſe intelligendum, quod baptiſmus, quamvis ab hæreticis adminiſtratus, modo ſub forma a Chriſto D. inſtituta fuerit adminiſtratus, validus eſſet; non etiam baptiſmus, in quo fuiſſet ea forma vitiata, teſtantur S. Auguſtinus lib. 2. de baptiſmo contra Donat. cap. 7, & lib. 5. cap. 23; S. Hieronymus in

dialogo adv. Lucifer.; Euſebius lib. 7. cap. 20; Facundus Hermian. in lib. contra Mocianum; & Vincentius Lirin. Commonit. cap. 9. 4. Siquidem ſi SS. Stephanus, & Cyprianus in oppoſitos plane errores lapſi fuiſsent, fateri oporteret, (quod argumentum inſinuavit S. Auguſtinus lib. 7. de baptiſ. cap. 2.), Eccleſiam univerſam in fide erraſse, quippe quotquot erant Epiſcopi, & Eccleſiæ, vel Stephano, vel Cypriano adhærebant: utroque igitur pariter errante, quamvis errore diverſo, conſequens eſt in errorem, quamvis diſparem, Eccleſiam univerſam adductam fuiſſe; quod quis dicat? Quis quoque patienter ferat, & patienti aure excipiat Launojum in epiſt. 15. lib. 8. ad Bevilaquam ſcribentem Nicænam Synodum can. 19, quo ſolos Paulianiſtas, ſeu Pauli Samoſateni diſcipulos baptiſmi formulam depravantes iterum baptizandos decrevit, non Stephani, ſed Cypriani ſententiam amplexatam fuiſse, atque approbaſse? Apage falſum, atque fallentem hominem! Itaque illa reſcripti verba: *A quacumque hæreſi venientem* coarctantur a verbis illis e veſtigio ſubjunctis: *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*, ita ut intelligenda ſint juxta interpretationem mox exhibitam. Ad hæc S. Auguſtinus lib. 6. de baptiſ. cap. 25. facilius inveniri hæreticos, qui omnino non baptizent, quam qui verbis evangelicis non baptizent, animadvertit; unde a Concilio Nicæno ſolos Paulianiſtas rebaptizandos eſse ſtatutum eſt; iccirco itaque S. Stephanus in reſcripto verba generalia *a quacumque hæreſi venientem* uſurpavit.

§. 2. S. Stephani rectam adhuc aſsequi ſententiam certo certiori alia conjectura. Anonymus, cujus opuſculum Rigaltius in ſuis obſervat. ad S. Cyprianum inter S. Cypriani opera edidit, cujus meminit Gennadius de ſcript. Eccleſ. cap. 27, quemque nomine Urſinum appellatum cum Gennadio, & Honorio Auguſtod. cenſent ex fide Mſ. codicis Vaticani Sirmondus, & Pagius, etiamnum ſupperit, ex quo utique ejuſmodi conjecturam conficio. Urſinum hunc in annum 440. alii rejiciunt, alii ad exitum ſæculi IV. Caveus, aliique Urſinum quidem ſcriptorem an. 440. agnoſcunt, ab eo tamen præfatum opuſculum abjudicant, quod potius Anonymo S. Cypriano ſuppari attribuunt. Stat igitur auctoris opus, etſi nonnihil nomen, & tempus mutet. Urſinus hic

apud

apud Gennadium Monachus dicitur; vix autem S. Cypriani ævo Monachi audiebant: at vero nuperi operum S. Hieronymi editores ex codice Mſ. Ciſtercienſi, & Manſius in ſupplem. Concilior. ex Mſ. codice Lucenſi ſæculo VIII. ſcripto pro Urſino Monacho legunt *Urſinus homo Romanus*. Stat igitur Urſino auctoritas. Hiſce præhabitis jam ex Auctore iſto, ſive Urſinus ſit, ſive alius, inquirenda S. Stephani ſententia. Opuſculi hujuſce ab Urſino ſcripti argumentum hoc profert Gennadius: *Scripſit adverſus eos, qui rebaptizandos hæreticos decernunt, docens nec legitimum eſſe, nec Deo dignum rebaptizari illos, qui in nomine Chriſti, vel in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, quamvis pravo ſenſu, baptizantur, ſed poſt Trinitatis, & Chriſti confeſſionem ſufficere ad ſalutem manus impoſitionem catholici Sacerdotis*. En qualem hæreticorum baptiſmum admittit Urſinus, non qualemcumque, ſed tantummodo in Chriſti, vel Trinitatis nomine collatum. Itaque ſi Urſinus homo Romanus, qui ætate S. Stephani, aut non longe a Stephani ætate Romæ egit, ac pro Stephano calamum exeruit, ita de baptiſmo ab hæreticis collato credidit; conjicere eſt certe non aliam S. Stephano inſediſſe ſententiam. Quod ad Benedictum XII attinet, is dum reſponſiones illas dedit ad Fraticellorum objecta, Stephanum, & Cyprianum lapſos exiſtimans in errores omnino contrarios, atque amborum opinionem a Nicæno Concilio correctam aſſerens, adhuc Cardinalis erat, eas enim adornavit an. 1330; unde apud Bzovium ad cit. annum nomen præferunt non Benedicti Papæ, ſed Jacobi Fornerii Cardinalis, eaque de re pondus ullum non obtinent ad infirmandam, quam de S. Stephani fide gerimus, atque defendimus ſententiam. Neque enim Stephani ſententiam correxit, ſed imo eidem conſenſit, eamque calculo ſuo comprobavit Nicænum Concilium, uti ſapienter obſervavit Franciſcus Pegna comment. in par. 2. direct. Inquiſit. q. 17. Poſtremo non moror objectum ex Concilio III. Carthaginenſi; cujus decreta abolita, & abrogata fuerunt a S. Stephano non modo, ſed etiam a Concilio plenario apud S. Auguſtinum lib. 1. de baptiſmo contra Donat. capp. 7, & 18; lib. 2. capp. 3, & 4; & lib. 4. cap. 5. Quod quidem Concilium plenarium a S. Auguſtino laudatum quodnam, qualeque fuerit lis eſt

inter Theologos: contendentibus hinc illud esse Arelatense I. anno 314. celebratum, Petro de Marca, Sirmondo, Albaspinæo, Launojo, & Monachis Maurinis; illinc illud esse Nicænum I. anno 325. habitum Balduino, Nicolajo, Natali, Norisio, Lupo, Bossuetio, Bertio, Sandino, aliisque, qua de quæstione late disputant Merbesius, Habert, Juveninus, Le Droin, Berti de Theolog. discipl. lib. 31. cap. 13, & Sandinus in disput. histor. ad vitas Pontif. disput. 8. Nam ab utroque Concilio Arelatensi scilicet can. 8, & Nicæno can. 19. Firmiliani, & Asianorum, Cypriani, & Afrorum error de anabaptismo damnatus est, ideoque utrumque Concilium forte a S. Augustino fuit indigitatum.

R. ad 2. 1. S. Cyprianum toto ostio abfuisse ab ea, quam illi Pontificiæ infallibilitatis, & potestatis ofores appingunt, præpostera opinione, qua Romanum Pontificem reputarit Urbis Romæ dumtaxat Episcopum, nulla præterea extra Romanum agrum præditum auctoritate, & æque ac quemlibet alium fidei amittendæ periculo obnoxium, quinimo de fide periclitatum reapse fuisse, quemadmodum præ aliis jactant ex Protestantibus Vossius, Fellus, & Goullartius. Enim vero 1. paullo superius ex epist. 44, & 45. ad S. Cornelium; epist. 52. ad Antonianum; epist. 55. ad eumdem Cornelium; epist. 67. ad S. Stephanum; epist. 68. ad Clerum, plebemque Hispaniarum; epist. 72. ad eumdem Stephanum; epist. 76. ad Magnum; & lib. de unit. Ecclesiæ exploratissimum fecimus non aliam S. Cypriani animo insedisse sententiam, quam quæ a Romano Pontifice omne prorsus in fide errandi periculum amovet, eidemque in Ecclesia primas partes attribuit. 2. Ad hæc in epist. 69. ad Pupianum exinde hæreses, & schismata oriri scribit, dum Episcopus, qui unus est, & Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contemnitur: ubi de Romano utique Pontifice loquitur. In epist. 70. ad Januarium, *Una*, inquit, *est Ecclesia a Christo Domino supra Petrum origine unitatis, & ratione fundata*. In epist. 71. ad Quintum: *Nec Petrus*, ait, *quem primum* (seu ut esset primus) *Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, quum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se Primatum tenere, & obtem-*

temperari a novellis , & posteris sibi potius oportere . In epist. 73. ad Jubajanum Ecclesiam supra Petrum ædificatam repetit , atque in Petro unitatis originem repostam . In epist. 74. ad Pompejum scribit Stephanum in rebaptizantes anathematis minas intentasse, neque tamen potestatis fines prætergressum illum indicat . Lib. de bono patient. supra Petrum Ecclesiam a Christo ædificatam refricat . 3. Firmilianus quoque in epist. 75. ad Cyprianum , qua in S. Stephanum tam audacter excanduit , & tam acerba evomuit , scribit tamen Ecclesiam supra Petram , idest supra Petrum fuisse fundatam , S. Petro Stephanum successisse , in ejusdemque Sede sedere . Ex his ergo palam fit Firmilianum , multoque magis S. Cyprianum , non modo quando pacato animo fuit , ut notarunt Orsius de auctorit. Rom. Pont. cap. 3 , & Charlasius lib. 10. de libert. Eccles. Gall. cap. 10 ; quin etiam quum erga Stephanum magis ferveret , neque a priori de summa Apostolicæ Sedis potestate decessisse sententia , neque fateri eamdem erroris circa fidem expertem desiisse . 4. SS. Augustinus, & Pacianus auctores sunt a S. Cypriano nunquam ob doctrinæ suæ defensionem unitatem desertam , nec vinculum communionis cum Stephano abruptum . Quod indicium clarum est jugiter a S. Cypriano habitam cen supremam Stephani auctoritatem : ideoque S. Cypriani exemplo Donatistas exagitavit S. Doctor lib. 1. de baptis. cap. 18; lib. 2. cap. 5; lib. 3. cap. 19; lib. 4. cap. 8, aliisque in locis . Re quoque, & opere S. Cyprianum cum Apostolica Sede unitatem servasse , quæ sane absque obedientia servari non potuisset, fit planum ex ipsius epistola ad Successum ; atque ex Pontio referente ipsius litterarum commercium cum S. Sixto II. Stephani successore . Alteram vero causam inobedientiæ S. Cypriani adsert. S. Augustinus; tum quod existimaret S. Cyprianus quæstionem illam tunc temporis implicatissimam ad meram disciplinam spectare ; de quo infra : tum quod nondum satis sciens distinguere inter usum, & effectum baptismi existimarit a Stephano tradi veram apud hæreticos extare remissionem peccatorum , & salutis consecutionem extra veram Ecclesiam . Ita testatur S. Augustinus initio lib. *6.* de baptis. Ita tamen existimans non existimavit Stephanum , saltem ut Ecclesiæ Doctorem , a fide defeciſse , sicuti statim demonstro .

ſt. ad 2.2. S.Cyprianum probe noviſse, quam Stephanus vindicabat conſuetudinem, univerſalis Eccleſiæ utique conſuetudinem extitiſse. Quamobrem ſi dicatur; quod S. Cyprianus S. Stephanum illam de hæreticis non rebaptizandis conſuetudinem aſſerentem in fide erraſſe judicarit, ut volunt adverſarii, dicendus eſt pariter S. Cyprianus, quod judicaverit Eccleſiam univerſam in fide erraſſe: unde S.Cypriani exemplum ad inficiandam Romani Pontificis inerrantiam, quam inerrantiam Eccleſiæ univerſæ, non magis urget. Enim vero S.Cyprianum certe agnoviſſe a Stephano aſſeveratam traditionem, traditionem extitiſſe univerſæ Eccleſiæ 1. ultro citroque affirmant poſt S. Auguſtinum paullo infra promendum, Perronius in reſponſ. ad Regem Angliæ pag. 839; Coutantius, Iſambertus, Marandus, Fraſenus locis infra cit.; Duhamelius diſſert. 3. de tradit. cap. 2; Tillemontius, Natalis, L'Erminier, Juveninus, Tournellius paullo poſt laudandi; ipſi quoque Fleurius hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 26; Boſſuetius par. 2. lib. 14. cap. 7; Ceillierius hiſt. gener. ſacr. auct. tom. 3; Thuillier in epiſt. 2. ad quemdam ex ſuis confratribus contra appellationem a Conſtit. *Unigenitus*, aliique infra allegandi, ex eo ſcilicet id evincentes; tum quod S. Cyprianus ſuam opinionem de rebaptiſmo non antiquiorem fuiſſe Agrippino ejus deceſſore, a quo ortum duxerat, apprime agnoverit; ideoque eam dumtaxat tanquam ad diſciplinam, quæ pro Eccleſiarum diverſitate, fide ſacra, & integra, diverſa eſſe poſſet, ſpectantem conſideraverit; quo de argumento reſp. ſeq. agemus: tum quod S.Cyprianus traditioni, & conſuetudini ſibi a Stephano objectatæ nihil aliud oppoſuit unquam, niſi rationem, & veritatem, quam conſuetudini præponendam perpetuus oggerit. *Fruſtra*, inquit in epiſt. ad Jubajanum, *quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis opponunt, quaſi conſuetudo major ſit veritate .... Non tamen quia aliquando erratum eſt, ideo ſemper errandum*. In epiſt. ad Quintum: *Non eſt autem*, ait, *de conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum*. Et in epiſt. ad Pompejum: *Conſuetudo*, ſcribit, *ſine veritate vetuſtas erroris eſt*.

Neque dicas S. Doctorem loquutum de conſuetudine ſolius Romanæ Eccleſiæ, non etiam univerſalis. Nam principio non

ipſi

ipſi ſola Romanæ Eccleſiæ conſuetudo objectabatur: & ſi loquutus fuiſſet de ſola Eccleſiæ Romanæ conſuetudine, non ipſi ſolam oppoſuiſſet veritatem, ſed aliarum quoque Eccleſiarum conſuetudinem: *Cur*, appoſite inquit S.Auguſtinus lib.3. de baptiſ.cap.12, *tot Cypriani Collegæ in Concilio dixerunt rationem, & veritatem conſuetudini præponendam, ac non potius dixerunt eos, qui aliud facere vellent, & contra veritatem, & contra conſuetudinem facere?* Præterea probe noverat S. Cyprianus non modo ſibi adverſari Eccleſiæ Romanæ, ſed etiam Africanæ conſuetudinem: quippe Africanæ Eccleſiæ conſuetudinem non baptizandi hæreticos ſe deliquiſſe gloriabantur S. Cyprianus, aliique Afri Epiſcopi, teſte Firmiliano in epiſt. ad S. Cyprianum, *Vos*, inquiente, *dicere Afri poteſtis cognita veritate errorem conſuetudinis dereliquiſſe*. Enim vero etſi ab Agrippino novitia rebaptizandi hæreticos opinio invecta fuiſſet, eam tamen non in omnem Africam invaluiſſe, ſed ejuſdem Cypriani tempeſtate ex Africanis Eccleſiis aliquas fuiſſe, qui nupera rejecta veteri conſuetudini inhærerent etiam tunc, & num arguit recte S.Auguſtinus lib.3. de baptiſ.cap.12, ex eo quod ea de re, ut ſcilicet veteri exploſa novam induceret, a S.Cypriano tria facta fuerunt Concilia: ex eo, quod Jubajanum ad eam conſuetudinem derelinquendam exemplo Agrippini adducere conatus S. Cyprianus ſit: ex eo quin imo, quod cap. 2. affirmat plures ex Epiſcopis, qui cum Agrippino priſtinam non rebaptizandi mutaverant conſuetudinem, poſtliminio ad eamdem rediiſſe. Quamobrem dignus, qui vapulet multis P. Gervaſius eſt, dum lib.5. vitæ S.Cypriani id auſus eſt, ut S.Auguſtinum tanquam deceptum, & ignarum traduceret, quod ſcripſerit conſuetudinem in Africa etiam tempore Agrippinum, & Cyprianum intermedio rebaptizationi contrariam viguiſſe: quod nempe ignoraverit numerum Epiſcoporum Orientalium, & Africanorum, ut quos 70. tantum numeret, quum tamen vel in uno Concilio 87. enumerati ſint, qui in S. Cypriani ſententiam concederent. Id, inquam, temere valde auſus eſt P. Gervaſius: quandoquidem S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. cap. 3. ex Orientalibus 50, ex Afris 70, & aliquanto etiam plures recenſuit; & lib.1. de baptiſ. cap. 18. Afros 80. ferme adnumeravit, qui in S. Cypriani opinio-

nionem abierint. Vetum & Ariſtarchus hic inſolens loc. cit. ſingulas illorum 87. Epiſcoporum ſententias referri, & expendi a S. Auguſtino lib. 6, & 7. de baptiſ. affirmat. Quomodo ergo latuit S. Auguſtinum huic Cyprianico Concilio 87. Epiſcopos Africanos interfuiſſe? Profecto id eſt calumniæ addere, contra ſe met pugnare, atque digladiari andabatarum more, antilogiis ita agere, uti Gervaſius agit.

Quid quod 2. S. Cypriano apprime compertum adverſari ſibi Eccleſiæ univerſæ conſuetudinem ſcripſit ſæpius, aſſeveranterque S. Auguſtinus, qui, ſiquis alius, hoc in argumento noſtram omnem demeretur fidem? Ita ſane indubia res eſt: ſiquidem lib. 2. de baptiſ. cap. 8, *Noluit*, inquit, (S. Cyprianus) *veraci conſuetudini cedere . . . ſed . . . ubique intuens univerſalem, robuſtamque conſuetudinem* &c. lib. 3. cap. 12, & lib. 4. cap. 6. horum ſimilia habet. Ita lib. 6. cap. 35, *Si conſuetudo erat*, ait, *ut hæretici venientes ad Eccleſiam cum baptiſmo, quem habebant, reciperentur, cur Orbem terrarum, quia ſic recipiuntur, accuſant?* Scilicet Epiſcopi Concilii III. Carthaginenſis. Ita lib. 7. cap. 2; *Apparet*, inquit, *ſi hæretici non habent baptiſmum, Eccleſiam Chriſti temporum illorum prævaricatoribus fuiſſe plenam, qui eis ſuffragantes ſic recipiebant*: & cap. 25. *Talem*, ſubdit, *fuiſſe Eccleſiæ conſuetudinem* (hæreticos ſcilicet denuo non baptizandi) *ipſi, qui hoc Concilium* (Carthaginenſe III.) *faciunt, ſæpe commemorant.* S. Auguſtino concinit Auctor S. Cypriano proximus de quo paullo ſupra, in tract., qui incipit: *Non debere temere denuo baptizari, qui ſemel in nomine Chriſti* (ideſt virtute, auctoritate Chriſti, aut verbis inſtitutis a Chriſto D.) *ſint tincti*, qui tractatus operibus S. Cypriani adjunctus legitur, ut ſuperius innui; is enim Auctor S. Cyprianum, Afroſque ejuſdem ſententiæ adſtipulatos redarguit iccirco, quod nollent venerabili Eccleſiarum omnium conſuetudine eſſe contenti. Accedit V. Beda, qui in lib. aliquot quæſt. a S. Cypriano contra praxim Eccleſiæ univerſæ opinionem ſuam ſtatutam, firmatamque fuiſſe ſcribit. Igitur ſi S. Cyprianum producunt adverſarii, ceu Romani Pontificis infallibilitati adverſum, eumdem ut hoſtem quoque infallibilitatis Eccleſiæ univerſæ ſtatuant neceſſe eſt. Conſule, qui late æque, ac per-

perpolite hocce argumentum proſſequitur, Doctiſſimum Soardum tom. 3. egregii ſui operis de doctr. Eccleſ. Gall. At, reponunt adverſarii, ſi hæc ita ſe habent, cur S. Stephano adeo, atque tandiu adverſatus eſt, niſi rei fidei a Stephano haud leve inlatum vulnus exiſtimaret? Sequenti reſponſione ſatisfacio.

R. ad 3. 1. S. Cyprianum, ejuſque Collegas agitatam tunc temporis de rebaptizandis hæreticis quæſtionem non quidem ad fidei decreta retuliſſe, ſed ad puræ, putæque diſciplinæ caput revocaſſe. Quod quamquam negent Ludovicus Habert tom. 5; Renatus Hiacyntus Honoratus Drovin auctor operis de re ſacramentaria lib. 1. q. 6. §. 4; Jacobus Boſſuetius lib. 14. capp. 7, & 8, aliique pauci, probatur tamen aliis longe plurimis, atque ſapientia præſtantiſſimis, quos inter Beccano; Pagio in Crit. Baronii; Thomaſſino diſſert. 2. de Synodis; Dupino ipſi tom. 1. bibl. Eccleſ., & diſſert. 5. de antiqua Eccleſiæ diſciplina; Juvenino in comment. hiſt. dogm. de Sacram. q. 6. cap. 2. art. 3; Franciſco Feu Doct. Pariſienſi in tract. de legibus q. 7. art. 3; Natali hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. III. diſſert. 12. art. 4; Claudio Sommier in hiſt. dogm. S. Sedis lib. 2. cap. 8; Auctori inſtit. Theologicar. q. 3; Auctori tractatus gallici de ſchiſmate; Auctori tract. gall. de obedientia debita conſtit. Sedis Apoſtol.; Auctori operis gallici, cui titulus: *Theorie, e pratique des Sacrements* tract. de baptiſ. cap. 4. § 2; Graveſonio tom. 1. hiſt. Eccleſ. colloq. 6; Petitdidiero in tract. de infallibil. Pontif. cap. 6; Petro Coutantio tom. 1. epiſt. Rom. Pontif.; Tournellio de ſacram. q. 7. art. 2, De Reveroni Pariſ. Doctori diſſert. de diſſidio inter Stephanum, & Cyprianum cap. 1; Boucatio tract. de ſacram., Serrio diſſert. de Rom. Pontif. cap. 8; Oudino ipſi Pontificiæ poteſtatis infenſo hoſti, & apoſtatæ tom. 1. de ſcriptor. Eccleſ.; Berti de theolog. diſcipl. lib. 31. cap. 13; Honorato a S. Maria, ſive auctori obſervat. theolog. hiſt. criticar. in hiſtor. Eccleſ. D. De Fleuri lib. 7; adeo ut in Academiis, ac in Sorbonæ ſcholis præſertim theſis hæc propugnari jam conſueverit, videlicet a S. Cypriano, ejuſque in errore Collegis hancce controverſiam tanquam meræ diſciplinæ caput fuiſſe ſpectatam. Oſtendunt id vero ex eo, quod S. Cyprianus opinionis ſuæ originem, non a Chriſto D., nec ab Apoſtolis, ſed

ab Agrippino prædeceſsore ſuo repetiit. Nam in epiſt. ad Jubajanum, *Non nova*, inquit, *aut repentina res eſt, ut baptizandos cenſeamus eos, qui ab hæreticis ad Eccleſiam veniunt, quando multi jam anni ſint, ex quo ſub Agrippino convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint*. S. Auguſtinus autem lib. 3. de baptiſ. cap. 12. liquido affirmat S. Cyprianum rebaptizationis initium non altius, quam ab Agrippino duxiſse: ex citatis verbis S. Cypriani colligit rem novam ab Agrippino factitatam fuiſse, atque ſola Agrippini, paucorumque Epiſcoporum eidem adſentientium auctoritate motum S. Cyprianum veteri Eccleſiæ conſuetudini valedixiſse. Similia ſcripſerat lib. 2. de baptiſ. cap. 8. Ex quo conſequitur a S. Cypriano non fidei, ſed meræ diſciplinæ ſuam opinionem reputatam fuiſse, ſicuti arguunt poſt S. Auguſtinum loc. cit. Iſambertus diſput. 4. de ſacram. art. 1; Fraſsenus de ſacram. art. 3. q. 3; Tillemontius tom. 4. monum. Eccleſ. art. 43; Fleurius hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 26; Bailletus de vitis SS. ad diem 16. Decemb.; Habert de ſacram. cap. 14; Petitdidierus, is eſt Auctor animadverſ. in bibl. Eccleſ. auctor. Dupini tom. 1; L'Herminier in tract. de ſacram.; P. Marandus in præfat. ad Baluzianam edit. operum S. Cypriani; P. Gervaſius lib. 5. vitæ S. Cypriani cap. 1; Daneſius in prælect. de Eccleſia diſp. 2. q. 1. art. 3; De la Haje in prælect. de baptiſ., aliique ſuperius laudati communiter docentes S. Cyprianum ſuæ opinionis originem ab Agrippino nactum fuiſse, ac proinde habuiſse, ut ad diſciplinam ſpectantem.

Eſto vero quæſtio illa ad fidem trahi facile poſſet, S. Cyprianus tamen, ejuſdemque Africani Collegæ ſpectarunt eam, ut diſciplinæ quæſtionem, & tanquam diſciplinæ quæſtionem ſpectavere quoque Firmilianus, Aſianique ipſi adhærentes Epiſcopi. Et quidem principio de Firmiliano, atque aliis Orientalibus id oſtenditur ex ipſius epiſtola ad Cyprianum, ubi, *In ceteris*, inquit, *plurimis Provinciis multa pro locorum, & nominum diverſitate variantur, nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ catholicæ pace, atque unitate aliquando diſceſſum eſt, quod nunc facere Stephanus auſus eſt rumpens adverſus vos pacem quam ſemper Anteceſſores ejus vobiſcum amore, & honore mutuo cuſtodierunt*. Idem in eadem epiſtola controverſiam de baptiſmo comparat cum aliis contro-

ver-

verſiis præſertim circa diem Paſchæ, quæ procul dubio ad diſciplinam pertinent, atque inde paullo durius in S. Stephanum ſcribendi occaſionem captavit, quod ea de re excommunicationem comminatus eſset. De S. Cypriano autem, ejuſdemque collegis oſtenditur 1. ex allocutione ad Epiſcopos habita in exordio Concilii III. Carthaginenſis: *Supereſt*, inquit ibi, *ut de hac re ſinguli quid ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes.* At non ita ſenſit, non dixit, non ſcripſit nedum de fidei quæſtionibus, qualis ei fuerat de Novatianorum opinione, ut in epiſt. 52. ad Antonianum, & 68. ad S. Stephanum; ſed de Eccleſiæ univerſæ diſciplina, qualis erat de aqua vino miſcenda, ut in epiſt. 63. ad Cæcilium. Non mireris heic S. Cyprianum hoc diſciplinæ caput de aqua vino miſcenda, quia agnovit Eccleſiæ univerſæ diſciplinam eſſe, defendiſſe; de rebaptizatione e contra, quamvis oppoſitam Eccleſiæ univerſæ conſuetudinem agnoverit, nihilo ſecius oppugnaſſe. Nam ne illud dicam, illis ſæpe contingere, qui ſemel errore abrepti ſunt, ut ſibimet adverſentur, conſuetudini non rebaptizandi adverſari veritatem S. Doctor cenſebat: quæ ritui miſcendi vino aquam contraria non modo non erat, ſed imo conformis Chriſti D. exemplo. 2. Ex epiſt. Synodica ſuo, & Concilii Carthaginenſis nomine ad Stephanum miſſa: in ea ſiquidem morem, ritumque rebaptizandi ſpectavit ceu morem, ritumque unius, vel alterius Provinciæ proprium, quem ſalvo pacis, & concordiæ vinculo, quis retinere poſſet, aut rejicere: *Hæc*, ſcribit, (geſta in Concilio cit. Carthag.) *ad conſcientiam tuam... pro honore communi.... pertulimus.... Cæterum ſcimus quoſdam, quæ ſemel imbiberint, nolle deponere.... ſed ſalvo inter collegas pacis, & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſint uſurpata, retinere, qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus.* Sane non ita loquitur quis de rebus fidem ſpectantibus.

Oſtenditur 3. ex epiſt. 71. ad Quintum, qua ſuam de rebaptizandis hæreticis opinionem defendit tantummodo, ut fidei congruam, & magis pertinentem ad ſacerdotalem auctoritatem, & catholicæ Eccleſiæ unitatem, non autem uti fidei dogma: *Nam*,

inquit, *quorum* (ideſt Agrippini, & Africanorum ipſi cohærentium) *ſententiam & religioſam, & legitimam, & ſalutarem, fidei, & Eccleſiæ congruentem nos etiam ſecuti ſumus* &c. Similia ſcripſit in cit. epiſt. ad Stephanum. Sane S. Cyprianus ſic etiam fidei congruentes appellavit litteras Confeſſorum, in quibus Lapſorum pœnitentium nomina deſcribebantur, *Ideo*, inquit in epiſt. 15. ad Martyres, & Confeſſor., *peto ut eos* (Lapſos,) *quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos fidei congruentes litteras dirigatis*. Ita namque fidei congruentem nuncupabat ſuam erga Lapſos agendi rationem, ſcilicet Lapſis pacem dandi ingruente perſecutione: *Nos*, inquit in epiſt. 57. ad S. Cornelium, *quod fidei, & charitati, & ſollicitudini congruebat, quæ erant in conſcientia noſtra protulimus*. Sed & in eadem epiſt. ad Quintum morem baptizandi hæreticos veluti meliorem, utilioremque ad alliciendos eoſdem hæreticos defendit, non tanquam catholicæ fidei dogma: *Deberet*, ait, *unuſquiſque non pro eo, quod ſemel imbiberat, & tenebat pertinaciter, congredi, ſed ſiquid melius, & utilius extiterit, libenter amplecti: non enim vincimur, quando offeruntur nobis meliora*: & in epiſt. ad Jubajanum: *Quum hæretici*, ſcribit, *cognoſcunt baptiſma nullum foris eſſe, nec remiſſam peccatorum extra Eccleſiam Dei poſſe, avidius ad nos, & promptius properant*. 4. Ex epiſt. 76. ad Magnum, qua in hac quæſtione de anabaptiſmo cuilibet Epiſcopo liberum, & integrum eſſe dixit in diverſam abire ſententiam: id vero non dixiſſet ſane de fidei dogmate: *Reſcripſi*, inquit, *ad litteras tuas, .. & oſtendi quid nos, quantum in nobis eſt, ſentiamus* (de hæreticorum baptiſmo) *nemini præſcribentes, quominus ſtatuat, quod putat unuſquiſque Præpoſitus actus ſui rationem Domino redditurus*: & in epiſt. ad Stephanum: *Qua in re*, ait, [de baptiſmo hæreticorum] *nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, quum habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum unuſquiſque Præpoſitus*: & in epiſt. ad Jubajanum, *Hæc tibi*, inquit, *breviter reſcripſimus, nemini præſcribentes, aut præjudicantes, quominus unuſquiſque Epiſcoporum, quod putet, faciat habens arbitrii ſui liberam poteſtatem*. Similia fatus fuerat Epiſcopis Concilii Carthaginenſis, de quibus ſupra.

5. Ex

5. Ex epiſt. 74. ad Pompejum, qua aperte declarat de una Stephanum inter, & ipſum agi diſciplina. S. Stephano ſiquidem obiicienti hæreticorum exemplum, qui ad ſe venientes non baptizabant, reponit, ad illud malorum devolutam non eſſe Dei Eccleſiam, ut ab hæreticis mutuetur diſciplinam ad celebranda ſacramenta. Qua in re quid apertius deſiderare eſt?

Ad hæc S. Cyprianus, ut ex locis ſupra laudatis ſatis liquet, cenſuit nullum eſſe in terris tribunal, cui hanc quæſtionem finiendi jus eſſet. At de rebus fidei ita ne cenſuiſſet S. Doctor? Nonne [ne cum adverſariis vitilitigemus] ad minus a Concilio generali finiri cauſſam fidei judicaſſet? Præterea S. Cyprianus, ut ex præfatis locis conſtat, concordiam jugiter, & communionem cum iis omnibus, qui a ſua opinione abhorrebant, ſervavit, & ſervandam monuit; at id ne egiſſet, ſi putaſſet eam quæſtionem ad fidem pertinere? Nimirum putaſſet ne cum hæreticis fovendam ſocietatem? Scio quid heic reſpondit P. Honoratus Drovin, reſpondit ita egiſſe S. Cyprianum, quia de re agebatur non dum ſat eliquata. Sed contra eſt, quia ſi S. Doctor de re nondum eliquata agi ſciebat, ideoque ea in re integrum cuique tenendi, quod ſentiret, ſinebat, certe non ita contra traditionem veterem decertaſſet, & contra Stephani reſcripta deſæviſſet. Quis eſt enim, quæſo te, qui in re ſibi dubia, atque in utramque partem diſceptata adeo deſipere velit, ut oppoſitum tanta animi commotione, & acerbitate oppugnet? Poſt hæc S. Cyprianus non deſperandum profecto duxit de illorum Infantium ſalute, qui cum ſolo baptiſmo ab hæreticis dato jam vita functi fuiſſent: *Potens*, inquit in epiſt. ad Jubajanum, *eſt Dominus eos, qui ad Eccleſiam ſimpliciter admiſſi in Eccleſia dormierunt*, [loquitur de mortuis cum ſolo baptiſmo hæreticorum] *ab Eccleſiæ ſuæ muneribus non ſeparare*. Et certe S. Auguſtinus S. Cyprianum ita ſenſiſſe auctor eſt lib. 2. de baptiſ. capp. 13, 14, & 15; lib. 5. cap. 2; nec non lib. 2. contra Creſcon. cap. 33. At vero ita ne ſenſiſſet, ſi nullum fore baptiſmum hæreticorum ceu fidei dogma S. Cyprianus exiſtimaſſet?

Quid quod S. Cyprianus hinc iccirco negat ſtandum traditioni edictæ a S. Stephano, quia negabat eam traditionem eſſe

Do-

Dominicam, Evangelicam, aut Apoſtolicam; quæ ſi ex illis fuiſset alterutra, eamdem procul dubio ſervandam docuiſset: *Unde*, inquit in epiſt. ad Pompejum, *eſt iſta traditio? Utrum ne de Dominica, & Evangelica auctoritate deſcendens? An de Apoſtolorum mandatis, atque epiſtolis veniens?* Ex iſtis autem obiter animadvertas velim exinde omnem Proteſtantibus præcludi aditum ad abigendas S. Cypriani exemplo Romanæ Eccleſiæ traditiones. Eam enim ſibi objectam a Stephano traditionem reſpuit S. Doctor, quod errore ductus cenſeret neque a Chriſto D., neque ab Apoſtolis dimanaſſe. Illinc vero noverat eam conſuetudinem ab univerſa ferme Eccleſia fuiſſe receptam, ut ſupra oſtendimus, ergo eam conſuetudinem ad fidem pertinere non putabat, alioquin putaſſet [quod abſit a tanto Doctore] a S. Stephano, & Eccleſia in fide erratum; atque Epiſcopis liberum eſſe inter ſe de fidei rebus diſſentire, & impune digladiari. Quid amplius? S. Cypriano eo in errore abſque ulla noxa, aut ego fallor, adſtipulati ſunt SS. Athanaſius, Baſilius, Amphilochius, Epiphanius, Cyrillus Hieroſol., ut cenſuit Thomaſſinus diſſert. 2. in Synodos: adduntur ab aliis S. Dionyſius Alexandrinus, Tertullianus, & S. Optatus Milevitanus, quamquam ab aliis hac plane macula abſtergantur Tertullianus, SS. Dionyſius, Optatus, Athanaſius, Epiphanius, & Cyrillus, quo de argumento adiſis laudatos ſuperius auctores, nolo enim pelago immenſo me committere. Sed neque hic locus eſt illorum retundere temerarium auſum, qui rebaptizantium numero adcenſere veriti non ſunt, qui tamen longe quam maxime eo ab errore fuerunt, ut ſuo loco palam fiet, SS. Innocentium I, Leonem I, Gregorium Magnum, Pelagium II, & Urbanum II, quos interea, ſi velis, habes vindicatos a Tournellio de Sacram. q. 7. art. 2. At vero illi, ſi qui fuere, (uti fuiſſe SS. Baſilium, & Amphilochium non negaverim,) certiſſime, ut a Thomaſſino oſtenſum eſt, controverſiam eamdem de anabaptiſmo non ad fidei decreta, ſed ad diſciplinæ capita revocarunt.

Quod ſi S. Cyprianus (obiectis ita offendo) ſuam opinionem S. Scripturæ locis confirmaſſe legitur, ut in epiſt. 69, alias 76. ad Magnum; 70. ad Epiſcopos Numidiæ; 72. ad Stephanum; 73. ad Jubajanum, 74. ad Pompejum. Item ſuam opinionem a Deo revela-

velatam aſserit, ut in epiſt. ad Jubajanum, & Stephani traditioni oppoſuit *divinam diſpoſitionem*, ut in epiſt. ad Pompejum: & tandem hanc quæſtionem, quum ad fidem pertineat, id non potuiſse illum præterire: nihil officit, quominus dictis uſque modo ſtandum ſit. Nam etiam in rebus diſciplinæ ſæpius adferuntur S. Scripturæ loca ad eaſdem res ſuadendas, ut fidei congruas. Sic S. Baſilius in epiſt. canon. 1. ad Amphilochium can. 32. ex S. Scriptura ſuadere nititur Epiſcopum, Presbyterum, & Diaconum ob crimen etiam depoſitos communione Eccleſiaſtica privari non debere. Sic S. Hieronymus in epiſt. ad Theophilum ex S. Scriptura enititur oſtendere legitimam fuiſſe Pauliniani Fratris ſui, etſi annorum ætatis 30, factam a S. Epiphanio Ordinationem. Sic S. Auguſtinus lib. de fide, & oper. cap. 26. ex S. Scriptura ſatagit, ut probet quædam peccata eſſe excommunicatione plectenda. Sic S. Leo I. epiſt. 91. ad Ruſticum cap. 2. ex S. Scriptura docere ſe putat Presbyteros, & Diaconos non fore pœnitentiæ publicæ ſubjiciendos. Sic idem met S. Cyprianus ex S. Scriptura probat epiſt. 16. ad Presbyteros Carthag., epiſt. 30. ad Presbyteros Rom., epiſt. 33. ad Lapſos; 34. ad Presbyteros Carthag. Lapſis concedendam pacem, & Eccleſiæ communionem: & epiſt. 63. ad Cæcilium vino aquam in calice eſſe miſcendam. Sed & in laudatis locis ex S. Scriptura probare quidem enititur S. Cyprianus hæreticos eſſe Chriſti hoſtes, ut in epiſt. ad Jubajanum, & Pompejum: unam eſſe fidem, unumque baptiſma, ut in epiſt. ad Pompejum, & Epiſcopos Numidiæ: blaſphemantes in Patrem non conſequi remiſſionem peccatorum, ut in epiſt. ad Jubajanum: ſolam Eccleſiam Deo filios gignere, ut ad Pompejum: baptiſmum neceſsarium ad ſalutem, ut ad Stephanum: at ex S. Scriptura directe anabaptiſmum non confirmat. Dum vero ſuam dicit a Deo revelatam ſententiam, id accipiendum de impropria revelatione, qua omne id, quod cuique verius, & utilius videtur, Deo refert acceptum: nam alioqui S. Stephano objicienti traditionem, non revelationem, ſed veritatem oggerit: in epiſt. ad Quintum eam opinionem vocat *ſuggeſtionem* a Collegis ſuis acceptam: atque demum lib. de bono patient., & in epiſt. ad Jubajanum pleraque a Deo revelata refert, quæ divinæ revelationi proprie

prie referri accepta non debent. Diſpoſitionis autem divinæ nomine, quam traditioni Stephani opponit, non intelligit traditionem, aut revelationem divinam; ſed id intelligit, quod ex divina traditione humana argumentatione, ut ait Facundus Hermian. defenſ. trium Capitul. lib. 10. cap. 3, ſententiam ſuam ernere adnitebatur. Nam divina diſpoſitio juxta S. Cyprianum ibidem ejuſmodi eſt: Hæreticos eſſe Antichriſtos; ergo vitandos: Baptiſmum eſſe unum; ergo baptiſmum hæreticorum eſſe nullum. Tandem jam ultro citroque faſſus ſum quæſtionem hanc ad fidem pertinere: putaſſe S. Cyprianum nihilominus illam pertinere ad diſciplinam probavi; ideoque dicta repetere opus non eſt. Ad ea tamen: putavit perinde S. Cyprianus valorem baptiſmi hæreticorum pendere a ritu, & more Eccleſiarum, quæ illum aut validum, aut invalidum efficere poſſent: quippe de eo baptiſmo ſuis Collegis permiſit, ut variemode opinarentur; ideoque in Stephanum ſolum inſurrexit, quod vellet eumdem unum baptiſmum ab omnibus tenendum. Magno etiam inquirenti de Clinicorum baptiſmo reſpondit validum eſſe Clinicis collatum baptiſmum; attamen vult iterum illos baptizari apud eos, qui baptiſmum hunc validum eſſe inficias ibant. Demum SS. Firmilianus, & Baſilius a diverſarum regionum diſciplina, ac Epiſcoporum decretis rebaptizandi neceſſitatem repetebant. Sed in re certiſſima nolo plura congerere, præterque opus protrahere orationem.

Quæres, ſi quemadmodum S. Cyprianus, ita & S. Stephanus quæſtionem hancce de rebaptiſmo ad capita diſciplinæ, an potius ad fidei dogmata revocaverit? Revocaſſe ad primum cenſent nonnulli, ut Berti loco cit., exiſtimans ſaltem Stephani decretum non fuiſſe ſolemne, atque ex Cathedra, ut ajunt, pronunciatum: imo etiam poſt Concilium Nicænum non ad fidei decreta, ſed ad diſciplinam quæſtionem hancce pertinuiſſe, nec fortaſſe tranſiiſſe in dogma fidei ante Concilium Tridentinum, a quo ſeſs. 7. can. 11. quæſtio hæc tandem finita eſt. Et ſane nec a Nicæna Synodo hanc quæſtionem tanquam de fide definitam fuiſſe cenſent Natalis, Pagius, & Boucatius locis cit.; ex eoque confirmant, quod poſt Synodum Nicænam anabaptiſmus propugnatus fuerit a S. Baſilio, eumque ad diſciplinam, non ad fidem ſpectare docuerit. A S. Stepha-

phano vero decretum editum non fuiſse ex Cathedra, ex eo ſuadere nituntur Berti, & Scriptor de auctorit. Rom. Pontif. lib. 3. cap. 5, quod reſcripto non adjecerit in refractarios anathema, ſicuti neque a Nicæna Synodo can. 19. anathema adjunctum eſt, neque refractarios hæreſis nomine denuntiaverit, neque traditionem objectatam tenendam eſſe tanquam catholicum dogma. Addit Scriptor mox memoratus, quod neque juxta antiquam diſciplinam res in Synodo fuerit diſcuſsa: quam notam tamen jure merito explodit Doctiſſimus Berti. Fleurius autem lib. 7. hiſt. Eccleſ. ſcribit iccirco S. Stephani decretum ad fidei dogma non ſpectaſse, quod ab Eccleſia univerſa tanquam dogma fidei receptum nondum fuerit. At revocaſse ad ſecundum, ideſt S. Stephanum quæſtionem illam de baptiſmo ab hæreticis adminiſtrato, ut ad fidem pertinentem ſpectaſse, ac implicite ſaltem decreto illo definiviſſe, eique Eccleſiam, (Africanis, & Aſianis nonnullis exceptis,) adquieviſse propugnant alii, inter quos Tournellius, Honoratus a S. Maria &c., quam in ſententiam manibus, pedibuſque deſcendo.

Ductus 1. argumento negativo. Si enim ea ſemel aperiatur via impune dicendi Pontificum, & Conciliorum decreta cæteroqui de rebus fidei, ſpectanda tamen uti capita diſciplinæ eſſe, eo quod anathema illis non fuerit adjectum, aut expreſſe declarata de fide non fuerint, aut ita non fuerint declarata in Concilio generali, aut ita declaratis Eccleſiæ univerſæ conſenſus non acceſſerit, quid, quæſo, in re chriſtiana ſacrum erit, & tectum, quod levi negotio, inanibuſque diſtinctionculis a refractariis non elevetur, vel elidatur, aut eludatur? 2. Ductus argumento poſitivo. Nam S. Stephanus reſcriptum ſuum vocat traditionem: *Nihil innovetur*, inquit, *niſi quod traditum eſt*: rem ita traditam, ideſt haud rebaptizandos baptizatos ab hæreticis, ad fidem ſpectare fatentur adverſarii, ac poſtremo definivit Concilium Tridentinum: quid ergo in cauſsa fuit, quod S. Stephanus, & Nicæni Patres rem illam ad fidem non pertinentem ſpectaverint? Quia neſcierunt? At iſta calumnia, & injuria eſt. Quia noluerunt? At iſtud commentum eſt, & inventum; nec enim erat cur id ſimularent, ac conſuetudinem, ſive traditionem ab univerſa Eccleſia receptam,

& ſervatam ad fidei dogma pertinere, quominus definirent, illis eſset verendum. S. Stephanus inſuper anathema in refractarios comminatus fuerat, eſto a ferendo abſtinuerit; eaque de re in ipſum Firmilianus, & Cyprianus graviſſime fuerant commoti. At putas ne voluiſse Pontificem prudentiſſimum pro re ad diſciplinam ſpectante tantam Eccleſiæ partem, quantam conflabant Aſiani, & Africani Epiſcopi, ab Eccleſiaſtica communione amovere? Si vero Stephani œconomiam ſibi adhibendam rati Patres Concilii Arelatenſis I. can. 8; & Nicæni can. 19. pariter ab anathemate irrogando abſtinuerunt, iccirco ne tot Eccleſias Aſiæ, & Africæ in diſcrimen adducerent, a ſeveriori diſtringenda ſententia temperandum ſibi duxerunt. Præterea Romani Pontificis definitiones in re dogmatica edi oportere in Synodo, aut ut dogmatis robur obtineant, accedere illis Eccleſiæ univerſæ conſenſum neceſse fore inficior: cur vero inficier, plurimis, aut ego fallor, planum feci, ac, ſi ſuperis placet, faciam adhuc planius: nihilominus & S. Stephanus non rebaptizandos ab hæreticis baptizatos in Synodo decrevit, ut legere eſt apud Labbeum, Harduinum tom. 1, & Baluzium: S. Stephano (demptis Epiſcopis Aſianis, a quibus in duabus Synodis Iconii, & Synnadis an. circiter 256. in Orientalem Eccleſiam anabaptiſmus primum invectus eſt; & demptis Epiſcopis Africanis, a quibus in tribus Synodis an. 254, & 255, aut 256. Carthagine habitis veteri in Africana Eccleſia abrogata diſciplina nupera baptizandi hæreticos inducta ab Agrippino comprobata eſt, qui ſimul, ideſt ex Aſianis 50, ex Afris 87, ut ex S. Auguſtino lib. 3. contra Creſcon. cap. 3. apertum eſt, numerum 137. non exceſsere,) S. Stephano, inquam, Eccleſiam univerſam adhæſiſse ſatis, ſuperque ſuperius eſt demonſtratum. Nec ſane tanto Eccleſia univerſa conſenſu Romanæ Eccleſiæ ea in re cohæſiſset, niſi de re fidei actum eſset.

Ductus 3. graviſſimo veterum teſtimonio, quibus controverſia iſtiuſmodi apprime fuit comperta. Vincentius Lirinenſis in Commonit. cap. 9. controverſiam hancce Cyprianum inter, & Stephanum attexens, de S. Stephani decreto loquitur tanquam de dogmate fidei, non autem de aliquo dumtaxat veluti capite diſciplinæ: *Tunc*, inquit, *Papa Stephanus... reſtitit*, (nempe rebap-

baptizantibus) *dignum... existimans si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat*: subinde relato rescripto Stephani adnectit: *Intelligebat enim vir sanctus, & prudens nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur*. Subindicat magis sententiam suam addens. *Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus, & solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas*. Quæ sane postrema verba nonnisi in fidei quæstionibus adhibere ille assolet, quippe rebus fidei dumtaxat, non etiam disciplinæ, amica est antiquitas, & novitas inimica. S. Siricius in epist. ad Himerium Tarraconensem apud Labbeum tom. 2. Concil. statuens Arianos non esse iterum baptizandos, id in Synodo constitutum [Nicæna nempe] ait, & iccirco rebaptismum non licere: & S. Gregorius lib. 11. epist. 67. ad Quiricum, & refertur de Consecr. dist. 4. C. *Ab antiqua* 44, *Ab antiqua*, inquit, *Patrum institutione didicimus, ut quilibet apud hæresim in Trinitatis nomine baptizati, quum ad S. Ecclesiam redeunt, aut unctione Chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum Matris Ecclesiæ revocentur*. Quibus tum S. Siricius, cum S. Gregorius, post Nicænam Synodum saltem, eam de non rebaptizandis hæreticis traditionem ad fidem spectasse dilucide significant. Quid plura! Post Concilia Arelatense, & Nicænum Donatistas ab anabaptismo non abstinentes habitos ubique ut hæreticos; eosdemque dumtaxat tenacissime errori illi inhæsisse, reliquis cum Afris, tum Asianis ad veritatis lumen reversis, & ab errore revocatis, exploratum est: indicium id est manifestum S. Stephani, & Nicænæ Synodi decretum ab Ecclesia in eorumdem, quo cetera veniunt fidei dogmata, censum fuisse jam tum relatum, deputatumque extemplo ceu illud, quod fide integra violari deinceps nequiret.

Nec nos urget S. Basilius, (nam de aliis, quibus is quoque error affictus est, disputatur, ego vero disputationis hujusce pelagum, quod sit præter institutum, ingredi nolo,) quod in epist. canon. cit. ad Amphilochium can. 47. scripserit post Concilium Nicænum oportere haberi Concilium, ac decerni de baptismate Encratitarum, Saccophororum, & Apotactitarum, quos ipse

rebaptizabat, quamvis illorum rebaptizatio prohibita eſſet apud Romanos, alicujus œconomiæ gratia ut ait: quibus aperte ſignificat ſe non agnoviſſe dogma de baptiſmate hæreticorum a Concilio Nicæno, aut a S. Stephano diremptum, imo ab ſe agnitam rebaptizandi variam conſuetudinem veluti diſciplinæ caput, ut quam apud Romanos vetitam refert ad œconomiam. Non enim difficilis eſt reſponſio, non quidem quæ adhibita eſt a Tillemontio tom. 6. annot. 21. ad Concil. Nicæn. ajente S. Baſilium non noviſſe octavum Concilii Nicæni canonem; ſed quam adhibuit Noriſius in hiſt. Donatiſt. par. 1. cap. 10, videlicet S. Baſilium exiſtimaſſe canonem Nicænum de Paulianiſtis locutum, nihil interim ſtatuiſſe de rebaptizandis aliis hæreticis; eumque canonem non veluti ad fidei dogma, ſed ad diſciplinæ caput revocatum a Concilio fuiſſe: vel quam exhibet Tournellius loc. cit., videlicet quum canone Nicæno res aperte non definita fuerit, quippe de Paulianiſtis dumtaxat decretum eſt; atque nonniſi ex neceſſaria conſecutione, & ratiocinii circuitu ex can. 8, & 19. inferri poſſit baptiſma etiam ab hæreticis aliis collatum verbis a Chriſto inſtitutis validum eſſe, ideo fieri potuiſſe, ut S. Baſilius, (cui in Oriente verſanti Concilium etiam Arelatenſe in Occidente celebratum nec innotuit,) quod ex illis canonibus conſequens erat, non adverterit, adeoque in Eccleſia ſua adinventæ conſuetudini de rebaptizandis hæreticis adhæſerit: vel quam ſupra adhibuimus, nempe quemadmodum Agrippini, & quorumdam Afrorum exemplo abreptus S. Cyprianus S. Stephani ſenſum non eſt aſſecutus, ideoque in adverſum declinavit: ita Firmiliani, aliorumque Aſianorum errore abſtractus S. Baſilius Synodi Nicænæ intimam ſententiam non attigit, ſed in oppoſitam ſe diſtrahi a præjudicata opinione permiſit; quam integro religionis officio tenere cuilibet fas eſſe putavit.

Nec nos movet S. Auguſtinus, quod lib. 1. de baptiſ. cap. 18. ſcripſerit, antequam Concilii generalis auctoritate quæſtio finiretur, liberum fuiſſe Africanis, & Aſianis ſentire, quod mallent: quod lib. 2. cap. 7. affirmaverit, antequam Concilii generalis auctoritate quæſtio eliquaretur, S. Stephano abque piaculo reſiſtere potuiſſe S. Cyprianum: quod lib. 2. cap. 4. auctor fuerit ætate

S. Cy-

S. Cypriani de baptiſmo hæreticorum nullam factam fuiſse in Concilio plenario definitionem, cui procul dubio, ſi facta fuiſſet, ceſſiſſet S. Cyprianus: ideoque ab ſe rebaptiſmum abjudicari, quod univerſæ Eccleſiæ auctoritate rebaptiſmus abrogatus jam ſit: & quod cap. 9. ſit teſtatus ſolam conſuetudinem S. Cypriano oppoſitam fuiſſe: quaſi ex his inferri poſſit, quod a S. Auguſtino Stephani reſcriptum non fuerit agnitum uti fidei dogma; aut Stephani decretum veluti dogma fidei nequaquam receptum, donec illi Eccleſiæ univerſæ, ſeu Concilii œcumenici auctoritas acceſſiſſet. Nam initio a S. Auguſtino Sedis Apoſtolicæ judicium ſat eſſe ad fidei cauſsas finiendas, præſertim in cauſſis Pelagianorum, & Donatiſtarum, agnitum fuiſſe ſuo loco demonſtrabitur. Deinde S. Auguſtinus ſuammet ſententiam in locis objectis aperuit magis, nam lib. 2. cap. 7. conſuetudinem a Stephano commemoratam ex Apoſtolica traditione venire credit: *Quam conſuetudinem*, inquit, *credo ex Apoſtolica traditione venientem*: lib. 1. cap. 18. culpa non vacaſſe S. Cypriani reſiſtentiam Stephani decreto ſcribit, quod repetit epiſt. 48, nunc 93; & lib. 2. cap. 9. conſuetudinis illius commemoratæ a S. Stephano robore teneri tunc Orbem terrarum aſſerit: quibus ſatis ſignificat eam traditionem, ſeu conſuetudinem ad fidem ſpectaſſe. Itaque S. Auguſtinus ibidem loquitur juxta ſententiam S. Cypriani, ſcilicet de controverſia ſpectata, ut pertinente ad diſciplinam, quomodo ſpectata fuit a S. Cypriano: in iſtiuſmodi etenim controverſiis Concilio generali opus eſſe, quo in unum Epiſcopi convenientes de ſuarum Eccleſiarum conſuetudine conferant, atque num conſuetudo univerſalis ſit, utique cognoſcatur, ultro concedimus. Ita loquutum S. Auguſtinum legenti facile patebit: ſed ex eo apertiſſime patet, quod iiſdem in locis objectis, videlicet lib. 2. cap. 3. Concilia etiam generalia priora ſæpe a poſterioribus emendari affirmat; quod non affirmaſſet, niſi de Conciliorum decretis ſpectantibus ad diſciplinam, non autem ad dogma. *Ipſa*, inquit ibidem, *Concilia ſæpe priora a poſterioribus emendari, quum aliquo experimento verum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat*. Ex eo item, quod S. Cyprianum, dum S. Stephano obluctatus eſt, inquinaſſe ſe veniali culpa affirmavit S. Auguſtinus; atqui ſi de fidei dog-

dogmate cum Stephano a S. Cypriano actum fuisse S. Augustinus existimasset, ipsum gravissima culpa nequaquam caruisse novisset. Quis enim nesciat, aut neget Pontifici de fide decernenti omnes Christifideles obtemperare, auscultare, & obedire debere? Paullo fusius, ac forte quam par foret, fateor, in his immoratus sum, sed summopere intererat, ut tanti Doctoris authoritatem stare pro Apostolicæ Sedis privilegiis demonstrarem. Age modo ad Sanctorum Patrum Latinæ Ecclesiæ testimonia, ut exinde jugis ejusdem Ecclesiæ traditio innotescat, oratio decurrat.

Ex SS. Patribus Latinis, aliisque sacris Scriptoribus.

§. I.

SÆculo III, & IV. catalogum inchoet, & chorum ducat Tertullianus. Is libro de præscript. cap. 36, postquam cap. 22. S. Petro, ceu Petræ superstructam Ecclesiam, atque in Ecclesiam omnem potestatem adfirmasset, *Si Italiæ*, inquit, *adjaces, habes Romam; unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt?* Et infra: *Videamus*, subjungit, *quid didicerit, quid docuerit ista*: ita significans sane ad revincendos hæreticos solius Romanæ Ecclesiæ sat esse traditionem; cujus sequestrem, ac custodem eamdem Ecclesiam, Ecclesiarum cunctarum Matrem, & Magistram, nec non caussarum fidei infallibilem judicem, ut observat Lupus in hunc locum, supponit, & agit. Non equidem inficias eo a Tertulliano capp. 20, & 32. alias ab Romana Ecclesias appellatas, *Primas, Apostolicas, Matrices, & Originales*. Non eo tamen sensu, quem ei appingunt Heterodoxi, appellatas affirmo, quo nulla ceu Princeps cæteris præstet; sed quo eas a quoppiam Apostolorum primitus institutas, doctrinaque imbutas dixit, ac primas, idest primitivas, quæ proinde, quemadmodum cum Principe collegii Petro Apostoli cæteri apprime conveniebant, cum Romana omnium Principe Ecclesia, ceu cum unitatis centro, & capite erant fide conjunctæ. Ita significat sane, dum subdit: *Unam omnes probant Unitatem*: &: *Tot, ac tan-*

tæ

tæ Eccleſiæ una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes: ac dum non cum eadem laude de aliis loquitur, atque de Romana, quam, ut ex dictis liquet, egregiis, ac ſingularibus elogiis ſemper exornat, quamque lib. de pudicit. cap. 21. *Petri propinquam* vocat. Idem lib. 4. adverſus Marcionem cap. 5. *Videamus*, ſcribit, *quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Evangelium, & Petrus, & Paulus ſanguine ſuo ſignatum reliquerunt*. Itaque adverſus hæreticos dimicans iis demum armis ſibi agendum duxit, quæ traderet Romanæ Eccleſiæ doctrina, cui obſiſtendo impares illos probe dignoverat. Equidem Tertullianus, poſtquam ad Montani partes declinaſſet, S. Zephyrinum Pontificem Maximum, qui Mœchos, & adulteros pœnitentia peracta abſolvendos præceperat, traducere præſumpſit. Verum verbis ipſis, quibus lib. de pudicit. cap. 1. illum proſcindit, quanti penderetur ejus poteſtas, quantuſque Pontifex haberetur, vel nolens patefecit: *Audio*, ait, *eſſe edictum propoſitum, & quidem peremptorium: Pontifex ſcilicet Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit. Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. Ad hæc enim Tertulliani verba appoſite doctiſs. Albaſpinæus ſic advertit: *Quacumque ratione, aut mente de Romano Pontifice hæc dixerit Tertullianus, ſerio, vel per ludibrium, illis tamen temporibus penes eum poteſtatem fuiſſe de rebus fidei judicia peremptoria ferre, & totius Orbis Epiſcopos monere, atque docere quis non agnoſcit? Eoque magis, quod unus Tertullianus jam hæreſi implicitus de hac re cæteris Eccleſiæ Epiſcopis non reluctantibus conqueratur. Nam de his rebus cum oppugnando conjecturam facit, ea tempeſtate id juris Romanis Epiſcopis conceſſum fuiſſe, eoſque revera hanc poteſtatem exercuiſſe*.

Thomas tamen Mortonius Anglo-Calviniſta in ſua apologia lib. 2. cap. 1. hæc Tertulliani teſtimonia ut elevet, ſuæque potius, quam noſtræ patronum cauſsæ adſciſcat, ad Beati Rhenani ſcholia in lib. de præſcript. cap. 36. confugit, quæ in Tertullianum conſcripſit: atque quidem Rhenanum adnotaſſe a Tertulliano dictum unam eſse aliquam Eccleſiam, ex qua reliquæ, hanc tamen nulli loco affictam: ab illo laudibus exornatam Romanam Eccleſiam; non attamen tantam illam factam, quantam hodie fieri videmus; atque inter Apoſtolicas Eccleſias illam quidem ab illo enu-

enumeratam, non ſolam factam Apoſtolicam, hoc eſt ſummatim eam factam, non etiam ſummam confidentiſſime ſcribit Mortonius. At Mortonius inique agit, quamquam enim B. Rhenani ſcholia in Tertullianum a noſtris parvi pendantur, atque in indice librorum prohibitorum atro carbone notata fuerint, eo quia vel Tertulliani ſenſum integrum ſæpe non protulerit, vel corruptum aliqua ex parte ediderit, vel neſcio qua ductus ratione, diſſimulaverit, nihilominus nihil ex illis ſcholiis extundi poteſt, quo Tertullianum ex Rhenani interpretatione ſuæ cauſsæ ſuffragatorem habeat: ſi quidem ita ſcribit in ſcholiis ad lib. de præſcript. *Docet Tertullianus hos Apoſtolos primum inſtitutis per Judæam Eccleſiis, in Orbem deinde profectos apud unamquamque Civitatem Eccleſiam condidiſſe, quæ vocatæ ſunt Apoſtolicæ, a quibus cæteræ mutuo ſumpſerint doctrinam. Porro unam eſſe primam Apoſtolicam Sedem, a qua reliquæ, hanc nullo loco affigit (id vero jure, nam primo Antiochiæ, poſtmodum Romæ Sedem fixit S. Petrus,) præſcribit adverſus hæreſes a revelatione Chriſti, a doctrina Apoſtolorum, & a veritate Apoſtolicarum Eccleſiarum, Originalium ſcilicet, & Matricum, reliquam doctrinam omnem, quæ huic contraria ſit, de mendacio præjudicandam. Hortatur inſuper, ut qui pie curioſus eſſe velit, Eccleſias Apoſtolicas percurrat, in Achaja Corinthienſem; in Macedonia Philippenſem; Epheſinam in Aſia; Romanam in Italia: recenſet inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ. Porro magnifico laudis elogio Romanam Eccleſiam ornat, quum dicit*: Si autem Italiæ adjaces, habes Romanam &c. *Idem facit adverſus Marcionem lib. 4. ſic ſcribens*: Videamus quid Romani de proximo &c. *Ex quibus locis liquet, unde Apoſtolici nomen Pontifici Romano advenerit. Sed & in libro adverſus Praxeam, & aliis item locis non obſcure ſignificat, quantum valuerit illo quoque ævo Romani Præſulis judicium aliquid agnoſcentis, aut rejicientis*. Videlicet lib. 1. adv. Praxeam a Romano Pontifice, (quem Anicetum Baronius, Eleutherium Valeſius, & Maſsuetius, Victorem Coutantius, & Pagius, ſed Zephyrinum verius alii autumant,) cui quippe nondum plane Montani errores perſpecti erant, datas litteras pacis ad Eccleſias Aſiæ Cataphrygum ſuperſtitione infectas opera Praxeæ revocatas conqueritur. Quamquam enim falſa hic

a Ter-

a Tertulliano narrari reputet Natalis hiſt. Eccl. ad ſæcul. III. diſſert. 1., Pontificis tamen maximam poteſtatem, latiſſimeque patentem Tertullianus indicat. Quid enim, quæſo te, de Pontificis litteris Aſiani adeo ſolliciti fuiſſent, niſi eas maximo in pretio, maximoque ſibi fore præſidio perſuaſum habuiſſent? Pergit Rhenanus: *Hujus Eccleſiæ ſemper manſura auctoritas, quantum Orbi Chriſtiano profuerit, dum dogmatum concordiam ſartam tectam præſtat, ac undique pacem conſervat, hæc turbulenta tempora abunde docent, quæ præcipue cauſſa veteres Imperatores olim monuit, ut iſtam Sedem Flavius Conſtantinus privilegiis, Juſtinianus, & Gothorum Principes, qui primi ex Germanis Romanorum Reges extitere, Italiæ, & Provinciarum Domini; atque hos ſecuti Longobardi prædiis ampliſſimis; Carolus Magnus, Ludovicus Pius, atque Rudolphus Habiſpurgius terris, ac profana ditione extulerint, auxerint, & ornarint.* Hæc Rhenanus, ex quibus quis non perſpiciat fide peſſima Mortonium agere, dum aliam prorſus ipſi Tertulliani interpretationem appingit? Confer doctiſs. Boverium noſtrum lib. 3. demonſtrat. veræ, & falſæ Relig. demonſtr. 3. art. 3. ubi Mortonium id auſum, ut SS. Irenæum, Cyprianum, Ambroſium, Hieronymum, & Auguſtinum in partem aliam pariter vel invitos pertraheret, egregie refellit, & profligat.

S. Optatus Milevitanus in Africa Epiſcopus, ac Donatiſtarum acerrimus inſectator in libris adv. Parm. ſchiſma, erroreſque Donatiſtarum perſtringens, eo præſertim utitur argumento, quo potius in aciem producere non poterat, ſcilicet Apoſtolicæ Sedis auctoritate, quove præclarius ejuſdem privilegia celebrare nequibat. Libro 1. S. Melchiadis Pontificis Maximi ſententiam contra Donatiſtas depromens, clauſum judicium concludit: *Cæcilianus*, inquit, *omnium ſupramemoratorum ſententiis innocens eſt pronunciatus: etiam Melchiadis ſententia, qua judicium clauſum eſt.* Quem locum egregie illuſtrans Albaſpinæus, *Quaſi diceret*, ſubjungit, *etiam a Summo Pontifice abſolutus, poſt cujus judicium de Cæciliani innocentia non eſt dubitandum.* Libro 2. ſchiſmaticum, & hæreticum hominem provocat ad Cathedram S. Petri, a cujus unitate extorres ſchiſmaticos, a cujus fide devios hæreticos nuncupat; ex cujuſque continua ſucceſſione veram Chriſti Eccleſiam

deſignat. *Negare*, inquit, *non potes ſcire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, ... in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi defenderent, ut jam ſchismaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra unica, quæ eſt prima: ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus* &c. *Siricius hodie, cum quo nobis totus Orbis commercio formatarum* (de formatis alio loco egimus) *in una communionis ſocietate concordat*. Et paullo infra: *Probatum eſt*, ſubdit, *nos eſſe in Eccleſia Sancta Catholica, apud quos & Symbolum Trinitatis eſt, & per Cathedram Pĕtri, quæ noſtra eſt*. Ita enim Eccleſiæ veræ, & Catholicæ notam eſſe docet Romani Pontificis Cathedram. Exinde Donatiſtas Clavium poteſtate carere pugnat, quod S. Petri Cathedræ infenſi irent: *Claves*, inquiens, *legimus accepiſſe Petrum Principem ſcilicet noſtrum, cui a Chriſto dictum eſt*, Tibi dabo claves &c. *Unde eſt ergo, quod Claves regni vobis uſurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri veſtris præſumptionibus, & audaciis militatis? Ex hoc notandum*, ait heic Nicolaus Cardinalis Cuſanus lib. 1. de concordantia cathol. cap. 1, *quod qui ſe chriſtianum eſſe fatetur, neceſſario confiteri habet connexam eſſe Cathedram ſuam ad ſuccedentium Cathedræ S. Petro, & in ſocietate illius Cathedræ per unionem eſſe, alioqui chriſtianus non foret ... Eſt itaque verum*, concludit Cuſanus, *Unam eſſe Cathedram Petri, quoniam Cathedra Principatum regitivum ſignificat in Eccleſia*. Similia repetit lib. 6, & 7, de quo poſtremo tamen dubium eſt, num ejus genuinus ſit fœtus, antiquiſſimi tamen ſaltem eſſe Auctoris non dubitatur, quemque dubio procul germanum S. Optati eſſe fœtum adverſus Dupini, & Riveti leviſſimas conjecturas propugnant Balduinus, & Tillemontius tom. 6. not. 29. in Donatiſtas; *Beatus*, inquit, *Petrus præferri omnibus Apoſtolis meruit, & Claves regni Cælorum ceteris communicandas ſolus accepit*. Itaque juxta S. Optatum Cathedra S. Petri, ſucceſſorumque Romanorum Pontificum, unitatis Eccleſiæ origo, & principium quum ſit, ab eadem quoque in Eccleſiam univerſam derivari poteſtatem oportet. Et quidem quandoquidem Romana Eccleſia, ſeu Cathedra Romani Pon-

Pontificis a SS. Cypriano, Optato, Paciano, ac Synodo Aquilejenſi, a SS. Hieronymo, Auguſtino, Gelaſio I, & Stephano Lariſſenſi toties unitatis Eccleſiæ univerſæ centrum vocata eſt: exinde rite infert Petrus ipſe de Marca lib. de concordia cap. 2: eam eſſe vim unitatis, quæ principium, & originem a Petri Sede trahit, ut cum ea ſentiendi neceſſitatem ceteris imponat. At, ſodes dic, imponere ne poſſet Eccleſiæ univerſæ neceſſitatem una ſecum credendi, & ſentiendi, ſi ipſa de fide prave credendi peticlitaretur, neque ſupra Eccleſiam univerſam poteſtate polleret?

S. Ambroſius quid non egit, quid non ſcripſit, quid non docuit, ut quanti ab ſe penderetur, quantique ab aliis pendenda eſſet Apoſtolicæ Sedis qua fides, qua auctoritas, faceret palam, perſuaderetque? Is in orat. funebri de obitu fratris ſui Satyri auctor eſt a Satyro eos Epiſcop s ceu Catholicos agnoſci conſueviſſe, qui cum Romano Pontifice communione, & fide forent conjunctiſſimi: *Advocavit ad ſe*, air, *Satyrus* (prope diem moriturus) *Epiſcopum, nec ullam veram putavit, niſi veræ fidei gratiam, percontatuſque eſt ex eo, utrum nam cum Epiſcopis catholicis, hoc eſt cum Romana Eccleſia, conveniret*. Et ſane B. Satyrus quondam Sardiniam Inſulam tum temporis Luciferiano ſchiſmate aſperſam appulſus, eis dumtaxat Epiſcopis communione jungi voluit, qui cum Romana Eccleſia convenirent, quæ veluti catholicæ Religionis centrum omnes Chriſtifideles in unitate conjungit. Idem S. Ambroſius in cap. 3. epiſt. 1. ad Timoth. Eccleſiæ univerſæ Caput ſummum adſtruit Romanum Pontificem: *Eccleſia*, inquit, *eſt domus Dei, cujus hodie Rector eſt Damaſus*. Rogo autem, Rector domus eſt ne ceteris ſubditus? Pater Familias nonne ſupremas in familia partes gerit? Iterum lib. 4, & 5. de fide ad Gratianum: *Petro dixit* (Dominus), inquit, Ego rogavi pro te &c. Tu es Petrus &c. *Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat, quem quum Petram dicit, firmamentum Eccleſiæ indicavit*? Supra dixerat Petro in regimine Eccleſiæ ſucceſſiſſe Damaſum, ac reliquos deinceps Romanos Pontifices. Si igitur Petri firma, & indeficiens fides; eadem profecto in fide indeficientia, & firmitate donatos Romanos Pontifices docet. Inſuper comment. in Lucam de Navi Petri diſſerens:

Ergo, ait, *non turbatur hæc Navis, in qua prudentia navigat, abeſt perfidia, fides aſpirat. Quemadmodum enim turbari poterat, cui præerat is, in quo Eccleſiæ firmamentum eſt?* Exinde ergo de fide periclitari neque poſſe Romanum Pontificem eſt inferre, eo quod quemadmodum S. Petrus, ipſe quoque Eccleſiæ firmamentum ſit. Poſt hæc in Pſal. 40, *Ipſe*, inquit, *eſt Petrus, cui dixit* (Chriſtus) Tu es Petrus &c. *Ubi ergo Petrus, ibi Eccleſia, ubi Eccleſia, ibi nulla mors, ſed vita æterna: & ideo addidit*: & Portæ inferi &c. *Beatus Petrus, cui non Inferorum porta prævaluit, non Cæli porta ſe clauſit, ſed e contrario deſtruxit inferni veſtibula, patere fecit cæleſtia*. Jam vero exploratum eſt per portas inferi hæreſes intellectas ire: itaque in ſententia S. Ambroſii adverſus Sedem Apoſtolicam nulla unquam hæreſis prævalere poterit, atque ubi Apoſtolica Sedes, ibi jugiter vera Chriſti Eccleſia conſiſtet.

Synodi Aquilejenſis nomine adverſus Urſicinum ſchiſmaticum ad Imperatores Gratianum, Valentinianum, & Theodoſium epiſt. 11. ſcribens idem S. Doctor, parteſque S. Damaſi adjuvandas ſuſcipiens, quo demum id effecit modo? *Totius*, ait, *Orbis Romani Caput Romanam Eccleſiam, atque illam ſanctam Apoſtolorum fidem ne turbari ſineret, obſecranda fuit Clementia veſtra. Inde enim in omnes veneranda communionis jura dimanant*. Quibus quis non perſpiciat Romani Pontificis gemina privilegia a S. Doctore prædicari, & in omnem Eccleſiam poteſtatem, & præ ceteris Eccleſiis in fide indefectibilitatem? Sed & Synodi Capuanæ nomine in epiſt. 78. ad Theophilum Alexandrinum, qua obſecrat, ut pacis procurandæ Antiochenæ Eccleſiæ diro ſchiſmate divexatæ ſequeſter accederet, ſuggerit Synodi placitum illud eſſe, ut omnia ad Pontificem Romanum deferrentur, nec quidquam, quod illi diſpliceret, a Theophilo attentaretur: *Sane*, inquit, *referendum arbitramur ad S. Fratrem noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ: quoniam præſumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeant. Ita enim erit conſultum ſententiæ: ita pacis, & quietis ſecuritas, ſi id veſtro ſtatuatur conſilio, quod communioni noſtræ diſſenſionem non afferat; ut nos quoque accepta veſtrorum ſerie ſtatutorum, quum id geſtum eſſe cognove-*

ri-

rimus, quod Ecclesia Romana haud dubie probaverit, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur. Scilicet sciebat nil firmum, fixumque posse consistere, quod Romanus Pontifex improbasset, atque infirmasset. Quæ demum in epist. 81. ad S. Siricium habet, ejusmodi sunt, ut explicatiora desiderati nescio an possint: summisse etenim in Romano Pontifice recognoscit Pastorem summum, cujus Christifideles omnes dicto audientes esse debeant, cujusque sollicitudo, & cura sit undiqne irruentes ab Ecclesia hæreses dispellere, ac disperdere: *Recognovimus*, inquit, *litteris Sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi januam serves, & pia sollicitudine Christi ovile custodias, dignus, quem oves Domini audiant, & sequantur: & ideo quia nosti oviculas Christi, lupos facile deprehendes, & occurres quasi providus Pastor, ne isti morsibus perfidiæ suæ, feralique ululatu Dominicum ovile dispergant*. Et infra. *Itaque Jovinianum, Auxentium... quos Sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos*. Hisce, sexcentisque aliis Sedis Apostolicæ summam dignitatem Sanctus Doctor cohonestabat. Confer eumdem serm. 11, & 47; lib. de incarn. cap. 5; lib. de virgin. cap. 16, aliisque in locis. Adjunge etiam Hilarium Diaconum, qui vulgo Ambrosiaster audit inter opera S. Ambrosii, Comment. in epist. 1. ad Corinth. cap. 9; in epist. 2. capp. 11, & 12, ac in epist. ad Galat. cap. 1; S. Zenonem Veronensem lib. 1. tract. 13, & lib. 2. tract. 13; S. Philastrium lib. de hæres. cap. 145; S. Gaudentium Brixiensem pariter Episcopum in resp. ad Paulin., & serm. de SS. Petro, & Paulo; S. Pacianum Barcinon. Episcop. epist. 3. ad Sympron., & S. Paulinum Nolanum Poem. 19, a quibus ejusmodi de S. Petro, deque Romanæ Ecclesiæ Primatu ab eo illustrato prædicantur, deque privilegiis cum eodem Primatu connexis; ut eadem Romani Pontificis facta propria facile intelligas. Neque enim persequi omnia, orationeque comprehendere vacat, aut expedit, aut si facerem, rem facerem optatam, quum pleraque alia suppetant, quæ nullo prætermitti modo possunt.

S. Hieronymus tam liquido, & tam luculenter Romani Pontificis fidem extra omnem erroris periculum, eclipsimque patien-

di

di posuit, ejusdemque supra Ecclesiam auctoritatem evexit, ut susdeque omnia agere oporteat adversarios, detortisque sensibus ejus testimonia subjicere, si illis se vinci omnino pati nolint. Enim vero in epist. 16. ad Principiam se cum Paulino, & Epiphanio Romam Ecclesiastica necessitate tractum scribit: subditque Romæ existere portas tutissimas totius catholicæ communionis, uti refertur Can. *Hæc est fides* 24. q. 1, *S. Romana*, ajens, *Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino providente, & B. Petro Apostolo opem ferente in futuro manebit sine ulla hæreticorum insultatione firma, & immobilis omni tempore persistet*. In epist. 57. ad S. Damasum, licet diurna, nocturnaque manu litteras sacras versaret, licetque ad eum qua ex Occidente, qua ex Oriente undique omnes pro dubiorum solutione confluerent, confugit ipse, ut quid sibi in celeberrima quæstione tanto tum temporis animorum æstu in utramque partem a Paulini, qui unam, & Meletii partiariis, qui tres adstruebant, exagitata de una, an tribus in Deo dicendis hypostasibus tenendum, dicendumque esset, Apostolico judicio intelligeret: *Quoniam*, inquit, *vetusto Oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam, & desuper textam minutatim per frusta discerpit, & Christi vineam exterminant vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi, ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi . . . Apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas. Ibi cespite terra fecundo Dominici seminis puritatem centeno fructu refert . . . Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A sacerdote victimam salutis; a Pastore præsidium ovis flagito . . . Cum successore Piscatoris, & discipulo Crucis loquor: ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio . . . Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est qui Christi non est, Antichristi est*. Quibus verbis siquis lucem adsciscere velit, vi-

videat ne obſcuret magis, magiſque obnubilet. Certe Eraſmus Comment. in hanc S. Hieronymi epiſtolam ad ea verba: *Extra hanc domum*: *Hic*, inquit, *Hieronymus omnino videtur ſentire omnes Eccleſias debere ſubeſſe Romanæ Sedi; aut certe ab hac non alienas, quæ peculiariter Apoſtolo gloriatur, qui inter Apoſtolos primas tenuit, & ſic eſt orthodoxa, ut ſit orthodoxorum prima dignitate*. Quæ plane ſufficere debent, ut prudens dijudicet lector, quam perperam dixerit Gerardus a partibus Lutheri Eraſmum ſemper ſtetiſſe; quamque impudenter fecerit Spalatenſis, dum lib. 1. de republ. Eccleſ. cap. 3. §. 9. in ſuam partem S. Hieronymum trahere, Primatuſque Pontificii adverſarium agere non erubuit.

Idem S. Doctor lib. 3. adverſus Ruffinum cap. 5. ipſi jactanti fidei ſuæ confeſſionem probatam Italiæ Epiſcopis fuiſſe, reponit a Romano potius Pontifice illam fuiſſe probandam: ſiquidem ipſius una ſententia inconcuſſa loco ſtet, ceterorum vero Epiſcoporum ſtet ipſo jubente, aut cadat. *Miror*, reſpondet, *quomodo probaverit Italia, quod Roma contempſit! Epiſcopi ſuſceperint, quod Sedes Apoſtolica condemnavit!* & cap. 6. Ruffinum arguens, quod ob Origenis defenſionem ab S. Anaſtaſio Papa damnatus adquieſcere illius judicio detrectaret, cui totus Orbis jam adhæſiſſet, *Tantum*, inquit, *Romanæ Urbis judicium fugis, ut magis obſidionem barbaricam, quam pacatæ Urbis velis ſententiam ſuſtinere*. Nihilominus Ruffinus Eccleſiæ Romanæ judicio ſibi obtemperandum probe noverat, ſed ab Anaſtaſii ſententia reſcripto quodam Siricii, cui obrepſerat aliquando, ſe obtegebat. Romanam quinimo Eccleſiam hæreſis prorſus expertem, nullaque unquam inquinatam fuiſſe faſſus eſt in explicatione Symboli verbis illis: *Nulla hæreſis in Eccleſia Urbis Romæ ſumpſit exordium*. Pelagius ipſe apud S. Hieronymum in epiſt. ad Demetriadem 8. inter Hieronymianas, *Te*, inquit, *pro charitatis affectu præmonendam puto, ut S. Innocentii, qui Apoſtolicæ Cathedræ ... ſucceſſor eſt, teneas fidem; nec peregrinam ... doctrinam recipias*. Idemque in explanatione Symboli ad Damaſum, ſimilia repetit, quam non ſecus, ac præcedentem epiſtolam ad Demetriadem, olim perperam S. Hieronymo attributam, atque epiſt. inter Auguſtin. 17. in Append. tom. 2, ex Oroſio

sio in apolog., Pelagio attribuendam esse patet, & quidem epistolam ex S. Augustino lib. de gratia Christi cap. 22. & seqq., & epist. 143. ad Julianam Demetriadis matrem: explanationem vero patet ex eodem S. Augustino lib. de peccato origin. cap. 21; & S. Zosimo Papa epist. 2. ad Africanos Episcopos in causa Pelagii. Post Pelagii fata huic explanationi assuta nonnulla ad hæresim Eutychetis de confusione utriusque in Christo naturæ; Joviniani de impeccabilitate hominis; & Elipandi de filiatione Christi adoptiva pertinentia putat Launojus in dissert. de confessione Pelagii, repugnat vero Garnerius dissert. 5. de libellis fidei editis a Pelagianis par. 1. operum Marii Mercatoris. Ut ut sit ea in explanatione, *Siquid*, inquit, *parum caute positum est, emendari cupimus a te, qui Petri & fidem tenes, & Sedem*. Similia habet in profess. fidei apud Gennadium, de quo paullo infra.

S. Augustinus, cujus quum maxime in Ecclesia audiat auctoritas, maximi etiam habeatur ab adversariis, proinde diligentius est perpendendus, ut dilucide, quoad ejus fieri poterit, adpareat, quam de Apostolica Sede animo præconceptam gesserit, opinio. Ergo S. Augustinus de causa Donatistarum agens in Psalmo abecedario contra partes Donati, *Numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte, ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ*. Psalmum hunc ad rithmi modum, styloque facili adornaverat in gratiam plebis, ut illius captu, & cantu de dogmate catholico edoceretur. In epist. 162. ad Episcopos Donatistas, *Carthago non mediocris*, inquit, *auctoritatis habebat Episcopum Cæcilianum, qui posset non curare conspirantem inimicorum multitudinem, quum se videret, & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Catholicæ Cathedræ viguit Principatus, & ceteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum; ubi paratus esset causam suam dicere* &c. In epist. 157. *Me*, scribit, *apud Cæsaream præsente venerunt, quo nos injuncta a Venerabili Papa Zosimo Apostolicæ Sedis Episcopo Ecclesiastica necessitas deduxerat*. Nempe ea quoque Emeritum Donatistam Episcopum refellendi gratia, & refutandi. Legendus etiam lib. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 11. Ex quibus

bus id liquet 1. Romani Pontificis ſupremam poteſtatem agnitam probe a S. Auguſtino, eidemque obtemperandi neceſſitatem omnibus impoſitam. Neque plane aliorſum poſse accipi S. Auguſtinum patet etiam ex epiſt. 165. ad Generoſum, qua ordinem Epiſcoporum a S. Petro, in quo ædificata Eccleſia eſt, numerandum eſſe ſcribit; ex epiſt. 261. ad Cæleſtinum; ex lib. de peccat. origin. adv. Pelagian. cap. 8, & lib. 2. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 3, de quibus mox, in quibus ſic agit, & loquitur, ut re, ac ſermone Romano Pontifici S. Petri ſucceſſori præcipuam in Eccleſia poteſtatem a Chriſto fuiſse concreditam confirmet. Liquet 2. Romanum Pontificem de fide periclitari non poſse; adverſus ipſum inferi portas non eſſe unquam prævalituras; illique Chriſtifidelibus omnibus firmiter fore adquieſcendum S. Doctorem affirmaſse.

Atqui & agentem de cauſsa Pelagianorum S. Auguſtinum præſtat audire. Ergo in epiſt. 92. nomine ſuo, & Concilii Milevitani ad S. Innocentium I. inſcripta, poſtquam officii loco ſe habere dixiſset, quæ de novo in Eccleſia emergerent, mala ad Apoſtolicam Sedem deferre: *Nova*, ſubdit, *hæreſis*, *& nimium pernicioſa tempeſtas ſurgere inimicorum gratiæ Chriſti cæpit. Sed arbitramur adjuvante miſericordia D. N. J. Chriſti, qui Te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati Sanctitatis tuæ de SS. Scripturarum auctoritate depromptæ facilius eos, qui tam perverſa, & pernicioſa ſentiant, eſse ceſſuros*. Ita potius quam a Concilio, a Sede Apoſtolica prolato judicio hæreſes exterminari, & catholicos in fide firmari docebat. Conſer & epiſt. 95. ad eumdem Pontificem circa finem, cujus & ipſe meminit lib. de peccato orig. cap. 9. In epiſt. 157. ad S. Optatum, *Injuncta nobis*, ſcribit, *a Venerabili Papa Zoſimo Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo Eccleſiaſtica neceſſitas ad Cæſaream in Mauritania nos traxerat* &c., de quibus ſuperius. Et infra. *In verbis*, inquit, *Apoſtolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa, ac clara eſt catholica fides, ut nefas ſit dubitare catholicis chriſtianis*. Quæſo quid illuſtrius excogitari valet ad infallibilitatem Apoſtolicæ Sedis adſtruendam? Quid quoque validius ad exſufflandum adverſariorum excogitatum ad eam infallibilitatem Eccleſiæ conſen-

ſum præmiſſo examine neceſsarium eſse effutientium? Libro 1. ad S. Bonifacium de Pelagianis ita loquitur cap. 1. *Quum vero non deſinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oves aditus undecumque rimari, communiſque ſit omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio, quamvis ipſe in eo præemineas celſiore faſtigio, ſpecula paſtoralis; facio quod poſsum pro mei particula munerīs, ut peſtilentibus, & inſidiantibus eorum ſcriptis medentia, & munientia ſcripta prætendam, quibus rabies, qua furiunt, aut ipſa ſanetur, aut a lædendis aliis repellatur.* Poſt hæc pergit. *Hæc ergo, quæ iſtis duabus epiſtolis illorum iſta diſputatione reſpondeo, ad tuam potiſſimum dirigere Sanctitatem, non tam diſcenda, quam examinanda, & ubi forſitan aliquid diſplicuerit, emendanda conſtituo*: & lib. 2. ad eumdem Bonif. cap. 3, *Litteris*, inquit, *Beatæ Memoriæ Papæ Innocentii de hac re dubitatio tota ſublata eſt.* Qua ſcribendi, & agendi ratione plane oſtendit Romani Pontificis non modo primas eſse partes univerſæ Eccleſiæ proſpicere, ſed illi imo ab Epiſcopis omnibus factorum ſuorum rationem eſse reddendam, ejusque judicio ſcripta ab ſe exarata ſubjicienda, ut eo in judicio, quod in diſcrimen nullo modo adduci poteſt, quove imo de fide dubitatio omnis auferri debet, utpote indefectibili prorſus, experta vel rata teneant, vel non recta emendentur. Libro 2. operis imperfecti contra Julianum in reſp. ad 103. interrog. Juliano petenti Concilium, in quo Pelagiana quæſtio penitius diſquireretur; *Quid adhuc*, reſpondit, *quæris examen, quod jam factum eſt apud Apoſtolicam Sedem? Damnata ergo hæreſis non adhuc ab Epiſcopis examinanda, ſed coercenda eſt a Poteſtatibus chriſtianis.* Quid diſertius, quæſo, expromere potuit S. Doctor, ut doceret Pontificum definitiones non indigere, ut ab Epiſcopis acceptentur, aut ut obtineant, eiſdem in anteceſsum debere Eccleſiæ conſenſum accedere? Illuſtrius, & luculentius eſt adhuc, quod lib. 1. contra Julianum cap. 4. teſtimonium profert S. Doctor, quo Juliano provocanti ad Concilium Epiſcoporum Orientalium reſpondens, *Si Orientis*, inquit, *Eccleſia ſuam contra veſtros errores nondum manifeſtavit ſententiam, puto tibi ſufficere debere eam Orbis partem, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio*

rio coronari; & cui præſidentem B. Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tum periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille Sanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes, & Romana cum ceteris tenet perſeveranter Eccleſiis. Similia habet epiſt. 106, *Miſſæ ſunt*, ſcribens, *de hac re a duobus Conciliis* (Carthaginenſi, & Milevitano) *relationes ad Apoſtolicam Sedem &c. Ad omnia nobis Innocentius Papa reſcripſit, eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem.* Utroque hoc loco ſiquis Romano Pontifici adſertam a S. Auguſtino infallibilitatem non intueatur, neſcio an is in luce meridiana non cæcutiat, & ad rei in oculos inſilientis aſpectum non caliget.

Appoſite itaque, ſapienterque plerique, iique doctrina præſtantiſſimi Galliarum Præſules ex libro mox laudato ad ſuadendam Queſnellianis omnimodam Clementinæ Conſtitutioni *Unigenitus* obedientiam loca protulerunt in medium, collatiſque locis aliis plurimum exornarunt, illuſtrarunt que: atque ſignanter quidem, dum Forojulienſis adhuc eſſet Epiſcopus, poſtea Cardinalis de Fleuri in Mandato paſtor. anno 1714. ejus rei gratia edito, ut Janſeniſtarum adverſus præmem. Conſtitutionem conatus infringeret; nec non Clariſſ. Boſſuetius in epiſt. ad Moniales Portus Regii: nempe quo modo abſque Orientalis Eccleſiæ declaratione ſola Sedis Apoſtolicæ damnatio ſat fuit ſuperque ad Pelagianam hæſim proſcribendam; ita ad proſcribendum Acacium Patriarcham Conſtantinopolitanum: *Quamvis objiceretur*, inquit, *Acacium tantæ ſedis Epiſcopum in Concilio nondum fuiſſe damnatum; nihilominus totus Oriens ſe obſtrictum credidit ſoli Romani Pontificis auctoritati cedere.* Quæ Boſſuetii verba ſua quoque fecere D. De Languet Archiepiſcopus Senonenſis in monito 2. ad ſuæ olim diœceſeos refractarios, ubi audacem Ravechet Sorbonæ Syndicum, nonniſi præhabito Epiſcoporum conſenſu conſtitutioni *Unigenitus* parendum fore, pronunciantem acriter perſtringit; Cardinalis de Tencin in docum. Paſtorali an. 1728; Cardinalis de Noailles in mandato de editione laudatæ epiſtolæ Boſſuetii, ubi declarat eamdem germanam eſſe diœceſis ſuæ doctrinam, & quidem in clara, & conſtanti ipſius traditione fundatam, firmatamque; ac D.

de S.Albin Archiepiſcopus Cameracenſis in mandato paſtorali adverſus celebrem Conſultationem 50. Cauſidicorum. Quod obiter obſervari volui, ut qui illis aures accomodare non detrectant, ab illis non denegare Pontifici diſcant. Poſtremo quum Synodi Carthaginenſis, & Milevitanæ Patres damnatis erroribus Pelagii S. Innocentium Summum Pontificem datis ad eumdem litteris obſecraſſent,ut latam adverſusPelagianos ſententiam auctoritate ſua confirmaret, annuenſque Pontifex id præſtitiſſet, S. Auguſtinus Apoſtolici reſcripti vix accepta notitia confeſtim pronunciavit habito ſermone 131, alias 2. de verbis Apoſtoli cap. 10. *Jam enim* inquiens, *de hac cauſa duo Concilia* (Carthaginenſe, & Milevitanum) *miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam* (una cum Synodica, quam ipſemet conſcripſit, de qua ſuperius dictum:) *inde etiam Reſcripta venerunt: Cauſa finita eſt: utinam aliquando finiatur error.*

Mirum in modum Pontificiæ infallibilitatis hoſtes torquet hoc teſtimonium: atque quidem ſtupeſcere eſt,quot in partes undique, valgiterque diſtracti ſe vertant, ut illud eludant, aut evacuent. Maimburgus in tractatu hiſtor. de Eccleſiæ Romanæ privilegiis cap. 28. contendit eo loci ſignificari a S. Auguſtino cauſſam Romæ finitam fuiſſe, non etiam alibi. Natalis hiſtor. Eccleſ. ad ſæculum XV. & XVI. diſſert. 4. fuiſſe equidem Romæ finitam cauſſam, non eo tamen ſenſu, quod a Concilio generali revocari ad incudem nequiret amplius. Dupinus de antiq. Eccleſ. diſcipl.diſſert.5.art.2. fuiſſe finitam eo ſenſu vult,quod poſt Romani Pontificis damnationem omni defenſione ſpoliata fuiſſet; animumque deſpondiſſent Pelagiani fore, ut altero ſubjiceretur judicio. Anonymus Lovanienſis, ſive De With de loc. Theolog. tom.3. diſſert. 5. fuiſſe finitam non ſolo Romani Pontificis judicio,ſed etiam alias ob rationes. Anonymus alter auctor operis inſcripti: *Juſtification des diſcours, e de l' hiſtoire de Monſieur l'Abbè Fleuri* pag. 306. pugnat fuiſſe finitam præſumptive potius,quam aſſeveranter. Anonymus auctor diſſert. in eum locum S. Auguſtini *Cauſa finita eſt* S. Auguſtino firmum ſatis hoc argumentum ex Pontificis decreto viſum non fuiſſe, quum bis tantummodo in tot libris adverſus Pelagianos elucubratis, contra quos tot aliis argumentis

tis dimicat, Sedis Apoſtolicæ auctoritate utatur. Boſſuetius defenſ. declar. par. 2. lib. 14. cap. 4. fuiſſe finitam, quia apertiſſima quæſtio erat, & aliunde Pontificiis Innocentii, ac Zoſimi decretis Eccleſiæ conſenſus ubique acceſſerat. Tournellius in tract. de Eccleſia tom. 2. q. 5. art. 3. obtendit fuiſſe finitam Eccleſiæ univerſæ judicio, & ſententia. Hunc autem Eccleſiæ univerſæ conſenſum Boſſuetius, & Tournellius oſtendere adnituntur teſtimoniis SS. Auguſtini, & Proſperi, necnon Marii Mercatoris. Profert Tournellius & Concilii Hieroſolymit. auctoritatem, in quo jam prædamnatos Pelagianos confidentiſſime aſſerit.

Aſt vaniſſima eſſe effugia iſthæc, atque ad evadendum excogitata facile fit palam. Nam 1. in eo Concilio Hieroſolymitano anno 415. habito certiſſime damnatus non eſt Pelagius; ejuſdem enim Patribus Pelagium fucum feciſſe potius, ejuſque cauſſam exinde delatam ad tribunal S. Innocentii I. auctores ſunt S. Auguſtinus in lib. de geſt. Pelagii cap. 14, & Oroſius apologiæ capp. 3, & 4; quin & Tournellius ipſe fatetur in tract. de Gratia q. 3. a ſemet plane diverſus. Marius Mercator equidem common. cap. 3. alterius Synodi Hieroſolym. anno 416. habitæ Præſide Theodoto Antiocheno meminit, ejuſdemque ſententia e Civitate ſancta Pelagium ejectum. Auctor eſt tamen hæretici hominis cauſſam miſsa Synodica a Theodoto ad Romanum Pontificem delatam fuiſse, dimiſſamque. 2. Quid autem quod S. Auguſtinus paucos poſt menſes, ideſt 7. vel 8. a lato Innocentii decreto confeſtim publice pronunciavit cauſsam Pelagianam fuiſse finitam, uti cum aliis obſervant doctiſſimi Patres Benedictini in præfat. tom. 10. oper. S. Auguſtini; Dominus Madot Epiſcopus Cabilonenſis in epiſt. 1. ad D. De Gruge advocatum general. an. 1715, legiturque in libris gallice inſcriptis *Tochſins Catholiques*; Tournellius ipſe de Eccleſ. q. 3. art. 2; D. De Montagne Doctor Pariſienſis in Tournellio contracto de Gratia diſp. 1. art. 2. §. 1; Auctor operis gallici, cui titulus *Refutation de l'appel au futur Concile* pag. 110, aliique? ideoque eo tempore, quo id pronunciavit S. Auguſtinus, S. Innocentii decreto nondum acceſserat Epiſcoporum ubique conſenſus, aut ſaltem jam tunc id S. Auguſtino nondum innotuerat. 3. Ad hæc quando S. Auguſtinus in epiſt. ad Optatum; lib. ad Boni-

fa-

facium; & lib. adversus Julianum; Marius Mercator, & S. Prosper scripserunt, quod Pelagiana hæresis a toto Orbe terrarum universali Episcoporum subscriptione damnata fuerat, id scripserunt pluribus a pronunciato Innocentii decreto elapsis annis, intra quorum scilicet spatium innotescente per Orbem Pontificia sententia officii loco Episcopi cuncti eidem obtemperare duxerunt. At S. Augustinus jam pridem causam finitam pronunciaverat, vix elapsis, ut dixi 7, vel 8 Mensibus a laudato Innocentii decreto. Quorsum ergo S. Augustini, S. Prosperi, & Marii Mercatoris testimonio abutuntur ad probandum ab Ecclesia universali Pelagii errores jam fuisse proscriptos? 4. Apathes perpendas, te quæso, S. Augustini verba. Non ait Pelagianam causam Ecclesiæ universalis judicio finitam, bene vero finitam Sedis Apostolicæ, idest S. Innocentii rescripto: *Inde*, inquit, *rescripta venerunt: causa finita est*. Quin imo Juliano petenti Concilium, & provocanti ad Orientales Episcopos apertissime respondit S. Augustinus cit. lib. 2. operis imperfecti novi non esse necesse examinis, abunde esse ab Apostolica Sede examen habitum, ab eaque Sede damnatam hæresim non amplius ab Episcopis examinandam: & cit. lib. 1. contra Julian. cap. 4. etiam si Orientalis Ecclesia causæ Pelagianæ esset nescia, suamque contra Pelagianos sententiam nondum manifestasset, sat esse superque Apostolicæ Sedis judicium, ut dubitatione omni procul hæresis Pelagiana ubique pro damnata haberetur.

Utor permisso tandem. Ex aliis plerisque S. Augustini supra laudatis, vel alibi descriptis testimoniis apertissimum fit hunc citati loci genuinum S. Augustini esse sensum, scilicet unius Sedis Apostolicæ judicio fidei causas finiti, ideoque Romani Pontificis irreformabile prorsus, atque infallibile esse judicium: apertissimum quoque fit non bis, sed ter, quaterque sæpe, ac semper id affirmasse S. Augustinum, semel a Sede Apostolica prolato judicio adquiescendum, non eidem, ut firmum, fixumque evadat, necesse esse, ut Episcoporum etiam judicium antecedat, sed istud imo subsequi: neque fas cuiquam fore dein in alienam, diversamque abire sententiam. Ita quippe, (ut verbo reperam,) in epist. Synodica ad S. Innocentium scribit ea in causa, etiamsi in duobus Con-

Conciliis hæresis Pelagiana damnata fuisset, Apostolicæ Sedis adhuc judicium adhibendum, ut hæretici demum conticescerent, Orthodoxi vero conquiescerent. S. Innocentius vero rescribens e re ipsorum fuisse affirmat, ut ad se ea in caussa ab ipsis decreta deferrentur, ab Apostolica Sede, ad quam utpote res dubiæ, ac difficiles, pertinentesque ad fidem præsertim referendę sunt, & a qua responsa sunt expectanda, sententiam aduturi supremam, unde subdit: *Pelagium, Cælestiumque &c. Ecclesiastica communione privari Apostolici vigoris auctoritate censemus.* Ita quoque lib. 1, & 2. ad Bonifacium præcipuas, ac primas esse Romani Pontificis partes scribit de caussis istiusmodi summo jure dijudicare: ex officio Episcopis incumbere ejus dicto audientes esse; ejusdemque judicio demum ea in caussa dubitationem omnem esse sublatam. Ita in epist. 106, & lib. 1. contra Julian. cap. 4. rescriptum ab Apostolica Sede emanasse ait, quale ab illa Sede expectare erat, quod scilicet antiquitus perseveranter tenet, & tradit. Ita lib. de peccato origin. cap. 7. testatur Cælestium ipsum sibi objecta a Diacono Paulino damnare noluisse, S. Innocentii tamen litteris non ausum obluctari, & obsistere, damnaturum se spopondisse, quod illa Sedes damnasset. Ita in epist. 162, & 157. in Romana Ecclesia Apostolicæ Cathedræ vigere Principatum; atque in verbis Apostolicæ Sedis tam antiquam, fundatam, claram, & certam esse Catholicam fidem affirmat, ut nefas sit de illa dubitare Christiano. Ita lib. 1, & 2. contra Julianum Apostolicæ Sedis sufficere examen, judiciumque ad confirmandam fidem, ad explodendam hæresim scribit; nec opus esse Concilio; neque exquiri ante oportere Orientalium Episcoporum consensum. Quid plura? Sanctus Prosper in Chronico pariter auctor est hæresim Pelagianam ab universa Ecclesia demum damnatam, ubi a Romanis Pontificibus approbe damnatam agnovit: *Concilio*, ait, *apud Carthaginem habito 217. Episcoporum, ad Pontificem Zosimum Synodalia decreta perlata sunt: quibus probatis* (ecce tibi subsequutum Ecclesiæ consensum) *per totum Mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Itaque sensu isto S. Augustinus enuntiaverat: *Inde rescripta venerunt: Caussa finita est.*

Atque quidem hunc S. Augustini eo in loco genuinum esse sensum

ſum agnoverunt, atque ultro apertiſſime affirmarunt doctiſſimi Galliarum Antiſtites, & Theologi, (quos Gallis illis paullo moroſioribus offendere modo velim,) D. de Fenelon Archiepiſcopus Cameracenſis in mandato paſtorali an. 1714; D. Madot Epiſcopus Cabilonenſis in epiſt. ſupra laudata; Eminent. Cardinalis de Mailli Archiepiſc. Remenſis in mand. paſtor. an. 1718: D. de Belſunce Epiſc. Maſſilienſis in docum. paſtor. an. 1736. adverſus duos ſermones Genevenſium; D. de Languet Archiep. Senonenſ. in epiſt. 5. paſtor. ad Clerum Sveſſionenſem; Epiſcopus Bellovacenſis in ſerm. Synodico an. 1714; Emin. Cardinalis de Tencin, dum eſset Archiepiſcopus Ebredunenſis in docum. paſt. an. 1728. eamdem doctrinam eſse affirmans D. Johannis Franciſci de Gondi in ſuo mandato an. 1653; D. de S. Albin Archiepiſcopus Cameracenſis in docum. paſtorali an. 1739, S. Vincentius de Pauli, uti legitur in Bulla canonizat. a Clemente Papa XII. an. 1737. edita; nempe eum S. Auguſtini locum adhibebant Gallicani Antiſtites, & Doctores, ut pari modo Ianſeniſtarum, & Queſnellianorum cauſsam finitam adſtruerent; iccirco quod ea in cauſsa pariter Romani Pontifices ſuum judicium protuliſsent. Sed de S. Auguſtino jam nimis. Adiſis doctiſſ. Soardum de argumento hocce egregie agentem.

Sæculo V, & VI. Philippus Presbyter S. Cæleſtini Legatus ad Concilium Epheſinum, Concilio generali coram Romanum Pontificem *Caput totius fidei* pronunciavit. Paſchaſinus alter S. Leonis Legatus ad Concilium Chalcedonenſe in eo Pontificem appellavit *Caput Univerſalis Eccleſiæ*. Sed de illis ſatis dictum, ubi de laudatis Conciliis dicebam. Johannes Caſſianus genere quidem Scytha, ſed incolatu cum Romanus tum Gallus, Semipelagianorum etiam aliquando erroribus aſperſus, ſed obſequio, devotioneque erga Apoſtolicam Sedem optime inſtitutus, lib. 3. de Incarnatione cap. 12, *Interrogemus*, inquit, (de S. Petro, *ſummum illum & inter magiſtros Magiſtrum, qui Romanæ Eccleſiæ gubernaculum regens, ſicut fidei habuit, ita & Sacerdotii Principatum*. Paucis, ut vides, privilegium utrumque Pontificis Romani perſtringit. S. Petrus Chryſologus ſerm. 107. *Petrus*, inquit, *eſt Cuſtos fidei, Petra Eccleſiæ, Janitorque Cælorum*: ſerm. 154. *Petrus*, repetit,

petit, *a Petra nomen adeptus eſt, quia primus meruit Eccleſiam fidei firmitate fundare*; & ſerm. 175. *Edicto*, ait, *Cæſaris & Pagani* (Auguſti) *Dominus obtemperaturus occurrit, & decreto B. Petri Principis Chriſtiani ſervus adhuc aliquis irreverenter obſiſtit?* Duobus hiſce locis Romani Pontificis cum fidem eclipſim pati non poſſe, tum præcepto obedientem quemlibet eſſe oportere expreſſe docet. Sed id enucleatius adhuc exprimit in epiſt. ad Eutychetem part. 1. Concil. Chalcedon. *In omnibus*, Eutychetem alloquitur, *hortamur te, ut his, quæ a Beatiſſimo Papa* (Cæleſtino) *Romanæ Urbis præſcripta ſunt, obedienter attendas. Quoniam B. Petrus, qui in propria Sede vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis, & fidei extra conſenſum Romanæ Civitatis Epiſcopi cauſas fidei audire non poſſumus*. Duo, ut audis, dicit, de fidei rebus aures accommodandas Romano Pontifici; neque abſque Romani Pontificis conſenſu licere cuipiam etiam Epiſcopo de fidei rebus agere. Putas ne vero id dixiſſet, ſi Pontificem errori in fide obnoxium exiſtimaſſet, aut illum Concilii auctoritati eſſe ſubjectum?

S. Proſper, poſtquam quid ipſe de ſpeciali infallibilitatis prærogativa collata S. Petro cenſeret, in epiſt. ad Ruffinum expreſſiſſet, *Certe*, inquiens, *pro eo rogaverat Dominus, ne deficeret fides ipſius, nec utique fruſtra rogaverat, cujus una erat cum eo, quem rogaverat, operatio*; non minori potiri Pontifices non uno in loco manifeſtat. In ſuo Poemate de damnatione Pelagii peracta a Romanis Pontificibus SS. Innocentio, & Zoſimo, quamvis a Conciliis Carthaginenſi, & Milevitano eam hæreſim diris cunctis jam devotam optime noſſet, nihilominus primo, ac præcipue illam a Romanis Pontificibus fuiſſe proſcriptam ait: *Peſtem ſubeuntem prima recidit Sedes Roma Petri, quæ principalis honoris facta Caput Mundo, quidquid non poſſidet armis, religione tenet*; & inferius: *Tu cauſſam fidei flagrantius Africa noſtra exequeris, tecumque ſuum jungente vigorem juris Apoſtolici ſolio fera viſcera belli conficis, & lato proſternis limite victos. Convenere tui de cunctis urbibus almi Pontifices, geminoque ſenum celeberrima cœtu decernis, quod Roma probet, quod Regna ſequantur*. En a probatione Pontificis repetit robur Conciliorum Africanorum, &

probationi Pontificiæ ſubſecutum refert Orbis Chriſtiani conſenſum! Id luce clarius in Chronico expreſſit, cujus locum paullo ſuperius expoſuimus. Idem in lib. contra Collat., ideſt Caſſianum cap. 41. *Non ergo*, inquit, *cum iſtis* (Semipelagianis) *nova acie dimicandum eſt; nec quaſi contra novos hoſtes ſpeciatim ſunt ineunda certamina. Tunc iſtorum machinæ fractæ ſunt, tunc in ſuperbiæ ſuæ ſociis, ac Principibus corruerunt, quando B. memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apoſtolico mucrone percuſſit.... Quando Africanorum Conciliorum decretis B. recordationis Papa Zoſimus ſententiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dextras omnium armavit Antiſtitum. Quando S. memoriæ Papa Bonifacius piiſſimorum Imperatorum catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non ſolum Apoſtolicis, ſed etiam regiis utebatur edictis. Unde & Venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus.... ſciens damnatis non examen judicii, ſed ſolum pœnitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cæleſtium quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem totius Italiæ finibus juſſit extrudi, adeo & prædeceſſorum ſuorum ſtatuta, & decreta Synodalia inviolabiliter ſervanda cenſebat, ut quod ſemel meruerat abſcindi, nequaquam admitteret retractari.* Cedo, elucet nonne elegantiſſime ex iis Apoſtolicæ Sedis irreformabile, ac infallibile de fide judicium, cui uni hæreſum extirpationes referendæ ſunt? Conſule ſub ejuſdem nomine Auctorem lib. de vocat. gent. lib. 2. cap. 28; Auctorem ſub nomine Euſebii Emiſs., ſive Eucherii Lugdun. ſerm. de S. Petro tom. 6. Bibl. PP. edit. Lugdun., S. Maximum Taurin. hom. 2, & ſeqq., item ſerm. de SS. Petro, & Paulo; Vincentium Lirinen. in commonit. a nobis ſæpius commemorato; Vigilium Tapſenſem lib. 5. adv. Eutychetem; Victorem Vitenſ. lib. 5. de perſecut. Vandal., nam velle de omnibus ſingillatim dicere rem eſset finire nunquam. De Aſcanio vero, aliiſque Tarraconenſis Provinciæ Epiſcopis recole, quæ ex illorum Synodica ad S. Hilarum retulimus tom. 1. art. 6. §. 2.

S. Eugenius Carthaginenſis Epiſcopus, quum ab Hunnerico Vandalorum Rege urgeretur ad collationem de fide ineundam cum Arianis, ita, ut auctor eſt Victor Vitenſis lib. 2. de perſecut. Vandalica reſpondit: *Si noſtram fidem, quæ una, & vera eſt, pote-*

poteſtas Regis cognoſcere deſiderat, mittat ad amicos ſuos; ſcribam & ego Fratribus meis, ut veniant Epiſcopi mei, qui vobis nobiſcum communem fidem noſtram valeant demonſtrare: & præcipue Eccleſia Romana, quæ Caput eſt omnium Eccleſiarum. En dicit ab Epiſcoporum Concilio exquirendum quidem de fide fore, præcipue tamen a Pontifice Romano, uti Eccleſiæ univerſalis Præſide de fide fore expoſtulandum! Quietem accepta perſecutione, atque in Africa redintegrata pace, Africani Epiſcopi de reſtituenda collapſa diſciplina ſumme ſollicit i Carthaginem ſub Reparato, Florentiniano, & Datiano numero 217. convenientes, antequam de Arianis cum dignitate recipiendis an non deliberarent, Apoſtolicæ Sedis explorandam, expectandamque ſententiam decreverunt, rati eam in Eccleſia quam ſummam, tam rectam, ut ab eadem nefas eſset vel latum unguem deflectere. *Omnibus nobis*, in epiſt. ad Johannem II. inquiunt, *unanimiter ſubito placuit ſciſcitari primitus Beatitudinis veſtræ ſententiam. Poteſt enim Sedes Apoſtolica .... tale nobis interrogantibus dare reſponſum, quale nos approbare concorditer explorata veritas faciat.* Indicant ſubinde, quæ ipſorum animis inſederet ſententia. *Verumtamen*, inquientes, *convenire caritati credidimus, ut, quod habeat ſenſus noſter, in publicam notitiam nemo perduceret, niſi prius vel conſuetudo nobis, vel definitio Romanæ Eccleſiæ proderetur.* Antehac Gennadius Maſſilienſis Presbyter in catalogo Scriptor. Eccleſ. de Innocentio I. ſcripſerat: S. Innocentii decreto edito ab Orientis, & Occidentis Eccleſiis Pelagianam hæreſim fuiſse proſcriptam non modo, ſed Pelagium ipſum, antequam a Pontifice ſui erroris damnationem acciperet, neceſſitatem ſibi incumbentem Pontificio dicto obediendi, atque ad ejuſdem fidem conformandi ſe probe agnoviſe, ideoque ſe Apoſtolicæ Sedi edocendum, corrigendum, emendandumque, (etſi non ſincere id fecerit,) ſubjeciſſe. *Innocentius*, inquit, *Urbis Romæ Epiſcopus ſcripſit decretum Occidentalium, & Orientalium Eccleſiarum adverſus Pelagianos datum, quod poſtea Succeſſor ejus Latinis promulgavit.* Qua de re Pelagius ipſe, antequam a Sancta Sede damnaretur, fidei ſuæ profeſſionem obtulit Pontifici, quam hiſce verbis finit: *Hæc fides eſt, Papa Beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus, & tenemus.*

nemus. In qua, ſi quid minus perite, aut parum caute aliquid fortaſſe poſitum eſt, emendari cupimus a te, qui Petri & fidem, & Sedem tenes. Sin autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatus tui judicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit. De hæretico hoc homine jam dictum ſuperius eſt.

S. Avitus Viennenſis in Gallia Epiſcopus ſuo, atque Gallicanorum Epiſcoporum nomine pro S. Symmacho Pontifice Maximo, quem in Synodo jamjam judicandum acceperat, Senatui Romano gravi nuncupata epiſtola, quam legere eſt apud Sirmondum, & in Bibl. PP., de injuria inlata Epiſcopis univerſis expoſtulat, quippe quos ſupremi Præſulis violata jura laceſſerent. *Dum de cauſſa*, inquit, *Romanæ Eccleſiæ anxii nimis, ac trepidi eſſemus, utpote nutare ſtatum noſtrum in laceſſito vertice ſentientes, quos omnes una criminatio utique ſine invidia multitudinis percuſſerat, ſi ſtatum Principis obruiſſet.* Deinde a Synodo nequaquam ſuſcipi id judicii licite, ac legitime poſſe ſubdens; *Ita*, inquit, *non facile datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. Quod Synodus ipſa venerabilis laudabili conſtitutione proſpiciens cauſſam, quam, quod ſalva ejus reverentia dictum ſit, pene temere ſuſceperat inquirendam, divino potius ſervavit examini, perſtringens tamen, prout breviter potuit, nihil vel ſibi, vel Theodorico Regi* (Gotho) *de his, quæ dicebantur Papæ objecta, patuiſſe.* Denique Senatoribus alte animo infigere, quam ipſe gereret, de Apoſtolicæ Sedis ſumma auctoritate ſententiam adnixus, *Quaſi Senator*, attexit, *ipſe Romanus*, [cujuſmodi generis certe fuerat,] *quaſi Chriſtianus Epiſcopus obteſtor.... ut in conſpectu veſtro non ſit Eccleſiæ minor, quam Reipublicæ ſtatus, non minus diligatis in Eccleſia veſtra Sedem Petri, quam in Civitate apicem Mundi.... Si profundo illo tractatus veſtri conſilio vera videtis, non ea tantummodo, quæ Romæ geritur, cauſſa cogitanda eſt. In Sacerdotibus ceteris poteſt, ſiquid forte nutaverit, reformari; at ſi Papa vobis vocatur in dubium, Epiſcopatus jam videbitur, non Epiſcopus vacillare.... Reddet rationem, qui ovili dominico præeſt, qua commiſſam ſibi agnorum curam adminiſtratione diſpenſet; cæterum non eſt gregis Paſtorem proprium terrere, ſed*

Ju-

Judicis. Quid elegantius his, cedo, quidve efficacius ad oſtendendum nullum in Orbe tribunal extare, cui ſe ſiſtere, cujus judicium ſubire, cujus ſententiæ ſubjacere Apoſtolicam Sedem oporteat? Eam ſibi, ſuiſque gentilibus animo inſedere ſententiam confirmatim epiſt. ad S. Hormiſdam hiſce præclare de Pontificis judicio in rebus fidei ſcribens: *Jam ſecurus de totius Galliæ devotione polliceor omnes veſtram ſuper ſtatu fidei captare ſententiam*. Quæ quidem aperta ſunt adeo, ut gloſsemate nullo indigeant; apertamque vim inferant, qui iſtiuſmodi jure ex æquo Epiſcopos induunt.

S. Ennodius Ticinenſis tum Diaconus, ac dein Epiſcopus in libello apologetico legendo apud Sirmondum tom. 1, & Labbeum tom. 4, quem pro Synodo IV. Romana, & pro Symmacho Pontifice Maximo juſsu Synodi conſcripſit, quemque Synodus Romana V. ſub eodem Symmacho calculo ſuo comprobavit, imo poſtulante Synodo confirmavit S. Symmachus verbis illis: *Juxta veſtrum omnium fiat voluntatem, & ut judicatis, Apoſtolica habeatur auctoritate, & inter Apoſtolica, quod dicitis, interponatur decreta, & ſicut cetera Apoſtolica ab omnibus teneantur decreta*: ad quæ Pontificis verba ter una voce repoſuerunt Epiſcopi: *Ut fiat, rogamus*: Ennodius, inquam, adeo aperte Sedem Apoſtolicam nulli in terris tribunali eſse obnoxiam, imo ejuſdem judicio omnes in Orbe obſtringi, majoreſque cauſſas eidem judicandas reſervari recenſet, ut qui de illius ſententia dubitaret, næ is dum Sol lucet, an dies ſit, dubitare eſt dicendus. *Replicabo*, inquit, *uni dictum*: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. *Et rurſus Sanctorum voce patet Pontificum dignitatem Sedis Apoſtolicæ factam toto Orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium eſt, ubique ſubmittitur; dum totius corporis Caput eſſe deſignatur*: & infra: *Legite inſaniſſimi* (Schiſmatici) *aliquando in illis* [Conciliis] *præter Apoſtolici apicis ſanctionem aliquid conſtitutum, & non de majoribus negotiis ad collationem, ſi quid occurrit, præfatæ Sedis arbitrio fuiſſe reſervatum*. Id eſt in ſumma Pontificem ſupra Concilia eſse potem. Dupinum nunquam non intentum pro ſuo peſſimo affectu occaſionibus derogandi, ac detrahendi prærogativis Romani Pontificis, hujuſque juribus ſuffragatores deſpiciendi, laceſſendique dictis, heic in hiſt. dogm. lib. 6. cap. 15. illuſtriſs. Sommier jure perſtringit, quatenus

Enno-

Ennodium traducit veluti non alio uſum argumento ad eximendum Pontificem a juriſdictione Concilii, quam aſserendo Sanctum eſſe, aut Sanctum evadere illico virum, ex quo ad Summi Pontificatus apicem conſcendit. Non enim medium iſtud excogitatum ab Ennodio eſt: ſiquidem ex eo ſane, quod Pontifex cunctis hominibus conditione præſtet, more ceterorum hominum ab homine judicari noluit, judicandum tamen Deo liquido reſervavit: *Aliorum forte*, inquit, *hominum cauſsas Deus voluit homines terminare, ſed Sedis illius Præſulis ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio*. Legito & lib. 5. epiſt. 10, & 13, & lib. 9. epiſt. 19. tom. 9. Bibl. PP. edit. Lugdun. De S. Cæſario Arelatenſi, aliiſque Gallis Scriptoribus dicam, ubi de Gallicanæ Eccl. doctrina.

S. Fulgentius lib. de Incarn., & gratia cap. 11. Romanæ Eccleſiæ, cui Primatum adjudicat, fidem pariter fore, ut nunquam hæreſis ullius, aut macula oblimetur, aut malitia obliteretur; imo Orbem omnem illi hærere nihil hæſitantem tradit, & teſtatur his verbis. *Quod duorum magnorum luminarium, Petri ſcilicet, & Pauli verbis tanquam ſplendentibus radiis illuſtrata, eorumque decorata corporibus, Romana, quæ Mundi cacumen eſt, tenet, & docet Eccleſia, totus cum ea Chriſtianus Orbis, & ad juſtitiam nihil hæſitans credit, & ad ſalutem non dubitat confiteri*. Gemina habet lib. 2. de verit. prædeſt., & grat. cap. 22., lib. de fide cap. 3, & lib. 1. de remiſſ. cap. 19. Ferrandus Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus, & S. Fulgentii diſcipulus, vel univerſalia Concilia ut valeant, a Sede Apoſtolica confirmari debere docet in epiſt. ad Pelagium, & Anatolium Romanæ Eccleſiæ Diaconos, ubi cap. 6. a Synodo Chalcedonenſi neminem jure appellare potuiſse affirmat, quia Sedis Apoſtolicæ conſenſu, quæ per Legatos aderat, robur invictum acceperat: *Appellationi*, inquit, *forſitan ſecundum conſuetudinem locus pateret; ſed quò iret, aut ubi majores reperiret in Eccleſia judices ante ſe habens in Legatis ſuis Apoſtolicam Sedem, qua conſentiente, quidquid illa definivit Synodus, accepit robur invictum?* Quibus quid apertius ad evincendam Pontificis Romani ſupra Concilium poteſtatem? Quandoquidem non Concilio generali, ſed Apoſtolicæ Sedi majores non aſſore judices affirmat. Idem cap. 7. *Univerſalia Concilia*, ait, *præ-*

cipue

cipue illa, in quibus Ecclesiæ Romanæ consensus accessit, secundæ auctoritatis locum post libros canonicos tenent; & infra: *Quæ*, inquit, *finiuntur judicantibus Episcopis Sanctis, & ad B. Petri memoriam perducta diligentius examinantur, atque firmantur, sequenda sunt, tenenda sunt, amplectenda sunt; in retractatione sub qualibet pietatis occasione teneri non debent*. Ut vides decreta a Concilio generali adhuc Apostolicæ Sedi examinanda subjicit: si ab Apostolica Sede approbentur, tum primum ita firma evadere asserit, ut ea nulli fas sit posthabere quovis prætextu, sed habere in pretio, observareque deinceps omnes oporteat. Idem in altera epistola ad Severum Scholasticum, seu advocatum Constantinopolitanum de celebri illa propositione: *Unus de Trinitate crucifixus est*, quam propugnabat, agens ita proloquitur: *Loquentur desuper ii, quibus Sacerdotii honos docendi auctoritatem tribuit*. (Præclara profecto sententia, & verissima, nam nostra ætate videmus viros laicos pessime se Ecclesiasticis doctrinis docendis ingerere, & implicare; unde, proh nefas! videmus quoque nonnullos turpiter in errores incurrisse, indeque in turpiores immigrasse. Sancta Sanctis.) *Quod me*, prosequitur, *attinet, ad discendum paratus sum, nec docere*, (etsi esset Diaconus,) *quidquam præsumo. Interroga igitur, siquid veritatis cupis audire, principaliter Sedis Apostolicæ Antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis*. Gratias maximas Ferrando, qui postquam luculenter Apostolicæ Sedi supremam supra Concilia vindicasset potestatem, eidem liquido adserit quoque alterum, peculiareque infallibilitatis privilegium. Mitto cetera, quæ adhuc ex Ferrando adferri possent, ne præter modum prolixior sim.

Possessor in Africa Episcopus, unusque eorum, qui Trasimundi jussu in exilium pulsi fuerant, Constantinopoli moram trahens a Vitaliano olim Consule, & Justiniano Justini Imperatoris nepote inductus ad S. Hormisdam Pontificem, ipsius judicium de Fausti Regiensis hominis Semipelagiani libris efflictim exquirens, supplexque efflagitans litteris inscriptis præ aliis, quæ ad præsens institutum non spectant, ita scripsit: *Decet, & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum*.

rum. Quis enim majorem circa ſubjectos ſollicitudinem gerit, aut a quo magis eſt ſtabilitas fidei expetenda, quam ab ejus Sedis Præſide, cujus primus a Chriſto rector audivit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam? Quibus oppido explicitis Pontificis a fide indeficentiam quis adfirmari non perſpicit? Eulalius Carthaginenſis Epiſcopus in epiſt. ad Bonifacium II. nihil antiquius ſe habere ſcribit, quam fidei illi ad ſupremum uſque ſpiritum adhærere, quam Apoſtolica Sedes tenet, & tradit, quam ab omni hæreſeos ſuſpicione longe ſepoſitam ait his liquidis verbis: *In Sede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt Catholica ſervata religio; de qua ſpe, & fide minime ſeparari cupientes, & Patrum ſequentes conſtituta, anathematizamus omnes, qui contra Sanctam Romanam, & Apoſtolicam Eccleſiam ſuperbiendo ſuas erigunt cervices: ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & prædicantes ejus omnia conſtituta, & per omnia ſpero, ut in una communione vobiſcum, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe merear, in qua eſt integra, & vera Chriſtianæ Religionis, & perfecta ſoliditas*. Monent hic eruditi Critici commentitiam eſſe, quæ circumfertur epiſtola ſub Bonifacii II. nomine ad Eulalium Alexandrinum, non iſtum Carthaginenſem, ab impoſtore illo confuſum, de reconciliatione Carthaginenſis Eccleſiæ. Commenta ex eo conſtant, tum quod epiſtola iſthæc tranſcripta pene ſit ex epiſt. 64. S. Hormiſdæ ad Johannem Melicitanum Epiſcopum: tum quod hac in epiſtola apertiſſimo mendacio affirmatur a tempore S. Bonifacii I. uſque ad Bonifacium II. Africana Eccleſia a Romana communione manſiſſe ſegregatam: quod tam falſum eſt, quam ſit Aurelium Carthaginenſem, alioſque Epiſcopos Africanos, ideoque & S. Auguſtinum in Romanam Eccleſiam rebellaſſe, ideoque demeruiſſe, ut ab ejus communione dividerentur.

Aurelius Caſſiodorus Senatorii Ordinis vir illuſtris, quum ab Athalarico Rege præfectura Prætorii, quæ culmen honoris erat altiſſimum, adauctus fuiſſet, ut ampliſſimo Magiſtratui apte, atque integre gerundo par eſſet, nil opportunius ſibi faciendum duxit, quam ſi Romani Pontificis dicto auſcultaret, atque obediens eſſet. Ea ergo de re epiſtola ad Johannem II. inſcripta: *Monete me*, obſecrat, *quæ ſunt gerenda ſollicite*: *bene agere vel cor-*

correptus exopto: quia difficilius errat ovis, quæ voces deſiderat Paſtoris, nec facile efficitur vitioſus, cui admonitor adſiſtit aſſiduus. Sum quidem Judex Palatinus, ſed veſter non deſinam eſſe diſcipulus. Nam tum iſta recte gerimus, ſi a veſtris regulis minime diſcedamus. Sacratiſſima plane, dignaque ſententia, quæ eorum animis inſculpatur, qui Reipublicæ adminiſtrandæ admoti ſunt: egregiumque profecto exemplum, quod iidem præ oculis jugiter habeant. Subdit dein propius in rem noſtram: *Sedes illa* (ſcilicet Apoſtolica) *toto Orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores: quæ licet generalis Mundo ſit præſtita, Vobis etiam cognoſcitur & localiter attributa.* Præfectura poſtmodum abdicata reliquum vitæ tempus Monachum egiſſe Caſſiodorum narrat Garetius Benedictinus in ejuſdem vita.

Liberatus Archidiaconus Carthaginenſis in Breviario de cauſſa Neſtorii, & Eutychetis agens cap. 12. de prædatoria pſeudo-Synodo Epheſina, poſtquam recenſuiſſet a pſeudo-Epiſcopis denegatum Legatis S. Leonis primum in confeſſu honoris locum, inſuperque habitam S. Leonis ad Flavianum epiſtolam, de Legatis ſubjungit; *Porro locum obtinentes Papæ Leonis omnibus, quæ ſunt geſta contradixerunt: Flavianus autem contra ſe prolata ſententia per ejus Legatos Sedem Apoſtolicam appellavit.* Convertens ſe deinde ad Concilium Chalcedonenſe, affirmat a Sede Apoſtolica reprobatum canonem de primo honoris gradu Patriarchiæ Conſtantinopolitano aſſerto: *Et licet*, inquiens, *Sedes Apoſtolica nunc uſque contradicat, quod a Synodo firmatum eſt, Imperatoris patrocinio permanet quodammodo.* Cap. 20. agens de Acæmetarum errore inficiantes B. V. Mariam omni laude dignam vocandam Deiparam, & unum de Trinitate carne paſſum, & crucifixum, refert ab Imperatore Juſtiniano Legatis ad Johannem II. miſſis Hypatio Epheſino, & Demetrio Philippenſi Epiſcopis Apoſtolicam Sedem conſultam fuiſſe, quid credendum foret: *Sed Papa Johannes*, inquit, *hoc confitendum epiſtola ſua firmavit, & Imperatori direxit.* Sed præſtat Johannem ipſum audire in epiſt. ad Imperatorem Juſtinianum, qua poſtquam illas propoſitiones, unum e Trinitate eſſe Chriſtum, eumque carne paſſum, ejuſdemque Matrem B. Virginem Mariam veraciter, & proprie Dei Matrem appellandam

approbaſſet, de Monachis Acæmetis attexit: *Eos ab omni Eccleſia Catholica eſſe juſſimus alienos, niſi errore damnato, doctrinam noſtram quantocius ſequi habita regulari profeſſione ſignaverint.* Extat Johannis epiſtola tom.4.Concil.edit.Labbei. Cap.21. differens de adventu Conſtantinopolim S. Agapeti Papæ ait ab illo gradu deturbatum Anthimum, atque Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ab eodem Pontifice Mennam ſubrogatum fuiſſe. Et cap. 22. agens de exilio S.Silverii hæc habet: *Silverio venienti Patarам Venerabilis Epiſcopus Civitatis ipſius venit ad Imperatorem, & judicium Dei conteſtatus eſt de tantæ Sedis Epiſcopi expulſione; multos eſſe dicens in hoc mundo Reges, & non eſſe unum, ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius a ſua Sede expulſus.* Subdit Imperatorem his intellectis Silverium Romam revocari juſſiſſe. Sed quid lapides, ut ajunt, in acervum congero, & comporto? Satis ex prælaudatis exploratum fit Liberati ſententia Pontificem Romanum Concilio generali præcellere, ac ſuprema poteſtate in Eccleſiam univerſam pollere. De Dominico Carthaginenſi; Conſtantio Mediolanenſi; Quiricio Hiberno, & Felice Meſſanenſi adiſis S. Gregorium M. lib. 5. epiſt. 5, alias 4. epiſt. 3; lib. 9. epiſt. 53, alias 7. epiſt. 57; lib. 11. epiſt. 67, alias 9. epiſt. 61; & lib. 14. epiſt. 17, alias 12. epiſt. 10. Non enim vacat de ſingulis ſermonem attexere. De SS. Auguſtino Cantuar., & Mellito primo Londinenſi Epiſcopo adeundus V. Beda lib. 1. hiſt. Angl. cap. 27, & lib. 2. cap. 4., de quibus alibi ſermo recurret.

Sæculo VII, & VIII. S. Iſidorus Hiſpalenſis avitæ traditionis Eccleſiæ Hiſpanicæ locuples teſtis ejuſmodi docuit, ſcripſitque, ex quibus facile intelligitur ei animo eam inſedisſe radicitus ſententiam, quod Romani Pontificis ſublimior, ſuperiorque non ſit in terris poteſtas: ſic enim in epiſt. ad Eugenium Toletanum ſcribit: *Quod de paritate agitur Apoſtolorum, Petrus præeminet ceteris, qui a Domino audire meruit*: Tu es Petrus &c. ... *Cui etiam poſt reſurrectionem Filii Dei ab eodem dictum eſt*: Paſce agnos meos; *Agnorum nomine Eccleſiarum Prælatos notans. Cujus dignitas poteſtatis etſi ad omnes Catholicarum Epiſcopos eſt transfuſa, ſpecialius tamen Romano Antiſtiti ſingulari privilegio velut Capiti ceteris membris celſior permanet in æternum. Qui*

igi-

igitur debitam ei non exhibet reverenter obedientiam, a Capite ſejunctus acephalorum ſchiſmati ſe reddit obnoxium: quod ſicut illud S. Athanaſii de fide Sanctæ Trinitatis Sancta Eccleſia approbat, & cuſtodit, quaſi ſit fidei catholicæ articulus: Quod niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit. Si igitur in S. Iſidori ſententia agni etſi in cœtum collecti Paſtori non præſunt; neque Epiſcopi etſi in Concilio congregati Romano Pontifici auctoritate præſtabunt. Conſentanea iſtis ſunt, quæ ſcribit in epiſtola ad Claudium Ducem. *Sic nos ſcimus præeſſe Eccleſiæ Chriſti, quatenus Romano Pontifici reverenter, humiliter, & devote tanquam Dei Vicario præ ceteris Eccleſiæ Prælatis ſpecialius nos fateamur debitam in omnibus obedientiam exhibere. Contra quod quemquam procaciter venientem tamquam hæreticum a conſortio fidelium omnino decernimus alienum. Hoc vero non ex electione proprii arbitrii, ſed potius auctoritate Spiritus S. habemus firmum, ratumque credimus, & tenemus.* Iis S. Iſidorum probe intellexiſſe Pontificis ſupra Concilia poteſtatem adhuc fit palam ex ipſius præfatione ad Collect. Concil.: *Subjecimus*, inquit, *reliqua Præſulum Romanorum decreta uſque ad S. Gregorium, & quaſdam ipſius epiſtolas, in quibus pro culmine Sedis Apoſtolicæ non impar Conciliorum extat auctoritas.* Et infra. *Nullam Synodum ratam eſſe legimus, quæ non fuerit Apoſtolicæ Sedis auctoritate congregata, vel fulta.* Ita ne loquitur, qui Synodo Pontificem ſubjugat?

S. Leander ipſius Frater, ac in Sede Epiſcopali ſucceſſor in Hiſpania de trina in baptiſmo immerſione controverſia exorta, & exardeſcente, ſatius duxit, ſi Apoſtolicam Sedem, cui tum præerat S. Gregorius Magnus, quid ſibi agendum foret, conſuleret: qui reſcribens epiſt. 41., nunc 43. lib. 1. æque unam, vel trinam merſionem approbavit, unicam tamen perſuaſit. Ejuſmodi moris conſulendi de rebus dubiis Pontificem innumera exempla Eccleſiaſtica hiſtoria ſuppeditat. Ex Hiſpania Himerii Tarracon., qui S. Damaſum, S. Turibii, qui S. Leonem, Aſcanii, qui S. Hilarium &c.; Africanorum, qui SS. Innocentium, Cæleſtinum, Johannem &c.; Illyriciorum, qui SS. Bonifacium, Leonem, Hormiſdam &c.; Gallorum, qui SS. Innocentium, Felicem, Hadrianum &c.; Germanorum, qui S. Zachariam &c.; Hi-

bernorum, qui S. Gregorium &c., quo de argumento fuſe par. 2. erit agendum. Johannes Ravennatenſis Epiſcopus in epiſt. ad eumdem S. Gregorium, quæ inter Gregorianas legitur lib. 2. ordine 55. indict. 11, nunc lib. 3. n. 56, apud Pontificem profitetur ab Apoſtolica Sede jura in Eccleſiam univerſam manare: in ejus ergo ſententia Pontifex Romanus jure potitur in Concilia, & ab eodem Romano Pontifice in Epiſcopos juriſdictio profluit. En ejus verba: *Recolo me in ſinu, & gremio Sacroſanctæ Eccleſiæ veſtræ Romanæ enutritum, & Deo auxiliante provectum. Et quibus auſibus ego Sanctiſſimæ illi Sedi, quæ univerſali Eccleſiæ jura ſua tranſmittit, præſumpſerim obviare, propter cujus conſervandam auctoritatem.... multorum contra me graviter excitavi invidiam?* Recole, quæ de eodem Epiſcopo adnotavimus tom. 1. art. 6. §. 2, ubi de ſchiſmate Eccleſiæ Ravennatis.

Victor Carthaginenſis Epiſcopus in epiſt. ad Theodorum Papam, quæ extat in actis Concil. Later. ſub S. Martino I. contra Monothelitas celebrati: *Veſtrum eſt*, inquit, *canonica diſcretione ſollicite contrariis catholicæ fidei obviare, nec permittere noviter dici, quod Patrum Venerabilium auctoritas omnino non cenſuit. Nos enim uno vinculo charitatis vobiſcum ſumus conſtricti.* Pontificis ergo eſſe partes aſſerit hæreſes profligare, illumque unum penes rei chriſtianæ ſummam permanere. Quod neſcio quomodo verum ſit, ſi Pontifex ipſe de fide periclitetur. Conſona ſunt, ſed clariora, quæ in epiſt. ad eumdem Theodorum adverſus eosdem Monothelitas ſuo, & trium Synodorum nomine tradiderunt Columbus, Stephanus, & Reparatus Africani Epiſcopi. *Magnum*, inquiunt, *& indeficientem omnibus chriſtianis fluenta redundantem apud Apoſtolicam Sedem conſiſtere fontem nullus ambigere poteſt, de quo rivuli prodeunt afluenter univerſum largiſſime irrigantes Orbem chriſtianorum.* Hæc de fidei doctrina, quam deficere in ea nequire, utpote a qua in Eccleſiam omnem defluit, quis dubitet? Sed quæ de auctoritatis ſumma? Deſcriptis ex S. Innocentii epiſtola ad Concil. Carthag. verbis, *Antiquis regulis*, ſubdunt, *ſancitum eſt, ut quidquid quamvis in remotis ageretur Provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ Sedis veſtræ fuiſſet deductum.* Nempe ut firmetur, vel

infi-

infirmetur. Quid quod Jonas ortu Secuſienſis,& inſtituto Bobienſis Monachus in vita S.Euſtaſii Abbatis Luxovienſis cap.5.de Aquilejenſi ſchiſmate agens,ex eo capite ſchiſmaticos carpendos duxit, quod ob trium Capitulorum defenſionem a Sede Apoſtolica deſciverint, cui in perſona S. Petri in fide perennis firmitas promiſſa fuiſſet? *Aquilejenſes*, ait, *tum deſciverunt a communione Sedis Apoſtolicæ, de qua Dominus in Evangelio ad B. Petrum Apoſtolorum Principem loquitur*: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.

S. Aldhelmus Malmesburienſis in Anglia primum Abbas, & Schireburnenſis poſtea Epiſcopus in epiſt. ad Geruntium Romanæ Eccleſiæ doctrinam non modo, ſed diſciplinam quoque, ac circa Paſcha nominatim, in cujus celebratione a Romana Eccleſia Britones, Hiberni, Scotique diſcrepabant, de quo par. 2. vindiciar. agendum erit, conſectandam omnimode ſcribit, ea ratione ſuffultus, quod Eccleſiaſticam Monarchiam obeat Romana Eccleſia: *Si ergo*, inquit, *Petro claves regni Cæleſtis a Chriſto collatæ ſunt, quis Eccleſiæ ejus ſtatuta principalia ſpernens, & doctrinæ mandata contemnens per Cæleſtis Paradiſi portam gratulantibus ingreditur? Et ſi ipſe poteſtatem ligandi, atque Monarchiam ſolvendi in Cælo, & in terra peculiari privilegio accipere promeruit, quis Paſchalis feſti regulam, & tonſuræ Romanæ ritum refutans, non potius ſe ſtrictis nexibus inextricabiliter obligandum, quam clementer abſolvendum ullatenus arbitretur?* Extant ejus opera in Bibliot. PP.Colon., & Lugdunenſi. De tonſura porro obſervat Mabillonius in præfat. ad 1.part. ſæculi III. Benedict. ab Eccleſia Romana eam fuiſſe circa ſæculum VIII. pro Clericis ne dum, ſed etiam pro Laicis frequentatam: Laicorum autem aliam fuiſſe puerorum,adultorum alteram tonſuram. Pueris,quum alicui offerrentur in filios ſpirituales, Epiſcopus, aut Pater ſpiritualis capillos ab eorum capite demetebat. Ita quum Conſtantinus Imperator filios ſuos Juſtinianum, & Heraclium S. Benedicto II. dediſſet in filios, in hujuſmodi ſuſceptionis ſignificationem Pontifex ad ſe miſſos ab illorum capitibus detonſos capillos ſuſcepit, teſte Anaſtaſio. Ita quum Carolus Martellus Princeps Francorum filium ſuum Pippinum obtuliſſet in filium Luitprando

Lon-

Longobardorum Regi, eumdem ad illum miſit, ut juxta morem inciſa ei cæſarie ſpiritualis Pater fieret, ſicuti factum refert Paulus Diaconus lib. 6. de geſt. Longobard. cap. 53. Extant in Ordine Romano orationes, ritusque ad iſtiuſmodi capillos incidendos. Clericorum tonſura, de qua agunt S. Gregorius Nazian. orat. 28; S. Ambroſius in epiſt. 25. ad Eccleſiam Vercellen.; S. Gregorius Turon. lib. 1. de glor. Martyr. cap. 28; S. Gregorius M. lib. 7. epiſt. 3; S. Nicetius Trevir. apud S. Gregorium Turon. in vita Patrum cap. 17; S. Iſidorus lib. 2. officior. cap. 4; & lib. 2. origin. cap. 14; Theodorus Cantuarienſis Epiſcopus apud V. Bedam lib. 4. hiſt. Anglor. cap. 1; S. Germanus Conſtantinop. Patriarcha in Theoria rer. Eccleſ.; Honorius Auguſtod. in gemma animæ par. 1. cap. 193; Concilia Carthaginenſe an. 398; Hibernum an. 456; Agathenſe an. 506; Barcinonenſe an. 540; Toletanum an. 633; Conſtantinopolitanum an. 690; & Romanum an. 721, ut omittam ſequioris ætatis Synodos; Clericorum, inquam, tonſura alia apud Orientales dicebatur tonſura S. Pauli; altera apud Occidentales dicebatur S. Petri. Quæ S. Pauli, eo quod Nazatæorum more caput geſtaret detonſum abraſis undequaque capillis, attonſio totius cæſarici erat. Quæ S. Petri ea erat, qua in coronam attondebantur capilli. Theodorus Cantuarienſis Epiſcopus a S. Vitaliano Papa in Angliam miſſus antea tonſuram S. Pauli geſtaverat, ſed poſtea tonſuram S. Petri aſſumpſit, referente V. Beda lib. 4. hiſt. Anglor. cap. 1. Eamdem S. Petri tonſuram Anglicanum Clerum uſurpaſſe teſtatur Ceolfridus Abbas apud præcit. Bedam lib. 4. cap. 24. in epiſt. ad Naitanum Regem, quam poſt Chiffletium edidit Harduinus tom. 3. Conciliorum. Coronam tamen in formam ſemicirculi aptatam ſupra frontem Simonis Magi tonſuram Angli vocabant, quod a forma Romanæ coronæ, quam attribuebant S. Petro, abhorreret. Contra eam invehitur Ceolfridus loco citato. S. Aldhelmus igitur de tonſura Romana Clericorum videtur locutus, cui forte non deerant, qui tonſuram S. Pauli, aut etiam Simonis Magi anteferrent, ſiquidem iſtiuſmodi ritum parvipendentes gravi pœna obſtrictos pronunciat. Adiſis, ſi plura aveas, Andream Sauſſai in panoplia Cleric.; Gaſtonem Chamillard in tract. de tonſura; Thomaſſinum

num veter. , & novæ diſciplinæ lib. 2. par. 1. cap. 37 ; Sarnellium in epiſt. Eccleſ. ; Hallerium, Martenium , ac Filippum Bonani de Hierarch. Eccleſ. capp. 34 , & 35.

Ven. Beda Romanum Pontificem præ Concilio generali potiorem eſſe , indeficientiæque a fide privilegio ſingulari potiri tot in locis pronunciat, ut vel ab invito aſſenſum extorqueat . Audiatur in Lucæ 22. *Confirma Fratres tuos, quaſi dicat* , inquit , *poſtquam me negato ploraveris , pœnitueris , corrobora ceteros, quum te Principem Apoſtolorum deputaverim, hoc enim decet te, qui mecum es robur , & petra Eccleſiæ* . Audiatur homil. in vigilia SS. Petri , & Pauli . *Paſce oves meas , omnibus* , interpretatur , *dictum eſt : hoc namque erant ceteri Apoſtoli , quod fuit Petrus , ſed Primatus Petro datur , ut unitas Eccleſiæ commendetur* . Audiatur homil. in natali S. Benedicti . *Roma* , ait , *per Summos Chriſti Apoſtolos totius Eccleſiæ Caput eminet eximium* . Audiatur homil. in natali SS. Apoſtol. Petri, & Pauli . *Ideo* , inquit , *B. Petrus , qui Chriſtum vera fide confeſſus , vero amore ſecutus , ſpecialiter Claves regni Cælorum , & Principatum judiciariæ poteſtatis accepit , ut omnes per Orbem credentes intelligant , quia quicumque ab unitate fidei , vel ſocietate illius quolibet modo ſeipſos ſegregant , tales nec peccatorum vinculis abſolvi , nec januam poſſint Regni cæleſtis ingredi* . Igitur in Bedæ ſententia de neceſſitate ſalutis eſt omnino , Romani Pontificis fidei conſociari , & illius obedientiæ ſubmitti. Num ab hujuſmodi officio erunt liberi in Concilio Epiſcopi? Num Chriſtifideles ſuam ab illius ſocietate fidem liberare non poterunt , ſi ille a fide poteſt aliquando deficere ? Legatur lib. 3. hiſt. Angl. cap. 25 , ubi non alia ratione refert adductum Oſvvi Saxonum Regem Paſcha impoſterum celebrandum in Britannia imperaſſe juxta morem Eccleſiæ Romanæ , niſi quia a Wilfrido Apoſtolicæ Sedis Legato audierat illius decreta Sanctorum omnium ſtatutis eſſe anteponenda vi illorum verborum *Tu es Petrus* &c., & cap. 29, ubi auctor eſt tum eumdem Oſvvi Saxonum Regem , tum Egbertum Regem Cantuariorum , poſtquam intellexiſſent Romanam Eccleſiam Catholicam Eccleſiam eſſe, & Apoſtolicam , Romam miſiſſe Wigardum , ut ibidem Archiepiſcopus ordinatus Anglorum Eccleſiis ordinaret Epiſcopos . Sed de his

his alibi. Id obiter hic obſerves vel ex hoc uno manifeſtiſſimi redargui mendacii Anglos Proteſtantes, qui Britannorum fidei prima rudimenta a Græcis repetunt: quippe ex hoc uno patet Britones doctrina, moribus, & diſciplina [uno dempto ad tempus de Paſchatis celebratione ritu] Eccleſiæ Romanæ fuiſſe imbutos.

Contumeliam perinde, atque calumniam V. Bedæ inflixit Eduardus Stillingfleetus Decanus Londonienſis in libro de *Originibus Britanicis*, dum ad Romani Pontificis Primatum evertendum ex V. Beda lib. 2. cap. 2. teſtimonium exculpere non erubuit. Nempe eo loci a V. Beda tradi contendit, quod quum S. Auguſtinus a S. Gregorio M. in Angliam directus Britannis Epiſcopis perſuadere efflictim ſtuderet, ut Romano Pontifici obedientiam præſtarent, eique fidei religione ſe obſtringerent, a Dinotheo Abbate, aliiſque Monachis Banchorenſis Monaſterii hocce accepiſſe reſponſum: ſe neſcire quis eſſet ille Papa, quem *Patrem Patrum* nuncupabant: quodque *Britanni nullatenus ſe ſubjicerent Eccleſiæ Romanæ*. Confirmari hujuſmodi Bedæ teſtimonium, ſubjungit Stillingfleetus, ex Anonymo ſcriptore a Spelmanno tom. 1. Concil. Angliæ edito, aſſervatoque in Bibliot. Cottoniana, eodem Spelmanno teſte, qui de abjudicata a Monachis Banchorenſibus Pontifici obedientia, ignorataque ab iis Pontificis, quam Romani jactant, poteſtate, plenam facit fidem. Verumtamen Stillingfleetum magno in errore verſatum, peſſimaque fide agere jampridem demonſtrarunt viri eruditi Emanuel Scheleſtratius diſſert. de auctorit. Patriarchali, & Metropolitica adverſus hunc Decanum Londinenſem; & Pagius Antonius in Crit. ad annum 604. n. 8, & ſeqq.; nec non Alfordus in Annal. Eccleſ. Anglic. ad eumdem annum n. 2, & ſeqq. Nimirum a V. Beda id unum perhibetur inter S. Auguſtinum, & Britannos Antiſtites diſceptatum quidem fuiſſe de quibuſdam Eccleſiæ traditionibus, atque de Metropolitica S. Auguſtini dignitate, cui eo nomine ſubjici Britanni detrectabant; nullam vero initam de Primatu Romani Pontificis quæſtionem. Quod autem ad ſcriptorem Spelmanni attinet, nullo moror modo; ſiquidem de eodem auctore, ejuſque ætate nihil ſibi eſſe perſpectum fatetur vel ipſemet Spelmannus: eum autem ſcripſiſſe ejuſmodi poſt ſchiſma veriſimilius conjiciunt viri Eruditi mox laudati.

S. Bo-

S. Bonifacius Moguntinus Epiſcopus, de quo ſæpius recurret ſermo, Germanos, quos in fide erudiendos ſuſceperat, ut de Romano Pontifice ſublimiter, ac præclare ſentirent quam maxime ſuadere, & edocere ſtuduit. Quam vero ipſe animo de Pontifice gereret ſententiam, explicat in epiſt. ad S. Zachariam Papam, quæ notis a Serario cum aliis illuſtrata extat in Bibliot. PP. Lugdun., qua, *Ante veſtigia veſtra*, ait, *geniculantes intimis ſubnixe flagitamus precibus, ut ſicut Prædeceſſorum veſtrorum pro auctoritate S. Petri ſervi devoti, & ſubditi diſcipuli fuimus, ſic & veſtræ pietati ſervi obedientes, ſubditi ſub jure canonico fieri mereamur, optantes Catholicam fidem, & unitatem Romanæ Eccleſiæ ſervando dilatare, & quantoſcumque audientes, vel diſcipulos in iſta legatione mihi donaverit Dominus, ad obedientiam Apoſtolicæ Sedis invitare, & inclinare non ceſſo*. Et in epiſt. ad Stephanum II. poſtquam enixis precibus efflagitaſset ſibi fas fieri in Apoſtolicæ Sedis unitate, doctrina, obedientia, & devotione manendi: *Si minus*, ſubnectit, *perite aliquid, aut injuſte a me factum, vel dictum reperitur, judicio Romanæ Eccleſiæ prompta voluntate, & humilitate emendaturum me ſpondeo*. Hæc quoque abs me dicta, & quidem ex animo ſunto: ab hiſce ſive vivo, ſive morior, Deus me adjuvet, non abſcedo. Confer formulam fidei, quam idem S. Bonifacius S. Gregorio II. nuncupavit apud Harduinum tom. 3, ejuſdemque epiſtolam 105. ad Cudbertum, de qua tom. 1. art. 6. §. 2. Sed & eamdem animo hæſiſſe de Apoſtolica Sede ſententiam S. Lullo Bonifacii in Sede Moguntina ſucceſſori conjectura facile aſſequitur ex epiſtola 100. inter Bonifac. in Bibliot. PP. tom. 8, de quo & adiſis Acta SS. Benedict. tom 4.

Alcuinus dictus aliter Flaccus Albinus vir ſive doctrina, qua excelluit, ſive diſcipulis, quos inſtituit, ſive muneribus, quibus perfunctus eſt, celeberrimus, quamquam in eo peccaverit ipſe, quod contra unicam immerſionem ab Hiſpanis in baptiſmo uſurpatam epiſt. 69, & 70. pugnans vitio illis verterit, quod epiſtolæ S. Gregorii ad Leandrum ea de re datæ, quæ lib. 1. eſt 41 vet. edit., ex Concilii Toletani IV. decreto adhærerent, præterquam quod in eo ſit excuſandus, quod Hiſpanos iccirco, quod S. Gregorii laudato reſponſo inniterentur, redarguit, quia S. Pontifici eam

epiſtolam affictam fuiſse, etſi falſo, putaverit, in epiſt. 70. quanti ab ſe Apoſtolicæ Sedis auctoritas fieret, & fides, patefacit verbis his tam illuſtribus, quam veris: *Ne ſchiſmaticus inveniatur, aut non catholicus, ſequatur probatiſſimam Romanæ Eccleſiæ auctoritatem, ut unde Catholicæ fidei initia accepimus, inde exempla ſalutis noſtræ ſemper habeamus. Ne membra a Capite ſeparentur ſuo, ne Claviger regni cæleſtis abjiciat, quos a ſuis deviaſſe cognoverit doctrinis.* Similia ſunt, quæ leguntur lib. de divin. offic. cap. 19. Sed quia ab eruditis is liber Alcuino abjudicatur, nolim certam cauſsam incerto fundamento fulcire. Quamquam & ſuus quodammodo is liber dicendus ſit, quippe qui ex diverſis ipſius ſententiis conſarcinatus.

S. Paulinus Aquilejenſis Epiſcopus in Sacroſyllabo adverſus Elipandum, poſtquam in Concilio Francofordienſi Felicis, & Elipandi hæreſim proſcriptam fuiſse ſecundum epiſtolam Hadriani I. Pontificis Maximi ad Hiſpaniarum Epiſcopos retuliſset, atque proinde ſimili ſententia plectendos enuntiaſset quotquot illis pravis dogmatibus aſſenſum deinceps præbuiſsent ſuum, id judicii Pontifici reſervavit his verbis: *Reſervato per omnia juris privilegio Summi Pontificis Domini, & Patris noſtri Hadriani primæ Sedis Beatiſſimi Papæ.* Agnoſcebat itaque S. Paulinus Concilii Francofordienſis ſententiam a Romano Pontifice potuiſse in examen revocari, imo & reſcindi; unumque eſse ejuſdem Pontificis irretractabile, & omnino ineluctabile judicium. Atque certe Eccleſiæ infallibilitatem eodem loci nonniſi ex indefectibili fide S. Petri deducit Paulinus, *Sancta*, inquiens, *Univerſalis Eccleſia ſuper firmam immobiliter fundata eſt Petram, & portæ inferi nequeunt prævalere adverſus eam.* Ejuſdem vero ſententia S. Petro in ejuſmodi prærogativis par eſt Romanus Pontifex. Confer eumdem in præfat. ad Concilium Forojulienſe apud Harduinum tom. 4. collect. Conciliorum anno 791. Ambroſius Autpertus Abbas S. Vincentii Martyris prope Vulturnum fluvium ex Archicancellario Caroli Magni in epiſt. ad Stephanum III. præfixa commentariis in Apocalypſim, qua Summo Pontifici opus ſuum nuncupat, ſic inter alia animi ſui erga Sedem Apoſtolicam ſenſum paucis ſignificat: *Sanctorum Eccleſia, quæ corpus Redemptoris*

ſui

ſui eſt, cujus tu Pontificalis ordinis Primatum ſortitus es &c. Quo jure plane apud Romanum Pontificem de doctrina in judicio experiri librum quemcumque oportere vir optimus intelligebat. Ad confirmanda hæc ſuppetunt oppido multa ex S. Juſto Cantuarienſi apud V. Bedam hiſt. Anglor. lib. 2. capp. 7, & 8; ex Johanne Biſcopo apud eumdem lib. 4. cap. 18; ex S. Rumoldo Dublinenſi apud Surium ad 1. Julii; ex Theodoro Cantuar. apud Eddium in vita S. Wilfridi cap. 41; ex SS. Benedicto Medional., & Petro Ticin.; ex Leone Ravennate apud Anaſtaſium in Conſtantino, & Stephano IV; ex S. Corbiniano Friſingenſi apud Mabillonium tom. 3. act. Benedict.; ex S. Chrodegango Metenſi Epiſcopo apud Paulum Diaconum; aliiſque, facere tamen præſtat modum.

Sæculo IX, & X. Jonas Aurelianenſis Epiſcopus Conventui Pariſienſi an. 822. celebrato de ſacris Imaginibus interfuit. Inde a Ludovico Pio una cum Hieremia Archiepiſcopo Senonenſi ad Eugenium II. Pontificem Maximum legatus eſt miſsus. Non igitur illum latuit non niſi Romani Pontificis auctoritate roborata Conciliorum decreta in cauſſis fidei rata, ac firma conſiſtere. Quod quidem expreſse affirmat lib. 1. de cultu imaginum adverſus Claudium Taurinenſem, quo loci de Concilio Francofordienſi agens, a quo Felicis Urgelitani, & Elipandi Toletani hæreſis anathemate confixa fuerat, *Juſſu*, inquit, *Caroli Magni in unum coacti milites Chriſti* (Epiſcopi) *adhibita etiam Romanæ Eccleſiæ auctoritate* (ſcilicet recitata Hadriani I. epiſtola ad Hiſpan. Epiſc., qua hæreticis illis, illorumque hæreſi anathema irrogaverat) *Felicem damnaverunt*. Et lib. 3. *Quid enim*, ſubdit, *ſi ut ſupra dictum eſt, Claves regni Cælorum quaſi Eminentiſſimo S. Eccleſiæ membro intelligo traditas, B. videlicet Petro, ut per illud ad ceteros hæc dignitas tranſeat: num idcirco mens mea ab ejus amore tepeſcet, quem pluris videam a Domino honorari? Potior namque in ejus devotione amoris coaleſcet ignis, ut quod omnium eſt commune, ipſe quodammodo accepiſſe videatur ſingularis*. Quibus ſatis ſignificat, quo erga Apoſtolicam Sedem affectus obſequio, fideque ferretur. Lupus Ferrarienſis dictus Servatus illud præclare in epiſt. 81. ad Amolonem Archiep. Lugdunenſem Reges admo-

nitos voluit, ut videlicet Pontificibus edoceutibus religioſe auſcultarent, implerentque ſedulo, quod imperaſsent: *Rex Regum*, inquit, *idemque Sacerdos Sacerdotum, qui ſolus potuit Eccleſiam regere, quam redemit, poſtquam humanitatem ſuam in Cælum evexit, ſemper cum ſuis futurus divinitate poteſtatem ſuam ad eamdem gubernandam Eccleſiam in Sacerdotes diviſit, ac Reges: ut quod ſancti docerent Pontifices, & ipſi implerent, & impleri facerent devotiſſimi Reges.* De Fulrado Sandionyſiano lege-ſis Hincmari epiſt. 14, qua palam fit quanto ille ſtudio Apoſtolicæ Sedis obſequio ſe devoviſset; quantiſque collatis beneficiis illa vicem rependiſset.

Rabanus Maurus, quem S. Odilo Cluniacenſis ob ſingularem, ac ſæcularem non modo, ſed magis ſpiritualem ſcientiam elogiis dignis excepit, quid non S. Petro? Et quod S. Petro, ejusdem pariter ſucceſsoribus privilegium attribuit. Itaque in cap. 17. Matth. *Hæc ligandi*, inquit, *atque ſolvendi poteſtas quamvis ſolo Petro data videatur a Domino, tamen & ceteris Apoſtolis datur, nec non etiam nunc Epiſcopis, & Presbyteris Eccleſiæ. Sed ideo Petrus ſpecialiter claves regni Cælorum, & Principatum judiciariæ poteſtatis accepit, ut omnes per Orbem credentes intelligant, quod quicumque ab unitate fidei, vel ſocietatis illius quolibet modo ſeipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorum abſolvi, nec januam poſse ingredi regni cæleſtis*: & ad cap. ult. Johannis, *Simon*, inquit, *ideſt obediens, qui propter Primatum Apoſtolici ordinis vocatur Petrus, ideſt firmus*. Ecce ex eo repetit neceſſitatem non recedendi ab unitate fidei Romani Pontificis, quod ipſius fides ſit firma, & quod principatu judiciariæ poteſtatis ſit præditus. Legendus idem de laude S. Crucis ad Gregorium IV, ubi præclare de Romani Pontificis infallibilitate, & poteſtate ſic canit: *Sedis Apoſtolicæ Princeps, lux aurea Romæ, & decus, & Doctor plebis, & almus amor: Tu caput Eccleſiæ es, primus Patriarcha per Orbem præclarus meritis, & pietate potens: Sol terræ, Mundi lux, atque Urbs inclita Chriſti, perpetuæ præbens lucis iter populo: veſtra valet, Cælum reſerare, ac claudere lingua in terra poſitus Claviger æthereus*. Obedientia, obſequioque demiſſiſſimum animum ad Apoſtolicam Sedem appuliſſe S. Anſcarium Hamburg-

burgenſem , ac Fulcouem Remenſem liquet ex Bollando ad diem 3. Febr. , & Flodoardo hiſt. Remenſ. lib. 4. cap. 1.

Walafridus Strabo Augienſis Abbas , cujus fœtus eſt Gloſſa ordinaria in S. Scripturam , nec diſtinguendus cum Trithemio a Strabone Fuldenſi , cui opus laudatum adſcribitur , quo in errore Trithemium ſectatos Sixtum Senenſem , Poſſevinum , Bellarminum , & alios emendarunt Caniſius , Broverus , Voſſius , Miræus , aliique eruditi critici , Walafridus , inquam , Romano Pontificio apici , & poteſtati a cunctis ſubmittendos faſces , & cunctis retro temporibus ab omni hæreſeos fece ejuſdem fidem puram permanſiſſe ſcribit his verbis lib. de rebus Eccleſ. cap. 22 : *Romanorum morem ideo in rebus ſacris tam multæ gentes imitantur , quia & tanti magiſterii ex apice Apoſtolico primordiis clarent, & nulla per Orbem Eccleſia æque , ut Romana, ab omni fæce hæreſeos cunctis retro temporibus pura permanſit* ; & cap. 31 : *Sicut gens Romanorum totius Orbis Monarchiam tenuiſſe fertur , ita Summus Pontifex in Sede Romana vicem B. Petri gerens totius Eccleſiæ apice ſublimatur ; de quo Sardicenſi Concilio ſtatuitur cunctorum ſtatuta ad eum referri debere , idque obſervandum , quod ipſe ſtatueret* . Quæ quum ita ſint , ſi uti par eſt , æqui , bonique facias , ſententiæ pariter noſtræ facilem , æquumque te præbeas , oportet .

Paſchaſius Ratbertus Abbas Corbejenſis in vita Walæ Abbatis lib. 2. poſtquam narraſſet Gregorio IV. Pontifici Maximo , dum in Gallias ageret , idcirco ut Ludovico Pio Imperatori filios ſegreges conciliaret , Gallicanos Antiſtites , apud quos ſuſpicione laborabat , quod ſcilicet filiorum a Patre defectioni ſtuderet , depoſitionem fuiſſe audaciſſime comminatos , ſubdit ab ſe collectas SS. Patrum , & Summorum Pontificum ſententias , quibus Romanum Pontificem nullius in terris judicio ſubjacere , ipſius imo potius judicio neminem eſſe , qui non ſubſit , illi traditas , quibus animum , viresque reſumeret Antiſtitum illorum auſibus reſiſtendi : *Dedimus* , inquit , *ei nonnulla SS. Patrum auctoritate firmata, Prædeceſſorumque ſuorum conſcripta, quibus nullus contradicere poſſit , quod ejus ſit poteſtas , imo Dei , & B. Petri Apoſtoli ire , & mittere ad omnes gentes pro fide Chriſti , & pace Eccleſia-*

ſiarum, pro prædicatione Evangelii, & aſſertione veritatis, & in eo eſſet omnis auctoritas B. Petri excellens, & poteſtas viva, a quo oporteret univerſos judicari, ita ut ipſe a nemine judicandus eſſet. Quibus profecto ſcriptis gratanter acceptis valde confortatus eſt. Ratramni Corbejenſis Monachi æque, atque Æneæ Pariſienſis Epiſcopi præclara loca, quibus ab Græcis ſchiſmaticis Apoſtolicæ Sedis cum ſummam auctoritatem, tum a Catholica fide inerrantiam egregie vindicant, deſcripta ſuperiori artic. §. 2. recolito.

S. Eulogius Archiepiſcopus Toletanus electus, atque in Arabica perſecutione Martyr præclariſſimus in memoriali, quo Martyres Cordubenſes tribus libris, ac laudibus celebravit, nec celebrare prætermiſit fidei firmitatem, ac ſupremam Romani Pontificis poteſtatem: *Nam & B. Petrus*, inquit, *Princeps Apoſtolorum firmiſſimum Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, utpote cui ab ipſo Redemptore dictum eſt*: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. *ita in ſuis epiſtolis ait* &c. ſcilicet eo elogio præmiſſo oſtendit ejuſdem doctrinæ omnino adquieſcendum. Anaſtaſius bibliothecarius Abbas Romanus, quem cum Anaſtaſio Presbytero Cardinali ſub Gregorio IV. pariter bibliothecario, atque a S. Leone IV. in Romana Synodo gradu dejecto male confundit Voſſius lib. 2. de hiſtor. latin. cap. 35, in præfat. ad vitam S. Johannis Eleemoſinarii ab ſe latine editam, atque Johanni VIII in cripta, titulis iſtis Romanum Pontificem cohoneſtat: *Non fas eſt, ut abſque Vicario Dei, abſque Clavigero Cœli, abſque curru, & auriga ſpiritualis Iſraelis, abſque univerſali Pontifice, abſque unico Papa, abſque ſingulari Paſtore, abſque ſpeciali Patre, abſque Te omnium arbitro aliquid conſumetur, aut divulgetur. Tu enim tenes claves David, Tu accepiſti claves ſcientiæ; in arca quippe pectoris tui tabula teſtamenti, & manna cæleſtis ſaporis requieſcunt. Tu enim quod ligas nemo ſolvit, quod aperis nemo claudit, quod claudis nemo aperit; vicem namque in terris poſſides Dei.* Adeundus idem in SS. Sergio I, Leone III, & Nicolao I; non ſecus atque Guillelmus pariter bibliothecarius in Hadriano II, ubi Pontifex non alio nomine audit ab eo, quam Pontifex univerſalis, Caput omnium Sacerdotum, Princeps totius Eccleſiæ; ideoque a nemine in terris judicandus, ſed imo omnium in Orbe judex.

Hinc-

Hincmarus Remenſis Antiſtes celebris, quem perſæpe in malæ cauſſæ ſuæ patrocinium advocant adverſarii, & producunt, quique plane Pontificibus obluctari aliquando non deſtitit; quippe in cauſſis Rhotadi Sueſſionenſis Epiſcopi, Vulfadi quoque, & ſociorum Clericorum, qui a ſententia exauctorationis in ſe in Synodo lata ab Hincmaro Sedem Apoſtolicam appellaverant; quique S. Nicolao I. jubente ſuis gradibus reſtituti fuerant, adverſus Pontificis ſententiam canonum auctoritate, ac ſignatim Concilii Africani, quo ab electis Judicibus etiam ad Summum Pontificem appellationem prohibitam dicebat, ſe defendit, imo dimicavit, in epiſt. 17. ad S. Nicolaum I, & opuſc. 2. contra Gotheſcalcum cap. 36, & in cauſſa Hincmari Laudunenſis, qui ab Hincmaro avunculo in Synodo pariter loco motus apud Apoſtolicam Sedem appellationem interpoſuerat, Hadriani II. ſacris juſſionibus canones objecit, ac tandem quum ante annos circiter 80. publicam adſpexiſſent lucem epiſtolæ decretales antiquis Pontificibus affictæ, quamvis nondum ipſarum falſitas explorata eſſet, quia tamen Metropolitanorum jura violari, ac minui illis videbantur, potius quam decretalibus, ſacris canonibus longo uſu, ipſorumque Pontificum placito ſacratis, & roboratis obtemperandum ſcripſit in epiſt. ad Hincmarum Laudunen., & opuſc. 55. cap. 43, Hincmarus, inquam, vel a ſe ipſo degener, vel ſibi ipſi adverſus talia ſcripſit, egitque, quibus abunde ſignificaret veram animi ſui de Apoſtolica Sede ſententiam. Nam in cauſſa Rhotadi actus ſui S. Nicolao I. rationem reddens ſic ſcripſit in epiſt., quam refert Flodoardus lib. 3. capp. 12, 13, & 14. *Abſit a nobis, ut privilegium Primæ, & Summæ Sedis S. Romanæ Eccleſiæ Pontificis pro ſic parvo pendamus, ut controverſias, & jurgia tam ſuperioris, quam etiam inferioris ordinis, quæ Nicæni, & ceteri ſacrorum Conciliorum Canones, & Innocentii, atque aliorum S. Romanæ Sedis Pontificum decreta in Synodis Provincialibus a Metropolitanis præcipiunt terminari, ne veſtram ſummam auctoritatem fatigandam ducamus. Et ſi forte de Epiſcopis cauſſa nata fuerit, unde certa, & expreſsa in ſacris regulis non habeamus judicia, & ob id in provinciali, vel in comprovinciali nequeat examine definiri, ad divinum oraculum, ideſt Apoſtolicam Sedem,*

nobis

nobis inde eſt recurrendum. Subdit deinde Epiſcopos in Synodo dejectos Apoſtolicam Sedem appellare poſſe, Metropolitanorum cauſſas dumtaxat ad Apoſtolicæ Sedis tribunal eſſe deferendas, atque Synodorum judicia de majoribus, ac majorum cauſſis ad eamdem Sedem referenda, ſed inſuper in Romana Eccleſia fidem ſemper viguiſſe, ac fore ut ſemper floreat.

In cauſſa Vulfadi, quum Concilium Sueſſionenſe II. an. 853. congregatum ea de cauſſa fuiſſet, Hincmarus judices elegit Wenilonem Senonenſem, & Almaricum Turonenſem Archiepiſcopos, una cum Pardulo Epiſcopo Laudunenſi ſubdens tamen: *Salva reverentia Apoſtolicæ Sedis, cui in omnibus cauſſis debet reverentia exhiberi, ſicut Innocentius Papa ad Victricium Rotomagenſem ſcribit Epiſcopum, & ſancti etiam canones præfigere dignoſcuntur*. In eodem Concilio Hincmarus ad ſuam Ordinationem probandam præter litteras canonicas, quas Ordinatum a ſuis Ordinatoribus accipere jubent canones, protulit epiſtolam omnium Epiſcoporum Gallicanæ Eccleſiæ ad Apoſtolicam Sedem pro confirmatione ſuæ Ordinationis, nec non diploma Regium pro ejusdem approbatione *Ad Sanctam, & Apoſtolicam omnium Eccleſiarum Matrem Romanam Eccleſiam* directum. In Concilio III. Sueſſionenſi an. 866. S. Nicolai I. juſſu pro eadem Vulfadi, & Sociorum cauſſa indicto non alia ratione Hincmarus ſententiam ab ſe latam in illos defendit, quam Benedicti III, & ejuſdem Nicolai I, quibus obrepſerat, auctoritate, a quibus illa comprobata fuerat: attexit tamen id agi ab ſe *Non ad reſiſtendum in aliquo Domini Papæ decretis Apoſtolicis, a quibus, Domino annuente, vel transverſo, ut dicitur, ungue ſcienter, & per contumaciam non exorbitabo*. Et infra id ab ſe actum ſubdit: *Salvo Romanæ Sedis in omnibus juſſu, atque judicio*. Dedit & ad S. Nicolaum I. epiſtolas 22, & 26, quibus ſummam erga Apoſtolicam Sedem venerationem, & obedientiam profeſſus, executioni ſe mandaturum, quidquid Pontifex in cauſſa Vulfadi, & Sociorum ſtatuiſſet, pollicitus eſt.

In cauſſa etiam Hincmari Laudunenſis, etſi litteras paullo acerbiores ad Hadrianum II. deſcripſiſſet, eo quod ab Hincmaro Laudunenſi ſibi obrepi, ab eoque in Galliarum Regem, & Epiſcopos

copos commoveri paſsus fuiſset, in ipſis tamen Apoſtolicæ Sedi ſibi obediendum agnoſcit; ad eamdem quoque appellationem interponi poſse; atque in Synodo Duziacenſi anno 871. una cum Epiſcopis profeſsus eſt in hæc verba: *Quia ergo nos quantum ſcimus, & poſsumus privilegium ſanctæ, ac primæ Sedis Romanæ, & conſervare, & obaudire, & extollere cupimus, atque ſatagimus, pro ſuo ſcilicet Principatu, quem B. Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſia nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper, & retinet, ſervet veſtra Paternitas, & a Deo in prima Sede conſtituta Auctoritas nobis filiis, & ſubjectis ſibi Epiſcopis Eccleſiaſtica privilegia a ſacris Canonibus, a veſtris Deceſſoribus noſtris deceſſoribus conſervata.* Luculentius adhuc ſuam de Pontificis Romani poteſtate, & fide promit ſententiam in præfat. opuſc. de divortio Lotharii. *De omnibus dubiis*, inquit, *vel obſcuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, Sancta Romana Eccleſia, ut omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra, nutrix, & doctrix eſt conſulenda, & ejus ſalubria monita ſunt tenenda.* Idem in opuſc. de prædeſtinat. cap. 4, *Oportet*, inquit, *hoc ſequi, quod illa Romana Eccleſia cuſtodit*: & cap. 4. *Catholicis hoc debet ſufficere, quod omnium Eccleſiarum Mater docet.* Idem in præfat. ad S. Nicolaum I. ſcribens, *Pontifex*, air, *Romanus vicem in terris poſſidet Dei, neque fas eſt, ut abſque Vicario Dei, abſque univerſitatis Pontifice, abſque unico Papa, abſque omnium arbitro aliquid in rebus fidei, & morum conſumetur, aut divulgetur.* Poſtremo Hincmarus ille, qui ſacrorum canonum obſervantiam tantopere urgebat, & commendabat, ubi tamen illos ſuis conſiliis, & commodis non ſuffragarentur, ab Apoſtolica Sede ipſorum relaxationem pro viribus procuravit. Ita quia canone 9, & 17. Concilii Chalcedonenſis Metropolitæ primum judicium fuit reſervatum ſuo Primati, Hincmarus a Benedicto III, & Nicolao I. privilegium impetravit, quo nullo intermedio unius Romani Pontificis juriſdictioni ſubeſset; quod privilegium epiſt. 44, quæ eſt ad Epiſcopos Diœceſis Remenſis, pro aris, & focis propugnavit: quin imo canones illos Chalcedonenſis Concilii opuſc. 55. capp. 23, & 24. oppugnavit, tamquam quos Romani Pontifices SS. Leo, Gregorius, & Gelaſius improbaſsent. Sed

de Hincmaro hactenus. De Adventio Metenſi, & Ratholdo Argentinenſi confer eorumdem epiſtolas ad S. Nicolaum I. apud Baronium ad annum 864, num. 6, & ſeqq.

Regino Prumienſis Abbas in Chron., quod continuavit uſque ad ann. 972. Romerius teſte Voſſio, Regino, inquam, ad an. 865. de divortio Lotharii, & Theutbergæ agens, referenſque cauſſam divortii S. Nicolaum I. cognoſcendam ſuſcepiſſe, Legatoſque miſiſſe ad Synodum Metenſem, in ea vero Legatos prævaricatos fuiſſe, fœdamque Lotharii cum Waldrada pellice conjunctionem approbaſſe, ſubdit Theutgandum Trevirenſem, & Gun tharium Colonienſem Epiſcopos Romam miſsos, qui Pontifici fucum facerent, ſed a Pontifice comperta fraude illos facinoris Lotharii fautores in Synodo Romana gradu dejectos fuiſſe: *Vielgaudus*, ait, *& Guntharius Romam proficiſcuntur, ut Coepiſcopos ſuos oſtenderent Eccleſiaſtica, atque Apoſtolica exercuiſſe decreta: ſtultitiæ elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere poſſe arbitrati ſunt; quæ nec ſe ſefellit, nec ab aliqua unquam hæreſi falli potuit*. Ab Johanne IX. dubiorum circa baptiſmum ſolutionem accipiendam duxit Heriveus Remenſis Archiepiſcopus, ad quem perinde litteras dedit Pontifex apud Harduinum tom. 6. pag. 467. In litteris ad eumdem Johannem IX. inſcriptis ſuo, ac ſuffraganeorum ſuorum nomine cum Hatto Moguntinus, tum Theotmarus Juvavenſis Metropolitæ ampliſſimis Apoſtolicam Sedem, veriſque exornant titulis. Parum eſt illam Matris, Magiſtræque loco habere, ideoque actorum ſuorum illi rationem eſſe reddendam, agendorumque regulam ab illa accipiendam; ab illa in Chriſtianum Orbem tum pleniſſimæ poteſtatis jura diffundi, tum rectæ fidei dogmata profluere adfirmant, proculque abeſſe periculum, quin exinde ſemper Eccleſiaſticæ rationi conſona emanent. Regerit haſce litteras Harduinus tom. 6. collect. Concil. pag. 482., & ſeqq.

Ratherius Lobienſis primum Monachus, poſtea Epiſcopus Veronenſis, qui variam fortunam expertus eſt, & perpeſſus, neque ob aliam cauſſam, niſi tum quod res Eccleſiæ uſurpari ſacrilege non permiſiſſet, ab Hugone Italiæ Rege ea propter loco amotus, & Ticinum exul amandatus; qua in calamitate poſitus

ad

ad Johannem XIII. Pontificem M. appellationem interpoſuit, epiſtolamque inſcripſit; ſed & ſcripſit ad univerſos Italiæ, Galliæ, & Germaniæ Epiſcopos ipſorum opem, & operam obnixe efflagitans, quas epiſtolas exhibet Dacherius tom. 2. Spicilegii: tum quod populum, Clerumque canonicæ reformationi ſubmittere voluiſſet, ab eo diſciplinam ſubire detrectante, ea de re iterato Sedi ſuæ Veronenſi, cui Sedis Apoſtolicæ ſententia fuerat reſtitutus, injuriis undique affectus, cedere coactus; quinimo Eccleſiæ Leodienſi admotus Cleri, populique conſpiratione ab eadem abſcedere, ac in Monaſterium ſuum Lobienſe recipere ſe compulſus: Ratherius, inquam, in ſuo itinerario, quod extat tomo eodem 2. Spicilegii Dacheriani, quove ab ſe Romanam profectionem adornatam refert, ea præcipue de cauſſa, ut doctrinam Eccleſiæ Romanæ etiam, atque etiam ediſceret: *Qua ignorantia*, inquit, (ſacrorum Canonum) *quo melius exui, quo aptius poſſum, quam Romæ doceri? Quid enim de Eccleſiaſticis dogmatibus alicubi ſcitur, quod Romæ ignoretur? Illic ſummi illi totius Orbis Doctores, illic præſtantiores enituerunt univerſalis Eccleſiæ Principes, illic decretalia Pontificum univerſorum; Congregatio, examinatio Canonum, approbatio recipiendorum, reprobatio ſpernendorum. Poſtremo nuſquam ratum, quod illic irritum, nuſquam irritum, quod illic ratum fuerit viſum. Ubi nam ergo inſipientiæ conſulitur meæ, quam ubi fons ſapientiæ cernitur eſſe?* Tanti ergo pendebat, tantoque in pretio habendam Romanam Eccleſiam exiſtimabat Ratherius idcirco, quod illa Eccleſiaſticorum dogmatum ſcientia clareret ſummopere non modo, aut in Eccleſiaſticis dogmatibus vel recipiendis, vel reſpuendis maximopere ſtudio adlaboraret, diligentiamque adhiberet; ſed quood prærogativa illa ſingulari polleret, ut quod de Eccleſiaſticis dogmatibus ſemel ſtatuiſſet, id deinceps nullo modo aut retractari, aut reſcindi poſſet, prout ab illa fuiſſet aut reprobatum, aut receptum. Id unum inerrantiæ ſi judicium certum non ſit, neſcio ſi ullum ſit. De S. Brunone Colonienſi, & Durando Leodienſi dicam alibi. Conſer Surium tom. 5. ad diem 11. Octobris. Abbonem Floriacenſem adiſis in Epitome de vitis Pontificum. Pilgrimi Lauriacenſis Præſulis ad Benedictum VII. epiſtolam obſequio, obedientiaque refertiſſimam

tibi exhibet Harduinus tom. 6. pag. 695. De S. Heriberto Colonienſi legeſis Bollandum ad diem 16. Martii.

Sæculo XI, & XII. S. Burchardus Vvormatienſis Epiſcopus in Canonum collectione ab ſe, collaborante Olberto magiſtro, adornata, libroſque 20. complectente, innumera exhibet loca, quibus vel ex Summorum Pontificum decretis, vel ex Sanctorum Patrum dictis, vel ex Conciliorum canonibus Apoſtolicæ Sedis qua ſupremam auctoritatem probe adſtruit, qua errandi omnem procul ab ea ſuſpicionem amovet, ut eadem attexere non ſit otium, maxime quod multa ſpatſim daturi ſumus. Berno ex Monaco Sangallenſi Augienſis Abbas in libello de quibuſdam rebus ad Miſſæ officium pertinentibus, qui in Bibliotheca PP. exſtat, cap. 2. auctor eſt, quod quum a S. Henrico Imperatore Romanæ Eccleſiæ Clerici interrogarentur, cur poſt Evangelium, quemadmodum in aliis Eccleſiis fiebat, Symbolum non canerent, reſponſum ab iis redditum iſtud: *Quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando ulla hæreſeos fæce infecta, ſed ſecundum S. Petri doctrinam in ſoliditate catholicæ fidei permaneret inconcuſſa: & ideo magis his neceſſarium eſſe illud Symbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæreſi potuerunt maculari.* Græcis ſchiſmaticis ex adverſo de Romana Eccleſia conquerentibus, quod ſe inconſultis, repugnantibus imo, eidem Symbolo particulam *Filioque* addidiſſet, Humbertum Card. Silvæ Candidæ S. Leonis IX. Legatum repoſuiſſe id jure optimo fieri potuiſſe a Romana Eccleſia pro ſuprema poteſtate, qua fungitur, atque id factum abſque periculo erroris, pro ſingulari inerrantiæ privilegio, quo gaudet, alibi diximus abunde, unde non eſt cur iterum dicamus. Quæ Petro, & Johanni Africanis Epiſcopis de Apoſtolica Sede inſedebat ſententia, eam ſibi acceptiſſimam oſtendit S. Leo IX. epiſt. 3, 4, & 5. apud Harduinum tom. 6. pag. 949., & ſeqq. De S. Bonifacio, aliis Brunone Merſeburgenſi confer Ditmarum lib. 6. chron. A Sancti Leonis IX. Legatis Humberto Cardinali, Petro Amalphitano, & Friderico Cancellario, poſtea Pontifice ſub Stephani IX. nomine, aliis X, ejaculatam in Michaelem Cerularium, Leonem Acridanum, Græcoſque alios Schiſmaticos excommunicationis ſententiam, qua inter alia ajunt: *Quicumque fidei Sanctæ Romanæ, & Apo-*

Apoſtolicæ Sedis, ejuſque ſacrificiis pertinaciter contradixerit, ſit Anathema: & habes apud Harduinum tom. 6. pag. 969.

S. Petrus Damianus, qui ſub Romanis Pontificibus Gregorio VI., Clemente II., S. Leone IX., Victore II., Stephano IX, Nicolao II., & Alexandro II. egregiam, navamque Eccleſiæ commodavit operam, Schiſmati præſertim Benedicti X. Antipapæ contra Nicolaum II., & Cadolai ſub nomine Honorii II. contra Alexandrum II. extirpando, extinguendoque, quemque idem Alexander in epiſt. ad Galliar. Epiſcopos, apud quos ille Legationis munere functurus erat, hoc exornat elogio: *Talem vobis virum deſtinare curavimus, quo poſt nos major in Romana Eccleſia non habetur, qui nimirum & noſter eſt oculus, & Apoſtolicæ Sedis immobile firmamentum*, S. Petrus, inquam, Damianus quid non egit, quid non dixit, ut Apoſtolicæ Sedis tunc oppugnata privilegia in libertatem, atque lucem aſſereret? Audiatur, quæſo, ſerm. 23. de natali S. Johannis Bapt. *Illa Mater, & Magiſtra Eccleſiarum omnium Eccleſia Romana, cui dictum eſt*: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua &c. Legatur in vita S. Barbatiani: *Roma*, ait, *abſque dubio Caput eſt, & principalis Sedes totius Eccleſiæ*; & in vita S. Vitalis: *Roma*, inquit, *per ſummos Apoſtolos Petrum, & Paulum totius Orbis ſibi vindicat Principatum*. In epiſt. 20. ad Honorium pſeudo-Pontificem ita ſcribit: *Præterea ſi eos ſacri Canones hæreticos notant, qui cum Romana Eccleſia non concordant, qua tu judicaberis dignus eſſe ſententia, qui* &c. Tom. 3. opuſcul. 5. ad Clerum, populumque Mediolanenſem ſermonem faciens ſic fatur: *Quo pacto honore indiget* (Eccleſia Romana) *parvuli hominis, quæ laudes, atque præconia ex ipſius ore ſortita eſt Salvatoris? Quæ autem Provincia, per omnia regna Orbis terrarum ab ejus ditione extranea reperitur, cujus arbitrio ipſum quoque Cælum ligatur, & ſolvitur? Romanam Eccleſiam ſolus ille fundavit, & ſuper Petram fidei mox naſcentis erexit, qui Beato vitæ æternæ Clavigero terreni ſimul, & cæleſtis Imperii jura commiſit..... Unde non dubium, quod... qui Romanæ Eccleſiæ privilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum Capite auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur, & hic dicendus eſt hæreticus: fidem quippe violat, qui adverſus illam agit, quæ Mater eſt fidei, & illi contumax invenitur, qui eam*

eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur. In fine vero sic inquit: *Nos si quid erravimus, ad Petri magisterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur: hæc est enim ut ita loquar, officina fabrilis, cui nimirum is, qui Fabri dicebatur Filius, præsidet, ad cujus regulam omnis merito moneta reducitur, ad cujus rectitudinis lineam, quidquid uspiam fuerit depravatum, reformatur*. Ad hæc præclara in opusc. 38. ad Orientis Patriarcham de processione Spiritus S. a Filio scribens sic effatur: *Laudabilis plane Sanctitatis vestræ prudentia, quæ solvendam Sancti Spiritus quæstionem non ad alium quempiam, sed ad Petrum specialiter, quem Cælestis sapientiæ, & potentiæ claves accepisse indubitanter agnoscit*... (detulit) *Nec decebat*, subdit, *ab alio Mysterii cælestis arcana requirere, nisi ab illa potissimum, ... cui Deus ipse per se sua decreta dignatus est aperire*: Beatus es Simon &c. *Hunc enim præ cæteris mortalibus de toto terrarum Orbe conditor Orbis elegit, cui Cathedram magisterii principaliter in Ecclesia tenere perpetuo privilegii jure concessit, ut quisquis divinum aliquid, ac profundum nosse desiderat, ad hujus Præceptoris oraculum, doctrinamque recurrat*. Cedo, est ne desiderare, ut S. Petrus Damiani de Romani Pontificis privilegiis illustrius proloqueretur? Romano Pontifici in fide, ni periculum subire quis velit, consentire quemlibet oportere dicit. In Romani Pontificis fide, ceu supra firmam petram, Ecclesiam fuisse fundatam, a qua fide proinde, qui deflectit, in hæresim procul dubio labi affirmat. Romanum Pontificem fidei divinæ Magistrum, & Doctorem ad ultimum usque ævum a Deo in Ecclesia constitutum, cum eo in fide concordandum omnibus esse, ejus jussionibus accommodandas ab omnibus aures, ejus jurisdictionem ad Ecclesias omnes extendi, neque extare in Orbe, cui ab ipsius imperio fas sit refugere, confirmat, quæ profecto quid aliud probant, nisi Romanum Pontificem in fide falli, & fallere esse omnino nescium, atque suprema in Ecclesiam universalem, ac supra Concilia œcumenica consequenter potiri auctoritate, neque id privilegii absque piaculo erroris oppugnari posse? Confer opusc. 4, 17, & 19; epist. 20. ad Cadolaum; & epist. apolog. ad Alexandrum I. Præterea S. Arialdi Mediol. professionem fidei apud eumdem S. Petrum Dam. opusc. 53 ac Gebehardi Salisburgensis Episcopi epi-

epiſtolam ad Hermannum Meten. apud Harduinum tom. 6. p. 1594. Ad hæc Monachorum Monaſterii Acutiani, ſive Farfenſis epiſtolam ad S. Leonem IX. in codice Farfenſi num. 97., & 98.

S. Lantfrancus ex Cadomenſi Abbate Cantuarienſis Archiepiſcopus catholicæ fidei de Sacramento Euchariſtiæ contra Berengarium ſi unus, acerrimus vindex, & aſſertor, Sedis Apoſtolicæ privilegia quoque egregie propugnavit: nam in lib. de Corp., & Sang. Dom. contra Berengarium, *Quotquot*, inquit, *a primordio chriſtianæ Religionis chriſtiani nominis dignitate gloriati ſunt, etſi aliqui relicto veritatis tramite per devia erroris incedere maluerunt, Sedem tamen S. Petri Apoſtoli magnifice honoraverunt; nullamque adverſus eam hujuſmodi blaſphemiam vel dicere, vel ſcribere præſumpſerunt.* Quibus Berengarium, qui ab ipſo in Concilio Romano ſub Nicolao II. anno 1059. ita confutatus, ut errorem ejuraverit, & ſcripta ſua in ignem conjecerit, poſtea tamen ad ingenium reverſus libellum contumelioſum contra Romanam Synodum ſcripſerat, accerrime perſtringit; ſubdens paullo poſt: *Beati Doctores, ſi non iiſdem verbis, tamen ſententiis, multis in locis aſtruxerunt hæreticum eſſe omnem hominem, qui a Romana, & univerſali Eccleſia in fidei doctrina diſcordat.* Recole, quæ ex eodem Lantfranco retulimus art. 6. §. 2. de Conciliis Provincialibus, quum de Anglicanæ Eccleſiæ traditione ageremus; quo loci Lantfrancus in Synodo Cantuarienſi contra Thomam Eboracenſem de Primatu Anglicanæ Eccleſiæ diſputans, præclare Romani Pontificis ſupremam auctoritatem adſtruit.

S. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus apologeticum ex diverſis SS. Patrum voluminibus adornavit, quibus S. Gregorii VII. ſententiam in Henricum IV, atque univerſa ab eodem geſta, & præcepta canonicis defendit rationibus, & approbavit orthodoxis auctoritatibus, uti loquitur domeſticus ipſius Presbyter pœnitentiarius ejus vitæ ſcriptor apud Sebaſtianum Tegnagnellum Cæſareum Viennæ Bibliothecarium in veteribus monumentis pro Gregorio VII. contra Schiſmaticos, & Papebrochium in actis SS. menſis Martii tom. 2; quo nomine ſignificatur opus contra Guibertum Antipapam pro defenſione S. Gregorii VII. apud Caniſium tom. 7. antiq. lect., & in Biblioth. PP. tom. 18. Is itaque eo in ope-

opere totus eſt, ut evincat Romani Pontificis poteſtate in Eccleſia majorem non eſse; eumque a fide aberrare nullo modo poſſe, quod paucis, ſed apertiſſimis verbis conficit: *Romanus Pontifex*, inquit, *ut ſapientes norunt, non modo deponi, ſed etiam nullo chriſtiano jure a quolibet poteſt judicari*. Et infra. *Quum pro fide Petri, ne deficiat a Domino oratum ſit, unius Romani Patriarchæ fides, in qua fratres ſuos confirmat, nunquam deficiet*. Et iterum. *Romanus Pontifex in fidei fundamento licet pulſatus, licet concuſſus, tamen ſtetit immobilis: quare? Cælum, & terra tranſibunt, verba autem Chriſti non tranſibunt, qui dixit*: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c. Qua pariter, & quam præclara de Romani Pontificis prærogativis animo imbuti eſsent opinione tum Cyriacus Carthaginenſis, tum Herimannus Metenſis, tum Jaromirus Pragenſis, tum Hanno Colonienſis Archiepiſcopi; Dominicus Gradenſis Patriarcha; Berengarius Gerundenſis; Simeon Hiſpanus; Albertus Aquenſis; Guillelmus Papienſis; & Raynaldus Cumanus Epiſcopi diſcere, ac percipere poteris ex S. Gregorio VII. lib. 1. epiſt. 12, 17, 20, 22, 23, 27, 28, 44, 60, & 78; lib. 2. epiſt. 67; lib. 3. epiſt. 14, 18, 19, & 20; lib. 4. epiſt. 2; lib. 6. epiſt. 16, & lib. 7. epiſt. 21. Neque ab eadem ſane abluſit Bonizo Sutrienſis Antiſtes Sedis Apoſtolicæ egregius alter defenſor, & vindex acerrimus, uti facile intelliges ex ipſius proœmio in ſyntagma decret. Eccleſ., de quo Lambeccius tom. 11. Bibl. Vindob. lib. 2. cap. 8, & Pagius ad annum 1044. n. 7, & ſeqq. Quid autem quod S. Gregorii VII. partes invicte propugnarunt S. Bertholdus Archiepiſcopus Saliſburgenſis; Thiemo, ſeu Ditmarus Abbas, ac dein Salisburgenſis Antiſtes; S. Benno Miſnienſis; Altmannus Paſſavienſis; Gebhardus Conſtantienſis Epiſcopi; Wernerus uterque Magdeburgenſis, & Merſeburgenſis; Alberti tres Herbipolenſis unus, duo Wormatienſes Præſules; Henricus, & Wigoldus Auguſtani; Gundecarus, Udalricus, & Eberhardus Euſtadiani; Gebhardus Ratiſponenſis; Henricus Curienſis; Burchardus, & Hannanus Halberſtadienſes; Poppo Tullenſis; Hildolphus, Sigevvinus, & Hermannus Colonienſes Antiſtites; Willelmus Abbas Hirſaugienſis; Odalricus Cluniacenſis; Sigefridus Abbas S. Salvatoris Sca-

Scaphuſæ, aliique plerique, ut Italos præteream, ut eſt apud Paulum Bernriedenſem in vita S. Gregorii VII; Caniſium tom. 2. antiq. lect.; Dacherium tom. 4. Spicilegii, Krantzium, Baronium, Pagium, alioſque paſſim.

S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus quanti faceret Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, quantique faciendam eſſe perinde crederet, neque quidem minoris, quam in Eccleſia ſummæ, atque ab errore omnino innoxiæ, multis in locis manifeſtavit. Libro de fide Trinitatis, & Incarn. Verbi contra Roſcelinum hæreticum Urbano II. nuncupato ſubmiſſis his in epiſtola dedicatoria Pontificem Summum alloquitur: *Quoniam divina providentia veſtram elegit ſanctitatem, cui vitam, & fidem chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam committeret, ad nullum alium rectius refertur, ſi quid contra Catholicam fidem oritur in Eccleſia, ut ejus auctoritate corrigatur: nec ulli alii tutius, ſi quid contra errorem reſponditur, oſtenditur, ut ejus prudentia examinetur. Quapropter* (Pontifici opus ſuum probandum, vel reprobandum ſubmittens, ſubnectit) *ſicut nulli dignius poſſum, ita nulli libentius præſentem epiſtolam, quam veſtræ deſtino ſapientiæ, quatenus, ſiquid in ea corrigendum eſt, veſtra cenſura caſtigetur, & quod regulam veritatis tenet, veſtra auctoritate roboretur.* Item in epiſt. 65. tom. 3. edit. Gerberonii Paſchalis II. decretis contra inveſtituras parere detrectantes, perſtringens, *Qui quum*, inquit, *dedignantur Apoſtolicis decretis, quæ ad robur Chriſtianæ Religionis Papa facit, eſſe obedientes, Petro utique Apoſtolo, cujus vicem fungitur, imo Chriſto, qui Petro ſuam commendavit Eccleſiam, ſe probant eſſe inobedientes. Quærant igitur, qui Vicarii Petri, & in eo Petri, & Chriſti decreta chriſtiana contemnunt, alias regni Cælorum portas, quia certe per illas non introibunt, quorum claves Petrus Apoſtolus portat.* Confer huc Valeranni Naumburgenſis Epiſcopi epiſtolam ad eumdem S. Anſelmum. De Brunone Trevirenſi adiſis Annaliſtam Saxonem pag. 604.

Ivo Carnotenſis Epiſcopus inſigne Gallicanæ Eccleſiæ jubar, vir quidem, ſiquis unquam, ab aſſentationis vitio abhorrens, neque Poteſtates etiam ſummas adulari, ſupparaſitarique turpiter unquam paſſus, de Romano Pontifice optime plane meritus eſt. Ita-

quæ in epist. 8. ad Richerium Archiepiscopum Senonensem docet ejusdem judiciis,& constitutionibus ita esse obtemperandum,ut illis obviam ire sit hæreticæ pravitatis notam incurrere, siquidem hæreticum esse constet, qui Romanæ Ecclesiæ in fide non concordat: *Hujus*, inquit, *judiciis* (scilicet Apostolicæ Sedis) *& constitutionibus obviare plane est haereticae pravitatis notam incurrere*. In epist.48. ad Paschalem II., *Sicut*, scribit, *Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Mater est, & Magistra, sic eam decet filiorum injurias propulsare,& contemptorum inobedientiam vindicare.* In epist.71. ad eumdem Pontificem, postquam ipsum certiorem fecisset se anathema irrogasse Guidoni Puteacensi refugæ, & Clericalis militiæ desertori ob plurimorum criminum, quam gestabat, personam, subdit: *Unde flexis genibus cordis Paternitati vestrae supplico, ut sententiam anathematis juste in eum factam Apostolica auctoritate confirmetis, & Archiepiscopo Senonensi, Episcopo Aurelianensi, Episcopo etiam Parisiensi, ut idem anathema in eum faciant, vestra auctoritate Apostolica injungatis*. Idem in epist.183. *Quoniam*, inquit, *judicia Romanae Ecclesiae a nemine foris retractari posse eadem Romana Ecclesia docente didicimus; si qui aliquando se praegravatos ipsius Ecclesiae auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, & inde expetant levamen, unde se conqueruntur percepisse gravamen: quia quae aliquando corripit paterna severitate, eadem frequenter colligit materna pietate.* His plane docebat a Romano Pontifice,quod ipso non sit superius tribunal, appellari non posse. Sed de Ivone alibi recurret sermo.

S. Otto Bambergensis Episcopus a Paschali II. consecratus, ac subinde a Callisto II. ad Pomeranorum conversionem missus, quorum Apostolus dici jure meruit, ut scribit auctor ejus vitæ apud Henricum Canisium to.2.antiq.lection.;cujusque insignes de septem Ecclesiæ Sacramentis instructiones Pomeranis traditas iniquo pro ingenii prava intemperie obscurare Basnagius conatus est, in epistola post Paschalinam 72. apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1828., quam ad præfatum Paschalem II. exaravit, quæ sibi animo sententia insideret de Pontificis Romani prærogativis, liquid is patefecit hisce verbis: *Quia totius Ecclesiasticae dignitatis,*

& Re

& Religionis firmamentum in Chriſto petra eſt, & in Petro ejus diſcipulo, & ejus Succeſſoribus, idcirco ab hac linea, ab hac virga directionis, virga Regnorum, Pontificatuum, & omnium poteſtatum in Eccleſia inſanum duxi aberrare. Vobis igitur, Pater Sanctiſſime, & Matri meae Romanae Eccleſiae collum ſubmitto, & devotae ſublimitatis auxilium, & conſilium de rebus meis flagito. Retexit ſubinde ſe olim Henrici Imperatoris Cancellarium egiſſe: ab eodem Imperatore, a quo Bambergenſi Eccleſiæ inauguratus fuerat, inſignia regiæ inveſtituræ accepiſſe: eadem facti pœnitente ad pedes Pontificis ab ſe deponi; ſibique ſummopere timentem a periculo curæ paſtoralis Summi Pontificis placito totum ſe committere: *Nunc vero jam tertio,* ſubjungit, *in Bambergenſem Epiſcopum me ordinavit, in quo tamen minime permanebo, niſi veſtrae complaceat Sanctitati per vos me inveſtire, & conſecrare. Quidquid ergo placeat diſcretioni veſtrae de me, per nuncios meos ſignificate mihi de ſervo veſtro, ne forte in vacuum curram, ſi ad vos currere incipiam.* Profectus eſt poſtmodum ad ipſum Paſchalem, a quo juſſus eſt Epiſcopatum ſubire, atque ab ipſo in Epiſcopum conſecratus eſt. Adeundi de S. Norberto Bollandus ad diem 6. Junii; de Radulpho Roffenſi Eadmerus lib. 5. vitæ S. Anſelmi Cantuar.; de S. Malachia Armacano S. Bernardus opuſc. 22; de S. Hugone Lincolnienſi Rogerius Hovedenus; atque de Anſelmo hujus nominis III. Mediolanenſi Archiepiſcopo Bertoldus in Chronico, & Pagius ad an. 1093. n. 6. Nam de ſingulis diſſetere ſingillatim nec juvat, nec vacat.

Rupertus Tuitienſis Abbas, quem a Spiriru Sancto per viſionem illuminatum Honorius Auguſtodunenſis in fine lib. 4. de Script. Eccleſ., præclaro elogio affirmavit, lib. 2. in Johan. cap. 3. ita magnifice de Romana Eccleſia loquitur. *Roma eo, quod Beati Principis Apoſtolorum Petri Sedes facta ſit, cunctis Eccleſiis caput altius extulit, latiuſque dominatur per omnes gentes ſacra Pontificum ejus lingua, quam dominata fuerit Caeſarum, ſive Auguſtorum ejus purpura.* In lib. de divin. offic., quos neſcio quo fato factum ſit, ut Ruperto abjudicantes Valeranno adſcriberent Thomas Waldenſis, Dominicus Soto, Alanus, Sanctius, & Vaſqueſius; quandoquidem Ruperti genuinum eſse fœtum oſtendunt ipſe-

met Rupertus illos recenſens in catalogo ſuorum operum; Trithemius in catalogo viror. illuſtr., & in Chronico Hirſaugenſi, & Reinerus Monaſterii S. Laurentii Monachus in lib. de viris Illuſtribus Monaſterii S. Laurentii Leodienſis, cujus alumnus pridem fuerat Rupertus, eidem Ruperto illos attribuentes, attribuendoſque procul dubio demonſtrat Gerberonius in apologia; in lib., inquam, de divinis officiis lib. 2. cap. 22. ſcribit: *Tantis haereſibus fermentata eſt Graecia, ut mirum videri non debeat hoc, quod de fermento immolat. Tantae e contrario ſinceritatis ſemper fuit Romana Eccleſia, ut cui deeſt ſcripturarum notitia, vel argumentandi facultas, ſola illi de azymo contra Graecos ſufficere debeat ejus auctoritas. Nam Conſtantinopolitana non ſolum haereticos, ſed & haereſiarchas protulit multos: Romana vero Eccleſia ſuper Apoſtolicae fidei petram altius fundata firmiter ſtetit, & tam Graeciae, quam totius Orbis haereticos ſemper confutavit, & de excelſo fidei tribunali data ſententia judicavit.* Idem in illum locum Apocalyp. *Et vidi Sedes &c.* ſic ait: *Summum judicii hujus tribunal in Eccleſia paratum eſt Romana, ubi Sedes Apoſtolica B. Petri, & nomine, & corpore fundata eſt, cui ſpecialiter dictum eſt*: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. Porro Eccleſiæ Romanæ nomine præcipue Romanum Pontificem a Ruperto intelligi nemo non videt, quippe a quo in Romanam Eccleſiam decus omne diffluit; neque enim Romano Clero, ſed Romano Epiſcopo S. Petri ſucceſſori a Chriſto Domino promiſſiones factæ ſunt, & privilegia collata. Quapropter ludunt, & illudunt adverſarii, quando Pontificem edicentem, & edocentem tum demum, quod a veritate non deflexerit, primum datum intelligi dicunt, quum Romana ſua Eccleſia illi edocenti, & edicenti aſſenſum commodaverit ſuum, ac ſubinde Eccleſia univerſa.

V. Guigo Carthuſiæ majoris, ſive Gratianopolitanæ Prior quintus S. Bernardo, & Petro Ven. Cluniacenſi coævus, & amicitia conjunctiſſimus ſuo, ſuorumque confratrum nomine ad Innocentium II. Papam Anacleti II, & Victoris II. pſeudo-Pontificum diro Schiſmate divexatum ita ſcripſit: *Non pars una, ſed totus pene Orbis eſt veſtra Diœceſis: nam ſicut Deus eſt unus, Mediator unus, Mundus unus, Sol unus, & ut minora inferamus, in animalibus cun-*

cunctis Caput unum, ita B. Petri Vicarius, ideſt Papa non poteſt eſſe, niſi unus. Univerſo itaque Mundo rigorem diſciplinae, rectitudinem juſtitiae, lumen doctrinae, & ipſius, quam nomine quoque praefertis, irreprehenſibilis debetis exemplar innocentiae. Extat epiſtola iſthæc in chronico Mauriniacenſi. Idem in præfat. ad vitam S. Hugonis ad Innocentium II., cujus juſſu conſcribendam ſuſceperat: *Ad tantae*, inquit, *pondus auctoritatis ne mutire quidem praeſumpſimus; ne dum ei non obedimus, cui totus commiſſus eſt Mundus, eum offenderemus, a quo factus eſt Mundus.* Itaque ſi Orbis univerſus Romani Pontificis Diœceſis eſt: ſi univerſo Orbi lumen doctrinæ idem debet: ſi is demum unus eſt; eique totus commiſſus eſt Mundus, exinde eſt, ut nulla ejuſdem ſit auctoritas major, ejuſdemque doctrina nullo modo in diſcrimen adduci debeat. Sed & Monachi Carthuſienſes in litteris ad Innocentium II. inſcriptis, ac in Concilio Remenſi anno 1131. a Gofrido Carnotenſi perlectis Romani Pontificis ampliſſimam poteſtatem hiſce prædicant, exprimuntque præclaris verbis: *Non pars una, ſed totus Orbis eſt veſtra Diœceſis.*

Hugo Victorinus Ord. S. Auguſtini in Cœnobio S. Victoris ad muros Pariſienſes Canonicus Regularis lib. 1. erudit. theolog. de Sacram. cap. 43. *Papa*, inquit, *dicitur, quia Pater Patrum: hinc univerſalis dicitur, quia univerſae Eccleſiae praeeſt; hic quoque Apoſtolicus vocatur, quia Principis Apoſtolorum vice fungitur: hic etiam Summus Pontifex nuncupatur, quia Caput eſt omnium Epiſcoporum.* Jam vero ſi Eccleſiæ univerſæ præeſt, ſi Epiſcoporum omnium eſt Princeps, putaſne Eccleſiæ ex Epiſcopis in Concilio collectæ eumdem ſubeſſe, quum eadem ſit Eccleſia, quæ in Orbem diſperſa eſt, & quæ in Concilio coadunatur? De altero infallibilitatis privilegio verba faciens in ſerm. 64. de SS. Apoſtolis Petro, & Paulo ſub comparatione Solis, cum quo Petrum, & Lunæ, cum qua Paulum confert, de S. Petro ſic effatur: *Petrus Sol per collatam ſibi divinitus potentiam ... Luminare majus fecit Deus, dum dixit Petro: Caro, & Sanguis fidei ſacramentum tibi non revelavit, ſed Pater meus, qui eſt in Caelis, & illum tunc lucere in Caelo praecepit, dum illi Claves regni Caelorum contradidit .... Petrum Soli comparo, quum Petro ſoli dictum eſſe conſtet:*

ſtet: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c: *Petroque ſoli inter cæteros, & prae caeteris a Domino cura paſtoralis principaliter, & ſpecialiter injuncta eſt, ubi dicit*: Paſce agnos meos. Aut ego fallor, aut iſta infallibilitatem Pontificis non inferre non poſsunt.

S. Bernardus SS. Patrum Latinæ Eccleſiæ ab Orthodoxis noviſſimus appellatus, non quidem idcirco, quod ſequiori ætate in Eccleſia Latina defecerint Doctores, ſed quod una cum ſcholaſtica diſputandi methodo tum recens invecta novæ etiam nomenclaturæ a Doctoribus ſcholaſticis uſurpari inchoaverint: Dixi Latinæ Eccleſiæ: quippe in Eccleſia Orientali Patrum catalogum clauſit Sanctus Johannes Damaſcenus ſæculo Eccleſiæ VIII., ſub quod ſcholaſtica methodus obtinere jam cœpit; quæ in Eccleſiam Occidentalem non ante ſæculum XIII., ſive ſub S. Bernardi tempeſtate ſuum tum auſpicata exordium eſt: Dixi ab Orthodoxis: quippe a Novatoribus, quorum intereſt plurimum SS. Patrum ordinem coarctare, vix paullo poſt VI. Eccleſiæ ſæculum illius fines producuntur; ſed quotquot poſt inde floruerunt, tanquam Papatus Romani fautores, turpeſque aſsentatores, e Patrum albo pro illorum quodlibet audendi licentia, agendique libidine, expunguntur: S. Bernardus, inquam, ab exordio ad ſuam uſque ætatem in Eccleſia cuſtoditæ traditionis locuples eſt teſtis. At non uno in loco Romani Pontificis auctoritate præſtantiorem non eſse in terris tradit; ejuſdemque fidem ab erroris periculo immunem prorſus teſtatur. Ad Innocentium II. Pontificem Maximum ſcribens occaſione errorum Petri Abælardi in Synodo Senonenſi damnatorum, *Oportet*, inquit in epiſt. 190. *ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quaeque, & ſcandala emergentia in regno Dei, ea praeſertim, quae de fide contingunt*: *dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Haec quippe hujus praerogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt*: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. *Ergo quod ſequitur, a Petri ſucceſſore exigitur*: Et Tu aliquando converſus confirma fratres tuos. *Id quidem modo neceſſarium tempus eſt, ut veſtrum agnoſcatis, Pater amantiſſime, Principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis & Sedem; ſi veſtra admonitione corda*

in

in fide fluctuantia confirmatis ; ſi veſtra auctoritate conteritis fidei corruptores. Rogo etiam, atque etiam adverſarios, ut dicant utique, ſi a S. Bernardo, ut magis mentem ſuam aperiret de Romani Pontificis inerrantia, deſiderant. Sed & conferant epiſt. 174. ad Canonicos Lugdunenſes, qua ad Sedem Apoſtolicam ſpectare affirmat novarum inſtitutionem ſolemnitatum : ejuſdemque auctoritati, & examini, quæ ad Religionem ſpectant, univerſa reſervat : *Romanae Eccleſiae*, ajens, *auctoritati, atque examini totum hoc* (de Conceptione B. V.) *ſicut & cetera, quae ejuſmodi ſunt, univerſa reſervo : ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare* : Et confiteantur nihil conſtantius apud S. Bernardum, quam Romani Pontificis infallibilitas.

Neque aliquid magis antiquius habuit, quam ejuſdem quoque nulli inferiorem auctoritatem. In ſermone habito ad Epiſcopos in Concilio Remenſi congregatos Innocentio II. coram, *Grave eſt*, dixit, *quod mihi injungitur, videlicet ut doceam Doctores, inſtruam Patres, ... Sed praecipit mihi Moyſes iſte .... cui obediendum eſt non ſolum a me, ſed etiam ab omnibus. Et plus quam Moyſes hic : Moyſi commiſſa fuit una plebs Iſraelitica, iſti autem univerſa Eccleſia : & plus quam Angelus hic ; cui enim Angelorum dixit aliquando Deus* : Quæcumque ligaveris &c. *Secundum officium dico, non ſecundum meritum : praeter Deum non eſt ſimilis ei nec in terra : hic eſt Petrus &c.* Non me latet ſermonem hunc ab Horſtio, qui in opera S. Bernardi accuratam cenſuram adornavit, S. Bernardo abjudicari, eam ob cauſſam, quod ex centonibus ipſi videatur conſarcinatus. Verum tamen quia ipſomet fatente non ex alio, ſed ex ipſius S. Bernardi ſententiis conflatus ſermo eſt, non eſt, cur eo non utamur. Ut ut ſit, ne criticis moroſioribus atram bilem moveamus, certo certiora loca adhibeamus. Igitur in epiſt. 131. ad Clerum, & Populum Mediolanenſem ita ſcribit : *Plenitudo poteſtatis ſuper univerſas Orbis Eccleſias ſingulari praerogativa Apoſtolicae Sedi donata eſt. Qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Poteſt, ſi utile judicaverit, novos ordinare Epiſcopatus, ubi hactenus non fuerunt : poteſt eos, qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictaverit ; ita ut de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & e converſo, ſi neceſſe*

eeſſe viſum fuerit: poteſt a finibus terrae ſublimes quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas evocare, & cogere ad ſuam praeſentiam, non ſemel, aut bis, ſed quoties expedire videbit. In epiſt. 183. ad Conradum Regem Romanorum hæc habet: *Regis dedecus, Regni diminutionem nunquam volui: violentos odit anima mea; legi quippe:* Omnis anima Poteſtatibus &c. *Quam tamen ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire in exhibenda reverentia ſummae, & Apoſtolicae Sedi, & B. Petri Vicario, ſicut ipſum vobis vultis ab univerſo ſervari Imperio.* Efficacius id exprimit in epiſt. 277. ad Eugenium III. his illuſtribus verbis: *Altiorem locum ſortitus es, ſed non tutiorem ..... Terribilis prorſus, terribilis eſt locus iſte, locus, inquam, in quo ſtas, terra ſancta eſt; locus Petri eſt; locus Principis Apoſtolorum, ubi ſteterunt pedes ejus. Locus illius eſt, quem conſtituit Dominus Dominum domus ſuae, & Principem omnis poſſeſſionis ſuae.* Omnium tamen illuſtrius, & quod omnem procul dubitationem abigat, illud eſt, quod lib. 3. de conſider. ad Eugenium III. cap. 8. ſcribit: *Age,* inquit ibi, *indagemus adhuc diligentius qui ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Epiſcoporum, Tu hæres Apoſtolorum, Tu Primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es, cui Claves traditæ, cui Oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii Cæli janitores, & gregum Paſtores, ſed Tu tanto glorioſius, quanto & differentius utrumque præ ceteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, Tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modo Ovium, ſed & Paſtorum Tu unus omnium Paſtor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini: cui enim, non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolute, & indiſcrete totæ commiſſæ ſunt Oves? Si me amas Petre, paſce oves meas. Quas? Illius, vel illius populos Civitatis, aut Regionis, aut certi Regni? Oves, inquit, meas. Cui non planum eſt non deſignaſſe aliquas, eſt aſſignaſſe omnes: nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil.* Et infra. *Ergo juxta canones tuos alii in partem ſollicitudinis, Tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipſos,*

ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne ſi cauſſa extiterit, Tu Epiſcopo Cælum claudere, Tu ipſum ab Epiſcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcuſſum privilegium tuum Tibi tam in datis Clavibus, quam in Ovibus commendatis. Ergo in Eccleſiam univerſam, ſive in Epiſcopos omnes indiſtincte, & indiſcriminatim, ſi S. Bernardo auſcultes, Romanus Pontifex auctoritate pollet: ergo etiam in Eccleſiam in Concilio congregatam, ſeu in Epiſcopos in Synodo collectos, nam nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil. Uſitata adverſariorum evaſio eſt, quum ſe SS. Patrum auctoritate premi ſentiunt, frigide verbo uno, vel altero reponere Patrum teſtimonia de Primatu Pontificis intelligi. Optime fateor de iſtiuſmodi Primatu intelligi, quo nulla in terris ſit ſuperior poteſtas, & a quo ſit indiviſa a fide indeficientiæ prærogativa: at oppido falluntur, ſi ejus generis Primatum intelligi exiſtiment, quem ſpoliatum duobus illis privilegiis deſiderant; Primatus ſiquidem eſſet puri, putique nominis, atque vix aliquid præterea; cujuſmodi a Patribus Romano Pontifici attributum non fuiſſe palam hactenus fecimus. Planevim argumenti hujuſce, atque SS. Patrum traditionis ſenſit Tournellius, adeo ut tract. de Eccleſ. q. 5. art. 3. volens nolensque faſſus ſit difficillimum fore ex SS. Patrum teſtimonio Eccleſiæ Romanæ, ſeu Apoſtolicæ Sedis infallibilem auctoritatem minime agnoſcere. Quorſum ergo dein agnitam veritatem in dubitationem, ac verius in diſcrimen adducere vir doctiſſimus non eſt veritus?

Appoſite ad hæc SS. Patres qua Græci, qua Latini de privilegiis S. Petro a Chriſto Domino collatis differentes, parimodo eadem privilegia in Romanum Pontificem derivaſſe uno conſenſu docuerunt. Quid autem S. Petro adjudicaverint, quæſo, non te graveris, attende. Illum mox vocant *Petram* propter fidei firmitatem, uti ex Græcis Origenes hom. 5. in Exod., & in cap. 6. ad Roman.; Euſebius in Pſalm. 67; in Matth. 17; ad Rom. 5; tom. 2. Collect. Veter. PP.; S. Baſilius in cap. 2. Iſaiæ; & lib. 2. contra Eunom.; S. Gregorius Nazianz. orat. 26; S. Epiphanius in Anchorato; S. Chryſoſtomus orat. de laudibus SS. Petri, & Pauli; Philo Carpathius in Cant. ad illud *Caput ejus aurum*; S. Cyrillus

rillus Alexandrinus lib. 2. in Johan. cap. 12; Victor Antiochenus, ſive vetus Auctor comment. in cap. 3. Marci; Andreas Cretenſis orat. de transfig.; S. Johannes Damaſcenus hiſtor. Barlaam cap. 11; Theophanes ſerm. de SS. Apoſtolis; S. Theodorus Studites in epiſt. ad Paſchalem Papam; Michael Syncellus in Dionyſio Areopagita; Theodorus Balſamon ad can. 16. Concil. Carthag.; Zagazabo Epiſcopus Æthiops in confeſſione fidei Æthiopicæ. Ex Latinis Tertullianus lib. de præſcript. hæret. cap. 22; S. Cyprianus lib. de unit. Eccleſ.; S. Hilarius in Pſal. 131; S. Ambroſius ſerm. 47; S. Pacianus epiſt. 3. ad Symphron.; S. Hieronymus in cap. 16. Matth.; & epiſt. 54; S. Auguſtinus ſerm. 13, nunc 76. de verbis Domini, & lib. 1. retract. cap 21; S. Maximus Taurinenſ. hom. 1. in natali SS. Petri, & Pauli; Philippus Presbyter in Concilio Epheſino; S. Petrus Chryſologus ſerm. 107; Auctor lib. de vocat. gentium apud S. Proſperum lib. 2. cap. 28; V. Beda in cap. 22. Lucæ; Rabanus Maurus in cap. ult. Johan; S. Thomas Cantuarienſis epiſt. 97, & alii. Illum mox nuncupant *Eccleſiae immobile fundamentum, columen, inconcuſſumque firmamentum*, uti ex Græcis Origenes apud Euſebium lib. 6. cap. 19; S. Baſilius in cap. 2. Iſaiæ; S. Gregorius Nazianz. orat. 7, & 26; S. Chryſoſtomus hom. 55, & 83. in Matth.; hom. in Petrum, & Eliam; hom. 9. de pœnit.; & in Pſal. 50; S. Epiphanius hær. 59; S. Cyrillus Alex. lib. 4. de Trinit. ad cap. 16. Matth.; S. Iſidorus Peluſiota epiſt. 235; Evagrius lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 4; S. Germanus Conſtantinopolitanus in Theoria rerum Eccleſiaſt.; Theophylactus in cap. 22. Lucæ; Euthymius in cap. 16. Matth. Ex Latinis vero S. Cyprianus epiſt. 40, & 70; S. Hilarius canon. 16. in Matth.; S. Ambroſius ſerm. 68; S. Hieronymus lib. 1. adverſ. Jovinianum cap. 14, & lib. 1. dialog. adverſ. Pelagium cap. 4; S. Auguſtinus tract. 124. in Johan., lib. quæſt. veter., & nov. Teſt. q. 75, & ſerm. 5. in feſto SS. Petri, & Pauli; S. Petrus Chryſologus epiſt. ad Eutychet.; Poſſeſſor Africanus epiſt. ad S. Hormiſdam; S. Aldhelmus epiſt. ad Geruntium; S. Eulogius Toletanus in memoriali SS; S. Thomas Aquinas in cap. 16. Matth.; aliique.

Quando vero S. Petrum ceu *Verticem*, *Caput*, *Coryphæum*, *Principem* &c., cui cuncta ſacra Chriſtus ſubjecit, laudibus coho-

ne-

neſtant, ut ex Græcis Origenes hom. 17. in Lucam; Euſebius hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 13; S. Cyrillus Hieroſol. cath. 2, & 11; S. Chryſoſtomus hom. 55. in Matth., & hom. 87. in Johan.; S. Ephræm in panoplia; S. Nilus in epiſt. ad Euſebium; Caſſianus lib. 3. de Incarn. cap. 12; S Cyrillus Alex. lib. 12. in Johan. cap. 64; S. Sophronius Hieroſolym. ſerm. de SS. Petro, & Paulo; S. Theodorus Studites in epiſt. ad Paſchalem Papam; S. Methodius Conſtantinopolitanus in Martyr. S. Dionyſii Areopag., Gennadius Scholarius de primatu Papæ ſect. 2. Ex Latinis autem Tertullianus in Scorpiaco cap. 10; S. Cyprianus epiſt. 55, & 71; S. Optatus lib. 2. contra Parmen.; S. Ambroſius in cap. 24. Lucæ; & in capp. 1, 2, & 12. ad Galat.; S. Hieronymus in Pſal. 13; S. Auguſtinus lib. 2. de baptiſ. contra Donat. cap. 1; Caſſiodorus lib. de amicitia; S. Gildas ſapiens in corrept. Eccleſiaſt. Ordinis; V. Beda in cap. 13. Johan., & hom. in die Apoſtolor. Petri, & Pauli; Rabanus Maurus in cap. 16. Matth.; Lupus Ferrarienſis epiſt. 84; S. Petrus Damiani ſerm. 1. de S. Andrea; S. Anſelmus in cap. 16. Matth.; Ivo Carnotenſis epiſt. 54; Hugo Victorinus ſerm. 64. de SS. Petro, & Paulo; & S. Bernardus ſerm. 1. in die Apoſtol. Petri, & Pauli. Quando eumdem S. Petrum *Magiſtrum, Doctorem, & Paſtorem Eccleſiae univerſae a Deo datum* appellant, uti ex Græcis Origenes hom. 2. de diverſis; S. Baſilius in proœmio de judicio Dei; S. Chryſoſtomus de laudibus SS. Petri, & Pauli; & hom. 3. in Act. Apoſt.; S. Nilus lib. 2. epiſt. 75; Caſſianus lib. 3. de Incarn cap. 12; S. Cyrillus Alex. lib. 12. in Johan.; S. Maximus Martyr in epiſt. ad Orientales; Theodoretus in cap. 1. ad Galatas; Baſilius Seleucienſis ſerm. 4. in David.; Andreas Cæſareenſis in cap. 21. Apocalyp.; Stephanus Dorenſis in libello oblato S. Martino I; S. Johannes Damaſcenus orat. de Transfigur.; Elias Cretenſis in orat. 1. S. Gregorii Nazianzeni; S. Ignatius Conſtantinopolitanus in epiſt. ad Hadrianum II; Theophylactus in cap. 21. Johan.; Eutychius Alexand. apud Ecchellenſem Vind. pag. 29; Oecumenius in cap. 1. Actor.; Euthymius in cap. 21. Johan., & in cap. 16. Marci; Joſeph Methon. reſp. ad Marcum Epheſ.; Gregorius Trapezuntius in illud Johan. *Sic eum volo manere*. Ex Latinis vero Tertullianus lib. de pudicit. cap. 21; S. Cyprianus lib.

de unit. Ecclesiæ S. Ambrosius serm. 11; S. Augustinus tract. 66. in Johan.; S. Maximus Taurinensis hom. 1. in Natali SS. Apost. Petri, & Pauli, & hom. 3. de iisdem; S. Petrus Chrysologus serm. 78; Arnobius Junior in Psal. 138; S. Eucherius Lugdun., seu Eusebius Emissenus in vigil. S. Petri; Bachiarius in libel. fidei; S. Isidorus lib. 2. de offic. cap. 5; S. Aldhelmus lib. de laud. virginit. cap. 28; Apponius lib. 2. in Cant.; Haimo Dom. 2. post Paschæ; Walafridus Strabo de reb. Eccles. cap. 22; Honorius Augustodun. serm. de SS. Petro, & Paulo; Rupertus Abbas lib. de Trinit. cap. 25, & lib. 9. de proces. Spiritus Sancti cap. 28; & S. Bernardus epist. 237. ad Eugenium III; & lib. 2. de consider. cap. 8. Ex quibus profecto quid aliud concludere est, quam quod hactenus demonstrare conati sumus, Romanis Pontificibus communia eademque collata, quæ S. Petro præcipue Christus Dominus concredidit privilegia cum infallibilitatis in fide, tum supremæ in Ecclesia sive in Orbem diffusa, sive in Concilio coadunata auctoritatis? Age modo eam SS. Patrum traditionem ad hanc usque diem integram, incorruptamque; neque unquam interrupta successione mansisse manifestemus.

Ex aliis Scriptoribus Ecclesiasticis, & Theologis Scholasticis Latinæ Ecclesiæ.

§. II.

HEsterna, aut hodierna Christiana Religio non est, sed eadem neque antiqua, neque nupera in ævum manet. Quamobrem ejusdem Caput, cujus in manibus universæ sacræ rei summa extat, Romanus scilicet Pontifex, defectum pati non debet, ipsius non antiquari doctrinam, ipsius non arctari dominationem, ne infirmato fundamento concidat pariter, quod superstructum est, ædificium, & in periculum adducto capite labascat perinde corpus, quod ejus regimini est subjectum. Gratias maximas Christo Deo nostro, qui Romano Pontifici vices suas commendans, suamque Ecclesiam committens, eumdem gemino infallibilitatis in fide, ac auctoritatis omnium maximæ privilegio exornavit. Cujus quidem privilegii testes

ſtes produximus longo catalogo SS. Patres; nunc autem in acceptæ ab iiſdem SS. Patribus traditionis teſtimonium ſequioris ætatis advocamus ſcriptores, atque de Scholà Theologos, non equidem omnes; quippe opus foret cum ultra facultatem, & vires, tum ultra fas, & modum; bene vero aliquos, qui ſanctitate magis, aut ſapientia celebres evaſerunt. Ex iis itaque V. Petrus Cluniacenſis S. Bernardo coævus lib. 5. in epiſt. 2. ad Innocentium II. ſcribit: *Spiritus conſilii, qui ubi vult ſpirat, per Romanos Pontifices Eccleſiæ ſuæ per totum Orbem diffuſæ aſſidue conſulit*: & lib. 6. epiſt. 14. ad Eugenium III. ſic ſubjicit: *Veſtrum eſt totius Eccleſiæ Dei in hac valle lacrymarum peregrinantis cauſſas audire, auditas diſcutere, diſcuſſas judicio Apoſtolico definire. Et licet Perſona veſtra conſtituta ſit ſuper gentes, & regna, ut evellat, & deſtruat, & diſperdat, & diſſipet, & ædificet, & plantet; tamen quia nec Deus, nec Hieremias Propheta, cui hoc dictum eſt, eſtis, poteſtis falli, poteſtis ab his, qui, ea, quæ non Jeſu Chriſti, ſed quæ ſua ſunt, quærunt, decipi*. Non in cauſſis ad Religionem ſpectantibus Pontificem deficere ait, ſed in cauſſis mere ſpectantibus ad forum poſſe decipi obreptione ſcilicet, vel ſubreptione. De poteſtate vero Pontificis agens, illi ampliſſimam profecto, quaque potior, aut par in Eccleſia non ſit, attribuit Bibl. Clun. pag. 689. *Romani Pontifices*, inquiens, *per omnem Eccleſiam Petri auctoritatem habent*: Et infra: *Romani Præſules omni Eccleſiæ præſunt*.

Auctor operis inſcripti *Altercatio Synagogæ, & Eccleſiæ* inter opera S. Auguſtini, (quod quidam attribuunt Gislebetto, cognomento Criſpino S. Anſelmo Cantuarienſi ſuppari, & Abbati Weſtmonaſterienſi in Anglia, longe tamen diſtat ab ejus genuino opere inſcripto: *De fide Eccleſiæ contra Judæos* a Gerberonio operibus S. Anſelmi adnexo,) hæc habet cap. 19: *Romanæ Sedis nunquam intermorituram eſſe fidem Chriſtus pronunciaſſe videtur, quando concreditis, atque collatis Petro cæleſtis Regni clavibus, ideſt totius Eccleſiæ ſuprema poteſtate commiſſa*, Ego, *inquit*, rogavi pro te &c. *& alibi*, Tu es Petrus &c. *Petrum quippe Romanæ Eccleſiæ Præſulem fore, ibique martyrio conſummandum prævidit, cujus fidem non defecturam promittit. Quid, quæſo, nobis inſinuaſſe cenſendus eſt, quam quod ea potiſſimum Eccleſia, cujus*

cujus Petrus velut e vicino (cum eſset alias omnium poſt Chriſtum Eccleſiarum Caput, & Summus Antiſtes,) Præſul erat futurus, in unius, ac veræ fidei confeſſione perpeti conſenſu ſemper eſſet permanſura? Eſt ita enucleate heic aſſerta Pontificis inerrantia, ut eludi nullo modo poſſit, niſi ab eo, qui neque a veritate in luce poſita ſe vinci patiatur.

Hildebertus Turonenſis Archiepiſcopus in epiſt. 65. ad Honorium II, apud Harduinum tom. 6. qua Synodum ab ſe celebratam ab ipſo confirmari efflagitabat, ſic eumdem alloquitur: *Hæc igitur vobis, Sanctiſſime Pater, ſignificanda cenſuimus, quatenus acta canonice veſtra dignetur confirmare auctoritas; non gravemini confirmatione Apoſtolica roborare, ac prohibere, ne quis omnino reſcindere, vel aliqua ex parte minuere præſumat.* Porro Synodum illam Nannetenſem anno 1127. habitam, in qua inceſtuoſa matrimonia damnata: filii inde orti ſpurii, & ad hæreditatem adeundam inhabiles declarati: filii ſacerdotum, ne ordinarentur deinceps, niſi alicui Ordini nomen darent, vetitum: bona viduarum, aut naufragorum, ne a poteſtate ſæculari diriperentur, prohibitum, confirmavit Honorius Papa, ut liquet ex ipſius reſcripto ad Epiſcopos Provinciæ Turonenſis. Arnulphus Lexovienſis, ut mittam, quæ de Innocentio II, & quæ ad Cæleſtinum II. eximia ſcripſit, in epiſt. ad Alexandrum III. gratulatoria de ejuſdem Pontificis inauguratione ſic ſcribit: *Ego minor licet omnibus, non minori tamen gaudio, quam ceteri, gloriam veſtræ promotionis amplector, & Vos Apoſtolum Chriſti, Petri Vicarium, Paſtorem, & Epiſcopum omnium, qui Chriſtiano nomine cenſentur, agnoſco, & Vobiſcum catholicam profiteor unitatem.* Extat in Bibliot. Patrum tom. 22. Itaque poſtquam Innocentio II, & Alexandro III. adverſus ſchiſmaticos egregiam commodaſſet operam, atque eorum legitimam electionem dictis, ſcriptis, & geſtis defendiſſet, eorumdem pariter ſummam poteſtatem præclare celebratam voluit. Porro viros inter alios pietate, ac doctrina præſtantiſſimos, qui tum temporis ab Alexandri III. partibus adverſus Antipapam firmiſſime ſteterunt, recenſentur a Baronio in append. ad annum 1160. SS. Eberhardus Salisburgenſis, & Hartmannus Brixinenſis Antiſtites; a Puricello in monum. Baſil. Ambroſ. Otbertus Mediol. Archiep., & S. Gal-

S. Galdinus ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconus, ac deinde Archiepiſcopus; Henricus Claravallenſis Abbas, Odo Cardin., & Philippus Abbas bonæ ſpei; nec non S. Aelredus Rievellenſis; Guillelmus Senonenſis; Johannes Sarisberienſis &c., de quibus paullo poſt. Petrus Lombardus magiſter ſententiarum dictus, & Pariſienſis Epiſcopus, a quo primum ſcholaſtica diſputandi methodus in ſcholas invecta eſt, lib. 4. diſt. 24. *Ordo Epiſcoporum*, inquit, *quadripartitus eſt, ſcilicet in Patriarchis, Archiepiſcopis, Metropolitanis, & Epiſcopis. Patriarcha græce ſummus Patrum interpretatur, quia primum, ideſt Apoſtolicum tenet locum, ut Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus; ſed omnium ſummus eſt Romanus Archiepiſcopus, Princeps Epiſcoporum.* Quorum ſimillima ſexcenta habet paſſim Gratianus, quæ omnia ſermone perſequi non vacat, eo præſertim quod ſparſim pleraque jam ſunt producta. In Gratianum vero confer Thomaſium, aliter Taxaquetium, atque doctiſſ. Berardi, ut alios mittam, quorum opportuniori in loco occurret mentio.

Anſelmus Havelburgenſis Epiſcopus a Lothario II. Imperatore Legatus Conſtantinopolim miſſus, ubi cum Nechite Nicomedienſi Archiepiſcopo Græcorum ſapientiore congreſſus egregie eumdem confutavit, ut ad articuli ſuperioris calcem adnotabamus, jubente Eugenio III. collationes habitas Conſtantinopoli in unum collectas, & ſub forma dialogi conſcriptas in tres libros digeſſit, eidemque Eugenio Papæ dicavit. Igitur lib. 3. de auctoritate Romanæ Eccleſiæ agens cap. 9. hæc habet egregia: *Eccleſiaſtica regula jubet nullum ea debere habere vigorem, quæ præter Romani Pontificis ſententiam præſumuntur, & quæ ab eo Apoſtolica auctoritate, ac ſubſcriptione non firmantur.* Cap. 10. *Dominus Jeſus*, inquit, ... *ſolius Petri naviculam aſcendit, & ſedens docebat turbas, figuraliter oſtendens a Sancta Romana Eccleſia, cui præficiendus erat Petrus Princeps Apoſtolorum, Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam in turbas populorum per omnem Mundum profluxuram... Quocirca nulli fidelium convenit aliquatenus dubitare, ſeu in quæſtionem ponere, ſed firmiſſime tenere, quod Petrus a Domino Princeps Apoſtolorum ſit conſtitutus. Quemadmodum autem ſolus Romanus Pontifex vice Petri vicem gerit Chriſti, ita ſane ceteri Epi-*

Epiſcopi vicem gerunt Apoſtolorum ſub Chriſto, & vice Chriſti ſub Petro, & vice Petri ſub Pontifice Romano ejus Vicario. Et cap. 12. *Certum eſt*, ſcribit, *& nulli ... dubium, quod ſicut una eſt Eccleſia, ita & unius Eccleſiæ unum Caput eſt in terris, & hic eſt Romanus Pontifex, quem ... Majeſtas divini judicii principaliter, & omnibus præeſſe voluit.* Converſo ſubinde ſermone ad Nechitem ſubjungit: *Quod autem dixiſti hæreſes hic exortas, hic eſſe mortuas; & hoc dixiſti factum eſſe auctoritate SS. Patrum, qui fuerunt in Oriente, & qui in Nicæno Concilio, & in aliis multis Conciliis congregati ſunt: miror tuam prudentiam, quod hoc adſcribas membris, quod erat Capitis; & quod aſſidentibus hoc attribuas, quod conſtat eſſe Præſidentis. Qui videlicet SS. Patres, qui iiſdem Conciliis interfuerunt, ſi hodie omnes viverent, nullus eorum, nec omnes ſimul aliquam auctoritatem alicujus Concilii ſibi uſurparent. Quin potius omnem Conciliorum auctoritatem Romano Pontifici recognoſcerent, aut in propria perſona præſidenti, aut per Legatos ſuos univerſa confirmanti. Eccleſiaſtica namque regula, quam ipſi non ignoraverunt, ita jubet:* Non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari. *Sciendum eſt ergo, quod hæreſes hic* (Conſtantinopoli) *exortæ ſunt, Græcorum quidem errore; ſed & hic quidem deſtructæ ſunt, non Græcorum, ſed Romanorum Pontificum auctoritate.* Hoc vero ex hiſtoria Eccleſiaſtica Anſelmus luculenter probat: probat & ſingulare eſſe Romanæ Eccleſiæ privilegium, ut nunquam a fide deficere poſſit, atque ſuprema ſupra ipſa Concilia generalia poteſtate fruatur. Cujus quidem hanc in rem verba artic. ſupra citato retulimus, quæ proinde ibidem recole, ne dicta repetamus; poſt quæ ſubnectit: *Ecce vides quaslibet hæreſes, hic & ubique exortas a Petra fidei per Petrum Apoſtolum colliſas, & deſtructas. Itaque non ſolum ex prædictis, verum etiam ex plurimis Africanorum Conciliis, in quibus variæ hæreſes damnatæ ſunt, conſtat Romanam Eccleſiam duo divina privilegia divinitus habere: videlicet præ omnibus incorruptam puritatem fidei, & ſuper omnes poteſtatem judicandi.* Quibus hercle, quid in hanc rem illuſtrius proferri poteſt? Quid quinimo plura? Nechites ipſe ultro citroque idipſum faſſus eſt hiſce verbis: *Nos in Archivo agiæ Sophiæ antiquæ Romanorum Pontificum geſta, & Conciliorum habe-*

mus

mus actiones, in quibus hæc eadem, quæ dixisti de auctoritate Romanæ Ecclesiæ, reperiuntur; & ideo non parva verecundia nobis esset, si ea negaremus, quæ apud nos a Patribus nostris scripta præ oculis habemus.

Potho Prumiensis Monachus libros 5. de statu domus Dei conscripsit; in quibus plane statum domus Dei a Romano Pontifice ordinandum præclare asserit, & divinam illius auctoritatem magnifice prædicat. Libro 1. *In hac tota domo*, scribit, *Beatus Petrus cum suis successoribus plenitudinem potestatis accepit; unde quicumque in partem sollicitudinis vocati sunt, ut ea, quæ in partem regenda susceperunt, provida dispensatione gubernent, ejus auctoritate roborandi, ejus exemplis informandi sunt, qui in plenitudine potestatis toti Ecclesiæ præesse dignoscitur.* Et infra. *Præsumptuosum*, inquit, *est enim quibuslibet Prælatis veterem statum immutare, nova instituere, quum solum id Apostolicæ Sedis dispensationi concessum sit, ut pro temporis necessitate, vel pro Ecclesiæ utilitate aliquid de institutis Patrum commutare possit ... Hæc dispensatio, ut diximus, penes illum est, qui vicem Christi in terris agit, cui una cum Petro dicitur a Domino*: & Tu aliquando conversus &c. *Ipse namque est, qui tanquam fidelis, & prudens dispensator super familiam Domini constitutus est ... Solus totius domus Dei, quæ est Ecclesia, morem gerit ... Nec mireris, si Romani Pontifices hanc semper peculiariter habuerint potestatem, ut canones pro tempore dispensarent: ipsi enim sunt auctores canonum, & illa Sedes semper hoc habuit privilegium, ut ligatum, vel solutum sit, quidquid ipsa ligaverit, aut solverit; unde juxta attestationem SS. Patrum omnibus Ecclesiis præeminet, & de omnibus judicare potest.* Potest ne his enucleatius explicari Romani Pontificis auctoritas supra Canones, ac proinde supra Concilia? Ejus auctoritate condi canones necesse esse; ejus auctoritate eosdem relaxari debere, & posse, affirmat; atque ejusmodi auctoritate quempiam Episcoporum potiri negat. Quid hoc est, nisi in Ecclesia ejus auctoritatem esse summam, nullique alteri submissam? Superfluum esset ex Pothone alia congerere: non tamen piget facere tam justæ causæ gratia. Libro 3. *Nonne*, ait, *Romani Pontifices, qui in plenitudine potestatis Ecclesiæ præfuerunt, quorum videlicet auctoritate universa-*

lia canonum decreta conſcripta ſunt, & corroborata, illis præferendi ſunt, qui in partem ſollicitudinis vocati particularia quædam, quibuſdam inſtituta in ſuis regulis ediderunt? ... Hoc namque privilegium B. Petro Apoſtolorum Principi cæleſti decreto principaliter traditum, atque firmatum SS. Patres cum magna veneratione ſuſcipientes, atque S. Romanam Eccleſiam ſervantes, tam in generalibus Conciliis, quam in ceteris ſcripturis, & geſtis ſuis univerſalem Matrem appellaverunt, & ſicut ejus documenta in confirmatione fidei, & eruditione ſacræ religionis, ita etiam judicia ſuſceperunt: in hoc conſentientes, & quaſi uno ſpiritu, & una voce concordantes omnes, majores res, & præcipua negotia, nec non omnium Eccleſiarum judicia ad eam, quaſi ad Matrem, & Caput debere referri, ab ea nuſquam appellari, judicia ejus a nemine retractari, aut refelli debere, vel poſſe. Igitur ſi a judicio Pontificis appellari non poteſt, neque illud ab ullo reſelli, aut retractari poteſt, ſuperius tribunal non ſupereſt. Iterum ſi de fide judicanti Pontifici jugiter SS. Patres teſte Pothone adhæſerunt, is plane a fide nequit vel prope, vel procul aberrare.

S. Hildegardis doctrina, ſanctitate, & divinis revelationibus illuſtris, cujus ſpiritum, & ſcripta probavit Eugenius III, cujus & ſapientiam, & ſanctimoniam epiſtolis cohoneſtarunt Anaſtaſius IV, & Hadrianus IV. Pontifices Maximi, cuique congratulatus eſt, ſeque, ſuoſque epiſt. 386. commendavit S. Bernardus, S. Hildegardis, inquam, in epiſt. ad Eugenium III, & Alexandrum III. ea ſcripſit, ex quibus liquido intelligas Romani Pontificis poteſtatem ab eadem ita habitam, ut ſuperiorem illa non habuerit: Pontificis inſuper fidem tanti ab eadem factam, ut eam ſatisfacere non poſſe firmiter S. Virgini fuerit perſuaſum: *Tu*, inquit in epiſt. ad Eugenium, *qui es vice Chriſti ſedens in cura Eccleſiaſticæ cathedræ meliorem partem tibi elige... De ſummo Judice dirigitur ad Te, ut graves, & impios Tyrannos eradices, & a te ejiciat, ne ſtent in magna irriſione in tua ſocietate.* Enucleatius in epiſt. ad Alexandrum III. ait: *O ſumma, & gloriosa perſona, quæ primum conſtituta es per Verbum Dei ... Tibi ſpecialiter idem Verbum Claves regni cæleſtis per indumentum humanitatis ſuæ, ſcilicet ligandi, & ſolvendi poteſtatem conceſſit. Tu quoque,*

excel-

excellentiſſime Pater, materia omnium ſpiritualium perſonarum exiſtis, quæ tuba juſtitiæ Dei ſonant in Eccleſia. Extant in Bibliot. PP. tom. 23. edit. Lugd. Eo ſcilicet elocutionis genere ſignificabat illi Chriſti vices gerenti in terris, ſummæque auctoritatis munere fungenti auſcultare oportere, quotquot chriſtianæ vitæ, beneque moratæ nomine cenſeri volunt.

S. Aelredus Rievellenſis Abbas in Anglia quanto mentis ſtudio, atque animi impetu flagraret, ferreturque ad Romani Pontificis dignitatem, poteſtatemque loco firmandam ſuo, planum fecit in comment. in Iſaiam, quod extat in Bibl. PP., & Bibl. Ciſterc. tom. 5, locum hunc ex Canticis proferens, *Si ignoras te egredere*, ſic inquit: *Quam multi Fratres hodie neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei egreſſi ſunt de Eccleſia, & ſeparantes ſe a Vicario Chriſti* (vivebat ſub Henrico II. Angliæ Rege, ideoque de Eccleſiæ juribus ſub eo violatis a nonnullis, & idcirco Alexandro III. ſubinfenſis, deque ſchiſmaticis aliis in Friderici Ænobarbi partes abreptis, loquitur) *ſequuntur præambulum Antichriſti. Fratres nemo vos ſeducat inanibus verbis, nemo vobis dicat, ecce hic Chriſtus, vel ecce illic, quum in fide Petri ſemper ſit Chriſtus, quam Sancta Romana Eccleſia ſpecialiter mutuavit a Petro, & ſervat in Petra, quæ eſt Chriſtus ... Hujus Eccleſiæ primus Princeps Petrus fuit, cui dictum eſt*: Super hanc petram &c. *& iterum*, Paſce &c., & Tibi dabo &c. *Hæc eſt Eccleſia .... cujus plenitudo poteſtatis in ipſius Principe primo de Oriente tranſmigrans in Occidentem auctoritate Spiritus S. in Romana reſedit Eccleſia ... & hinc ob ſpecialem excellentiam ipſius Eccleſiæ Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi appellati ſunt Cardinales ... Sicut enim Summus Pontifex ex legitima, & ut ita dicam, hæreditaria ſucceſſione Petri obtinet Principatum, ita ceterorum Apoſtolorum poteſtas in Cardinalibus conſtat eſſe tranſfuſa.* (Conſentanea his ſcripſit poſtea Petrus Alliacenſis.) *Hæc eſt Eccleſia Romana, cui qui non communicat, hæreticus eſt. Illius intereſt conſulere omnibus, judicare de omnibus, omnibus providere, ad quam in Petro vox iſta dirigitur*: Et aliquando converſus confirma fratres tuos. Poſtremo, quantum ſui eſſet concludens, ſic pergit: *Quidquid ipſa ſtatuerit, ſuſcipio, approbo, quod approbaverit; quod damnaverit, damno.* Vis adhuc explicatiora?

Ubi, ita ſerm. 231. ibidem adverſus ſchiſmaticos, *Ubi*, inquit; *Eccleſia eſse Romana oculis cernitur, ratione probatur, confirmatur auctoritate, ibi cor meum, ibi animus meus, ibi affectus meus. Ab ejus fide, quæ, Chriſto orante, non deficiet; ab ejus unitate, quam ſchiſmaticorum pravitas, Chriſto conſervante, non dividet; ab ejus ſubjectione, cujus mihi Princeps Cælum aperiet, me neque mors, neque vita, neque alia creatura, Dei adjuvante gratia, ſeparabit.* Heus hæc a gentili veſtro, adeoque illuſtri audientes ad cor redite Anglo-Calviniani, ac tandem veram Chriſti religionem in Eccleſiæ Romanæ ſinu repoſitam a Majoribus veſtris agnoſcite!

Hugo Etherianus, qui quum apud Manuelem Græcorum Imperatorem Conſtantinopoli ageret, libros tres de hæreſibus, quas Græci in latinos devolvunt, ſive de proceſſione Spiritus S. conſcripſit, quos Alexandro III. Summo Pontifici conſecravit, quique extant in Bibl. PP. tom. 9, de Latinæ Eccleſiæ re, ac præſertim Romani Pontificis a Græcorum obtrectationibus in libertatem aſſerta optime meritus, lib. 3. cap. 17. hæc inter alia habet illuſtria: *Æquum eſt ratum habere, quod tanta Eccleſia* (Romana) *decernit, quod tantus Pontifex* (de Spiritus S. proceſſione enuntiat): *ſine quo vigor calami omnis Eccleſiaſticæ traditionis areſcit, ut memorandus inter ſanctos Beatus junior Stephanus aſſerit.* [Hujus teſtimoninm dedimus art. ſuperiori de Patribus Græcis.] *Chriſtus Petrum, ejuſque ſucceſſorem Principem, & Caput, non modo Latinorum, Græcorum, Occidentis, ac Septentrionis univerſi, verum Armeniorum, Arabum, Indorum, Madianitarum, Amalechitarum, & totius Orientis, & Meridiani climatis in perpetuum conſtituit. Ob quam rem occidui ſolis limites univerſi Petri Succeſſorem ex tunc ſibi Dominum recognoſcunt, & ſub illo Præſule diriguntur: quod omnem ab utero matris errantem facere opportunum eſt.* Idem ſupra cap. 10. ſcripſerat: *Qui autem primæ Sedis, imo totius Orbis Præſuli reſiſtunt, Chriſti diſpoſitioni reſiſtunt*; & cap. 16: *Quod ſi Conciliis Conſtantinopolitano, & Chalcedonenſi licuit Symbolo Nicæno aliquid addere, id quoque Romano Pontifici lieuiſſe, atque licere.* Adi-ſis locum art. cit. integre deſcriptum.

S. Tho-

S. Thomas Cantuarienſis ille libertatis Eccleſiaſticæ aſſertor invictiſſimus, adeo ut libenter eidem vindicandæ ſanguinem, vitamque impenderit, cujuſque epiſtolas Dei ſpiritu, ſacraque eruditione refertiſſimas ex codice Mſ. Vaticano edidit vir doctiſſimus Chriſtianus Lupus, ſicut ea geſſit, quæ ſui intimi animi obſequium, integramque obedientiam erga Romanum Pontificem ſatis panderent, ſic ea ſcripſit, quæ quæ ipſius animo inhæreret de ejuſdem Romani Pontificis privilegiis ſententia, facerent palam. Enim vero in epiſt. 97. ad Epiſcopos Angliæ, poſtquam de muneribus Epiſcoporum verba feciſſet, ſic de Apoſtolica Sede fatur: *Quis Romanam Eccleſiam Caput omnium Eccleſiarum, & fontem catholicæ doctrinæ ambigit eſſe? Quis claves regni Cælorum Petro traditas eſſe ignorat? Nonne in fide, & doctrina Petri totius Eccleſiæ ſtructura conſurgit, donec occurramus omnes Chriſto in virum perfectum, in unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei?... Quicumque ſit, qui rigat, aut plantat, Deus nulli dat incrementum, niſi illi, qui plantabit in fide Petri, & doctrinæ ipſius requieſcit. Sane ad eum maxima populi judicia referuntur a Romano examinanda Pontifice, & diſpoſiti ſub eo Matris Eccleſiæ magiſtratus, quatenus in partem ſollicitudinis acciti ſunt, creditam exerceat poteſtatem.* Ad illuſtria hæc in epiſt. 118. lib. 1. ad Herfordienſem, & Wigornenſem Epiſcopos ſcribit ſibi perſuaſum eſſe, quod ipſi nullius rei adverſæ impulſione a fide, & obedientia Eccleſiæ Romanæ ſeparari poterunt, *Ad quam*, inquit, *quum ex inſtitutione Filii Dei Eccleſiam in ſe Petra ſolidiſſima fundantis omnis anima teneretur, arctiori quidem vinculo adſtrictus eſt Ordo Pontificum, qui in conſecratione de obſervatione legis divinæ, & ſacrorum Canonum, & de obedientia mandatorum Sedis Apoſtolicæ ... profitentur.* Et in epiſt. 122. ad Gilbertum London. *Solus*, inquit, *infidelis, aut qui eum errore ſuperat hæreticus, aut ſchiſmaticus, Apoſtolicis obtrectat obedire mandatis.* Itaque in S. Thomæ ſententia in fide Romani Pontificis hæret Eccleſia; quæ quum errori obnoxia non ſit, nec ille fidei jacturam pati poterit. Iterum a Romana Pontifice juriſdictio in Epiſcopos effluit; Epiſcoporum igitur juriſdictioni etiam in Concilio œcumenico non erit ipſe ſubmiſſus. Confer epiſt. 69. ad eumdem. Quod ſi in litteris ad Albertum,

& ad

& ad Gratianum in querelas adverſus Romanam Curiam paullo acerbiores effuſus ſanctus vir eſt, id ei indulgendum, qui tot calamitatibus vexatus, vexiſque attritus non attenderat, ſeu verius neſcierat, quanta hinc quidem prudentia cum Angliæ Rege ſibi agendum, ne ſcilicet præcipitem in ſchiſma ageret, Pontifex propoſuiſſet; illinc vero quam alte Pontificis animo ipſius cauſſa hæreret: *Quoniam*, his ſcripſerat ad Willelmum Senonenſem, Pontifex, *Thomæ cauſſam noſtram, & Eccleſiæ reputamus*.

Conſentanea S. Thomæ Cantuarienſi ſcripſit eidem coævus, atque in exilio individuus comes Johannes Sarisberienſis, & Carnotenſis Epiſcopus. Nam in epiſt. 83. hiſce Pontificis Romani poteſtatem ampliſſimis exornat verbis: *Romanum Pontificem non ambigimus Principis Apoſtolorum eſſe Vicarium*, (ſive ex aſſe ſucceſſorem), *qui ſicut Rector clavo navem, ita ſigilli ſui moderamine Eccleſiam regit, corrigit, & dirigit univerſam*. In epiſtola vero 193. Alexandrum III. Pontificem M. hiſce præclaris alloquitur: *Clamamus ad ſucceſſorem Petri, Vicarium Crucifixi ... Jus eſt veras exprimere voces, præſertim apud eum, qui amator, eſt, & patronus veritatis, & cujus miniſterio Spiritus Sanctus totius falſitatis figmenta condemnat*. In libris 8, quos Polycraticon inſcripſit, ideſt *de Nugis curialium*, luculentius Apoſtolicæ Sedis prærogativas exprimit, & proſſequitur: lib. 8. cap. 17. *Eccleſiam Romanam*, inquit, *quæ parens*, (*auctore Deo*) *& nutricula fidei, & morum eſt, & non poteſt ab homine judicari, & argui, cæleſti privilegio munita, relinquo intactam*. Et cap. 23. *Quis*, ait, *præſumet ſummum judicare Pontificem, cujus cauſſa Dei ſolius reſervatur examini?* Ad hæc ad pollicitationes Petro factas alludens ſubjungit: *Apoſtolicum privilegium tranſit ad Succeſſores*.

Petrus Abbas Cellenſis, ejuſdemque Johannis in Epiſcopatu Carnotenſi ſucceſſor, & S. Bernardo amicitia conjunctiſſimus, Nicolaum S. Albani in Anglia monachum S. Bernardi memoriæ, & nomini ob ejuſdem ad Canonicos Lugdunenſes epiſtolam de feſto Conceptionis B. V. obtrectantem epiſt. 23. lib. 6. caſtigans, non alia ratione S. Bernardum vindicat, niſi quod diem Conceptionis celebrandum noluerit, antequam eo de feſto Apoſtolica Se-

Sedes, cui, quæ ad Religionem ſpectant, reſervata ſunt, ſuam protuliſſet ſententiam. Quo loco ſane, quid ipſe de eadem ſumma Sede animo ferret ſententiam, his verbis exprimit: *Eſt tamen auro locus, in quo conflatur, & argentum habet venarum ſuarum principia Sedem Petri, & curiam Romanam, quæ Claves Cæli principaliter tenet, & clauſura conſiliorum Dei reſerata diſpenſante Deo unguentum gratiæ a capite uſque in oram veſtimenti habet compluere. Hæc Sedes Petri, ideſt Petra, in qua Moyſes reſidet; videlicet Lex Dei immaculata convertens animas fragoſa quæque hæreticorum conciliabula elidit, & allidit; profanas vocum novitates reſecat, & reſcindit; ſuperflua confodit, & jugulat; hiantia, & ecliptica complet, & illuſtrat. Utinam, ſalva veritatis auctoritate, lance communis conſilii hæc Domina, & Moderatrix totius chriſtianitatis Conceptionem Virginis libraſſet, & approbaſſet, a mari uſque ad mare hanc propagaſſet! Sole, ideſt Apoſtolico, ac Luna, ideſt Curia Romana præeunte, tam ſecure, quam expedite in lumine vultus eorum greſſus meos ponerem, & diſponerem, ex hoc videns vitare lubricum, & ſequi ſolidum, & ſecurum.* Ex iſtis approbe intelligis, quod ſi S. Bernardus, & Petrus Cellenſis nunc in vivis agerent, Romanis Pontificibus Immaculatæ Conceptionis B. V. feſtum probatum, imo ab ipſis præceptum conſpicientes, dubio procul utroque pollice eidem feſto ſubſcripſiſſent, nullum peccandi in Religionem ſibi amplius periculum exrimeſcendum rati, dum Romano Pontifici morem gererent.

Godefridus Viterbienſis trium Imperatorum Conradi III, Friderici I, & Henrici VI. Sacellanus, & Notarius, ſeu, ut vocant, a ſecretis, in Chronico univerſali ab Orbe condito ad an. 1186. perducto, quod Urbano III. Pontifici Maximo ſub Pantheon nomine nuncupavit, hæc habet in epiſt. operi præfixa de Romani Pontificis ſuprema poteſtate in cenſura librorum: *Dum ſacroſanctæ Matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ culmen inſpicio, & ejus eminentiæ conſidero majeſtatem, illud ante omnia neceſſarium eſſe intueor, ut ſicut ipſa omnibus noſcitur præeſſe Principibus, ita omnes Reges, & Principes, & univerſæ Orbis Eccleſiæ doctrina ejus, & regimine adornentur, & ab ea tamquam a fonte juſtitiæ totius ſapientiæ regulis inſtruantur, quia nullum ſcripturarum elogium*

gium noſcitur eſſe authenticum, niſi ab ejus ſapientiæ fluminibus ſitientibus propinetur. Quare ſi quod hiſtoriarum opus nova per aliquem inſtitutione conficitur, ratio ſuggerit, ut antequam in publicum deveniat, Apoſtolico examini præſentetur, quatenus ſi acceptione dignum eſſe perpenditur, ejus mandato, & judicio approbetur, & ab eo vires, auctoritatemque recipiat, cui terrena, & cæleſtia divinitus ſunt commiſſa. En judicium doctrinale, ſeu de facto dogmatico qualicumque uni Romano Pontifici delarum, & aſſertum, de quo nobis parte 2. vindiciar. longiori ſermone erit tractandum. Obſervatu duo ſunt digna: tum quod Conſtantini Donationem, qua Romam, Italiam, & Occidentales Regiones alias Romanæ Eccleſiæ dediſſe dicebatur, jam tum a viris doctis ceu ſuppoſititiam habitam indicat, ac ſuadet: tum quod nihiloſecius Romanum Ducatum, ac reliquum S. Petri patrimonium, juſte a Romana Eccleſia poſſideri perhibet; quamquam in iſtiuſmodi juris temporalis originem non inquirat; quod ad eum non attingebat.

Petrus Bleſenſis genere Gallus, officio primum Willelmi II. Regis Siciliæ Præceptor, munere poſtmodum Henrici II. Angliæ Regis Conſiliarius, opere poſtremo Richardo Canruarienſi Archiepiſcopo addictus, ad Urbanum III. ejuſdem Archiepiſcopi Cantuarienſis nomine ſcribens, eique de ſua electione gratulans epiſt. 99. ſic orditur: *Domus Dei, quæ in lapide adjutorii ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ſtabilita eſt a Petro, & Succeſſoribus ejus formam ſemper eruditionis, & ſtatum incolumitatis accepit. Quod enim ſtipiti rami, quod capiti membra, quod radii ſoli, quod fonti rivuli, hoc Apoſtolicæ Sedis eminentiæ debent Eccleſiæ omnes, quas ubique terrarum Religio Chriſtiana fundavit.* Quibus quid audiri elegantius, & quid quoque efficacius in rem noſtram proferri poteſt? Poſt quæ, ſiquis Apoſtolicam Sedem adhuc oppugnet, is ſane Eccleſiam illi ſubnixam impulſu eodem impetat, oportet. Confer horum ſimilium cumulatiſſimas ejuſdem epiſt. 48. ad Willelmum Cardin. Papienſem; 136. ad Alexandrum III. nomine Henrici Regis; & Aleonoræ Angliæ Reginæ nomine ad Cœleſtinum III. epiſtolas 145., & 146. Quam impenſe, devote, efflictimque Sedis Apoſtolicæ dignitati, auc-

auctoritati, decretisque ſtuderent cum Eskilus Lundenſis in Dania Archiepiſcopus, gentiſque Apoſtolus, atque S. Bernardo amicitia, charitateque conjunctus, cujus demum Monachum induit; tum Abſalon Roſchildenſis Epiſcopus, ac dein ſuus ab Eskilo in Primatu Daniæ, Lundenſique Cathedra deſignatus ſucceſſor, liquet ex Saxone Grammatico lib. 14. Sed & adiſis Baronium ad annum 1177; Sirmondum in notis ad epiſt. 23. lib. 1. Petri Cellenſis, & Manricum in annal. Ciſterc. ad cit. an. cap. 5., & ſeq. Parem in ſententia Petro Bleſenſi abiiſſe Guillelmum ipſius fratrem Maniacenſem in Sicilia Abbatem eruitur ex epiſt. 90, & 93. a Petro ad eumdem datis.

Stephanus Tornacenſis Epiſcopus, qui quum adhuc S. Genovefæ Abbas eſſet, Alberico Sedis Apoſtolicæ Legato comes adjunctus egregiam Albigenſium hæreſi abſcindendæ contulerat operam; quique Philippi Auguſti Galliarum Regis Legatione apud Sedem Apoſtolicam functus optime eſt, in epiſt. 22. tom. 12. Bibliot. PP. ad Alexandrum III. *Parata*, inquit, *Sedes veſtra, Pater, ut de plenitudine ejus omnes accipiant, & profectum parvulis, & ſtatum provectioribus pollicetur*. Quibus quid aliud prædicat, quam quæ potior, ſummaque Pontificis eſt, in omnes promanare poteſtatem? Quum vero Cœleſtino III. mendaci relatione decepto ſui in Epiſcopum Tornacenſem electionem parum acceptam, minuſque gratam intellexiſſet, litteris ad eumdem exaratis ſummam ſui erga Apoſtolicam Sedem animi devotionem, obſequiumque declaravit. *Inter ſpem*, inquiens, *& timorem medius accedo, filius ad Patrem, ſervus ad Dominum, ad Succeſſorem Petri minimus diſcipulorum Chriſti .... Vocatus ad Eccleſiam Tornacenſem loco, & animo remotus, & ignarus, nihilque minus ſpirans, quam Cathedram, cur exceſſi, ſi acceſſi? Quid peccavi, ſi non præcavi? An deliqui, quia non dereliqui? Divinare certe non potui, placeret ne, an diſpliceret Summo Pontifici, cujus placita ſunt jura, in cujus dextera ignea lex, quæ appendit merita ſingulorum in ſtatera canonum, & apprehendit aſtutias in perpendiculo legum, & circino decretorum. Sed .... exceptiones omitto, veniam peto, gratiam quæro, miſericordiam imploro. Aperiatur mihi, obſecro, ſinus S. Romanæ Eccleſiæ, qui nemini claudi conſuevit, pandatur*

aditus ſupplicandi, porrigantur ubera materna. Cum matre placabilem ſeſe Pater exhibeat, ut & ſimplici conſulat, & ſimplicem conſoletur. Ea infima animi ſubmiſſione ad Apoſtolicam Sedem ii ſcribebant, qui de illa vera, & eximia ſentiebant. Idem in altera ad eumdem Pontificem epiſtola, poſtquam irreptas in Theologiam ſcholaſticam inutiles quæſtiones, non ſecus atque in ſacrorum ſtudia Canonum intruſa commenta expoſuiſſet, ſic ſubjungit: *Hæc omnia, Pater, correctionis Apoſtolicæ manum deſiderant, ut uniformitas docendi, diſcendi, diſputandi auctoritate veſtra certam redigatur ad formam, ne ſermo divinus attritione vulgari vileſcat.* Demum in epiſt. 190. ad quemdam, qui certa quædam privilegia impugnabat, his ſcribit. *Examen iſtud reſervate Summo Pontifici, qui ſolus habet poteſtatem, & condendi novos canones, & exponendi veteres, & interpretandi privilegia ſua, & corrigendi aliena.* Paucis, ut vides, Pontifici adſcribit id omne, quod ego longa diſputatione vindicare adnitor. Quam optime affectus Pontifici fuerit S. Petrus Tarantaſienſis Archiepiſcopus; & quam impenſa opera Alexandri III. partes adjuverit, intelligi tibi dabitur ex Gaufredo in ipſius vita apud Surium tom. 3. die 8. Maii.

Jacobus de Vitriaco Cardinalis in hiſtoria Orient., & Occident., quæ extat in Bibl. PP. cap. 75, Græcorum ſchiſma, & errores præcipue ex eo perſtringit, quod a Romani Pontificis ſuprema poteſtate ſeſe ex animi levitate ſubtraxerint, ejuſdemque in fide infallibilitatem dubitationis aleæ ſuppoſuerint; quæ duo privilegia dein luce perfundit, & optimo in loco ponit his verbis: *Græci in multis Sanctæ, & Summae Romanae Eccleſiae, a qua propria auctoritate receſſerunt, ipſi Schiſmatici contradicunt, contra Dei diſpoſitionem, qua Romanam Civitatem totius Mundi Metropolim, & Capitaneam, ſicut in temporalibus omnibus praeerat, ita in ſpiritualibus univerſis voluit præeſſe.* Poſt quæ verbo facto de promiſſionibus factis S. Petro ſubinfert: *Patet ergo, quum ſuper hanc Petram, pro qua Dominus rogavit, ut non deficeret fides ejus, poſt Chriſtum aedificata ſit, & fundata Chriſti Eccleſia, quod omnes, qui ab Eccleſia Romana recedunt, abſque fundamento aedificant, in vanum laborantes, & ab eo, qui a Domino Cephas appellatus eſt, ſeparati, acephali, & monſtruoſi homines merito ſunt appellan-*

pellandi. Joachimus Abbas, de quo jam dictum, ubi de Concilio Lateranenſi IV, ſe præclare de Romani Pontificis fide, & poteſtate in factis dogmaticis ſentire profeſſus eſt prologo 1. in Apocalypſim, quo loco ſic ait: *Rogo ex parte Omnipotentis Dei Coabbates meos, & Priores, & ceteros Fratres meos, ... & ea, quæ poſſe video, auctoritate, præcipio, quatenus præſens ſcriptum ... & ſiquid de novo uſque ad diem obitus mei contigerit ſcriptitare, quam citius poterint, collecta omnia, relictis in ſalva cuſtodia exemplaribus, Apoſtolico examini repræſentent, recipientes ab eadem Sede vice mea correptionem, & exponentes ei meam circa ipſam devotionem, & fidem, & quod ea ſemper tenere paratus ſim, quæ ipſa ſtatuit, vel ſtatuerit, nullamque meam opinionem contra ejus defendere ſanctam fidem, credens ad integrum, quæ ipſa credit, & tam in moribus, quam in doctrina ejus ſuſcipiens correptionem, abijciens, quos ipſa abijcit, ſuſcipiens, quos ſuſcipit ipſa, credensque firmiter non poſſe portas inferi prævalere adverſus eam, & ſi eam ad horam turbari, & procellis agitari contingat, non deficere fidem ejus uſque ad conſummationem ſæculi*. Amantiſſimi Patris adimpletam a Religioſis Monachis piam juſſionem loco ſupra citato obſervavimus. Johannes Servecha, ſive Teutonicus in Decretum Gratiani gloſſam adornavit, qua multis in locis noſtram de Romano Pontifice tradit, propugnatque ſententiam. Ab illis adducendis abſtinemus, quia cuilibet facile patent.

Alexander Halenſis Anglus genere, diſciplina Doctor Pariſienſis, inſtituto Regularis Ord. Minor., Doctoris *Irrefragabilis* titulo inſignitus par. 3. q. 40. mem. 2. hæc docet: *In ordine poteſtatum ſæcularium nullus eſt major Rege, vel Imperatore, quemadmodum in ordine poteſtatum ſpiritualium nullus eſt major Papa*. Non dicit Concilium, ſed Papam. *Tamen*, ſubdit, *collatione facta poteſtatis ſpiritualis ad ſæcularem, poteſtas ſpiritualis eſt ſuper ſæcularem, ſicut ſpiritus eſt ſupra corpus, unde Jerem. 1. dicitur*: Ecce coſtitui Te ſuper Gentes, & Regna &c. Eodem textu poſtea uſus opportune eſt Bonifacius VIII. in Conſtit. *Unam Sanctam*: atque jampridem V. Petrus Cluniacenſis, quo proinde abuſum Pontificem improbe criminantur adverſarii. Eo ergo textu, & argumento ſatis indicauit Halenſis, quæ de Pontificis Romani auctoritate præcla-

ra animo ſibi inſideret ſententia. Vincentius Bellovacenſis, cui ſpeculum in quatuor partes diſtributum, ſcilicet in naturale, doctrinale, hiſtoriale, & morale adſcriptum eſt; cui tamen ſpeculum morale,(reliquis tribus eidem reſervatis,)nonniſi ex S. Thomæ Summa conſarcinatum juremerito abjudicavit Jacobus Echardus in ſumma S. Thomæ vindicata, ea ratione adſcititium oſtendens, quod in Codice antiquiſſimo Mſ. Vincentii Bellovacensis in Collegii Sorbonici bibliotheca ab ſe detecto illud desideretur, ideoque ab illo in tres dumtaxat partes diviſum fuiſſe ſpeculum, in naturale ſcilicet, doctrinale, & hiſtoriale, ac propterea Launoii argumentum, quo S. Thomæ Summam eripere aggreſſus eſt, prorſus concidere vir doctus concludit: (quam Summam Angelico Doctori egregie vindicavit pariter Pagius ex Teſtamento S. Ludovici Epiſcopi Toloſani, in quo ejuſdem Summæ mentio occurrit, edito ad calcem Sermonum S. Antonii Patavini *de Sanctis*), Vincentius, inquam, prolog. in ſpecul. doctrin. cap. 13. hæc habet: *S. Romana Eccleſia nullis Synodicis inſtitutis cæteris Eccleſiis prælata, ſed Evangelica lege Domini, & Salvatoris noſtri Primatum obtinens dicentis*: Tu es Petrus &c. Quæ quidem ex S. Gelasio in decreto de Libris Canonicis, & Apocryphis fuerat mutuatus.

Hugo a S. Caro Cardinalis in cap. 17. Deuter. *Si difficile judicium eſſe perſpexeris aſcende ad locum, quem elegerit Dominus; Ex hoc loco*, ait, *inolevit conſuetudo appellandi ad Summum Pontificem*. Nomine conſuetudinis traditionem, & appellationis vocabulo confugium omne in cauſſis fidei difficilibus accipit. Albertus Magnus in cap. 10. Matth. *Petrus*, inquit, *primus dignitate, non vocatione; propter quod Vertex dicitur Apoſtolorum*. Et paullo poſt. *Attende quod licet Petrus Vertex dicatur primus, non tamen Andreas ſecundus dicitur, nec Philippus tertius, & ſic deinceps, ſed omnes ſecundi ſunt a Petro ad juriſdictionem, quia non unus ſub alio, ſed omnes ſub Petro*. In cap. 16. ejuſdem Matth. Ad illud Dico autem tibi, *Singulariter*, inquit, *non quod Petrus ſingulariter acceperit Claves, ſed quia in unitate ordinis Eccleſiæ unus eſt, qui accipit in plenitudine poteſtatis, qui eſt ſucceſſor Petri, & Petrus in poteſtate, alii autem in eadem unitate accipiunt*

in parte poteſtatis, eo quod vocantur in partem ſollicitudinis. Ecce apertiſſime ab Alberto adſertam ſummam Pontificis auctoritatem: audi nunc adſertam ab eodem Pontificis infallibilitatem. In cap. 22. Lucæ ad illud: *Ego rogavi pro te &c. Hoc argumentum*, inquit, ecquis inficietur? *efficax eſt pro ſede Petri, & ſucceſſore ipſius, quod fides ejus non finaliter deficiat*. De S. Richardo Ciceſtrenſi Apoſtolicæ Sedi addictiſſimo conſule Surium to. 2. ad diem 3. Aprilis. Pariſii, qui Robertum Lincolnienſem Innocentio IV. infenſiſſimum egit, commenta, & calumnias expungit Raynaldus ad an. 1253. n. 43; & ad an. 1254. n. 71.

Henricus Hoſtienſis Cardinalis dictus patria Secuſienſis in Pedemontio, & dignitate Archiepiſcopus antea Ebredunenſis in ſumma de auctoritate, & uſu pallii §. ex quo loco: *Speciale*, inquit, *eſt in Papa, quod ſemper, & ubique pallio uti poteſt: item quia univerſa Chriſtianitas provincia ſua intelligitur: item & reſpectu ipſius unus eſt Epiſcopatus; nedum quoad hoc, ut intelligatur ſponſus unus Eccleſiæ .... quinimo etiam quoad adminiſtrationem: item & reſpectu hujus generalis adminiſtrationis poteſt dici, quod alas habet latas, & liberas, qui nulli ſubeſt, & ubique dominatur*. Pantaleo Ord. Prædic. Conſtantinopoli tractatum edidit adverſus Græcorum errores, quo capita præſertim quatuor controverſa expendit, ſcilicet de proceſſione Spiritus Sancti, de Purgatorio, de Pane azymo, & fermentato, & de poteſtate Rom. Pontificis. In hoc poſtremo luculenter probat Romanum Pontificem ſuprema in Eccleſia poteſtate fungi, illum a fide deficere non poſſe, eidemque ab omnibus fore parendum, ab ejuſque fide nulli fas eſſe abſque hæreſis piaculo deſciſcere. Legeſis illum in Bibl. PP. Lugdun. tom. 27. Guibertus Tornacus Ord. Min. Doctor Pariſienſis in tract. de officio Epiſcopi cap. 35. *Cæteris*, inquit, *Apoſtolis ſingulæ naviculæ, ſingulæ ſcilicet Eccleſiæ, commiſſæ ſunt: Petro vero Maris univerſitas eſt commiſſa ..... Petro univerſalis Eccleſia in toto Orbe diffuſa, in quo terminatur omnis perfectio Hierarchica*. paullo poſt pergit: *Sola Romana Eccleſia, cujus fides in nulla tentatione deficit, utpote ſupra petram ſtabilem ſolidata, nullis hæreſibus, nullis erroribus poteſt, vel potuit, vel potuit inquinari*. Itaque ipſius ſententia ſupremæ Apoſtolicæ Sedis auctoritatis appendix eſt in fide infallibilitas. S. Tho-

S. Thomas Aquinas, qui Doctor Angelicus jure optimo audit, luculenter adeo, liquidoque Romanum Pontificem in fide prorsus infallibilem, atque potestate Concilio generali præstare docuit, ut nefas sit de eius sententia dubitare. Quia tamen, atque quidem Bossuetius, & Natalis inter alios Doctoris Angelici sententiam elevare, seu verius eludere sæpe conati sunt, præstat, atque operæ est pretium contra eniti, ne tanti Doctoris auctoritas nobis eripiatur. Is itaque non solum facto suo docuit, quo in epistola dedicatoria Catenæ aureæ ad Urbanum IV, & quum prope vitæ finem sacro viatico refectus scripta sua omnia Romani Pontificis judicio summisse supposuit, sed innumeris in locis scriptis, quorum aliqua sunt delibanda. Itaque 2.2. q.1. art.10. *Nova editio Symboli*, inquit, *necessaria est ad vitandum insurgentes errores: ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter deteminare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in decretalibus extra de baptis. cap.* Majores. *Unde & Dominus Lucæ 22. Petro dixit quem Summum Pontificem constituit*: Ego pro te rogavi &c. *Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ juxta illud 1. Corinth. 1.* Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. *Quod servari non posset, nisi quæstio de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur; & ideo ad solam auctoritatem Romani Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, & alia hujusmodi.* Ea ergo ratione Symboli editionem summo Pontifici adjudicat S. Thomas, quod in Summo Pontifice principaliter resideat potestas finaliter decernendi, quæ ad fidem spectant; atque ita decreta de fide Ecclesiæ universæ proponendi firmiter ab universa Ecclesia de fide credenda. Quæ profecto ratio elumbis, inanisque esset, si Pontifici Concilium superstaret, ac Pontificis sententia errori suppositа esset. Id magis liquet ex iis, quæ ibidem subnectit: *Sed contra est*, inquit, *quod editio Symboli facta est in Synodo generali. Sed hujusmodi Synodus auctoritate solius Summi Pontificis potest congregari,*

ut

ut habetur in decretis diſs.17. Ergo editio Symboli ad auctoritatem Summi Pontificis pertinet: & in reſponſ. ad 2. *Dicendum*, ſubdit, *quod prohibitio, & ſententia Synodi* (Epheſinæ de alio Symbolo non edendo) *ſe extendit ad privatas perſonas, quorum non eſt determinare de fide. Non enim per hujuſmodi ſententiam Synodi generalis ablata eſt poteſtas ſequenti Synodo novam editionem Symboli facere: non quidem aliam fidem continentem, ſed eamdem magis expoſitam. Sic enim quælibet Synodus obſervavit, ut ſequens Synodus aliquid exponeret ſupra id, quod præcedens Synodus expoſuerat propter neceſſitatem alicujus hæreſis inſurgentis: unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus authoritate Synodus congregatur, & ejus ſententia confirmatur*. Eatenus enim S. Thomas uni Pontifici Symboli editionem vindicat, quod quamvis in Synodo editio illa facta fuerit, Synodus tamen Pontificis auctoritate congregatur, & confirmatur, qua præciſa auctoritate Synodus nihil obtinet. Itaque juxta S. Thomam Synodo Pontifex eſt ſuperior, ac in fide falli, & fallere eſt neſcius, ſi quidem ei de fide ſtatuenti Eccleſia univerſa firmiter adhærere debet.

Idem S. Doctor 2.2.qu.11.art.2. ad 3. *Poſtquam*, reſpondet, *ea eſſent auctoritate univerſalis Eccleſiæ determinata, ſi quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus cenſeretur: quæ quidem auctoritas principaliter reſidet in Summo Pontifice: dicitur enim 24. q.1.* Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres noſtros, & Coepiſcopos nonniſi ad Petrum, ideſt ad ſui nominis, & honoris auctorem referre debere. *Contra cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis ſacrorum Doctorum ſuam ſententiam defendit*. Launojus his adactus fatetur utique S. Thomam pro ſuprema Pontificis auctoritate, & infallibilitate ſtare: ſubjungit tamen, occaſionem omnem captans criminandi, eumdem falſo, nothoque S. Cyrilli opere deceptum in eam conceſſiſſe ſententiam. Verumtamen fallitur ipſe Launojus, & vult fallere, neque enim S. Thomas hancce in rem S. Cyrillum profert, ſed potius avitæ in Eccleſia doctrinæ teſtimonium præbet: quod confirmat 2.2.q.39. art.1. *Caput Eccleſiæ*, inquiens, *eſt ipſe Chriſtus, cujus vicem in Eccleſia gerit Summus Pontifex; & ideo ſchiſmatici dicuntur, qui ſubeſſe renuunt Summo Pontifici; & qui membris Eccleſiæ ei ſubjectis com-*

communicare recusant. Iis consentanea, quæ q. 11. art. 2. scripserat, habet quodlib. 9. art. 16, quo loci Ecclesiæ infallibilitatem repetit ab infallibilitate Pontificis, sicuti alibi Concilii auctoritatem in Pontificis auctoritatem refundit, uti superius observatum est. *Certum est*, inquit, *quod judicium Ecclesiæ universalis errare in iis, quæ ad fidem pertinent impossibile est. Unde magis standum est sententiæ Papæ*, (paullo supra particularium judicium errori obnoxium dixerat,) *ad quem pertinet determinare de fide, quam in judicio profert, quam quorumlibet sapientum hominum in scripturis opinioni*. Quæ enim, quæso te, cohæsio esset: Ecclesiam universalem errare in fide non posse, ergo standum sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, nisi Ecclesiæ indeficientiam Pontificis definientis indeficientiæ inhærere S. Doctor intellexisset? Intellexisse certe fit etiam constans ex lib. 4. contra gentes cap. 76, quem olim locum in oratione ad Episcopos Concilii Basileensis laudavit Johannes Tarentinus Episcopus Eugenii IV. Legatus, quo de Episcopali dignitate, & quod in ea unus sit summus, differens; *Summa*, inquit, *potestas regiminis fidelis populi ad Episcopalem pertinet dignitatem: manifestum est autem, quod quamvis populi distinguantur per diversas Diœceses .... tamen sicut una est Ecclesia, ita oportet esse unum populum Christianum. Sicut igitur in uno spirituali populo unius Ecclesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius populi Caput; ita in toto populo Christiano requiritur, quod unus sit totius Ecclesiæ Caput*. Tum necessarium esse ostendens ad unitatem Ecclesiæ conservandam unum ex institutione Christi Ecclesiæ Caput esse, subdit: *Ad unitatem Ecclesiæ requiritur, quod omnes fideles in fide conveniant. Circa vero ea quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri: per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quod sit unus, qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem, quod Christus Ecclesiæ in necessariis non deficit: non est igitur dubitandum, quin ex institutione Christi unus toti Ecclesiæ præsit*. Tandem totum caput his verbis concludit: *Per hoc autem excluditur quorumdam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia, & subjectione Petri successorem ejus Romanum Pontificem universalis*

lis Eccleſiæ Paſtorem non cognoſcentes. Conſentanea his ſcripſerat lib. 1. cap. 32. Græcorum errores perſtringens. Ex hac S. Thomæ argumentatione inferre eſt, quod ſicut Epiſcopo in Diœceſi, ita multoque magis Pontifici in tota Eccleſia nemo præeminet: in Concilio inſuper Epiſcopi diverſitate ſententiarum dividi poſſent, niſi unus præeſſet omnibus Pontifex, qui ſua ſententia omnes in unam coaleſcere juberet, atque ita in unitate Eccleſiam contineret. Igitur poteſtate Concilio Pontificem ſuperſtare oportet.

Ab his haud abludit de potentia q. 10. art. 4. ad 13, quo loci eadem ferme repetens, magiſque explicans, quæ locis ſupra laudatis expoſuerat, de poteſtate Pontificis hæc habet: *Sicut poſterior Synodus poteſtatem habet interpretandi Symbolum a priori Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem, ita etiam Romanus Pontifex hoc ſua auctoritate poteſt, cujus auctoritate ſola Synodus congregari poteſt, & a quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum a Synodo appellatur, quæ omnia patent ex geſtis Chalcedonenſis Synodi; nec eſt neceſſarium, quod ad ejus expoſitionem faciendam univerſale Concilium congregetur*. Argumento, ut vides a minori ad majus, ut ajunt Philoſophi, utitur S. Doctor; ſcilicet ſi id licet Synodo; multo magis licebit Pontifici, qui ſupra Synodum poteſt; ideſt cujus auctoritate Synodum congregari, & confirmari oportet, & ad cujus tribunal a Synodo interponi appellatio poteſt. Id, inquam, Synodo licet, non tamen, ut a Synodo fiat eſt neceſſe; nam ad id factitandum ſat ſuperque eſt Pontificis Summi poteſtas. Aut ego fallor, aut iſta eſt germana S. Thomæ facilis alioquin interpretatio. Ad hæc accipe, quæ in 4. diſt. 20. q. 1. art. 4. habet: *Papa*, inquit ibi, *habet plenitudinem poteſtatis, quaſi Rex in Regno: ſed Epiſcopi aſſumuntur in partem ſollicitudinis, quaſi judices ſingulis Civitatibus præpoſiti*. Diſt. 24. q. 3. art. 2. *Quamvis omnibus Apoſtolis*, ſcribit, *data ſit communiter poteſtas ligandi, atque ſolvendi, tamen ut in hac poteſtate ordo aliquis ſignificaretur, primo ſoli Petro data eſt, ut oſtenderetur, quod ab eo in alios debeat iſta poteſtas deſcendere: propter quod etiam ei dixit ſingulariter*: Confirma fratres tuos: Paſce oves meas, *ideſt loco mei*: *ubi Chryſoſtomus dicit*: Præpoſitus, & Caput eſto fratrum, ut ipſi Te in locum mei aſſumentes ubique terrarum, Te in throno meo ſedentem

prædicent, & confirment. Quid autem quod in cap. 16. Matth. conferens verba illa Apoſtolis dicta: Quorum remiſeritis &c.; & verba iſta dicta Petro: Tibi dabo &c. *Dicendum*, inquit, *quod immediate* (ſcilicet claves) *dedit Petro, alii vero a Petro recipiunt; ideo ne credatur iſta ſolum dici Petro, dixit*: Quorum remiſeritis &c., *Et hac ratione Papa, qui eſt loco S. Petri, habet plenariam poteſtatem, alii vero ab ipſo?* Juriſdictionem Epiſcoporum immediate a Pontifice proficiſci, ac proinde Pontificis juriſdictionem Epiſcoporum omnium, etiam collectim præſtantiorem eſſe liquido ex his patet, quæ alienum, ſi poſſunt, nam per me licet, in ſenſum adverſarii intorqueant. Quid plura? Comment. in idem caput 16. Matth. recitatis verbis illis *Tu es Petrus* &c. *Quæ*, inquit, *ſunt portæ inferi? Hæretici, Tyranni, Dæmones, Peccata: & quamvis aliæ Eccleſiæ vituperari* (vitiari legendum malunt eruditi) *poſſint per hæreticos, Eccleſia tamen Romana non fuit hæreticis depravata, quia ſupra Petram erat fundata. Unde in Conſtantinopoli fuerunt hæretici, & labor Apoſtolorum amiſſus erat: ſola Petri Eccleſia inviolata permanſit: unde Lucæ 22.* Ego rogavi pro te &c. *Et hoc non ſolum refertur ad Eccleſiam Petri, ſed ad fidem Petri, & ad totam Occidentalem Eccleſiam.* Confer, ſi placet, hanc S. Thomæ interpretationem verborum illorum: *Rogavi pro te &c.* cum interpretatione eorundemmet verborum, quam exhibet idem Doctor Angelicus loc. cit. ex 2. 2. q. 1. art. 10, & conſidera, ſi juxta S. Thomæ doctrinam, ſicuti a Pontifice in Epiſcopos poteſtas diffluit, ita a Pontificis firmitate in fide in Eccleſiam infallibilitas in fide pariter non dimanet, ceu a capite in corpus.

Perſpicua, & plana ſunt iſta, ſatiſque ſuperque haberi poſſent, accipere tamen adhuc non pigeat, quæ verbis diſtinctiſſimis tradit in expoſit. Symboli, ubi *Eccleſia*, ait, *Petri in fide firma ſemper fuit; & quum in aliis partibus vel nulla fides ſit, vel ſit commixta multis erroribus, Eccleſia tamen Petri & fide viget, & ab erroribus munda eſt, nec mirum, quia Dominus dixit Petro*: Ego pro te rogavi &c. Age vero unum adhuc, vel alterum ex S. Thoma laudemus locum. Contra impugnantes religionem cap. 3. ſic ſcribit: *Hoc privilegium Chriſtus Romanæ Eccleſiæ contulit, ut omnia ei ſicut Chriſto obediant.* Et de regimine Principum cap. 14. (ſi tamen

men germanus ejus eſt fœtus) *Hujus regni* (a Chriſto in Eccleſia inſtituti) inquit, *miniſterium, non terrenis Regibus, ſed Sacerdotibus eſt commiſſum, & præcipue Summo Sacerdoti, ſucceſſori Petri, Chriſti Vicario Romano Pontifici, cui omnes Reges populi Chriſtiani oportet eſſe ſubditos, ſicut ipſe Domino Jeſu Chriſto.* Poſt hæc mirari profecto ſubit, quo factum ſit, ut Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. XI, & XII. diſſert. 8, & Boſſuetius defenſ. declar. par. 1. lib. 1. cap. 7; & par. 2. lib. 15. cap. 16. adeo immaniter aberrarint a ſenſu S. Thomæ, quem neque Pontificiæ ſupremæ poteſtatis, neque infallibilitatis in fide aſſertorem ullo modo volunt. Sed S. Thomæ ſenſum illos vel ſatis non aſſecutos, vel partium ſtudio abreptos in alienum intorſiſſe, vel etiam diſſimulaſſe ſatis ex dictis liquet. Confer eumdem 1. par. q. 112. art. 2. ad 2; 2. 2. q. 88. art. 12. ad 3; in 4. diſt. 7. q. 3. art. 1; diſt. 19. q. 1. art. 3; & diſt. 25. q. 1. ad 3; 3. p. de Sacram. q. 13. art. 11. ad 1; opuſc. 1. capp. 64, & ſeqq., atque alibi ſæpe; non enim vacat, nec intereſt omnia, & ſingula proferre, ac perſequi.

S. Bonaventura Doctor Seraphicus jure dictus, nam delectat, docet, & movet, teſte Trithemio, Romani Pontificis privilegia, & contra Græcos acerrime defendit, & Latinos egregie docuit. Libro 1. diſt. 1. q. 1. poſtquam Græcos tribus de cauſſis ad negandam Spiritus S. proceſſionem a Filio adductos fuiſſe animadvertiſſet, ſuperbia ſcilicet, qua de ſua ſententia nimis confiderent; ignorantia inſuper, qua S. Scripturas non ſat intelligerent; & pervicacia poſtremo, qua Latinorum argumenta riſu exciperent, annectit: *Et ideo ſententiam ſuam defendere auſi ſunt, & auctoritati Eccleſiæ Romanæ obviare: & ideo facti ſunt hæretici, quia negant fidei veritatem, & ſchiſmatici, quia receſſerunt a fidei unitate.* Reſpondens ſubinde objectioni Græcorum contendentium additionem Symbolo fieri non potuiſſe, eo quod prohibitum id fuerit a Conciliis generalibus, inter alia ſic ait: *Vel poteſt dici, ſicut dicit Anſelmus, quod novum edidimus, quodque facere potuimus: quia Romana Eccleſia plenitudinem poteſtatis a Petro Apoſtolorum Principe acceperat, in quam nulla Patrum ſententia, nec interdictum proponere, nec arctare potuit, nec ei præjudicare, nec ligare eam ad aliquid.* Potuit ne clarius Pontificis

ficis Romani poteſtatem Concilio ſuperiorem, cunctiſque in Eccleſia ſupereminentem adſtruere? Confirmatur ex opuſc. de Hier. Eccleſ. par. 2. cap. 1, ubi decretoria hæc habet inter alia: *Summus vero Pontifex, penes quem prima in terris reſidet auctoritas, non a Rege, non a Principe ſæculari, non ab homine judicatur, ſed ſolius Dei judicio reſervatur*. Conferatur etiam in expoſit. Regulæ FF. Minor. ad Honorii Papæ Bullam Regulæ præfixam, ubi ſic exorditur: *Honorius Epiſcopus: Epiſcopus utique non alicujus partis ſolum, ſed totius univerſitatis eſt: quod ſi unus non eſſet, qui in omnes exercere poſſet juriſdictionem, ubi maneret ſtatus Eccleſiæ?* Quorum ſimilia proſequitur cap. 9.

Ad præclara hæc S. Doctor par. 6. Breviloquii cap. 12. ſic docet: *Unus eſt Pater Patrum, qui Papa merito appellatur, tanquam unus primus, & ſummus Pater ſpiritualis omnium Patrum, imo omnium fidelium, & Hierarcha præcipuus, ſponſus unicus, Caput indiviſum, Pontifex Summus, Chriſti vicarius, fons, origo, & regula cunctorum Principatuum Eccleſiaſticorum, a quo tanquam a ſummo derivatur ordinata poteſtas uſque ad infima Eccleſiæ membra, ſecundum quod exigit præcellens dignitas Eccleſiæ in Eccleſiaſtica Hierarchia*. Hæc, ſi potes, concorda cum Pontificis infra Concilium poteſtate. Confer eumdem præterea in 4. diſt. 29. art. 3. q. 1, atque inſuper in opuſc. de FF. Minor. prædic. ſub princip., ubi a Pontifice in inferiores poteſtatis, cujus ipſe integram tenet ſummam, particulam emanare docet. S. Bonaventuram audiviſti Pontificem ſupra Concilium evehentem, & celebrantem? Audimodo, ſi non graveris, ab eodem Pontifici inſuper privilegium infallibilitatis aſſertum. In expoſitione cap. 9. S. Lucæ, poſtquam S. Petrum univerſalem prælationem in Eccleſia obtinuiſſe a Chriſto Domino docuiſset, ita demum verba illa: *Rogavi pro te* &c. interpretatur: *Hic rogavit Dominus, non ut Petrus non caderet, ſed ut non deficeret, quia quamvis ceciderit reſurrexit. Vel poteſt illud referri ad Eccleſiam Petri, pro cujus fide rogavit Dominus, ſecundum illud*: Non pro eis tantum ergo, ſed & pro his, qui credituri ſunt per verbum eorum in me: *Et hæc Eccleſia, quæ deſignatur per Petri naviculam, licet concutiatur, tamen non naufragatur*.

Boſ-

Bossuetius defens.declarat.par.1. lib.1.cap.7, sicuti S.Thomæ interpretationem, sic istam S.Bonaventuræ alienum in sensum intorquet, scilicet illi coaptat, quam Petrus de Alliaco in tract. de auctoritate Ecclesiæ 3.par.cap.1.perperam excogitavit,nempe non evinci ex istis in Papa tantam esse plenitudinem potestatis, quanta est in Ecclesiæ, quia confirmatio in fide, de qua dicitur, quod Ecclesia non potest errare, juxta illud *Rogavi pro te* &c., non est in Papa, quia hoc non est dictum de fide personali Petri, quum ipse erraverit, sed de fide Ecclesiæ, de qua dicitur: *Et portæ inferi* &c. Parte vero 2. lib. 15. cap. 16. Gersonii interpretationem suam pariter facit, qua serm. in festo S.Antonii Constantiensi in Concilio ab eodem habito sic ait: *Vidi nuper SS. Thomam, & Bonaventuram dantes supremam, & plenam Summo Pontifici potestatem Ecclesiasticam: recte procul dubio; sed hoc faciunt in comparatione ad fideles singulos, & particulares Ecclesias.* Verum toto ostio a veritate cum suis Petro Alliacensi, & Gersonio aberrat vir alioqui doctissimus, multoque nomine clarissimus. Constantissima est sicut a S. Thoma, sic a S. Bonaventura Pontifici supra Ecclesiam universam, atque supra œcumenica Concilia asserta potestas. Constantissimum est cum Angelico Seraphicum asseruisse in Ecclesiam omnem,& omnes Episcopos potestatem a Pontifice derivare, eumdemque Pontificem solius Dei judicio obnoxium esse. Quorsum igitur aliena ipsi appingitur interpretatio? Ex eo asserto consequitur, quod si Pontifex in Ecclesiam omnem potis est,Pontifici de fide decernenti debere Ecclesiam omnem obtemperare. Id docet S.Bonaventura Græcos hæresis, & schismatis iccirco incusans, quod ab fidei unitate, & veritate suapte secesserint. Ut igitur in fide non erret Ecclesia, necesse est de fide docentem Pontificem errare non posse. Id ipsum docet S. Bonaventura, dum fidei unitatem, & veritatem a Pontifice Romano repetit. Itaque non secus, ac S. Thomæ, obvia, & nihil obscura interpretatio ea est: rogasse Dominum tum pro fide Petri, ut nunquam Ecclesiam docens a fide deficeret: rogasse & pro fide Ecclesiæ, ut nunquam ab ea fide deficeret, qua a S. Petro esset edocta: id enim sonant verba illa: *Pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Verbo dicam: a Petri fide Ecclesiæ fides pendenda

erat;

erat; quippe in fide erudienda a Petro veniebat, quæ proinde, ut firma permaneret, Petri primum fides firmanda fuerat: utrumque præstitit Christus Dominus, qui pro fide Petri ne deficeret rogans, impetravit, ut fides Ecclesiæ defectura non esset. Hæc utique S. Thomæ, hæc S. Bonaventuræ germana interpretatio, non illa, quam Petrus de Alliaco, & Gersonius illis appingunt. Sed de his hactenus. Ad alios præclari nominis auctores properet oratio nostra.

S. Raymundus de Pennafort in ea, quam Gregorii IX. jussu decretalium collectionem adornavit in 5. libros digestam, tot in locis, quorum pleraque data opportunitate indicare non destiti, pervetustam in Ecclesia hancce de Pontificis Romani divinis prærogativis sententiam tradit, & explicat, ut iis referendis operam impendere tempus foret inutiliter, ac frustra terere, quum legenti ultro citroque loca occurrant, præstoque sint vel librum aperienti. Hervæum Natalem adisis libro de potest. Papæ; Alphonsum Tostatum in cap. 16. Matth. q. 68, aliosque multos apud Sanderum lib. 7.: nam omnes recensere non juvat. Richardus de Mediavilla Ord. Minor. Doctoris *Solidi, Copiosissimi, & Fundatissimi* titulis exornatus in 4. dist. 24. art. 5. q. 3, *Quum Ecclesia*, inquit, *sit unum corpus Christi mysticum ex diversis statibus, & membris constitutum, ad observationem hujus veritatis oportet esse unum Caput omnium statuum Ecclesiæ, & membrorum universali regimine regitivum, sub quo diversi status Ecclesiæ, & membra diversa conveniant secundum debitam proportionem in unum, ut sic conformetur Ecclesia militans suo exemplari in Cælo. Ille autem Episcopus, qui præest toti Ecclesiæ est Episcopus Romanus.* Ex unitate Ecclesiæ repetit, & probat necessitatem unius Pontificis, cui Ecclesia universa consentiat: non ergo corpori caput, sed vice versa capiti corpus subest. Legito eumdem in tract. adversus errores Johannis de Montesono ad calcem libri sententiarum Petri Lombardi Episcopi Parisiensis.

Johannes Parisiensis Ord. Prædic. in lib. de potestate Regia, & Papali ex occasione dissidii Philippum Pulchrum Galliarum Regem inter, & Bonifacium VIII. exarato, in præfat. hanc protestationem, quæ animi sui sententiam erga Apostolicam Sedem aperiret,

riret, præmiſit: *Proteſtor, quod nihil intendo dicere cum aſſertione aliqua contra fidem, nec contra bonos mores, vel ſanam doctrinam perſonæ, vel ſtatus Summi Pontificis reverentiam. Et ſi aliquid hujuſmodi occurrerit inter dicta, vel dicenda, volo pro non dicto haberi.* Nempe non neſciebat peſſime ſe auditurum, ſi quidquam Pontificis Romani jura læſiſſet, aut laceſſiviſſet. Hic Pontificis Romani in Regum temporalia juribus minus faviſſe, minuſque erga Apoſtolicam Sedem æquum fuiſſe circumfertur. Quid de eo putandum ſit, ſuo loco planum fiet: videlicet immerito a Richerio in peſſimæ cauſsæ ſuæ patrocinium fuiſſe accerſitum, & abEgaſſioBullæo tom.4.hiſt.Univerſ.Pariſ.ad annum 1303. Johannem Pariſienſem illis accenſitum, a quibus Regia poteſtas adverſus Pontificiam elata fuerit: ipſi nec ignotam fuiſſe Pontificis indirectam poteſtatem, neque hanc inficias illum iviſſe. Certe ille Pontificem virtute totam Eccleſiam comprehendere affirmavit, ex eoque intulit recipiendum, quod Pontifex recepiſſet, ac reſpuendum, quod idem reſpuiſſet. Quæ quid aliud, ſodes dic, ſignificant, niſi quod quum Eccleſia a fide deficere nequeat, parimodo indeficientiæ privilegio fruitur Pontifex, qui quia Eccleſiam edocendi munere fungitur, proinde quidquid tribuitur Eccleſiæ, Pontifici non eſt denegandum. Sed & cap. 3. *Ne*, inquit, *propter diversitatem controversiarum unitas fidei deſtruatur, neceſſe eſt unum eſſe ſuperiorem in ſpiritualibus, per cujus ſententiam controverſiæ terminentur.* Hunc vero eſſe Pontificem paullo ſuperius ſcripſerat. Exinde pariter conſequitur in Pontifice totam, quæ late in Eccleſiam diffunditur, poteſtatem manere, ideoque potiorem ea omnino non eſſe.

Reynerus Piſanus Ord. Prædicat. in Pantheologia, ſeu in Summa, quam primo Jacobus Florentinus Ord. Minor., ac poſtremo Johannes Nicolai Ord. Prædic. auxerunt, & illuſtrarunt, verbo *Ordo* cap. 31. hæc in rem noſtram habet egregia: *Supra poteſtatem Epiſcopalem debet eſſe in Ecclesia poteſtas Papalis. 1. Quia optimum regimen multitudinis eſt, ut regatur per unum; quod patet ex parte finis regentis, qui eſt pax: nam pax, & unitas ſubditorum eſt finis regentis; ergo quum regimen Eccleſiæ ſit optimum, utpote per eum diſpoſitum, & ordinatum, per quem Reges regnant &c.*

opor-

oportet, quod unus toti Ecclesiæ præsit, scilicet Papa. 2. *Quia in triumphante Ecclesia unus præsidet in toto universo, scilicet Deus, ergo etiam in Ecclesia militante unus est, qui præsidet universis. Hinc est quod dicitur Oseæ* 1.: Congregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter, & ponent sibimet Caput unum, *scilicet Papam.* Quæ comparatio Ecclesiæ triumphantis, & militantis supponit plane Romani Pontificis auctoritatem supremam esse in Ecclesia. Confer Engelbertum Admontensem in opere de ortu, progressu, & fine Romani Imperii capp. 18, & 21, ubi auctor est, quod quamdiu uni Apostolicæ Sedis fidei subnixa fuerit Ecclesiæ fides, tandiu firma eadem fides permanebit, influxum præbente eadem Apostolica Sede, quæ extra fidei periculum omnino posita est. Præstat & audire Ludolphum Saxonem horum similia tradentem par. 2. vitæ Christi cap. 1. ubi, *Patet*, inquit, *quod præcipue ad Petri successorem pertinet certificatio dubitationum de fide, & pertinentibus ad eamdem.*

Guillelmus Durandus Hostiensis olim discipulus, a B. Gregorio X. dein ad Concilium Lugdunense II. Legatus, ac demum Mimatensis Episcopus, distinguendus sane ab homonymo Nepote, ac in Cathedra successore, cui cæteroqui non altera de Pontificis privilegiis opinio insedit, Ration. divin. offic. lib. 2. cap. 1. *Apostolica*, inquit, *Sedes, sicut ait Anacletus Papa* 22: *dist. sacro* (locus est pseudo-epigraphus) *Caput, & cardo est aliarum, quoniam sicut ostium cardine regitur sic illius auctoritate omnes Ecclesiæ reguntur ... Illius autem Prælatus Papa, idest Pater Patrum vocatur, & universalis, quia universæ Ecclesiæ principatur, & Apostolicus, quia Principis Apostolorum vice fungitur, & Summus Pontifex, quia Caput est omnium Pontificum, a quo illi, tamquam a Capite membra, descendunt, & de cujus plenitudine omnes accipiunt, quos ipse vocat in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*: Extra de usu Pallii cap. ad Honorem, *Hic est Melchisedech, cujus sacerdotium non est ceteris comparatum.* Quibus jurisdictionis summam unum penes Romanum Pontificem stare, a quo in ceteros omnes subjectos Episcopos pars aliqua juxta ejusdem placitum dimanet, affirmat: ideoque hujus judicio subjacere omnes, illum vero nullius esse judicio submissum, inferri rite potest.

Du-

Durandus a S. Portiano Meldenſis Epiſcopus præfat. in 4. lib. ſentent. opera ſua omnia ultro correctioni Romanæ Eccleſiæ his verbis ſubmittit: *Quia interpretatio dubiorum S. Scripturæ ad S. Eccleſiam Romanam, & Catholicam pertinet, omnia opera noſtra hujus libri, & ſequentium ejus correctioni totaliter ſupponimus.* In 4. diſt. 24. q. 5. ſuam de Pontificis Romani poteſtate ſententiam promens: *Poteſtas*, inquit, *quæ tota data eſt uni in ſuo fonte, non eſt in aliis niſi derivata, & limitata pro illius voluntate; ſed poteſtas juriſdictionis, quæ eſt ad regendum Populum tota in ſuo fonte data fuit Petro, & ſucceſſoribus ejus, quando cura Eccleſiæ ipſi fuit commiſſa, dicente Domino*: Paſce oves meas... *ergo talem poteſtatem plenam, & perfectam habet ſolus Succeſſor Petri, qui ob hoc Papa dicitur, quaſi Pater Patrum, in aliis autem non eſt niſi derivata, & limitata, prout Papæ placet. Et hoc eſt rationabile; quia optimum regimen unius multitudinis eſt, quando regitur per unum ſupremum, a quo deſcendit auctoritas regendi in medios, & uſque ad infimos; ſed regimen S. Eccleſiæ eſt optime a Chriſto inſtitutum, ergo in tota Eccleſia debet eſſe unus univerſalis Rector, a quo deſcendat auctoritas regendi in medios, uſque ad rectores infimos; & hic eſt Papa, & propter hoc ſtat unitas Eccleſiæ, quod omnia membra ſunt ſub uno Capite, qua de cauſa illi, qui hanc poteſtatem negant, ſchiſmatici dicuntur, quaſi unitatis Eccleſiæ diviſores.* Durandi itaque ſententia Pontificis poteſtas ejuſmodi eſt, talis, ac tanta, ut in Eccleſia non ſit, quæ eam exæquet, quinimo quæ ab ea non promanet, multoque minus quæ eadem præſtet. Ex codice Mſ. Bibl. Vatic. n. 4109. regerit Raynaldus ad annum 1321. n. 20, & ſeqq. Anonymi tractatum adverſus errores Johannis de Poliaco Religioſorum Ordinum hoſtis infeſti, ubi auctor multis ex Dei verbo ſcripto, & tradito deductis conficit, quod *Romanus Pontifex de jure divino habet ſuperioritatem ſuper omnes* (Epiſcopos etiamſi in Concilio coactos;) *imo communem juriſdictionem habet a Chriſto: & omnis juriſdictio a Petro ad ceteros eſt derivata; & omnes a Petro accipiunt, & ipſe a Chriſto D.* Nec diſcrepat Anonymus alter, cujus pariter tractatum ex cod. Mſ. ejuſdem Bibl. Vatic. n. 4869. deſcribit præfatus Raynaldus ad an. 1318. n. 54, & ſeqq. docens a Pontifice

quidem procudi canones non posse contra quæ aut in S. Scriptura expressa sint, aut in causis fidei a Conciliis generalibus, aut a Prædecessoribus suis fuerint constituta, (quod plane omnes dicunt,) pro suprema tamen potestate sua posse condere canones contra determinata a quocumque doctore, aut decreta a quocumque Concilio, quinimo a decessoribus suis, modo, ut dixi, non sint circa fidem, in qua perinde infallibilem eumdem esse existimat.

Nicolaus Lyranus ex Primatu Pontifici a Christo D. collato ipsius in fide infallibilitatem recte intulit. Hinc in Lucæ 22. ad illud *Rogavi pro te* &c. *Hoc*, inquit, *dicitur ei, quia Ecclesia erat sibi committenda, ut habetur Johan. ultimo, ubi ter dicitur ei a Christo*: Pasce agnos meos. *Ex hoc etiam patet fidem non deficere usque ad finem Mundi potissime in Ecclesia Romana, quæ a Petro post Christum fundata est*. Equidem non diffiteor eumdem Lyranum in 16. Matth. ad illud *Et portæ inferi* &c. affirmare hanc promissionem factam fuisse Ecclesiæ in persona S. Petri, quinimo a fide defeciisse aliquos Summos Pontifices: *Ecclesia*, inquit, *non consistit in hominibus ratione potestatis, vel dignitatis Ecclesiastica, vel sæcularis, quia multi Principes, & Summi Pontifices, & alii inferiores inventi sunt apostatasse a fide*. Verumtamen eo loci Lyranus loquitur de persona singulari Pontificis, quem errori obnoxium existimat, non de Pontifice, ut personam doctoris Ecclesiæ agit, nam ita fidem illius non defuturam scripsit loco supra laudato. Quæ enim, amabo, ejus sententia, Ecclesiæ Romanæ fidem indeficientem faciunt, nisi indeficiens Petri, ideoque Pontificum fides, ac pollicitationes de indeficienti fide a Christo D. Petro, ideoque Pontificibus factæ?

Guido Carmelita de Perpiniano dictus, doctor Parisiensis, ac demum Episcopus Elnensis, in hist. hæresum, ubi de Waldensium erroribus agit, atque quidem de primo illorum errore circa Romanum Pontificem, hujus luculenter cum summam, nullique alteri subjectam auctoritatem in Ecclesia esse, tum in fide infallibilitatem adstruit, atque egregie ab hæreticorum invidia vindicat his liquidis verbis: *Constat, quod Dominus Petrum, & in Petro Petri Successores posuit omnium fidelium Caput, cui ait*

Do-

Dominus Lucæ 22. Rogavi pro te &c. *Ita quod in directione, & confirmatione fidei Petro, & Petri Succeſſoribus eſt ſtandum, & obediendum*. Et infra ex una prærogativa alteram præclare infert, in eodemque Pontifice connexas prorſus eſſe probat: *Manifeſtum eſt*, inquiens, *quod in Petro omnes continentur, ut in Capite poſt Chriſtum, & Ovium Chriſti Paſtore. Sic quod Petri fides non deficiet a Sede Apoſtolica, nec a Romana Eccleſia Chriſti ſponſa, quæ tota pulchra eſt, & labes hæreſis, ſeu macula non eſt in ea*. Et paullo poſt pergit. *Nolentes obedire Romano Pontifici Paſtori Ovium Chriſti, cui in Petro Dominus ait*: Paſce oves meas, *deſinunt eſſe oves Chriſti, quia oves Chriſti vocem ejus audiunt Johan.* 10, *& Chriſtus cum Petri ſucceſſoribus adeſt per ſuam gratiam eos dirigens, & confirmans in fide, ut eorum doctrina, & regimine perſeveret Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia ſine ruga, aut macula hæreticæ pravitatis*. Quæ quidem explicata adeo, ac expreſſa ſunt, ut expoſitione non egeant, aſſenſumque vel ab invito extorquere valeant. Quam impenſe Apoſtolicæ Sedi ipſe ſtuderet, & quam egregiam reducendis ad ejusdem obſequium, obedientiamque ſchiſmaticis Orientalibus ſub Urbano V. operam impenderit B. Petrus Thomas Ord. Carmel. Decus, & Epiſcopus Pactenſis, ac dein Conſtantinopolitanus Patriarcha complecti oratione vix, ac ne vix quidem poſsem: adiſis potius Philippum Mazerium in ejnſdem vita apud Bolland. tom. 2. ad diem 29. Januarii.

Petrus Paludanus Ord. Prædicat. Doctor Pariſienſis, & Hieroſolym. Patriarcha in 4. ſent. diſt. 24. q. 6. doctrinam de poteſtate Eccleſiaſtica, profecto tum temporis in ſchola Pariſienſi a Petro Lombardo invectam, atque deinceps ab ſcholæ ejuſdem Magiſtris traditam, proſequutus ſic habet: *Poteſtas juriſdictionis, quæ ad regendum Populum tota in ſuo fonte data fuit Petro ſoli, & in eo ſucceſſoribus ejus, quando cura Eccleſiæ ſibi ſoli commiſſa fuit, dicente Domino Johannis* 21. Paſce oves meas. *Hoc nulli aliorum dictum fuit, nec nunc, nec ante, nec poſt; ergo talem poteſtatem plenam, ac perfectam habet ſolus Succeſſor Petri, qui ob hoc Papa dicitur quaſi Pater Patrum*. Quibus ſibi diverſam, quam quæ Durando ſub id temporis inſederat, ſententiam

haud hærere demonſtravit. Ambobus vero adjungendus Nicolaus Gorranus ſtudii erga Apoſtolicam Sedem laude iiſdem haud inferior, quem alii Gallum, Anglum genere alii faciunt: nam in Comment. ad cap. 16. S. Matth. illis conſentanea ſcribit, *Petrus*, ajens, *& ſucceſſores ejus ſoli vocantur in plenitudine poteſtatis, ceteri in partem ſollicitudinis*. Horum denique ſimillima habet Johannes a Neapoli quodl. 39. p. 2, quæ heic regerere nec opus plane, nec operæ eſt pretium.

B. Auguſtinus Triumphus illuſtre decus Ord. S. Auguſtini, & Doctor Pariſienſis in proœmio Summæ de poteſt. Eccleſ., quam Johanni XXII. Pontifici maximo dicavit, *Error eſt*, inquit, *pertinaci mente non credere Romanum Pontificem univerſalis Eccleſiæ Paſtorem Petri ſucceſſorem, & Chriſti legitimum Vicarium ſuper ſpiritualia, & temporalia univerſalem non habere Primatum*. Quæſt. 6. art. 1. agens de jure appellationis, neque a Pontifice ad Deum interponi appellationem poſſe autumat, eo quod unum idemque ſit Pontificis, Deique tribunal: *Solus Papa dicitur eſſe Vicarius Dei, quia ſolum, quod ligatur, vel ſolvitur per eum, habetur ſolutum, & ligatum per ipſum Deum. Sententia igitur Papæ, & ſententia Dei una ſententia eſt... Quum igitur appellatio ſemper fiat a minore judice ad ſuperiorem, ſicut nullus eſt major ſeipſo, ita nulla appellatio tenet facta a Papa ad Deum... quia una ſententia eſt, & una Curia Dei, & Papæ*. Q. 8. art. 3. qualis, quantaque ſit Pontificis poteſtas hiſce paucis præclare deſcribit: *Chriſtus inſtituit Petrum ſuum Vicarium, cui totum, quod ſuum erat, plene commiſit, ut loco ejus regeret totam Eccleſiam*. Et q. 10. art. 3. affirmat hæreticum eſſe non adhærere Papæ aliquid definienti circa ea, quæ in fide obſcura ſunt. Quamquam quæ hic de Pontificis poteſtate comparate ſive ad divinam, ſive ad Dominicam tradit Triumphus, non ita accipi velim, quaſi quemadmodum ſive Deus, ſive Chriſtus Dominus, Pontifex Princeps ſit in Eccleſia ita ſummus, ut etiam abſolutus omnino, & liber; ſed quod Dei quidem legibus obligatus, ab humanis ipſe abſolutus, & liber, ab ſe latis homines cunctos obſtringat, auctoritate non ab hominibus, ſed ab uno Deo accepta. Triumpho ſe parem in opera ſua Pontifici accommodanda ſe præſtitit Alexander a S. Elpidio

pidio ejuſdem Ordinis S. Auguſtini Generalis Magiſter, ac dein Amalphitanus Archiepiſcopus, qui Johannis XXII. juſſu tractatu de juriſd. Imperatoris, & auctor. Pontificis adotnato poſterioris jura loco ſuo poſuit, ob idque plurimum laudis promeruit.

Lupoldus Bambergenſis juris utriuſque callentiſſimus in lib. de zelo veterum Regum Galliæ, & Germaniæ Principum inſcripto, quo illorum in amplificandis Romanæ Eccleſiæ rebus, ejusdemque Rectoribus Summis Pontificibus maximo in honore habendis, ſtudium commendat, & laudibus celebrat, cap. 4. in rem noſtram propius hæc inter alia habet: *Quum Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontifex ſit in terris Vicarius Chriſti Jeſu, ut ipſa quoque Romana Eccleſia Mater, & Magiſtra omnium fidelium, cunctarumque Eccleſiarum Caput exiſtat, tanto majorem quis zelum chriſtianæ Religionis habere perpenditur, quanto eamdem Eccleſiam, ac Romanum Pontificem potioribus attollit beneficiis, & majoribus honoribus veneratur.* Ita de re chriſtiana optime illum meritum exiſtimabat, qui de Romano Pontifice optima ſentiret; res eſt enim una utriuſque neceſsario, mutuoque vinculo connexa, ut Eccleſiæ is ſit, vel propitius, vel infenſus, qui ejuſdem Capiti addictus fuerit, vel adverſus. Quod de Principibus ille ſcripſit, id de ſcriptotibus experimento edocti ſumus.

Alvatus Pelagius Ord. Minor. cum ſacræ ſcripturæ, tum juris utriuſque petitiſſimus Epiſcopus Cotonenſis in Achaja, ac dein Silvenſis in Luſitania, cujus cum laude meminit S. Antoninus 3. par. tit. 23. cap. 8. §. 11, in lib. 1. deplanctu Eccleſiæ art. 58. de amplitudine auctoritatis Romani Pontificis hæc perhibet: *Sciendum eſt, quod potentia Summi Pontificis, & Chriſti Vicarii plena dicitur primo, quod ab hac potentia nullus ad Ecclesiam militantem qualitercumque pertinens excipitur; ſed omnis homo in præſenti Eccleſia exiſtens ei ſubjicitur. 2. Quia omnis poteſtas ad gubernationem fidelium a Deo ordinata, & hominibus data ſive ſpiritualis, ſive temporalis in hac parte comprehenditur. 3. Quia omnis poteſtas in Ecclesia ab hac poteſtate excedituri.* Non igitur ſecundum ipſum Pontificis poteſtatem Concilii auctoritas excedit; ſed imo Pontifex Concilio poteſtate excellit. Petrus Bertrandus juris utriuſque profeſsor in plurimis Galliarum Academiis,

miis, dein Æduenſis Epiſcopus, & ſub Johanne XXII. Cardinalis ampliſſimus, qui juriſdictionem, & libertatem Eccleſiæ adverſus Petrum de Cugneriis Regium advocatum coram Philippo Valeſio Galliarum Rege luculenta diſputatione defendit, tractatu edito de origine, & uſu juriſdictionum, ſive de ſpirituali, & temporali poteſtate, quem una cum præfata diſputatione legere eſt in Biblioth. PP. tom. 4, quæſt. 4. omnium ſuprema Romanum Pontificem fungi, eaque in Eccleſiam univerſam illum potis eſse, ex qua in ceteros, veluti a fonte rivulus promanet, liquido probat. Atque quidem exinde argumenta promit, quibus temporalem poteſtatem ultra fines ampliantem Petrum de Cugneriis proſternat. De eo recurret alibi ſermo.

Thomas Argentinenſis, ſive Argentoratenſis Ord. S. Auguſtini Prior Generalis in 4. diſt. 24. art. 4, poſtquam quinque dignitatis hierarchicæ gradus in Eccleſia diſtinxiſſet, in 5. omnium ſupremo Pontificem Romanum ponit, *a quo*, inquit, *tota Monarchia fidelium tanquam ab uno Principe univerſalem, & cum hoc immediatam habente poteſtatem ſuper omnes, & ſingulos fideles cujuſcumque conditionis exiſtant, convenientiſſime gubernatur*. Paullo ſuperius art. 1. ſcripſerat a Chriſto D., qui vices ſuas in Eccleſia obiret, S. Petrum conſtitutum, a Spiritu S. dein ſpeciali adſiſtentia dirigendum. Baldus de Ubaldis Peruſinus juriſperitorum ſui temporis facile Princeps, quem inter ſcriptores Ord. Minor., cui eum ad vitæ extremum nomen dediſſe cenſet, enumerat Wadingus, in proœmio decretalium num. 6. Pontificis poteſtate ampliorem in Eccleſia non modo non eſſe conſtantiſſime aſſerit, ſed imo omnem ſub ea contentam ire, & concluſam: *Quæcumque poteſtas*, inquiens, *eſt ſub Cælo, eſt in ſummo Pontifice*. Johannes Hildeshemenſis Carmelita in epiſt. ad Notarium oppidi Sollotienſis ab Eccleſiæ unitate extorrem procul dubio pronunciat eum, qui Pontifici Romano præcipienti morem gerere detrectaret: *Ego*, inquit, *fidenter aſtruo, quod ſupervacanee nominis Chriſtiani culmen ſibi vendicat, qui a Chriſti Vicarii præceptis, & monitis deviando declinat*. Exardeſcebat tunc temporis excitatum a Ludovico Bavaro ſchiſma: partiumſuarum propterea eſſe exiſtimabat bonos, beneque moratos admonere muneris Romano Pontifici

tifici ceu Capiti individue inhærendi, & ceu Magiſtro auſcultandi attente.

Thomas Bradvvardinus Ord.Minor.Archiepiſcopus Cantuarienſis gratiæ divinæ contra nuperos Pelagianos acerrimus vindex in præfat. opuſc., cui titulum fecit *de Cauſſa Dei*, propoſita ſibi difficultate materiei, quam exagitandam ſuſcipiebat, tandem ſic brevi ſe expedit: *Scio quid faciam: illi me Navi committam, quæ perire non potuit, Navi Petri. In ipſa namque auctor, & magiſter noſter unus Chriſtus tutiſſime reſidens de ipſa legitur docuiſſe; myſtice nobis inſinuans, quod apud ipſam Petri naviculam, apud Romanam Eccleſiam totius Chriſtianæ doctrinæ auctoritas, & magiſterium remaneret. Hujus igitur tam authenticæ, tantæque magiſtræ judicio me totum, meaque omnia ſcripta, ſeu ſcribenda plane ſubjicio, integreque ſubmitto.* Ita ne agendum ſibi proponeret, qui æque, atque quemlibet Epiſcoporum, poſſe hæretica labe pollui Romanum Pontificem exiſtimaret? Ita ne Pontificis judicio ſe infime ſubjugaret, qui ipſius met Pontificis judicium in Synodo apud Epiſcopos experiri, ac revocari ad juris incudem poſſe autumaret? Nicolaus Æymericus Inquiſitoris generalis munere per Aragoniæ regnum inſignitus in tract. Mſ. de Rom. Pontificis poteſtate, qui in Conventu Gerundenſi Ord. Prædic. extare dicitur, lato calamo argumentum iſtud præclare proſequitur. Sed & in direct.Inquiſ.præſertim 2.par. q. 2. & 7,ac ſeqq.uſque ad 17,quod edidit, illuſtravitque Franciſcus Pegna, quem ibidem conſule ſchol. 21, Romani Pontificis de fide decreta fidei regulas eſſe, quæ omnium noſtrum fidem omnino obligent, nullus dubitat, imo qui dubitet in fide ſuſpicione apud ipſum laborat.

Johannem de Turrecremata pro Eugenii IV. ſuprema ſupra Concilium poteſtate adverſus Baſileenſium nefarios auſus, & Johannem de Montenigro ejuſdem Ordinis Prædicat. pro eadem ſuprema poteſtate, & indefectibilitatis in fide privilegio adverſus Græcos in Concilio Florentino ſtetiſſe, ſuo jam loco oſtendimus. Stetiſſe etiam Sanctos Dei homines jam oſtendendum, ideoque jure id dictum a Johanne Franciſco Pico Mirandulano Theorem. 3. *Ad Romanam Eccleſiam Caput, & Magiſtram Eccleſiarum mentis acies dirigenda eſt, atque huic ipſi Eccleſiæ, hoc eſt*

Apo-

Apoſtolicæ Sedi Petri Chriſti Vicarii, ſanctiſſimi viri adhæſerunt ſemper, & dictis, ſcriptiſque faverunt. S. Laurentius Juſtinianus igitur in tract. de obedientia cap. 12: *Hujus*, inquit, *Apoſtolicæ Sedis arcem, hujuſque Catholicæ Eccleſiæ Monarchiam Apoſtolus Petrus primus accepit, quando ... ab eodem Domino audire promeruit*: Tu es Petrus &c. *Hanc Petro datam poteſtatem quotquot poſt illum electi canonice in ipſa reſident, ſortiti ſunt, qui reſpectu ceterorum ſummi ſunt nuncupati Pontifices. Iſtis utique tanquam Chriſti Vicariis totius Eccleſiæ eſt attributa facultas, conferendi videlicet beneficia, peccata ſolvendi, præſtandi gratias, Eccleſiæ ſpirituales theſauros dividendi, inſtituendi per Civitates Epiſcopos, & per Provincias Metropolitas ordinandi, congregandi Concilia, decreta faciendi, infringendi, atque modificandi.... Quidquid indixerint peragendum, quidquid prohibuerint cavendum, prolege ſuſcipiendum eſt.* Quam pariter in fidem de Pontificis ſuprema, potiſſimaque auctoritate conceſſiſſe alios pleroſque tum temporis ſcientiæ, ac ſanctitatis laude conſpicuos viros paullo poſt exploratum fiet.

Nicolaus Cardinalis Cuſanus, qui quamvis in lib. de Concordia ab ſe exarato, dum Baſileenſium conſilia Pontificem Concilio ſubmittere conantium imprudens ſectabatur, Pontifici auctoritatem Concilii antetulerit; poſtea tamen, quum ad frugem regreſſus ad Eugenii partes ſe recepit, a priori ſententia recedens, ut conſtat ex epiſt. ipſius ad Rodericum, nullam Pontificia ſuperiorem in Eccleſia poteſtatem eſſe ſcripſit, in epiſt. 2. de uſu Calicis ad Bohemos quinimo Pontificem in fide falli, & fallere ou nino eſſe neſcium ibidem liquido aſſeruit. *Si ſcire velis*, ſcribit, *an in Eccleſia exiſtas, hac veſtiges ratione: ſi Cathedræ Romani Pontificis adhæreas, quæ per continuas ſucceſſiones bonorum, malorumque in Petrum Principem continuatur. Credendum eſt hanc Sedem ſacratiſſimam quoad locum etiam inexterminabilem, & tamen ſi caſu Roma deficeret, ibi veritas Eccleſiæ remanebit, ubi erit Principatus, & Petri Sedes modo prædicta.* Adnectendus Dionyſius Carthuſianus, qui quamvis aliquando pro auctoritate ſuperiori Concilii pariter ſteterit, nihilominus in Luc. 22, *Ex his*, inquit, *ſumitur argumentum, quod fides Romanæ Eccleſiæ, quam*

quam in ea Petrus plantavit, ſit uſque in ſæculum duratura.

S. Johannes a Capiſtrano, qui in Hæreticos, & Turcas eximia virtute emicuit, atque in Concilio Florentino una cum S. Bernardino Senenſi veluti ſol effulſit, in tract. de Papæ, & Concilii, ſive de Eccleſiæ auctoritate par. 2, & 3, ne dubitandum quidem putavit Pontificem in fidei definitionibus infallibilem eſſe, atque Concilio generali ejuſdem auctoritatem eſſe longe anteferendam. *Auctoritas Papæ*, inter alia ſic ait, *protenditur ad omne bonum... eſt enim quaſi Deus in terris, major homine, & minor Deo, plenitudinem obtinens poteſtatis*: 2. q. 6. Decreto noſtro. *Ipſe enim totius Orbis obtinet Principatum: ipſe eſt ſucceſſor Petri, cui Beato æternæ vitæ Clavigero terreni ſimul, & cæleſtis Imperii jura commiſit Chriſtus Dominus. Ipſe eſt vigilantiſſimus Vicarius Chriſti, ipſe Summus Pontifex Princeps Sacerdotum eſt, quaſi pons, & via ſequentium: omnes ordines Eccleſiaſticos diſponit: ipſe quid unuſquiſque facere debeat oſtendit... Ipſe tamquam columna, & ſaxum immobile totius Chriſtianitatis compagem, molemque continet univerſi* &c. *Patet igitur*, ſubinfert, *expreſſiſſime Papam ſupra Concilium, & non Concilium ſupra Papam juriſdictionem plenariam in omnibus obtinere, & Concilium quantumlibet œcumenicum, & univerſale Papæ ſubjici, & obedire teneri, a quo ſalus fidelium poſt Chriſtum pendeat*. Cuidam vero ſchiſmaticorum objectioni occurrens, *Nec obſtat*, inquit, *quod poteſtas data fuit a Chriſto omnibus Apoſtolis: quia licet omnibus data fuerit poteſtas Clavium, tamen cum ſuo ordine, ut a Chriſto principaliter in Petrum, & a Petro in ceteros condeſcendat; ſicut unguentum in capite ſcilicet Chriſti, quod deſcendit in barbam Aaron, ſcilicet Summi Pontificis, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus, ſcilicet in alios Epiſcopos, & ab Epiſcopis in alios Sacerdotes*. Quibus plane nihil in rem noſtram præclarius; quibuſque pariter a Queſnellianis recoctas poſtmodum obtrectationes præfocavit. Ejuſmodi ſunt etiam, quæ S. Bernardinus Senenſis tom. 1. ſerm. 1. de Chriſt. fidei firmit. art. 3. cap. 2. ex Lucæ 22. deducit, ut ex illis facile intelligas chriſtianæ fidei firmitatem S. Petri, ac ſucceſſorum Romanorum Pontificum indefectibilitati acceptam utique referendam eſſe. Nec vero aliter eum locum interpretatus eſt S. Anto-

toninus, de quo mox agendum. Sed & in Mariali par. 3. ſerm. 3. exinde quod Pontifex Chriſti D. vices in terris gerat, recte infert pleniſſima eumdem potiri auctoritate, Deique auctoritate facere, quæ facit: ideo ejus dicto ab omnibus obediendum: *Imo*, ſubdit, *ipſius ſententiæ eſt magis ſtandum, quam ſententiæ totius Mundi.*

S. Antoninus Florentinus Archiepiſcopus in Summa par. 3. tit. 23. cap. 3. §. 3. de appellatione a Papa agens, apertiſſime Concilio Papam ſuperiorem adſtruit, quin imo illi, qui a Papa ad Concilium poſſe appellari propugnaret, hæreſis notam appingere non dubitat: *Nec ad Concilium*, ajens, *generale a Papa appellari poteſt, quia Papa omni Concilio ſuperior eſt, nec robur habet quidquid agitur, niſi auctoritate Romani Pontificis roboretur, & confirmetur... Sentire ergo quod a Papa ad Concilium appellari poſſit, eſt hæreticum.* Parte 4. tit. 8. cap. 3. §. 5. non minus liquido Pontificis infallibilitatem in fidei dogmatibus decernendis pro virili parte propugnat: *Fides*, inquit, *univerſalis Eccleſiæ non poteſt deficere, dicente Domino Petro*: Ego pro te rogavi &c. *Et quantum quidem ad perſonam Petri intelligitur de defectu finali* (ſicut interpretatus eſt Lyranus in 22. Lucæ) *ut ſcilicet, quod non periret perſiſtendo in negationis peccato. Quantum ad Eccleſiam autem, quæ intelligitur in fide Petri, ſimpliciter verum, quia non poteſt Eccleſia deficere. Ratio, quare fides Eccleſiæ in generali deficere non poteſt, quia divina providentia Eccleſia regitur, ſcilicet a Spiritu Sancto eam dirigente, ut non erret. Et licet Papa in particulari errare poſſit, ut in judicialibus, in quibus procedi-tur per informationem, alias in his, quæ pertinent ad fidem, errare non poteſt, ſcilicet ut Papa in determinando, etiam ſi ut particularis, & privata perſona; unde magis ſtandum eſt ſententiæ Papæ de pertinentibus ad fidem, quam in judicio proferret, quam opinioni quorumcumque ſapientum.* Confer orationem ad Callixtum III. gentilium ſuorum nomine ab eodem habitam, cujus ipſe meminit tit. 22. cap. 16, exemplar autem exhibet Raynaldus ad an. 1455. n. 21; ubi pleraque horum ſimillima perſequitur.

Poſt hæc tam aperta mirari valde ſubit, quod Boſſuetius defenſ. par. 1. lib. 2. cap. 4. S. Antonino alienum ſenſum appingere non

non ſit veritus, eo quod parte 3. tit. 23. cap. 2. §. 6. dixerit, quod in concernentibus fidem, ſeu in his, quibus decoloraretur ſtatus Eccleſiæ, Concilium eſt ſupra Papam, & Papa nequit diſponere contra decretum a Concilio: & cap. 3. §. 4. ſcripſerit Papam, ut perſonam ſingularem errare poſſe in fide, non etiam quando utitur Concilio. Verum S. Antonini ſenſum aſsecutus non eſt, vel ſane aliorſum intorſit Boſsuetius. Priori ſiquidem loco S. Antoninus evidentiſſime aſserit in his omnibus, quæ ſunt juris poſitivi, indubitanter Pontificem, uti Caput Eccleſiæ, eſse ſupra Concilium: in his vero, quæ ſunt juris naturalis, aut divini, quæ ipſius poteſtati non ſubſunt, quæque a Concilio ita eſse decreta, ſeu declarata ſunt, Pontificem Concilii decretis iſtiuſmodi ſubeſse, nefaſque fore utique, ſi contra hujuſmodi eniteretur, quibus Eccleſiæ ſtatus everteretur: quod non eſt Pontificem Concilio agere inferiorem, ſed juri divino dumtaxat ſubjectum facere. Poſteriori vero loco S. Antoninus loquitur de Pontifice, ut eſt ſingularis perſona, quem ita errori obnoxium ait, quem tamen errori ita obnoxium negat, quum de fide Eccleſiæ dicit, ſeu determinat, vel in Concilio, ut ibidem dicit, vel etiam ut particularis, & privata perſona, ut loco ſupra citato dixerat, ideſt etiamſi extra Concilium, ſeu ſe ſolo declaret, & determinet. Ita enim eo loci perſona particularis, & privata accipi debet, prout diſtinguitur ab ipſo, ut Præſes Concilio eſt, non prout diſtinguitur a publico Eccleſiæ Doctore; neque prout idem eſt, ac perſona ſingularis, quomodo errare poſſe annuit: atque quidem ita accipiendum S. Antoninum id evincit, quod 3. p. tit. 12. cap. 8. §. 2. agens de his, quæ Pontifex ex Cardinalium conſilio decernit, in iis, quæ facta particularia concernunt, falli illum poſſe affirmat; in his vero, quæ ad fidem ſpectant, infallibilem omnino aſserit, imo ſubdit: *Et dicere, quod in hujuſmodi Papa erraret, eſſet hæreticum*. Cujus ſimilem argumentationem de plenitudine poteſtatis ſuper omnes ibidem inſtituit, hanc ex ipſius Primatu inferens, ab ipſo perinde appellari non licere confirmans. Adeo vero expreſſe, explicateque id omne in præcit. orat. exponit, explanatque, ut de legitima ipſius ſententia non ſit ullus ambigendi locus.

B. Angelus a Clavaſio Ord. Minor., cui divinos honores jam pridem tributos nuper calculo ſuo probavit Benedictus XIV. Pontifex Maximus, in Summa, (cui pretium ſummum acceſsurum fore puto, ſi eruditi cujuſpiam manus adjiceretur eamdem illuſtratura,) verbo *Papa*: *Papa*, inquit, *Summus eſt inter omnes, quia ipſe ſolus habet plenitudinem poteſtatis, ut patet* 2. q. 6. can. *Qui ſcit*: & infra inquirens num Papa diſpenſare in præceptis moralibus legis naturæ poſſit, reſpondet ex ſententia Scoti, & Alexandri Halenſis: in præceptis, quæ in diſciplina morum principia ſunt, vel appendices principiis illis adnexæ, non poſse quidem, in ceteris poſse, ſive ſint veteris, ſive novi teſtamenti præcepta: *Aliter*, inquit, *non videretur Deus fuiſſe bonus Pater familias, niſi dimiſiſſet Paſtorem ſuper gregem ſuum, qui poſſet conſulere omnibus occurrentibus, & neceſſario expediendis: nec etiam poſſet dici, quod Papa ſit generalis commiſſarius Dei aſſumptus in plenitudine poteſtatis, cujus contrarium determinatur* 2. quæſt. 6. can. *Qui ſe ſcit*; 24. quæſt. 1. cap. *Quæcumque*. Et paullo poſt quærens num Papa poſſit diſpenſare in omnibus, quæ ſunt juris poſitivi, reſpondet in hæc verba: *Quamvis aliqui Canoniſtæ teneant, quod non poſſit diſpenſare contra ſtatum univerſalem Eccleſiæ, ut in cap.* Sunt quidam 25. q. 1. *Item in iis, in quibus decoloraretur ſtatus Eccleſiæ, ut in cap.* Si illa 1. q. 7; *Ego tamen dico, quod univerſaliter poteſt diſpenſare*. Itaque in B. Angeli ſententia Pontifex ſupra Conciliorum canones poteſt. Verum quidem eſt, quod poſtremo quærens utrum Papa poſſit decidere contra aliud ſtatutum in cauſsa fidei in Concilio, reſpondet quod non, *Ut in cap. Anaſtaſius* (apocrypho) 19. diſt. *Quia Papa*, ſubdit, *poteſt errare in fide* 40. diſt. *Si Papa, ſed non tota Eccleſia cap. A recta* 24. q. 1. *juncta Gloſsa ibidem*. At ex citato ab ipſo canone conſtat dictum ab ſe de Pontifice, ut perſona ſingularis eſt: qui ſi vel ut Pontifex ex Cathedra Eccleſiam docens, neque quidquam decernere poteſt contra decretum circa fidem a Concilio; hoc quidem non provenit ex defectu poteſtatis, ſed ex eo, quod fidei decreta mutationi non ſint obnoxia. Adde quod paullo ſupra dixerat ad ſolum Papam pertinere ea diſpenſationis exempla declarare, quæ in S. Scriptura non extant, atque firmiter ſe credere

Deum

Deum non permiſsurum; ut Vicarius ſuus erret in diſpenſando.

Nonnihil negotii faceſcit, quod docet verbo *Opinio*, ubi de varietate opinionum agens ſic habet: *Aut diverſitas eſt inter Papam, & Concilium, & tunc in concernentibus fidem Concilium præponitur, quia Orbis major eſt Urbe: in aliis autem Papa eſt præponendus ut* in cap. Sunt quidam 25. q. 1, & diſt. 19. Anaſtaſius. *Et intellige Papam præferendum omnibus, quando tanquam Papa ſic determinat, aut ſtatuit: facit* cap. *De libellis* 20. diſt. Nonnulla obſervatu hic digna ſunt. 1. Conſtans eſt Concilium abſque Pontifice nec legitimum, nec infallibile eſse, ideoque in quæſtionibus juris infirmiſſimam eſse ſententiam illam: *Orbis major eſt Urbe*, quæ locum dumtaxat in quæſtionibus meri facti, ſeu ſingularium perſonarum habet, quomodo a S. Hieronymo uſurpata eſt. 2. In ceteris omnibus quæſtionibus Pontificis ſententiam præponendam Concilio B. Angelus affirmat, adeo ut circa canones, imo circa jus divinum diſpenſare ſolus ipſe poſſit: quod quid aliud in ejus ſententia ſignificat, quam Papam ſupra Concilium poſse? Igitur, quum idem in concernentibus fidem Concilii ſententiam Pontificis ſententiæ eſse anteponendam ait, id intelligendum vel de jam definitis circa fidem a Concilio, quæ plane a Pontifice reſcindi non poſse fatemur; vel de Pontifice, ut perſona eſt ſingularis, quem a fide deflectere B. Angelus autumavit. Ita, inquam, intelligi illum oportet, ne ſecum met pugnare dicatur: pugnaret enim, quum in ceteris omnibus Pontificem Concilio præponendum dicat: neque ullo dicendum ſit modo aliquid Concilium abſque Pontifice poſse, ſi quidem, ut dixi, abſque Pontifice Concilium eſse non poſſit.

Explicata, & explorata eſt ſententia ergo, in quam unanimes conſpiraſse veteres cum Canoniſtas, tum Theologos compertum eſt, S. Petro una cum infallibilitatis in fide prærogativa in ipſius ex aſse ſucceſsores pariter transfundenda, collatam a Chriſto Domino Reipublicæ chriſtianæ ſummam, atque ab eo in Romanos Pontifices transfuſam in ævum integram eoſdem penes permanſuram. Unum, vel alterum addo. Hilarius Pragenſis Eccleſiæ Decanus viriliter Pragæ cum Huſſitis congreſsus in diſputationis exordio fidei controverſias ad Summum Pontificem referendas,

das, ejuſque judicio finiendas propugnavit. *Conſtat autem*, inquiens, *cuilibet fideli Romanam Eccleſiam eſſe locum, quem elegit Dominus, ubi Eccleſiæ totius poſuit Principatum, in quo ſummus Sacerdos, qui præeſt loco, eſt Papa, & Cardinales ſunt Sacerdotes Levitici generis, ad quos in materia fidei eſt recurrendum.* S. Vincentius a Paulo Congreg. Miſſionis celeberrimus inſtitutor, ut legitur in ejus vita ab Illuſtriſſimo D. De Abely Epiſcopo Ruthenenſi adornata, quum aliquando a Sancyrano ſibi amicitia conjunctiſſimo audiſſet Eccleſiam a quinque, aut ſexcentis annis defeciſſe, ad id impii dicti irrigeſcens, ingemiſcenſque repoſuit Chriſtum pollicitum, quod Eccleſia nunquam defectura foret, utpote fundata ſupra firmam Petram, ideſt S. Petrum, ejuſque Succeſſores Romanos Pontifices.

Non ultra ſæculum XV. Eccleſiæ Auctorum, qui ei, quam propugnamus, ſententiæ utroque pollice ſubſcripſerunt, catalogum protraham, & teſtimonia exſcribam: vereor enim ſi ultra modum longior ſim, ne lectori cæteroqui benevolo faſtidium creem: ut enim ipſius fidem obligent, adducta uſque modo in apertiſſimam aciem loca ſatis, ut videor, ſuperque ſunt: idque unum ſatius duxerim, ſi aliorum plurium, qui in eamdem poſtmodum ſententiam manibus, pedibuſque deſcenderunt, loca indicem, & nomina. Sunt autem Æneas Silvius, poſtea Pius II. in orat. ad Auſtrales; in epiſt. 288; in reſponſ. ad Martinum Mejer pro Eccleſia Romana, aliiſque in locis. Rodericus Borgia, ſeu Alexander VI. in Clypeo defens. fidei Romanæ Eccleſiæ. Thomas Waldenſis lib. 2. doctrinalis fidei capp. 47, & 48. Gabriel Biel lectione 32. in Canon. Miſſæ. Johannes Annius Viterbienſis in cap. 1. Apocalyp. Raymundus Martini, ſive Porchetius, ſive Petrus Galatinus lib. 12. ſive *Pugionis fidei* cap. 8, ſive *Victoriæ adverſus Judæos*, ſive *De Arcanis Catholicæ Veritatis*; ac ibidem Voiſinus, & Mauſſacius. Cyprianus Bennetus Ord. Prædic. in tract. de Pontificis Maximi poteſtate. Johannes Nauclerus generat. 21. Johannes Baptiſta Mantuanus lib. 1. carm. de S. Dionyſio Areop., & in exhortatione ad bellum contra Turcas. Ægidius Bituric. Archiep. ad c. *Cum Marthæ* de Celeb. Miſſar. Bartholus in conſtit. Henrici VII, quæ incipit *Ad reprimendum*. Bernardus Zane Spa-

Spalat.; Alexius Melphitan.; Simeon Begnius Modruſienſis Antiſtites orat. habitis in Concilio Later. V, ſub Julio II, & Leone X Seſſ. 1, 3, & 6. Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus in tractatu de poteſt. Papæ, & Concilii, qui Pariſienſibus nonnullis Theologis, præſertim Almaino non eſt probatus; in apologet., & in 2. 2. q. 1. art. 2. Donatus Hieronymus in apolog., & epiſt. ad Oliverium Cardin. Angelus Valliſumbroſæ anachoreta in epiſt. ad Bernardinum Card. Carvajalem; & ad Ludovicum Francor. Regem apud Raynaldum ad an. 1511. n. 30, & ſeq. Marcus Viguerius Ord. Min. Card. in apologia adverſus Piſanam pſeudo-Synodum. Johannes Sinnichius in Synop. cap. 72. Johannes Fiſcherus Roffenſis Epiſcopus, & Cardinalis art. 28. contra Lutherum. Johannes Driedo lib. 4. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 3. p. 3. Johannes Faber Epiſcopus Viennenſis in Germania in tract. de poteſtate Papæ. Theodorus Lælius Italus Epiſcopus in tract. de auctor. Papæ adverſus Gregorium ab Eimburgo apud Goldaſtum tom. 2. Monarchiæ. Nicolaus Simoni Carmelita Batavus in tract. de poteſtate Papæ, Imperatoris, & Concilii. Claudius de Seyſſel Epiſcopus Maſſilienſis, ac deinde Taurinenſis Archiepiſcopus in tract. contra Waldenſes. Henricus Inſtitor Ord. Prædic. in tract. de poteſt. Papæ adverſus Monarchiam Antonii Roſelli apud Goldaſtum loc. cit. Albertus Pighius lib. 6. de Eccleſ. Hierarch. In libris illis tamen nonnulla ſunt de peccato originali, de prædeſtinatione, & gratia Chriſti, quæ Theologis non probantur. Johannes Echius in tract. de primatu Petri. Johannes Cochlæus in diſputat. adverſus Novatotes. Stanislaus Oſius Warmienſis in Polonia Epiſcopus, & S. R. C. Cardinalis in confeſ. catholicæ fidei cap. 28; & lib. 2. contra Brentium cap. 18. Chriſtophorus Marcellus Venetus Archiepiſcopus Corcyrenſis lib. contra Lutherum. Petrus de Monte Epiſcopus Brixienſis lib. de Monarchia Papæ, & Imperatoris. Franciſcus Ferrarien. in lib. 4. S. Thomæ contra Gentes cap. 76. Silveſter Mazzolinus Ord. Prædicat. dictus Prieras lib. 1. de juridica, & irrefrag. verit. Rom. Pontif.; & in ſumma verbo *Concilium*. Thomas Illyricus Ord. Minor. in ſcuto fidei adverſ. Luther.; & in tract. de poteſtate Papæ. Jacobus Latomus in tract. de primatu Pontificis. Franciſcus Victoria in tract. de Papæ,

pæ, & Concilii auctoritate. Dominicus Soto in apologia pro ſua Confeſſione fidei contra Ambroſium Catherinum cap. 83. Johannes Wigers Hiſpanus Ord. Prædicat. in 22. q. 10. art. 1. tract. de Pontif. dubit. 5, ubi diſputat adverſus Gerſonem, Almainum, Alphonſum a Caſtro, & Hadrianum. Melchior Canus lib. 5, & 7. de locis Theolog. Gregorius Corteſius Abbas Caſſinenſis, ac dein Cardinalis ſub Paulo III. in tract. de poteſt. Eccleſ., & de Romana S. Petri profectione. Reginaldus Polus Anglus S. R. E. Cardinalis in tract. de poteſt. Eccleſ. Thomas Campeggius Feltrienſis Epiſcopus in tract. de auctor. Concil., & Pontif.

His adnumerandi, qui ob defenſionem Primatus Pontificii in Anglia Henrici VIII. juſſu vario mortis genere affecti fuerunt, ex Carthuſianis Johannes Hogthonus; Robertus Laurentius; Auguſtinus Vebeſterus; Wrfridus Midelmorus; Guillelmus Exmæus; Sebaſtianus Nudegadus; Johannes Roceſtrius; & Jacobus Valverius. Reginaldus Monachus Brigittenſis. Johannes Hailus Parochus. Thomas Abelus; Eduardus Povellus; Richardus Ferherſtonus Theologi illuſtres. Johannes Cochlus Monachus. Ægidius Hornus; Clemens Philpottus; Johannes Nevellus Laici. Ex Ord. Minor. Religioſi 36, inter quos Antonius Briorbæus; Thomas Belchiamus; Thomas Contus; Johannes Foreſtius Catharinæ Reginæ olim a Confeſſionibus; de quibus agunt Sanderus lib. 1. de Schiſm. Angl., & Reginaldus Polus lib. 3. adv. Prim. Angl. Accedunt Doctores Lovanienſes in Articulis adverſ. Lutherum edicto Caroli V. an. 1544. confirmatis die 6. Novemb. art. 21. uſque ad 25, quos ex Franciſco Belcario lib. 24. regerit Raynaldus ad an. 1544. n. 35; nec non in cenſura declar. Cleri Gallic. an. 1682. Lælius Jordanus Epiſcopus Acernenſis in tract. de Major. cauſs., & de Rom. Sedis orig., & auct. Jacobus Lainius orat. in Concilio Trident. de poteſtate Pontif. apud Palæotum in actis Concil. Trid., & Raynaldum ad an. 1562. n. 93., & an. 1563. n. 120. Philippus Faber Otd. Min. de Primatu Petri, & Rom. Pontif. adverſus Spalatenſem. Didacus Covarruvias Segovienſis Epiſcopus variar. reſolut. p. 4. cap. 6. Dominicus Jacobatius Cardinalis in tract. de Concil. lib. 4, & 5. in Collect. Labb. Jacobus Payva de Andrada Luſitanus in defenſ.

Tri-

Tridentinæ fidei catholicæ lib. 1. Iſidorus Inſulanus Mediolanenſis Ord. Prædic. lib. 1. de imperio milit. Eccleſ. Ruardus Tapperus in tract. 3. Theolog. contra Lutherum. Martinus Eiſengrein Ingolſtadenſis in defeſ. Eccleſ. cathol. Franciſcus Sonnius Antuerpienſis Epiſcopus in demonſtr. Relig. chriſt. Nicolaus Sanderus in lib. de viſib. Eccleſ. Monarch. Guillelmus Eiſengrein in catalogo teſtium verit., cui Flaccus Illyricus catalogum alterum ejuſdem tituli opponere quam fruſtra, tam peſſima fide affectavit, cui poſtea pleraque adjecit, pleraque detraxit Simeon Goulartius e Proteſtantium pariter grege. Gaſpar Contarenus ſub Paulo III. Cardinalis de poteſt. Pontificis. Guillelmus Lindanus Ruremundenſis Epiſcopus in Panoplia. Mathias Hugonius Famaguſtanus Epiſcopus in *Synodia Hugonia*, ſive tract. de Conciliis approbata a Paulo III. Thomas Stapletonius Anglus controv. 3. q. 4. Stephanus Gardinerus Wintonienſis Epiſcopus, & ſub Maria Angliæ Regina Cancellarius in tract. adverſus articulos Johannis Hopperi. Guillelmus Alanus Cardinalis ſub Sixto V. in quæſtionibus contra hæreticos controverſis. Franciſcus Turrianus in 22. diſp. 16, & lib. 3. ad Catholicos Germaniæ Jodocus Raveſtein Tilletanus doctor Lovanienſis in apologia contra Illyricum. Alphonſus Salmeron in cap. 16. Matth. Jacobus Noguera Viennenſis Epiſc. lib. de Eccleſ. Chriſti ab hæreticorum Conciliabulis dignoſcenda. Marianus Victorius Amerinus in Italia Epiſcopus in tract. de Rom. Pontif. Primatu contra Lutherum. Emanuel Caleca lib. 4. adv. Græc. errores cap. 26. Franciſcus Horantius Hiſpanus Ord. Min. in locis catholicis pro Romana fide, & adv. Inſtit. Calvini. Eadmundus Campianus Soc. Jeſu ſub Eliſabetha Angliæ Regina illuſtris fidei confeſſor in controverſiis fidei, quas a Witachero vindicavit Johannes Duræus Soc. J. Daviddius Cardinalis Perronius in reſpons. ad Regem Angliæ. Jacobus Pamelius in notis ad epiſt. 55. S. Cypriani ad Cornelium. Franciſcus Panigarola Ord. Minor. Aſtenſis Epiſcopus in controverſis fidei. Alphonſus Piſanus Soc. Jeſu Hiſpanus in tract. de fidei quæſtionibus controverſis. Thomas Boſius Presbyter Orat. de ſignis Eccleſiæ. Bellarminus lib. 3. cap. 9., & lib. 4. cap. 3. Baronius in annal. frequentiſſime. Oregius Auguſtinus Cardinalis, quem Theologum ſuum Bellarmi-

nus, Bellarminum ſuum Urbanus VIII. nuncupare ſolebant. Adrianus Commius de prærogat. Sedis Apoſt. adverſus Triglandium. Johannes Foreſtus Ord. Min. de auctorit. Papæ, & Eccleſiæ ſumm. Paſtor. Eduardus Worſlæus Societ. J. in tract. de ratione, & religione, ubi de infallibil. Rom. Eccleſiæ. Franciſcus Macedo de Clavibus Petri. Franciſcus Cardinalis Rupifucaldius de auctorit. Eccleſ., & Rom. Pontif. Gabriel Martinus Gallus adverſus Vulſonem Calviniſtam de auctorit. Rom. Pontif. Nicolaus Coeffetellus Epiſcop. Maſſil. in reſp. ad Jacobum Angliæ Regem, ad Dupleſſium Mornæum, & M. Antonium de Dominis. Clemens Cardinalis Dolera Epiſcopus Fulginas Ord. Minor. in comp. inſtit. Theolog. Vincentius Candidus Ord. Præd. de Primatu Petri. Marcus Corregiajus de Hierarchia Eccleſ. Cajetanus Conſtantinus de ſing. Primatu S. Petri, & Rom. S. Petri Pontificatu. Stephanus Menochius in Lucæ 22, quem cum aliis in ſuas partes trahere perperam adnixus eſt Launojus.

Quibus accedunt Gregorius Nugnez Coronelli Ord. S. Auguſtini Luſitanus lib. de vera Chriſti Eccleſia. Thomas Jacomellus Pedemontanus Epiſcopus Tolonenſis de auctorit. Papæ. Johannes Gropperus Colonienſis inter S. R. E. Cardinales a Paulo IV. cooptatus fidei Catholicæ adverſus Hermannum Archipræſulem apoſtatam vindex accerrimus in inſtit. catholica. Cardinalis Albitius in tract. 1. de inconſtantia in fide. Vincentius Bandellus de poteſt. Papæ. Johannes Azorius inſtit. moral. lib. 4. part. 2. cap. 4. uſque ad cap. 20. Dominicus Bannez in 2. 2. S. Thoma q. 1., & 8. art. 10. Petrus Bertanus de auctorit. Papæ. Johannes Hieronymus Albanus Eques, & Juriſconſultus illuſtris lib. de poteſt. Papæ, & Concilii. Nicolaus Pallavicinus Societ. Jeſu in defenſ. Rom. Pontif. Iacobus Simanchas Juriſper. inſtit. Cathol. tit. 45. *de Papa*. Nicolaus Chichorius de præem. Rom. Pontific. Andreas Lao de Sum. Pontif. Didacus Stella in Luc. 22. Barradas tom. 4. commen. in eumdem locum. Antonius Auguſtinus in epitome juris Pontificii. Jodocus Coccius in theſauro Catholico, qui magno mihi ſubſidio fuit. Leonardus Marius de Eccleſ. hierarch. adverſus Spalatenſem. Gregorius Valentia in 2. 2. S. Thomæ q. 8. art. 10. §. 40, & 45. Maldonatus in Luc. 22. Antonius Perez in Pentath. fidei lib. 1. dub. 24,

dub. 24, & lib. 5. dub. ultimo. Guido Vernanus de poteſt. ſummi Pontif. Antonianus Cardinalis de primatu S. Petri. Carticrius de auctor., & infallib. Pontif. in fidei, & morum quæſt. Pius Raymundus Ruffus lib. de Rom. Pontifice. Johannes Belletinus Clericus Regul. in doctrina Concilii Tridentini. Martinus Beccanus in Controverſiis. Rudolphus Cupertius lib. de Sacroſ. Romana Eccleſia. Ludovicus Orianus de poteſt Pontif. Leonardus Coquæus Ord. S. Auguſtini in Antimornæo tom. 1.,& 2. Dominicus Gravina de Cathol. præſcript. tom. 4. p. 2. q. 2. art. 1. Cornelius a Lapide in Luc. 22. Jacobus Gretzerus in defenſ. Bellarmini. Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis in adnotat. ad Tertul. lib. de pudicit. cap. 1. Jodocus Lorichius in theſauro theolog. Franciſcus Fevardentius Ord. Minor. in not. ad S. Irenæi lib. 3. cap. 3; de quo alibi dictum eſt. Johannes Lenſæus in tract. de una in terris Chriſti Eccleſia. Combeffiſius de actis VI. Synodi. Andreas Juſtinianus Ord. Prædic. de poteſt. Papæ adver. Derallium. Franciſcus Torrenſis de auctorit. Pontif. ſupra Concil. Dominicus Segnerus de Primatu Pontif. Johannes Baptiſta Gonet de Rom. Pontif. Lancius de poteſt. Pontif. Beltranus Guevara in propugnac. Pontif. poteſt. Franciſcus Leyta in clypeo Pontif. dignit. Cardinalis Richelæus in defenſ. Rom. Pontif. Jacobus Bidermannus Soc. Jeſu in proluſion. Theolog. de Rom. Pontif. dignit. Angelus Ferrus Ord. S. Auguſtini de auct. Summi Pontif. Jacobus Naclantus Ordin. Prædic. de Primatu S. Petri. Conradus Clingius lib. 3. de Rom. Pontif. Johannes Delphius de poteſt. Pontif. Antonius Florebellus de auctorit. Eccleſiæ Capitis. Cornelius Hazart Soc. Jeſu de Prim. Eccleſ. Rom. Jacobus Vernantius Carmelita Gallus in defenſ. auctorit. Pontif. Antonius Parinus de Rom. Pontif. infallib. Jacobus Heſſalius de perpet. Cathed. S. Petri. Lucheſinus de Pontif. auctor., & infallib. Jobertus de Barault Archiep. Arelat. in ſcuto fidei cathol. Antonius Paulucius de Eccleſ., & Pontif. Johannes Tagliaferrus de Eccleſ., & ejus Capite. Franciſcus Suarezius tract. de fide diſp. 5. Albertus Sennerus in armament. Evang. controv. 5. Henricus Lancellotus in libello controv. adver. hæret. Franciſcus Harlæus Archiepiſcopus Rotomagenſis in apologia pro Catholicis ad Jacobum Bri-

tanniæ Regem lib.2.cap.1.uſque ad 12.Michael Mauclerus deMonarchia Eccleſ.p.2.lib.4.cap.4, & ſeqq. Adamus Tannerus tom.3. diſput. 1. q. 4. Dominicus a S. Thoma controv.237. de Eccleſ., & Papa. Fortunatus Scachus Ordin. S.Auguſtini in tract. de Canonizat. Sanctor.; Johannes a Celaja Doctor Pariſienſis in 3. diſt.25. q.4. Andreas Duvallius Doctor Pariſienſis in tract. de ſuprema Pontificis poteſtate. Spondanus, Bzovius, Wadingus, Raynaldus,Laderchius in annalibus frequenter.Utque nonnullos ex meo Cappuccinorum Ordine commemorem, qui ſpartam hancce ſpeciatim exornaverunt, miſſis ceteris multo pluribus, qui eodem functi ſunt munere in tractatibus qua Polemicis, qua Theologicis, Zacharias Boverius lib. 1. controv. demonſtrat. 4. art. 10, & 11.; & lib. 3. demonſtr. 3. art. 6, & ſeqq. Archangelus Leslæus Scotus de poteſt. Rom. Pontif. in Principes ſæculares, & in rebus fidei definiendis lib. 1, & 2. Michael a Caſtrofranco Gallus de ſuprema auctorit., & infallib. Pontif. Octavius Worſt de ſummo, & infallib. Orbis chriſtiani in rebus fidei tribunali, & in apologia. Valerianus Magnus de infallib., & Primatu Pontificis. Aloyſius Tarſellus de Primatu Pontificis contra Græcos. Dionyſius de Rives Gallus de Primatu S. Petri, & Eccleſ. infallib. Johannes Baptiſta Abrincenſis in controv. de Primatu Pontif. Ivo Pariſienſis de poteſt. Rom. Pontif. adverſus Novatores. Nicolaus Asboldus Hibernus de auctorit. ſummi Pontif.adverſus Proteſtantes. Silveſter Lavallenſis in lib. inſcripto: *Juſtæ amplitudines Eccleſiæ Romanæ*; aliique, quibus ex omni genere, ordine, & ſchola ſexcenti Apoſtolicæ Sedis juribus ſtudentiſſimi adſtipulantur, quos inter ſingulari nomine

Audiunt Cardinalis Brancatus de Lauræa tom. 3. de fide diſp. 5. art. 2. Ignatius de Fiume de ſchola verit. orthod. tract.3. lib. de Rom. Pontif.Verricelli de Apoſtol. Miſſion. q.182. ſect.8. Johannes Dartis Gallus in tract. de benef. ſect.1. cap.3. Hyacinthus Calvet Gallus item in 22. lib.2. de fide §. 5. Johannes Piteanus Doctor Pariſienſis in 22. S. Thomæ q. 1. art. 6. Arriaga Theolog. diſput. 9. Amicus Theolog. tom. 4. diſput. 7. Caramuel Theolog. fundam. fundament. 8. Malderus Doctor Lovanienſis in 22. S. Thomæ q. 10. art. 1, Franciſcus de Caſtillo in 3. diſp.16.

disp. 16. q. 6. Vivaldus Pedemontanus in Monteregali natus in append. ad Candelab. cap. 12. Arragonius in 2. 2. S. Thomæ de Pontif. q. 1. art. 10. Fragosus tom. 2. de Republ. lib. 1. disp. 1. Granadus in 2. 2. controver. 1. tract. 7. disp. 2. Pitigianus in 3. disput. 25. q. 2. Poncius Theolog. disput. 28. q. 2. Silvius controv. lib. 4. q. 2. art. 8. Petrus Talbot Archiep. Dublin. de Relig., & Regim. Josephus Stephanus de potest. coact. Pontif. Marcus Antonius Capellus Ord. Min. de summ. Pontif. Petri, & succes. Auctor libri gallice inscripti: *Remarques sur le traite historique de l'etablissement, e des prerogatives de l'Eglise de Rome de M. Maimbourg*; Elias Astorinus de potest. Sedis Apostolicæ. Claudius Sommier Archiepisc. Cæsareensis histor. dogm. Sedis Apostolicæ. Augustinus Reding Benedictinus de Cathedræ Apost. auctoritate contra 4. propositiones Cleri Gallicani an. 1682. Augustinus Barbosa collect. ad decret. 1. p. C. *Si Papa* dist. 40. Rodericus Acunha comm. in idem cap. Antoninus Diana in dogmatico tract. 3. Johannes de Ject Doctor Parisiensis in tract. de auctorit. Pontif., quo Simonem Vigorium egregie refellit. Richardus Smith Vicarius Apostolicus in Anglia in tract. de Hierarch. Eccles. Ludovicus Cellotius Soc. J. in tract. de Hierarch. Eccles. Johannes Bagotius lib. 4. instit. disp. 3; quamvis quod una ædificat, altera deinde manu destruit. Vincentius Regius in elucid. Evang. lib. 5. cap. 11. Prosper Fagnanus in decret. Christianus Lupus in notis ad Synodum VI. C. 6, in tract. de S. Gregorii VII. dictatu, & in epist. S. Thomæ Cant. Raymundus Capisuchi Cardin. in Controv. Leo Allatius de Eccles. Orient., & Occid. perpet. consens. lib. 1. Johannes a S. Thoma 22. q. 1. art. 3, & disp. 9. art. 1, & 2. Vincentius Ferre in 2. 2. tract. de fide q. 12. Emanuel Scheleſtratius disert. in Concil. Constant. Johannes Thomas Roccaberti Archiepisc. Valentinus in tract. de infallib. Pontif. Cardinalis de Aguirre in defens. Cathedræ S. Petri. Cardinalis Sfondratus in *Gallia vindicata*, & *Regali Sacerdotio*. Richardus Soc. J. in Clypeo Rom. Eccles., a quo libro maximam Græcis schismaticis creatam invidiam fuisse auctor est ipsemet Ricautius Anglo-Calvinista in opusc. de statu præsenti Eccles. Græcæ cap. 1. Paulus Fabulotus in tract. de auctorit. Papæ. Augu-

guſtinus de Bellis de abſoluta D. Petri Monarchia. Angelus Petricca Ordin. Minor. de poteſt. Apoſtol. adver. Gabrielem Philadelph. diſput. 2. Michael Lequiennius lib. inſcripto *Stephani de Altimura Ponticenſis contra ſchiſma Græcorum*. Franciſcus Denghien in reſponſ. hiſt. Theologica ad Cleri Gallicani de poteſt. Eccleſ. declarat. Franciſcus Antonius de Simeonibus de Rom. Pontif. judic. poteſtate. Nicolaus du Bois in 2.2.q.10.art.10. Antonius Charlaſius de libert. Eccleſ. Gallic. lib. 8, & 10. Dominicus a Ss. Trinitate Gallus in Bibliot. Theolog. tom. 3. lib. 3. Tyrſus Gonzalez in tract. adv. 4. Artic. Cleri Gallicani in Comit. an. 1682. Johannes Baptiſta Braſchius de libertate Eccleſ. in confer. Eccleſ. benef. tom. 3. reſp. capp. 11, & 15, multiſque aliis in locis. Argiræus in Theatro univ. juris diſcept. Eccleſ. 7, 8, & ſeqq. lib. 2. Matthæus Petitdidierus in tract. de Conc. Conſtant; & de infallib. Rom. Pontif. Cardinalis Gotti de vera Chriſti Eccleſia. Cardinalis Lucinius diſſertat. de infallib. Pontif. Bacchinius in epiſtol. polem. adverſ. Piceninum. Cherubinus Romanus ad tit. de *Major.*, & *Obedientia*. Cavalchanti Archiepiſcopus Coſentinus in Vindic. Roman. Pontif. Ludovicus du Meſnil doctr., & diſcipl. Eccleſ. lib. 3. n. 15.; lib. 24. n. 1; lib. 25. n. 34; lib. 31. n. 18; & lib. 41. n. 6. Leoratus adv. Fictetum. Lucius Ferraris Ord. Min. in Bibl. canon., jurid., Moral., Theolog. &c. tom. 6. V. *Papa* art. 2. Matthæucius; Roncaglia; Manſius; Platina; Orſius de Rom. Pontif. auctor., & infallib. Mamachius orig., & antiquit. Chriſt. lib. 4, & 5. Anonymus Lovanienſis in opere, cui titulum fecit: *Diſcutitur doctrina Hadriani Papæ VI.* Alter Anonymus auctor geminæ diſſertationis de poteſtate ſuprema, & infallibili Rom. Pontificis. Johannes Antonius Blancus de poteſt., & polit. Eccleſiæ. Auctor obſervat Theolog. hiſt., & crit. in hiſt. Eccleſ. D. de Fleuri; atque innumeri alii Apoſtolicæ Sedis acerrimi vindices, quibus præter jam laudatos plerique multi ex Gallis doctiſſimi viri paullo infra celebrandi adſtipulati ſunt, quibus cum collati Gerſonius, Petrus Alliacenſis, Jacobus Almainus, Johannes Major, Alphonſus a Caſtro, Simon Vigorius, Johannes Launojus, Elies Dupinus, Natalis Alexander, de Withe, Jacobus Benignus Boſſuetius, aliique pauci, quanti

fieri

fieri apud æqui bonique æſtimatores poſſunt ? plane admodum parvi. Confer, qui Catalogos eorum Scriptorum, a quibus pro Romani Pontificis infallibilitate, potiorique præ Concilio poteſtate pro viribus pugnatum eſt, attexuerunt, præter Jodocum Coccium, & Nicolaum Sanderum, Jacobum Aloyſium genere Gallum, profeſſione Carmelitam, & Johannem Thomam Roccabertum Ord. Præd. Magiſt. Gener., ac dein Archiepiſcopum Valentinum.

Non neſcio, nec nego pleroſque ex illis, quos in partes Romani Pontificis deſcendiſſe modo dicebam, de Pontificis Primatu dumtaxat intelligi poſſe, ut reapſe intelligendos adverſarii jubent. Verum ceteri tractatores, qui accuratius de Pontificis Romani privilegiis egerunt, Primatus hujuſmodi appendices eſſe cum ſupremam ſupraque Concilium poteſtatem, tum in fidei cauſſis infallibilitatem docuerunt; aliorum etiam eamdem ſententiam exiſtimarunt jugi traditione a majoribus acceptam, in Eccleſia religioſe ſervatam, atque a Theologis univerſis traditam. Adeo id extra dubitationis aleam poſitum plerique arbitrati ſunt, ut neque a diris cenſuris abſtinuerint, quibus adverſam ſententiam inurere non dubitarunt. Sane improbabilem illam, quæ infallibilitatem inficiatur, vocant Malderus, & Wigers: Temerariam Stapletonus: Erroneam Franciſcus de Caſtillo, Arragonius, Fragoſus: Hæreſi proximam Bellarminus, Tannerus, Granadus citans Melchiorem Canum: Hæreticam Dominicus a SSma Trinitate, Suarez, Pitigianus, Valentia, Bannez, Amicus, & Diana referens ab ſe conſultos Salmaticenſes reſpondiſſe de fide tenenda plane eſſe, quæ a Pontifice tenenda proponuntur. Horum loca habes ſuperius deſcripta. Quoad illam vero opinionem, quæ Pontificem infra Concilium collocat, erroneam nuncupant Cajetanus, & Stapletonus: Hæreſi proximam Bellarminus, & Wigers: Hæreticam Chriſtianus Lupus, Nicolaus du Bois, & Nicolaus Cevoli Patritius Romanus in lib. inſcripto: *Atlas Antigraphæus adverſus declarat. Cleri Gallic.* Notis aliis afficiunt alii Recentiores, quas perſequi omnes non præſtat. Ego conſulto abſtinendum duco a cenſuris, quæ animos magis exaſperent, quam evincant, aureis potius utendum arbitratus regu-

regulis, quas in ſuo Commonitorio tradit Vincentius Lirinenſis, ex quibus ſic inſtaurare eſt argumentum. Prima regula eſt, quam tradit cap. 3. his verbis: *Magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Sed hoc ita demum fiet, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem Univerſitatem hoc modo, ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per Orbem terrarum confitetur Eccleſia: Antiquitatem vero ita, ſi ab iis ſenſibus nullatenus recedamus, quos SS. Majores, & Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium vel certe pene omnium Sacerdotum pariter, & Magiſtrorum definitiones, ſententiaſque ſectemur.* Atqui Romanum Pontificem Concilio generali longe præſtare, eumdemque in fidei rebus falli, atque fallere neſcium eſſe, id, inquam, ubique, id ſemper, id ab omnibus creditum eſt: Sed & id demum, ut credatur, efficiunt univerſitas, Antiquitas, & Conſenſio: Univerſitas videlicet in Conciliis congregatæ Eccleſiæ; Antiquitas etiam SS. Patrum ſcilicet tum in Conciliis, cum in ſcriptis; Conſenſio tandem Doctorum, & Theologorum in eamdem ſententiam euntium: ergo curandum magnopere eſt, ut id teneamus. Secunda regula eſt, quam tradit ejuſdem Commonit. cap. 26, ubi recenſitis verbis illis Apoſtolicis 1. ad Timoth. 6. *O Timothee depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates*, ſubtexit: *Si vitanda eſt Novitas, tenenda eſt Antiquitas; & ſi profana eſt Novitas, ſacrata eſt Vetuſtas*: & cap. 33. ſubdit: *Profanas, inquit, vocum novitates devita, quas recipere, atque ſectari nunquam Catholicorum, ſemper vero hæreticorum fuit.* Atqui antiqua ſententia eſt, eam namque omni ætate tradidere in Conciliis Patres, in ſcriptis Auctores Eccleſiaſtici, nempe Romanum Pontificem Concilio generali ſupereminere, eumdemque in rebus fidei eſſe infallibilem: Novitia vero opinio eſt, quæ nonniſi a Concilii Conſtantienſis epocha invecta a nonnullis eſt, quod idem Pontifex Concilio generali ſit inferior, ac in fidei rebus fallibilis; ergo iſta vitanda, illa tenenda; ſacrata illa, profana iſta, quæ ſemper hæreticorum fuit; nunquam catholicorum eſſe debet.

Ex

Ex Imperatorum, Regumque Dictis, & Geſtis

ARTICULUS IX.

SUpremam in Eccleſia poteſtatem divini eſſe juris, ſummumque Romani Pontificis in S. Petro a Chriſto Domino Primatum inſtitutum fuiſſe, poſt antiquos hæreticos Nabatos, Valentinianos, Marcionitas, Montaniſtas, & Donatiſtas apud S. Auguſtinum epiſt. 48. ad Vincentium Rogatiſtam; epiſt. 50. ad Bonifacium, & epiſt. 156. ad Honor.; Neſtorianos, & Iconoclaſtas apud Melchiorem Canum lib. 4. de locis Theologicis cap. 1; & Græcos ſchiſmaticos nonnullos pernegant Novatores Johannes Hus, & Wicleffus; Lutherus, & Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 7; Buccerus, & Jacobus Rex Angliæ in præfat. 57, & 61; Suvenchfeldius, & Munſterus gemina Anabaptiſtarum ſectæ Capita; Flaccus Illyricus; Dupleſſius Mornæus, & Marcus Antonius de Dominis. Et quidem Papæ Primatum in Eccleſiam a ſæculi Poteſtatibus invectum pugnant Marſilius Patavinus, Johannes Wicleffus, & Johannes Hus, qui plane a Conſtantino Magno ob Canonem *Conſtantinus* diſt. 96. pſeudo-epigraphum exiſtimaſſe videntur. Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 5. Pontifici Primatum delatum, & quidem in Græcos a Phoca; in Germanos, & Gallos a Pippino, & Carolo Magno contendit. Idem de inducto a Phoca Primatu propugnant Centuriatores Magdeburgenſes Centur. 6: ii ſunt Flaccus Illyricus, Johannes Wigandus, Matthæus Judex, Baſilius Faber; quibus operam commodaverunt ſuam Nicolaus Gallus, Seeleſtinus, Huttenus, Gaſpar Nidpouchius, Johannes Baptiſta Heincellius, aliique e pece Lutherana profecti homines peſtilentiſſimi. Id ea ratione putantes, quod lege lata Phocas ſanciverit, ut Romana Eccleſia Caput omnium Eccleſiarum haberetur, neque ulla ante eam tempeſtatem de Romanæ Eccleſiæ Primatu mentio alibi occurrat. Eodem in erroris luto verſantur Theodorus Bibliander in chron. tabula 11; & Lutherus in lib. de ſupput. temp., qui tamen lib. de poteſtate Papæ in alteram concedens ſententiam a Conſtantino IV. Imperatore potius

Pontifici Primatum attributum autumat; cujuſce rei teſtem producit Platinam in vita Benedicti II. Vapulant vero ii omnes promeritis a Bellarmino, Boverio, ſexcentiſque aliis de Schola Theologis.

Supremam eamdem in Eccleſia poteſtatem, ſeu Primatum in S. Petro a Chriſto Domino inſtitutum nullo unquam tempore penes ſacras perſonas conſtitiſſe, ſed qui Rempublicam curarent, iidem Principes Religionem adminiſtrarent, utriuſque rei cum Civilis, tum Eccleſiaſticæ ſummam unum penes Principem ſtetiſſe, adeo ut Principis partes perinde ſint de rebus ad Religionem ſpectantibus dignoſcere, & dijudicare, eumdemque Principem ſummum poſt Chriſtum in Eccleſia Caput eſſe, a tempore Henrici VIII. Angliæ Regis, & deinceps Anglo-Calviniſtæ, atque Presbyteriani præcipue ogganniunt: quorum quidem partes amplexati ſunt, ultroque adjuvarunt Hugo Grotius de Imperio ſummar. Poteſt. circa ſacra, laudans Confeſſiones Belgicam, Helveticam, & Baſileenſem; item Brentium, Hamelmannum, Muſculum, Buccerum, Ivellium, Witacherum, Reinoldum, Caſaubonum, Paræum, Burhillum, Tocherum, & Goldaſtum: Thomas Heraſtus apud Heidegerum in corp. Theolog. Chriſt. loc. 27; Ludovicus Molinæus, & Lambertus Velthuiſius apud eumdem Heidegerum; Johannes Franciſcus Budæus Iſagog. hiſt. Theolog. tom. 2. lib. 2; Johannes Milton tract. de poteſtate civili in rebus Eccleſiaſt.; Thomas Leydecherus ad Georgii Hornii hiſt Eccl.; Samuel Strychius diſſert. de jure Papal. Princip.; Antonius Walæus de auctorit. Magiſtat. in rebus Eccleſ.; Nicolaus Vedelius diſſert. de Epiſcopatu Conſtantini Magni; Albertus Riperus lib. de poteſt., & officio Principis in ſacris; Henricus Henninges lib. de ſumma Imperatoris Romani poteſtate; Robertus Abbot de ſupr. Reg poteſt.; Mortonius de auctor. Principum; Puffendorfius, aliique plures, quibus acceſsere Richardus Hooker de regim. eccleſ. Eccleſiæ Anglic.; & Rolandus Wayer in tract. de Reg auct. in regim. Eccleſ. Omero Talonio tributo; adjungendique Gentilletus, Gotroſredus, Goldaſtus &c., contra quos alii ex grege ipſo Proteſtantium pugnant, e quibus Beza; Revius; Triglandius; Voetius; Johannes Gerardus Voſ-

ſius;

ſius ; Alexander Morus ; Bochartus in epiſt. ad Morlejum ; Thorndicius in originibus Eccleſiaſticis , aliique : nec abludit Marcus Antonius de Dominis lib. 6. de Republ. Eccleſ. cap. 3. Ex noſtris vero celeberrimus Thomas Morus, Baronius ad an. 752; Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 7 ; Boverius lib. 1. demonſtr. veræ , & falſæ relig. demonſtr. 3. gener. art. 5 ; Petrus Soto in aſſert. fidei Cathol. ; & in defenſ. Cathol. confeſſ. adverſ. Brentium ; Petrus Talbot Archiepiſcopus Dublinenſis in tract. de Relig. , & Regim. ; Boſſuetius defenſ. p. 1. lib. 2. cap. 33; miſſiſque aliis nuperrime viri doctiſſimi Johannes Antonius Blanchus de poteſt., & polit. Eccleſ. tom. 1. lib. 1 ; & Thomas Maria Mamachius orig., & antiq. Chriſt. lib. 4. cap. 2. Quo de argumento parte 2. Vindiciar. ſuus erit, opportuniorque agendi locus.

Utrumque hoc Hæreticorum aſſertum falſitatis apertiſſimæ ex dictis hactenus, & ex dicendis arguitur , ſcilicet tum ex verbo Dei ſcripto , tum ex verbo Dei tradito , tum ex uſu perenni exercitæ poteſtatis a Romanis Pontificibus . Id unum hic demonſtrandum adgredior ab Imperatoribus , & Regibus , qua dictis , qua factis eamdem agnitam , & aſſertam auctoritatem , qua Romani Pontifices ſupra omnes in Eccleſia potes eſſent , ut quos unos penes Chriſtianæ rei ſumma conſiſteret. Atque quidem innumera , tum qui ante Phocam , tum qui poſtea Imperii , aut Regni clavum tenuerunt , Imperatorum, & Regum exempla hanc in rem ſuppeditat hiſtoria Eccleſiaſtica, quæ omnia perſtringere operis non eſt pretium , ſed præcipua tantummodo perluſtranda mihi propoſui . E quibus interea illud , quod plerique ex noſtris ex Philippo Imperatore laudibus efferunt , quem Euſebio lib. 6. cap. 27 , & Nicephoro lib. 2. cap. 25. fidentes a S. Fabiano Pontifice Maximo pœnitentiæ ſubjectum fuiſſe affirmant , hic amandandum obiter exiſtimo. Etſi enim utrumque Philippum Patrem , Filiumque Chriſtianæ religioni nomen dediſſe auctoritate Euſebii non modo , ſed & S. Dionyſii Alexandrini apud eumdem lib. 7. cap. 10 ; Leontii apud Euſebium lib. 6. cap. 34 ; S. Chryſoſtomi quoque hom. de S. Babyla Martyre ; S. Hieronymi inſuper de Scriptor. Eccleſ. in *Origene* ; Vincentii Lirinenſis Commonit. cap. 23 ; Oroſii lib. 7. cap. 13 , aliorumque ducti exiſti-

marint Baronius ad an. 246, Huetius lib. 1. Origenian. cap. 3.; Wetſtenius in præfar. ad lib. Origen. adſcriptos contra Marcionem; Moynius in not. ad varia ſacra; Bollandus ad diem 20. Jan. tom 2; Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. III. ſynop. cap. ult.; Ciampinus in diſquiſit. de duobus Emblem., aliique Actis maxime confiſi S. Pontii Martyris Cimellenſis editis a Baluzio, & Bollando ad diem 14. Maii, quæ duos Philippos Cæſares Patrem, & Filium a S. Pontio ad fidem Chriſti converſos commemorant. Contra tamen Euſebii, ceterorumque hac in re eidem adſtipulatorum fidem ſollicitare non ſunt veriti; nec unquam a Philippo utroque de religione chriſtiana cogitatum propugnant Scaliger in Chron. Euſebii; Kortholtus in diſſert. hiſtor. de Chriſtianiſmo Philippi Alexandri, & Mameæ; Pagius in Crit. Baronii ad an. 244. n. 4, & ſeqq.; Cellarius in diſſert. de primo Principe chriſtiano; Spanhemius filius tom. 2. oper; Pictetus in diſſert. adverſus P. Fayum; Baſnagius tom. 2. Annal.; Boſius exercit. 2. de Pontif. Rom. Imper.; Blanchinius in obſervat. ad Anaſt. in S. Fabiano; Monelia in diſſert. de relig. utriuſque Philippi; Du Meſnil doctr.; & diſcipl. Eccleſ. lib. 6. n. 21, & ſeq.; Mamachius Orig.; & antiq. Chriſt. lib. 2. cap. 21, aliique plures eo ducti præſertim argumento, tum quod Pomponius Lætus rem attigerit, cauſamque aperuerit, qua decepti plerique Philippum Chriſtiano nomine habuerint, quia nempe ille fraude ad fallendum compoſitus, ut ſcelera tegeret, cultum chriſtiani nominis ſimulabat. Ceteri vero ſcriptores Euſebio aut coævi, aut illius ætatis vicini diſerte tradiderunt Conſtantinum Imperatorum omnium primum Chriſto nomen dediſſe, uti Lactantius in proœm. lib. 1. Inſtit; Severus Sulpitius lib. 2. hiſt. ſacræ; S. Ambroſius orat. de obitu Theodoſii; Theodoretus lib. 5. cap. 39; Auctor vitæ S. Pachomii cap. 1; Epiphanius Diaconus in Concilio Nicæno II. act. 6; Conſtantinus Porphyrog. lib. de adminiſt. Imper. cap. 12. Quid imo, quod Euſebius ipſe tradidit idipſum lib. 4. vitæ Conſtant. cap. 62., laudato vero libro hiſt. Eccleſ. de Philippi religione id refert ex fama? tum quod Philippus uterque quum Romam an. 248. veniſſet, rem divinam falſis Numinibus fecit, ludoſque celebravit, qui pleni crudelitatis, & inſanæ

ſuper-

ſuperſtitionis erant; anno vero ſequenti 249. Veronæ uterque interfectus eſt. Cujuſmodi rei argumentum ſunt Nummi eorum juſſu cuſi, in quibus uterque Idolis ſacrificans exhibetur. Non moveri autem ſe ajunt S. Dionyſii, & Euſebii teſtimonio id ex fama, rumoreque falſo referentium, quibus nihil mirum alios perinde fidem adhibuiſſe. Multo minus morari Acta S. Pontii Martyris, quæ fabularum eſſe refertiſſima, vel ex eo uno liquet, quod gentem Romanam pene univerſam ſub Philippo Imperatore, chriſtianæ religioni vota ſua nuncupaſſe referant: quandoquidem vel tempore Honorii Imperatoris adhuc a Romanorum pleriſque falſa Numina colebantur. Sed de his conſule laudatos ſcriptores, atque nobis quidem p. 2. recurret ſermo. Rejecto hoc igitur exemplo alia plane ſunt promenda, de quibus nullus dubitandi locus ſit reliquus: quorum pleraque etſi propius conficere propoſitum non videantur, eò tamen collineant omnia, ut præ ceteris Romanum Pontificem peculiari ſemper loco a Principibus habitum perſuadeant, ideoque apprime illis perſuaſum ſpeciali prærogativa Romanum Pontificem a Chriſto Domino fuiſſe inſignitum omnino oſtendant.

Ex Imperatoribus Orientis, & Occidentis.

§. I.

ATque quidem pervulgatam rem apud Ethnicos ipſos fuiſſe, quod apud Chriſtianos rerum omnium ſacrarum ſummam unus gereret Romanus Epiſcopus, oportet, quandoquidem Decius tolerabilius audivit levari adverſum ſe æmulum Principem, qui cum ipſo de Imperio contenderet, quemque fuiſſe Lucium Priſcum autumat Pagius ad annum 251; Julium Valentem cenſet Blanchinius in not. ad Anaſt. tom. 2, quam æmulum Romæ Sacerdotem, qui tum temporis erat S. Cornelius, uti loquitur S. Cyprianus in epiſt. 52. ad Antonian. Ex quo loco Lupus, & Albaſpinæus arguunt Decio ex Romani Pontificis dignitate, quaſi ex ea plurimum dignitati, qua ipſe Pontificis Maximi inter Ethnicos potiebatur, iret detractum, invidiam, iramque conflа-

ſilatam; miſſumque propterea Valerianum tum Cenſorem ad Pontificem de medio tollendum. Aurelianus autem, qui anno 270. Imperii faſtigium adeptus eſt, domum Patriarchæ Antiocheni, quam Paulus Samoſatenus a duabus Synodis Antiochenis anno 265, & 269. celebratis apud Valeſium in not. ad Euſebium lib. 7. cap. 30, Pagium in Crit. ad annum 271. n. 2, & Harduinum tom. 1. proſcriptus, & gradu dejectus Domno Patriarchæ ſuum in locum legitime ſubrogato dimittere detrectabat, illi tradi juſſit, cui Romanus Epiſcopus cum Italiæ Epiſcopis eam adjudicaſſet, ut refert Euſebius lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 30.

Conſtantinus re, & nomine Magnus, qui Imperatorum primus impenſe chriſtianam Religionem colere cœpit, tot, tantiſque dictis, factiſque præclaris Romani Pontificis ſummam dignitatem, poteſtatemque veneratus, teſtatus, & tuitus eſt, ut ex illis duos integros libros adornandi Auguſtino Steuco Eugubino Chiſamenſi Epiſcopo facultas fuerit. Unum, vel alterum locum laudabo. In cauſsa Cæciliani divexati a Donatiſtis ad ſe delata nefas arbitratus ſe ſe iſtiuſmodi negotiis implicare, iſtudque genus controverſiarum expedire ad Romanum Pontificem pertinere optime intelligens, litteras ad S. Melchiadem dedit, quas refert Euſebius lib. 10. cap. 5, quarumque meminit S. Auguſtinus epiſt. 162, quibus ſignificavit pacem Reipublicæ ſibi ſummæ curæ eſſe, apud ipſum vero Religionis Chriſtianæ ſummam conſiſtere. Igitur ipſe coacta Synodo de cauſſa Cæciliani inquireret, idque, quod juſtum eſset, judicaret. *Placuit*, inquit, *mihi, ut idem Cæcilianus una cum decem Epiſcopis, qui accuſare ipſum videntur, & cum decem aliis, quos ipſe ad ſuam cauſsam neceſsarios eſse judicaverit, Romam naviget, ut ibi coram Vobis, & coram Rethicio, Materno, ac Marino Collegis veſtris, quos ea cauſsa Romam properare juſſi, poſſit audiri, quemadmodum ſanctiſſimæ legi convenire optime noſtis.* Donatiſtæ itaque a S. Melchiade anno 313. in Concilio damnati ſunt.

Neque obtrudas 1. id judicii non Pontifici, ſed Synodo ab Imperatore demandatum, atque teſte S. Auguſtino cit. epiſt. 162. Pontificem idcirco non uſurpaſſe judicium illud, quod ipſi Imperator judicandi de ea cauſsa provinciam demandaſſet. Nam 1. ea de re Epiſcopos, qui cum Pontifice judices aſſiderent, Romam miſit

ſit Imperator, quod illos poſtulaſſent Donatiſtæ, quibus id concedendum ratus ille eſt, ut ita facilius dirimeretur cauſsa: Pontifex autem præter eos, qui ab Imperatore deſignati fuerant, alios quindecim ex Italia Epiſcopos delegit, eaque de cauſſa delegit, ut facilius eorum omnium judicio Donatiſtæ adquieſcerent. Cæterum in hujuſmodi circa facta perſonalia judiciis falli Pontificem poſſe; hujuſmodi quoque judicia in cauſſis Africanæ Eccleſiæ ad jus Pontificis Romani, non etiam Epiſcoporum Italiæ, pertinere noverant Pontifex, Imperator, Africani Epiſcopi, & Donatiſtæ. 2. S. Auguſtinus cit. epiſt. 162. probe agnovit procul dubio Melchiadem proprio jure de cauſſa illa judicaſſe, judicioque ſuo finem illi impoſuiſſe, nam loquens de Cæciliano ait: *Poſſet non curare* (Cæcilianus) *conſpirantem multitudinem inimicorum, quum ſe videret, & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cunctis terris, unde Evangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe conjunctum; ubi paratus eſſet cauſsam ſuam dicere, ſi adverſarii ejus has Eccleſias ab eo alienare conarentur.* In epiſt. 171. ea de re datos Judices a Conſtantino, quos Donatiſtæ poſtulaverant, perhibet, quod Africani Epiſcopi apud Donatiſtas ſuſpicione laborarent. Igitur quum epiſt. cit. 162. ſcripſit a Pontifice non fuiſse uſurpatum illud judicium, id ſcripſit arguendo ad hominem contra Donatiſtas, quaſi diceret: etiamſi vobis daremus ò Donatiſtæ Melchiadem judicandi de Cæciliani cauſsa potem non fuiſse proprio jure, potuit id tamen, vobis Imperatorem depoſcentibus, ut Judices daret.

Neque obtrudas 2. a judicio Melchiadis ad Conſtantinum appellaſſe Donatiſtas, a Conſtantino vero indictum Concilium Arelatenſe, in eoque Pontificis judicium retractatum fuiſſe, atque iterato Donatiſtas damnatos, abſolutumque Cæcilianum imo a Concilio ipſo Arelatenſi ad Imperatorem tertio interpoſitam fuiſſe a Donatiſtis appellationem, eaque ſuſcepta Conſtantinum adverſus Donatiſtas ſententiam demum dixiſſe. Nam 1. etſi daremus a Melchiadis ſententia appellaſſe ad Imperatorem Donatiſtas, uti reipſa nonnulli, ſicuti Pagius ad an. 313. n. 9. & ſeqq. & Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul. IV. cap. 3. art. 1. exiſtimarunt, S. Optati teſti-

teſtimonio innixi, attamen nihil exinde Pontificis poteſtati detractum it; quum id judicii ad Pontificem pertinere, nec ad ſuum tribunal interponi appellationem potuiſſe faſsus ſit Imperator, ut auctor eſt S. Optatus lib. 1. referens, primo Imperatorem profeſsum fuiſse, quum a Donatiſtis urgeretur, ſe in cauſsa Eccleſiaſtica Judicem eſse non poſse: *Petitis a me in ſæculo judicium, quum ego judicium Chriſti expectem*: deinde Donato poſt damnationem ad ipſum confugienti reſpondiſse: *O rabida furoris audacia! ſicut in cauſſis gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt!* 2. At non damus Donatiſtas a judicio S. Melchiadis appellaſse ad Imperatorem, ſed dumtaxat Judicum paucitatem, aliaque ejuſmodi objiciendo, illi judicio adquieſcere noluiſse: ita enim exiſtimarunt Valeſius de ſchiſm. Donatiſt. cap. 7; & Sirmondus in notis ad reſcriptum Conſtantini Imper. ad Epiſcopos Concilii Arelatenſis in calce tom. 1. Concil. Labbei; neque niſi a ſententia Concilii Arelatenſis ad Conſtantinum illos appellaſse. Id vero conſtat ex S. Auguſtino lib. de unit. Eccleſiæ cap. 18; enarr. 2. in Pſal. 36; lib. contra Creſcon. cap. 7; lib. 2. contra litt. Petil. cap. 92; & epiſt. 68, & 162, nunc 88, & 43, quibus in locis perhibet Donatiſtas poſt judicium Romæ habitum conqueſtos apud Imperatorem, quod Epiſcopi illi male judicaverint: ab Imperatore datos fuiſse alios Judices Epiſcopos Concilii Arelatenſis, a quorum judicio ad Imperatorem appellarunt. Ex quibus palam fit S. Optatum forte ignarum judicii a Concilio Arelatenſi lati contra Donatiſtas, idcirco dixiſse illos a judicio Concilii Romani appellaſſe, quum, ut diximus, ex S. Auguſtino conſtet a judicio Concilii Arelatenſis ipſos appellaſse. 3. Etſi dederit Conſtantinus Arelatenſe Concilium poſt judicium Pontificis, id egit non quod ita neceſse eſset, ſed ideo, ut tandem Donatiſtas compeſceret. Audiatur S. Auguſtinus in præc. epiſt. n 62, ubi, *Dedit*, inquit, *ille aliud Arelatenſe judicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum, non quia jam neceſse erat, ſed eorum perverſitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohiberi*. Ad hanc cohibendam impudentiam ſubdit equidem S. Doctor ibidem reſtaſse adhuc generale Concilium, quod eo ſenſu non dixit, quod putaret ſententiam Romani Pontificis retractari poſse, nam ſupra dixerat id non fuiſſe ne-

ſe neceſse; quinimo Secundum Tingitanum, qui in Cæcilianum Synodo Carthaginenſi intereſse nolentem ſententiam tulerat, redarguit iccirco, quod Cæcilianus coram Romana Eccleſia, *in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus*, cauſsam ſuam dicere eſset paratus: ſed ut oſtenderet nihil eſse reliquum, quo Donatiſtis os obſtrueretur, a quibus Antiſtites Concilii Romani, & Arelatenſis male judicaſse arguebantur, niſi Concilii generalis judicium. 3. Abſque S. Silveſtri, qui Melchiadi ſucceſserat, auctoritate cauſsam Cæciliani, & Donatiſtarum in Romano Concilio definitam, in Arelatenſi retractatam non fuiſse ex eo liquet, tum quod ad Pontificem geſtorum omnium in Concilio relationem Epiſcopi miſerunt; tum quod ab eodem Pontifice, ut geſta, & decreta auctoritate ſua confirmaret, & promulgaret Epiſcopi poſtularunt, *Placet*, ajentes, *a Te, qui majores Diœceſes tenes, potiſſimum omnibus inſinuari.* Quem in locum confer, quæ tom. 1. pag. 253. adnotata ſunt.

Cæterum Valeſius in not. ad lib. 3. vitæ Conſtan. cap. 51. ingenue concedit Conſtantinum aliquanto plus ſibi in negotiis Eccleſiaſticis vindicaſse, quam laico Principi convenitet: ut illud Epiſcopos Judices ex Gallia deſtinandi: poſt Romanum Concilium aliud Arelatenſe concedendi: ac tertio poſt latum in Arelatenſi judicium, novum coram ſe Mediolani inſtituendi. Legeſis Noriſium hiſt. Donatiſt. part. 1. cap. 11; Tillemontium tom. 6. monum. hiſt. Eccleſ. art. 25, & 26; Pagium ad annum 313, & alios. Verum in eo excuſandus, quod eam agendi rationem ab ipſo exigere temporum illorum iniquitas videretur, nam alioquin teſte S. Auguſtino cit. ſæpe epiſt. 162, *Non auſus eſt*, inquit, *chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas, & fallaces querelas ſuſcipere, ut de judicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe judicaret.* Et infra agens de appellatione interpoſita a Concilio Arelatenſi ad Imperatorem, deque lato ab ipſo judicio, ſubdit: *Eis ipſe ceſſit, ut de illa cauſsa poſt Epiſcopos judicaret, a ſanctis Antiſtitibus poſtea veniam petiturus; dum tamen illi, quod ulterius dicerent, non haberent, ſi ejus ſententiæ non obtemperarent, ad quem ipſi provocaverunt, ſic & illi aliquando cederent veritati.* Expreſſius id etiam ſcribit idem Imperator in epiſtola ad Epiſcopos Arela-

tenſis Concilii apud S. Auguſtinum cit. epiſt. 162 : *Meum judicium expoſtulant, qui ipſe judicium Chriſti expecto ... O rabida furoris audacia ! ſicut in cauſſis gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt ... renuentes cæleſte judicium, meum putaverunt poſtulandum.*

Eidem Conſtantino id etiam ſuccenſent, quod æque ac cum Ario cum S. Alexandro inclementer egerit, una data ad utrumque epiſtola redarguens, quod inutili quæſtione inter ſe digladiarentur: quod Euſebium Nicomedienſem, alioſque Antiſtites hæreſeos Arianæ cauſſa exulatum abire juſſos, reſtituerit : quod Arium jam damnatum in Eccleſiam recipi mandaverit : quod Euſebium Nicomedienſem, alioſque Nicæno Concilio infenſos acceptos habuerit: quod eoſdem in S. Athanaſium deſævientes non cohibuerit: quod adverſus S. Athanaſium Tyriam Synodum, aliaſque coegerit : quod adverſus Epiſcopos Synodis ab ſe indictis adeſſe detrectantes graves pœnas decreverit : quod S. Athanaſium denique, quaſi frumentum, quod Alexandria comportari Conſtantinopolim ſolebat, prohibuiſſet, exulem in Gallias amandaverit. Verum eſt via eumdem Imperatorem excuſandi : quod S. Alexandrum, præpropere, ac præpoſtere in Arium egiſſe, pacemque levi de cauſſa turbaſſe putaſſet : quod Euſebium, alioſque ſuſpectæ fidei Epiſcopos culpam faſſos, factique pœnitentes intellexiſſet ; in eamque Epiſcopos ſententiam conceſſiſſe, ut ſuis reſtituerentur illi Sedibus : quod Arium deſipere deſiiſſe, atque demum ad frugem receptum ab Epiſcopis, quos orthodoxos putabat, audiviſſet ; eorumque precibus ad eum reducendum Alexandriam permotus fuiſſet : quod Euſebianos rei chriſtianæ egregiam impendere opem, veræque fidei vindices agere fuiſſet perſuaſus : quod juſtam eſſe cauſſam in S. Athanaſium ſæviendi exiſtimaſſet; nam ubi reſcivit, non juſtitia ductos Epiſcopos in Tyrenſi pſeudo-Synodo, ſed partium ſtudio permotos in S. Athanaſium animadvertiſſe, eoſdem Epiſcopos, ut ſe coram ſtarent, & actorum rationem redderent, juſſit : quod fraude, peſſimaque fide Synodis ſe ſurripere Epiſcopos nonnullos, qui cauſſa in Synodis cadere certo ſcirent, autumaſſet: quod calumniam, verbo tandem, verum crimen credidiſſet.

Cæ-

Cæterum enim Conſtantinus Epiſcopos Chriſti locum tenere, eaque, ceu a Chriſto decreta, haberi debere affirmavit, neque ſe ullo modo Judicem Epiſcoporum eſſe, neque eorum auctorem, quæ ab Epiſcopis in Concilio agerentur. Ita teſtantur Euſebius lib. 3. de vita Conſtant. cap. 20; (ſi tamen is liber Euſebii genuinum eſt opus; nam vitæ Conſtantini ſcriptorem Acacium Luſcum fuiſſe multis, nec ſane contemnendis conjecturis oſtendere nititur P. Mathias Fuhrmannus hiſt. ſacræ de baptiſmo Conſtantini par. 1. colloq. 5. n. 38, & ſeqq.) S. Optatus lib. 1. adverſ. Parmen.; S. Auguſtinus locis cit., & Ruffinus lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 2. Unde Albaſpinæus in notis ad S. Optati Milevit. locum illum: *Petitis a me in ſæculo judicium, quum ego ipſe Chriſti judicium expectem. Hoc reſponſum*, inquit, *eſt notatu dignum, quo Imperator voluit oſtendere Epiſcoporum controverſias ab ipſis potius, quod Chriſti vicem gerant, dijudicandas eſſe, quam a laicis*. Hæc paullo fuſius proſequuti ſumus, ut Calvino, aliiſque gregalibus non modo, ſed etiam Launojo in epiſt. ad Jacobum Boetium, aliiſque hujus generis hominibus os obſtrueremus, ex factis a Conſtantino in cauſſa Donatiſtarum palam fieri effutientibus, poſſe a Romano Pontifice ad generale Concilium appellari, poſt quod adhuc reliquum ſit Imperatoris tribunal, uti Calviniſtæ ſubtexunt. Sed de hoc argumento rurſus parte 2. Vindiciar. Non moror Conſtantini epiſtolam ad S. Silveſtrum, quæ a pleriſque hanc in rem laudatur, ut quæ in eo apocryphorum cenſu reponenda ſit, in quo acta S. Silveſtro attributa reponi jam ſolent.

Valentinianus de Eccleſia univerſa, atque Epiſcopis optime meritus eſt: cauſſis enim Eccleſiaſticis, ac præſertim fidei immiſcere ſe præcavit; atque quidem, ut refert Sozomenus lib. 7. cap. 7, Epiſcopis Provinciarum Helleſponti, & Bithyniæ, in quibus dein celebratum fuit Concilium Lampſacenum, rogantibus aliquando, ut ſibi de fide aliqua decernenda in cœtum cogi facultas fieret, reſpondit: *Mihi quidem in laicorum ordine conſtituto fas non eſt hujuſmodi negotia curioſius ſcrutari: Sacerdotes vero, quibus id curæ eſt ſeorſim, ubicumque voluerint, conveniant*. Quinimo, ut liquet ex L. 20. *Quorum appellationes ſint ſuſcipiendæ*,

Chronopium quemdam Epiſcopum a Synodi judicio appellationem ad laicum tribunal interponentem mulcta pecuniaria in pauperes eroganda punivit. Præcipuum vero ipſius ſtudium erga Romanum exarſit Pontificem. Manichæos, & Donatiſtas a Romanis Pontificibus damnatos legibus latis coercuit Leg. 3. de Hæret., & L. 1. *Ne S. Baptiſma iteretur* in Cod. Theodoſ. Conflatum ab Urſicino contra S. Damaſum ſchiſma Damaſo rogante cohibuit; Baſilicam ab eo uſurpatam Damaſo reſtitui juſſit; Urſicinum vero, ejuſque partiarios exulatum in Gallias pepulit, reſcripto ad Prætextatum Urbis Præfectum miſso. Legem tulit, quam ad S. Damaſum Romam direxit, qua Clericos, & Monachos a viduarum domibus arcebat, cavebatque, ne quidquam a devotis mulieribus acciperent: L. 16. tit. 2. Cod. Theodoſ. *De Epiſcopis, & Clericis*, qua de lege S. Hieronymus in epiſt. ad Nepotianum, & S. Ambroſius minus, quam de Eccleſiaſticorum avaritia, qui illam meruerant, conqueſti ſunt; ea de re Pontifices non poſtulaſſe, ut lex iſta revocaretur, quod ea lege Clericorum avaritia coerceretur, quandoquidem eamdem, & in Eccleſiaſticis ab Eccleſia ſemper execratam fuiſſe obſervat doctiſſ. Thomaſſinus veteris, & novæ diſcipl. p. 3. lib. 1. capp. 18, & 22, laudans eam in rem Concilium Cabilonenſe III. can. 6, & 7; cui concordant Turonenſe III. can. 51; & Moguntinum I. can. 6: animadvertens tamen ea lege Clericos quidem ab hæreditatibus ineundis amotos, non excluſam Eccleſiam. A Valentiniano, & Valente e Concilio Illyriciano, teſte Theodoreto lib. 4. capp. 8, & 9, tres in divinis hypoſtaſes, unamque divinam in tribus ſubſtantiam edicto ſancitam, decreto innixis ea de re in Synodo Romana lato a S. Liberio, vel ut aliis videtur, a S. Damaſo, alibi diximus.

Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius, quo in honore Romanum Pontificem haberent, quantique ejus decreta, ac dogmata facienda forent, latis legibus fecerunt palam. Ut nihil heic meminerim legum, quibus Manichæos, Donatiſtas, Arianos, alioſque damnatos, atque a chriſtiana Religione extorres compeſcuere, & caſtigavere Cod. Theodoſ. LL. 18, & 20. *De Hæreticis*, & LL. 1, & 5. *De Apoſtatis*, petentibus S. Damaſo, unaque Romana Synodo epiſt. anno 378. ad ipſos data, ut Urſicinum

in

in Urbem reverſum, ac ſchiſma reſtaurantem, ejuſque gregales coercerent: ut quotquot, qui a S. Damaſo, & Epiſcopis eſſent damnati, eorum judicio acquieſcere cogerent; & quicumque in judicium ita vocatus adeſſe detrectaret, is ad Summi Pontificis tribunal ſe ſiſtere compelleretur; aut ſi in remotis locis cauſſa exagitaretur, ad tribunal Metropolitani deduceretur examinanda; ſi vero de Metropolitani cauſſa ageretur, ad Romanum Pontificem, vel ad Judices illos, quos idem Pontifex deſignaſſet, pergere ſine dilatione præciperentur: Gratianus, & Valentinianus edicto dato ad Aquilinum Urbis Vicarium ea S. Damaſi, ac Synodi vota ſervari omnino juſſerunt. Porro id Pontifex ab Imperatore petierat plurimam ob cauſſam. Florentius Epiſcopus Putcolanus e gradu dejectus a Pontifice, primo ad Imperatorem confugiens de injuria ſibi a Damaſo illata conqueſtus fuerat; cui præclarum illud reſpondit Imperator; quod ſi Pontificis Romani judicium ſubjiſſet, jam ſibi nullum patere amplius tribunal intelligeret, a quo judicium ejuſmodi retractaretur. Florentius nihilominus pertinax in ſententia Sedem dimittere detrectabat. Præterea Epiſcopus Parmenſis, aut Portuenſis, cujus ignoratur nomen anno 377. exeunte, vel ineunte 378. a Pontifice pariter exauctoratus loco pariter cedere nullo patiebatur modo. Reſtitutus quoque Epiſcopus Africanus, qui accuſatus ab Imperatore fuerat juſſus, ut Romæ coram Pontifice cauſſæ ſuæ judicium experiretur, quominus in jus vocaretur, ac ſententiam ſubiens per vim e loco deturbaretur, inſolentium, iniquorumque collecta manu prohibebat. Poſtremo Claudianus partium Donatiſtarum Epiſcopus ab iiſdem Donatiſtis Romam miſſus, ut ibidem Donatiſtarum Proſeucham adminiſtraret, plurima contra Eccleſiam peccabat. His ergo malis ut occurreret Pontifex, laudatam a Pientiſſimis Imperatoribus impetravit legem, quam legere eſt tomo 1. epiſt. Decretalium.

Gratiano iterum ſupplicarunt anno 381. Aquilejenſis Synodi Antiſtites, ut Urſicinum una cum Arianis Mediolani novas turbas meditantem, novaque conſilia Sedis Apoſtolicæ invadendæ ineuntem cohiberet: quod perlibenter ille præſtitit. Maximus, qui Gratiano interempto Imperium invaſit, maximopere de Romano Pon-

Pontifice ſibi conciliando ſtuduit, ſuumque pro fide catholica ſtudium, ut Pontifici manifeſtum fieret, eique probaretur, ſategit, eam ob rem exarata ad S. Siricium epiſtola. Theodoſius L. 1. Cod. *De Summa Trinit.*, *& fide catholica*, idipſum, atque Gratianus, & Valentinianus profeſsus eſt, videlicet Romanum Pontificem Eccleſiæ univerſalem Paſtorem, atque ab eo cuſtoditam catholicam Religionem ab univerſis ſectandam edixit: *Cunctos populos*, (verba ſunt legis) *quos Clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus Religione verſari, quam Divum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis Religio uſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret.* Ab eodem S. Damaſo filiis ſuis Arcadio, & Honorio magiſtrum dari, a quo maxime in doctrina, & moribus Romanæ Eccleſiæ inſtruerentur, petiit Theodoſius, ille vero Arſenium miſit. Pleraque alia alibi perſequemnr ex Codice Theodoſiano, quem primum publicam in lucem emiſit Sichardus vir Lutheranus, ac deinde Sirmondus.

Honorius, ſi quis alius, erga Romanos Pontifices obſervantiæ fovendæ ſtudio maximopere flagravit. Principio enim dum Romæ ageret ſub id temporis, quo S. Johannes Chryſoſtomus a Theophilo Alexandrino, ejuſque partiariis injuriam paſsus, iniqua ſententia e Sede deturbatus, Arcadii etiam ſententia, cujus credulitati, & religioni illi nequiſſime illuſerant, in exilium deportatus, Apoſtolicam Sedem appellaverat, ab Innocentio Summo Pontifice exoratus, extimulatuſque ad Arcadium bis, ac ter datis litteris adhortatus eſt, ut Theſsalonicam, locum a Pontifice Maximo ad habendum Concilium deſignatum, quod unicum reliquum erat remedium refractariis iis, qui Apoſtolicæ Sedis judicio adquieſcere renuebant, Orientis Epiſcopos convenire juberet, quò ipſe properare Epiſcopos ex Occidente curaſset, ut ibi acto cœtu de S. Chryſoſtomi cauſsa dignoſceretur, & dijudicaretur. Cæterum, addit, quod ſi ipſe probe noſse deſideret, quænam ſit in cauſsa Johannis Chryſoſtomi Occidentalium Epiſcoporum, ac Romani præſertim Pontificis ſententia, facile intelliget ex duabus ex multis ejuſmodi ab ſe delectis, quas ſubjicit, & ſubnectit litteris, cum S. Innocentii Pontificis Maximi, tum S. Chromatii Epiſcopi Aquilejenſis: ſcilicet Apoſtolicæ Sedis

dis judicium, cui ceteri Occidentis Episcopi adhærere officii loco ducebant, longe ab Arcadio Orientalium Episcoporum, qui Theophili partibus studebant, sententiæ anteponendum esse significabat. Præterea idem Honorius, quum a S. Zosimo Innocentii successore tractoriam, qua Pelagium, Cælestiumque proscripserat, ad se missam accepisset, rogatus, ut damnatos homines toto christiano Orbe tanquam hæreticos haberi, Urbe vero omnino expelli juberet, actutum rescripto emisso, quod describunt Baronius ad annum 418; Salmasius in Eucharistico; Usserius lib. de Eccles. Britan. primord. cap. 50; Labbeus tom. 2. Concil.; Baluzius in append. ad Salvianum; Norisius lib. 1. histor. Pelag. cap. 13.; & Garnerius disert. 3. de Constitut. Imper. in caussa Pelagii, atque ad Palladium Prætorio Italiæ Præfectum directo, Pelagium, Cælestiumque Roma pelli præcepit; eorum vero partibus addictos ubicumque accusatos, & convictos exilii deportatione damnari.

In eo equidem peccasse videtur Honorius, quod pro Eulalio contra S. Bonifacium pro Pontifice se gerente steterit, datoque ad Symmachum Urbis Præfectum rescripto huic Sedem confirmarit, illum in ordinem redigi jusserit. At id egit Symmachi, qui Eulalio favebat, mendaciis deceptus: quippe a Romano Clero de vetitate certior litteris factus, utriusque caussam in Synodo Spoletina examini subjiciendam statuit, quæ antequam haberetur, comperta plene rei veritate, hanc Honorius revocavit, Eulalium expelli, & Bonifacium suæ restitui Sedi jussit. Pontifex postquam suum recepisset locum, ut Romanæ Ecclesiæ paci prospiceret, ac imposterum omne præcaveret schisma, egit apud Imperatorem, ut lege lata sanciret eum tamquam Pontificem esse colendum, in quem Cleri consensisset potior pars. Itaque Imperator rescripto ad Pontificem misso, postquam dixisset: *Scripta Beatitudinis tuæ debita reverentiæ gratulatione suscepimus*: postquam Pontificem deprecatus esset, ut studium suum erga Imperium dignaretur impendere, postremo Pontificis votis morem gerens statuit: Illum solum in Sede Apostolica permansurum, quem ex numero Clericorum nova ordinatione divinum judicium, & universitatis consensus elegisset. Rescriptum refertur a Baronio

nio ad annum 419; atque quidem ex hoc Bonifacium inter, & Eulalium diſſidio factum dein putat Pagius in Crit. Baronii, ut cum Imperatores, tum Italiæ Reges Romanorum Pontificum electionibus ſe ſe immiſcerent.

Eodem S. Bonifacio urgente, ut auctor eſt S. Proſper in lib. contra Collat. cap. 41. his verbis: *S. Memoriæ Bonifacius Piiſſimorum Imperatorum catholica devotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non ſolum Apoſtolicis, ſed etiam Regiis utebatur edictis*, Honorius legem alteram adverſus Pelagianos evulgavit, qua ſtatuit, ut ſiquis Pelagium, atque Cæleſtium in quacumque Provinciarum parte latitare non neſciens, aut propellere, aut prodere noluiſset, præſcriptæ pœnæ, ceu criminis particeps ſubjaceret. Statuit inſuper, ut ſiquis Epiſcoporum Tractoriæ S. Zoſimi, atque Pelagii, & Cæleſtii damnationi ſubſcribere detrectaſset, e gradu detruderetur, & communio Eccleſiaſtica eidem denegaretur. Hoc reſcriptum Honorius anno 419. ad Aurelium Carthaginenſem in Africam dedit, quod ille in tota Africa promulgavit, adjectaque epiſtola ad unum Epiſcopos omnes adhortatus eſt, ut Cæleſtii, & Pelagii damnationi, atque epiſtolæ Zoſimi ſyngrapham adiicerent ſuam. Sapienter hic obſervatum eſt a doctiſſimo Garnerio cit. diſſert. 3. hanc Honorii legem primam fuiſſe, qua ab Imperatoribus ſit juſſum, ut fidei decretis, & hæreticis damnatis a Romano Pontifice Epiſcopi omnes ſubſcriberent: hanc vero ſubſcribendi legem Pontificis primo, Zoſimi ſcilicet, ac Bonifacii deinde, Imperatoris poſtea auctoritate ſancitam cum S. Proſperi, tum aliorum Scriptorum teſtimoniis oſtendit laudatus Garnerius. Ex quo liquet propterea hanc Honorii Conſtitutionem non fuiſſe impetratam ab Africanis Epiſcopis, S. Alipio in Italiam ad id miſso, uti cenſuit Baronius; aut a Valerio Comite, SS. Alipio, & Auguſtino urgentibus, ut aliis viſum eſt, ſed a S. Bonifacio Pontifice Maximo. Poſtremo quum Theodoſius Orientis Imperator anno 421, lege lata Illyricum a juriſdictione Romani Pontificis abſtractum Præſulis Conſtantinopolitani juribus adjeciſſet ad inſtantiam Epiſcoporum Illyrici, ut in reſcripto ad Honorium teſtatur idem Theodoſius, idem Honorius interceſſit, obtinuitque, ut Theodoſius eam legem re-

reſcinderet, ea de re ad Honorium anno 422. dato reſcripto, quod edidit Holſtenius in Romana collectione.

Theodoſius Junior in eo igitur laudandus eſt, quod legem Romano Pontifici incommodam, quamque ſubreptione ab Illyricis impetratam refert, rei comperta veritate reſciderit. In eo laudandus etiam, quod L. 3. tit. *De Epiſcopali judicio*, quæ refertur Can. *Quicumque litem* 9. q. 1, jus dirimendi civiles ipſas controverſias Epiſcopis contulerit; Epiſcoporum vero cauſsas Epiſcoporum judicio finiendas omnino permiſerit. In eo laudandus iterum, quod leges ſanctiſſimas tulerit contra Ethnicos, Judæos, omniſque generis hæreticos, quos a Romana Eccleſia damnatos utique noverat LL. 21, & 22. *de Paganis*; 27 de *Judæis*; 59, 60, & 61. *de Hæreticis* Cod. Theodoſ. Sed ob id laudibus cumulandus quam maxime, quod S. Cæleſtino Pontifici Maximo morem gerens edicto Neſtorium abdicarit, in exilium amandarit, ejuſque librorum lectionem interdixerit; eoſdem undique conquiſitos flammis devoveri juſserit; atque Neſtorii partibus addictis publicam infamiæ notam inuſserit, quos Simonianos impoſterum nuncupandos ſanxit: quomodo Arianos olim Porphyrianos appellari Conſtantinus juſserat. Quibus de rebus præclare geſtis ipſi per litteras gratulatus eſt S. Cæleſtinus, quas legere eſt p. 3. Concilii Epheſini. In eo vero redarguendus eſt Theodoſius, quod a ſchiſmatica Synodo celebrata ab Johanne Antiocheno adverſus S. Cyrillum, Epheſinumque Concilium, ſe decipi paſsus fuerit; atque ab Epheſinis Patribus decreta reſcindi præceperit. Quamvis poſtea veritate perſpecta in Neſtorium a S. Cæleſtino, & Epheſino Concilio damnatum variis modis, ut diximus, animadvertit; & in epiſt. ad eumdem S. Cyrillum apud Harduinum tom. 1. Epiſcoporum eſse aſseruit de fide judicium ferre, a quo Imperatoris ſit ne latum quidem unguem abludere: *Quorum* (dogmatum) inquit, *oportet Judices præſidere undique Præſules Sacerdotii, & per quos Nos tenaciores veræ ſententiæ ſumus, & erimus*.

Graviori equidem ei vitio vertitur, quod Epheſina II. pſeudo-Synodo dicta prædatoria indicta præſidendi munus Dioſcoro Alexandrino detulerit, S. Leonis Legatis id juris detrahens; & Barſumam flagitioſum Archimandritam ſuffragandi jure donave-

rit. Quod ut Flavianus, & Epiſcopi ceteri, qui Eutychetem Conſtantinopoli damnaverant, a ſuffragandi jure excluderentur, decreverit. Quod lege lata Epheſinum Latrocinium probaverit, nullaque ratione a S. Leone M., & Valentiniano III. Occidentis Imper. ſe adduci paſsus ſit, ut geſta in prædatoria Synodo refricarentur, ac generale Concilium in Italia celebraretur. Quamquam Theodoſio obreptum fuiſſe obſervat doctiſſ. Petrus de Marca, tum in eo quod ſuggeſtum illi fuit primum poſt Romanum Epiſcopum honoris locum deberi Alexandrino, eumque in Epheſino Concilio delatum S. Cyrillo, quare abſente Pontifice Romano omnibus præferendum Dioſcorum in Epheſino II: tum in eo quod Dioſcorum non ſecus, ac Barſumam viros eſſe puritate vitæ, & catholica fide probatiſſimos ei quoque inſuſurratum fuit: tum in eo quod ſtudio partium affectos, ac præjudiciis adverſus Eutychetem abreptos Epiſcopos Concilii Conſtantinopolitani autumans, tamquam minus æquos Judices affuturos, a jure ferendæ ſententiæ excludendos fore exiſtimavit: tum in eo quod omnia rite in prædatoria Synodo peracta ei fuit perſuaſum, nec locum patere, ut ſemel acta agerentur, ne in infinitum res irent, ut ipſe ſignificat in epiſtola ad Liciniam Auguſtam; & in reſcripto ad S. Leonem apud Liberatum in Breviario cap. 12.

Valentinianus III. igitur, uti mox indicatum eſt, in epiſt., quam S. Leone M. adhortante, ad Theodoſium dedit obſecrans, ut S. Leonis votis annuens generale Concilium in Italia celebrari juberet, quo peſſime geſtis in prædatoria Synodo medica manus adhiberetur, quamque legere eſt in actis Concilii Chalcedonenſis, quo ipſe animo optime erga Romanum Pontificem eſſet affectus, palam fecit his verbis: *Quum veniſſem ad Urbem Romam, rogatus ſum a Romano Epiſcopo* (S. Leone,) *& aliis ſcribere veſtræ Manſuetudini de fide, quæ cum ſit conſervatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata: quam Nos a noſtris Majoribus traditam debemus cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. Petro Apoſtolo intemeratam, & in noſtris temporibus conſervare, quatenus Beatiſſimus Romanæ Civitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat, & facultatem de fide, & Sacerdotibus*

tibus judicare . Hæc enim gratia ſecundum ſolemnitatem Conciliorum , & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum per libellos appellavit propter contentionem , quæ orta eſt de fide . Huic itaque poſtulanti . . . annuere non negavi, quatenus ad tuam Manſuetudinem meam petitionem ingererem , ut prædictus Sacerdos congregatis ex omni Orbe etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam , omni præjudicio ſubmoto , a principio omnem cauſſam , quæ vertitur , ſolicita probatione cognoſcens , ſententiam ferat , quam fides , & ratio veræ divinitatis expoſtulat . Quibus plane ſignificabat Pontificem ſuper omnes Epiſcopos poteſtate fungi , cujus officium ſit acta etiam a Conciliis retractare , & reſcindere , ſuaque ſuprema ſententia quæſtiones fidei finire .

Ab eodem Valentiniano non abſque minis S. Hilarius Arelatenſis ad obedientiam præſtandam S. Leoni Papæ , a quo ob violatum jus Apoſtolicæ Sedis , quam appellaverat Chelidonius , gravi nota inflictus fuerat , dignitateque Metropolitica expoliatus , atque ad agnoſcendam promeritam pœnam adactus eſt . Quippe Galliæ , & Italiæ Præfecto imperavit , ut Romam deduceretur quicumque Epiſcopus, qui parere judicio Pontificis Maximi renueret , & maxime Hilarius Arelatenſis . En verba edicti apud Baronium ad an. 445 , & Labbeum tom. 2 : *Erat ipſa quidem* (S. Leonis) *ſententia per Gallias etiam ſine Imperiali ſanctione valitura : quid enim tanti Pontificis auctoritati in Eccleſias non liceret ? Sed noſtram quoque præceptionem hæc ratio provocavit , ne ulterius vel Hilario , quem adhuc Epiſcopum nuncupari ſola manſueti Præſulis permiſit auctoritas , nec cuiquam alteri præceptis Romani Pontificis liceat obviare : talibus enim auſibus fides , & reverentia noſtri violatur Imperii . . . ne levis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur , hac perenni ſanctione decernimus , ne quid tam Epiſcopis Galliæ , quam aliarum Provinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine venerabilis Papæ Urbis æternæ ſententia tentare , ſed illis , omnibuſque pro lege ſit , quidquid ſanxit , vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas ; ita ut quiſquis Epiſcoporum ad judicium Romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit , per Moderatorem ejuſdem Provinciæ adeſſe cogatur .* Quamquam Baronius , doctique quamplures ementitam eſſe hiſtoriam Hilarii a S. Leone habi-

ti tanquam hæretici, ab eoque excommunicati existimant. Et sane S. Congregatio a Stephani Gratiani disceptationibus Forensibus tom. 2. cap. 284. historiam SS. Leonis, & Hilarii ab hæreticis confictam expungi jussit, sed de hoc argumento par. 2 Vindiciar. Agunt interea de hoc argumento præ aliis Quesnellus, & Papebrochius, atque ita quidem ut Quesnellus S. Honoraro Massilienſi vitæ S. Hilarii auctori innixus S. Hilarium omnino absolvat, S. Leonem vero in culpam vocet. Papebrochius e converſo longe rectius, Pagio judice ad an. 445. n. 14, præ S. Honorato potiorem in hujusce causæ enarratione S. Leonis auctoritatem habendam esse affirmat, fidemque potius Pontifici adhibendam narranti, quæ Romæ gesta fuerant, quam S. Honorato eadem Romæ gesta ex auditu, & relatu Cleri Arelatensis post annos 20, aut 30. regerenti: ideoque quam S. Leonem, potius S. Hilarium excessisse existimat. Quamquam & S. Honoratus de S. Hilario perhibet: *B. Leoni se illico præsentasse; cum reverentia impendisse obsequium; & cum humilitate popoſciſſe, ut Ecclesiarum ſtatum more ſolito ordinaret*. Fertur idem Imperator jam pridem sui obsequii erga Pontificem argumentum egregium præbuisse. Quippe quum a Basso Exconsule de stupro virgini per vim illato accusatus fuisset S. Sixtus III. S. Leonis decessor, eamque ad propulsandam calumniam Pontifex Concilium congregasset, Valentinianus a congressu discedens Pontificis arbitrio sui ipsius integrum judicium permisit: Sixtus vero se judicio Synodi haud esse subjectum protestatus; sed & a culpa imposita prorsus immunem se professus est; atque calumniæ auctorem Basum anathemate damnavit. Verum quum Eruditis plerisque acta Synodi Romanæ sub Sixto III. hac de re habitæ suspectæ admodum fidei visa fuerint, eo quod falsa Consulum nota consignentur, & anachronismis scateant, nolim me historiæ hujusce vadem erigere.

Marcianus imprimis Imperator, unaque Valentinianus in epistola communi voto ad S. Leonem inscripta, quæ habetur p. 1. Concil. Chalcedonensis, quaque efflictim obsecrabant, ut Concilium Chalcedonense congregari indulgeret, supremum jus in Ecclesia Pontifici adseruerunt his verbis: *Tuam Sanctitatem Principatum in Episcopatu divinæ fidei possidentem sacris litteris in principio*

cipio credimus alloquendam, invitantes, atque rogantes ... quatenus ſublato omni errore, per Synodum celebrandam Te auctore maximo, pax circa omnes Epiſcopos fidei Catholicæ fiat. Iterum idem Marcianus Valentiniani legem, qua nonnihil libertas Eccleſiaſtica lædebatur, a S. Leone admonitus ultro abrogavit; quam in rem Baronium adiſis ad an. 455. Eodem S. Leone adhortante, quod facere detrectaverat Theodoſius, libenter perfecit idem Marcianus, ſcilicet Synodum II. Epheſinam prædatoriam proſcripſit lata lege, qua & Theodoſii conſtitutionem ejuſdem Epheſini latrocinii confirmatricem reſcidit. Jam vero in litteris, quibus S. Leoni celebrandi Concilii deſiderium ſuum aperit, obnixe eumdem deprecatur, ut Concilio adeſſe, & præeſſe dignaretur, in eoque, quæ Religioni utilia forent, ipſe decerneret; ſin minus ſineret Concilium cogi, in quo Epiſcopi, quæ ab ipſo definita fuiſſent, declararent: *Supereſt*, inquit, *ut ſi placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere Religionis affectu dignetur. Noſtris ubique deſideriis Sanctitas veſtra ſatisfaciet, & ſacræ Religioni, quæ utilia ſunt, decernet. Si vero hoc oneroſum eſt, ut Tu ad has partes advenias, hoc ipſum Nobis propriis litteris tua Sanctitas manifeſtet, quatenus in omnem Orientem, & in ipſam Thraciam, & Illyricum ſacræ noſtræ litteræ dirigantur, ut ad quemdam definitum locum, ubi Nobis placuerit, omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire, & quæ chriſtianorum Religioni, atque Catholicæ fidei proſint, ſicut Sanctitas tua ſecundum Eccleſiaſticas regulas definiverit, ſua diſpoſitione declarent.* S. Leo vero in litteris, quas reſcripſit, veniam equidem celebrandi Concilii fecit, miſurumque Legatos, qui Concilio præeſſent, promiſit, illud tamen præcautum juſſit, ne ab ſe definita retractari pateretur, aut in dubium revocari, quæ ab ſe in epiſt. ad Flavianum jam de fide fuerant decreta, permitteret. Legere eſt has epiſtolas par. 1. Concilii Chalcedonenſis. Illud non prætereundum, quod Act. 6, cui præſentia adfuit Imperator, quædam capitula Synodo approbanda propoſuit his verbis, quæ animum oſtendant omnino alienum a juribus Eccleſiaſticis invadendis: *Quædam Capitula ſunt, quæ ad honorem veſtræ reverentiæ Vobis ſervavimus, decorum eſſe judicantes a Vobis hæc regulariter potius fir-*

firmari per Synodum, quam noſtra lege ſanciri. Unam vel alteram Principem fœminam pari erga Pontificem ſtudio flagrantem ſubtexere fas ſit.

Galla Placidia Honorii Imper. ſoror, Conſtantii in Imperio collegæ conjux in epiſt. ad Pulcheriam Theodoſii Junioris ſororem Marciano Auguſto deſponſatam, ac in conjugio virginem, qua adhortatur, ut Epheſinam pſeudo-Synodum execretur, Conciliumque ad eamdem pſeudo-Synodum ejurandam celebrari apud Marcianum curet, de Apoſtolicæ Sedis ſumma auctoritate, ac in fide infallibilitate egregia hæc habet: *Igitur tua Clementia ſecundum catholicam fidem, quod ſemper Nobiſcum fecit, & nunc ſimiliter conſpirare dignetur, ut quidquid in illo tumultuoſo apud Epheſum Concilio conſtitutum eſt, omni virtute removeatur: ut omnibus integris permanentibus ad Apoſtolicæ Sedis, in qua primus Apoſtolorum B. Petrus, qui etiam claves regni Cæleſtis accipiens Sacerdotii Principatum tenuit, Epiſcopatus cauſſa mittatur. Debemus enim Primatum in omnibus immortali converſationi tribuere, quæ totum Mundum propriæ virtutis dominatione complevit, & noſtro Imperio Orbem gubernandum, ſervandumque commiſit*. Atqui non abſimili devotionis ſtudio Apoſtolicam Sedem proſequebatur Pulcheria Auguſta: quippe in litteris, quas ad S. Leonem exaravit, poſtquam Pontificem certiorem feciſset ab Anatolio Regiæ Urbis Epiſcopo epiſtolæ ad S. Flavianum ab ipſo S. Leone directæ ſyngraphum adjectam fuiſſe, de cogendo Concilio hæc habet: *Præterea tua Reverentia, quocumque modo proſpexerit, ſignificare dignetur, ut omnes etiam totius Orientis Epiſcopi, Thraciæ, & Illyrici in unam Civitatem velociter valeant convenire; & illic facto Concilio, & de catholica confeſſione, & de his Epiſcopis, qui ante hoc ſegregati ſunt*, (a Dioſcoro ſcilicet in Epheſina Synodo) *ſicut fides, & chriſtiana pietas exigit, Te auctore decernant*. Quibus plane fatetur, ac palam facit absque Pontificis auctoritate nec cogi Concilium licere, neque in Concilio de fide, aut de cauſſis Epiſcoporum definiri. S. Leonis reſcripta recole ex art. de Concil. Chalcedonenſi, ubi de his ſatis, & abunde, opinor, actum eſt.

Leo Auguſtus, apud quem Eutychiani alterum Concilium, quo

quo Chalcedonenſe reſcinderetur, aut retractaretur, celebrati poſtquam fruſtra efflagitare ſe perſpexiſsent, inſtabant tamen, ut indulgeret collationem de fide fieri; hanc hæreticis poſtulationem haud denegandam arbitratus, attamen abſque Pontificis Romani auctoritate eam fieri non poſse agnovit. Ea erga de re ad S. Leonem ſupplices dedit litteras, ut Legatos dirigeret, qui quaſdam de fide quæſtiones elucidarent, eliquarentque. Litteras, & Legatos S. Leo miſit, non equidem ad pugnam cum hæreticis inſtaurandam, diſceptandumque de his, quæ ab ſe in epiſt. ad Flavianum de fide jam fuerant definita; ſed ut imprimis Imperator, atque imbecilles perinde, & in fide infirmi magis, magiſque de Myſterio Incarnationis inſtruerentur. Quibus intellexit Imperator Eutychianis de fide diſputandi non linquendum locum, permotuſque Pontificis litteris Timotheum Ælurum Alexandria ejecit, alterumque Chalcedonenſis Concilii adſertorem ejus Sedi ſuffici curavit. Quibus de rebus ab ipſo præclare geſtis novis datis litteris ipſi gratulatus eſt S. Leo. Suffectus autem Timotheus alter cognomento Salophaciolus, ideſt Albus, ſtatim litteras ad S. Leonem dedit, quibus illi fidei ſuæ rationem reddebat, ut Ordinationem ſuam haberet ratam, rogabat, atque Apoſtolicæ Sedi devotæ ſuæ mentis affectum planum faciebat. Legere eſt S. Leonis de hac re litteras 78, nunc 132; 99, nunc 137, 101, nunc 139. in edit. Queſnelli.

Zeno Imperator, ſiquis alius, poſt natos homines, impius, (in eoque dumtaxat pius, quod apud Hunnericum Vandalorum Regem efflictim egerit, ſive ut Eccleſiæ Carthaginenſi annis 24. Paſtore deſtitutæ, Epiſcopum præfici ſineret, quod obtinuit: quippe Eugenius fuit ordinatus, uti habet Victor Vitenſis lib. 2; ſive ut a perſecutione in Chriſtianos commota ſibi tandem temperaret, deſæviendique in Eccleſiam faceret aliquando finem: quod tamen non impetravit Victore teſte lib. 5.,) quanti tamen Romani Pontificis imperata, & poteſtas facienda forent, perſpexit probe, & faſſus eſt. Siquidem apud S. Simplicium rogavit ſupplex, ut tum Acacio Conſtantinopolitano Epiſcopo, qui Ordinator, tum Stephano, qui Antiochenus Epiſcopus ordinatus Conſtantinopoli fuerat, (quippe Antiochiæ, & quidem in Synodo Orientalium

lium Epiſcoporum Ordinatio celebranda fuiſſet), veniam infracti canonis faceret: quam equidem fecit Simplicius, ea tamen lege, ut impoſterum Epiſcopus Conſtantinopolitanus ab uſurpatione alieni juris abſtineret, ut liquet ex S. Simplicii epiſt. 14. ad Zenonem; 15, & 16. ad Acacium. Ex hac autem ratione agendi Pontificis patet ſupremam ſupra Concilia, & Canones poteſtatem in Romano Pontifice agnitam ab Orientis Imperatoribus, atque Epiſcopis fuiſſe, ut obſervavit Pagius in crit. Baronii ad an. 482. Præterea idem Imperator præcipienti S. Simplicio, ut a Baſiliſco Tyranno hæreticos Epiſcopos in Eccleſias intruſos expelleret, obtemperandum ſibi ratus ab Antiochena Eccleſia Petrum Fullonem, ab Epheſina Paulum, & Timotheum Ælurum ab Alexandrina hæreticos homines, qui Concilio Chalcedonenſi obviam ibant, teſte Evagrio lib. 3. capp. 8, & 9. ejecit. Ab Eccleſia Alexandrina expulſo Johanne Talaja Petrum Moggum ſuperinduci non antea paſſus eſt idem Imperator, quam id probatum eſſet Romano Pontifici. Quam de re ad S. Simplicium datis litteris commoneſecit, eique, ut id placeret, etiam, atque etiam poſtulavit: quamquam poſtea Simplicio præcipienti, ut Johanni ſua reſtitueretur ſedes, Petro econtra pulſo, non modo non paruerit, ſed Acacio Conſtantinopolitano inique inſtigante, ab Eccleſia item Antiochena Calendione catholico Epiſcopo expulſo, Petrum Fullonem ſubrogarit; eodemque Acacio ſuadente celebre ſuum *Henoticum*, ideſt unitivum edictum, de quo alibi nobis erit agendum, evulgarit.

Anaſtaſius, etſi homo primum hæſitantibus addictus, qui ſcilicet, nec Synodum Chalcedonenſem ſuſcipiebant, nec S. Leonis ad Flavianum litteris ſubſcribebant, nec eaſdem anathemate damnabant; ſed uni Zenonis henotico hærens, poſtea tamen aperte hæreſi Eutychianæ ſe devovit, ea nihilominus egit, ſcripſitque, quibus vel invitus Romano Pontifici de fide præcipienti eſſe parendum agnoſcere ſe probe aperuit. Enim vero apud S. Anaſtaſium II. Feſti Senatoris opera magno conatu elaboravit, ut Zenonis henotico ad ſubſcribendum induceret; id vero ex ſententia quum ei minime ſucceſſiſſet, teſte Theodoro lectore lib. 2. hiſt. Eccleſ., operam petinde naviter impendit, ut Laurentii con-

contra Symmachum electi ſchiſma promoveret, atque ſaltem ab iſto pſeudo-Pontifice eam ſyngrapham impetraret. Quorſum vero iſthæc, niſi quia non eum fugiebat Zenonis henoticon nunquam ratum, firmumque futurum, quoad uſque Romani Pontificis calculo probatum non fuiſſet? Cenſura notatus, etſi nominatim non excommunicatus, a S. Symmacho, quod Laurentii ſchiſma patrocinio ſuo foveret, & quod Acacii execrandæ memoriæ, atque hæreticis Chalcedonenſis Concilii hoſtibus opera ſuæ faveret, equidem furore percitus libellum adverſus Pontificem contumeliarum, conviciorumque, quibus dire illum proſcindebat, refertiſſimum evulgavit, atque inter alias infamiæ perſonas optimo Pontifici impoſitas, Manichæum per ora plebis traducebat, attamen non inficias ivit in ſe intorqueri anathematis jaculum a Pontifice Romano potuiſſe. In epiſtola vero apologetica, qua Symmachus impactas calumnias diluit, atque ad ipſum Anaſtaſium direxit, inter alia Pontificiam cum Imperatoria dignitatem, poteſtatemque conferens, Pontifices Imperatoribus præſtare, illiſque reverendos, obediendoſque oſtendit.

Poſt hæc ad frugem ſe receptum fingens, ſiquidem res ſuas peſſum ire perſpiceret, Concilium Heracleæ indixit anno 514, & ad illud S. Hormiſdam Papam invitavit. Notatu digna ſunt verba, quæ in epiſtola, quam legere eſt tom. 4. Concil. Labb., ad Hormiſdam ea de re exaravit; *Deus*, inquit, *ac Salvator noſter SS. Apoſtolos divino ſermone docuit, ac maxime B. Petrum, in quo fortitudinem Eccleſiæ ſuæ conſtituit*. Pauciſque interjectis pergit. *His igitur præfatis initiis hortamur, ut ad ea, quæ de Scythiæ partibus* (a Monachis ſcilicet Scythis) *mota, unde & Concilium fieri convenire perſpeximus, mediatorem ſe Apoſtolatus veſter faciat, ut contentionibus amputatis unitas Sanctæ reſtituatur Eccleſiæ*. An ex animo, necne iſta exaraverit, non diſputo, iſtis tamen contendo ab Anaſtaſio Sedis Apoſtolicæ utrumque privilegium adſertum; dum eadem affirmatur eſſe Eccleſiæ fundamentum firmum, ac fidei fortitudinem; atque in Eccleſia ſuprema potiri poteſtate, ſine qua Concilium celebrari ſit nefas. Rurſus Romam redeuntibus Legatis, quos S. Hormiſdas Heracleam ad Concilium direxerat, ſed re prorſus infecta, ipſius Anaſtaſii fraude, ne

ſibi tamen Pontificem infenſum experiretur, ad eumdem Pontificem fidei ſuæ profeſſionem miſit; quæ legitur in citata ipſius paullo ſupra epiſtola, qua Neſtorium, & Eutychetem ſe execrari teſtatur; eos homines, eorumque hæreſes diris cunctis devovere. Sed & S. Leonis epiſtolam ad Flavianum, atque Synodum Chalcedonenſem ſe recipere ſimulat vir ad omnem fallendi artem compoſitus, dumtaxat damnationi Acacii, ejuſque nominis expunctioni præbere aſſenſum non poſſe ſubjungens; nec id ob aliam cauſſam, quam ne in diſcrimen Eccleſias Orientales adduceret: nihilominus, & in eo quoque obtemperaturum ſe Pontifici, ſi quando id fieri omnino Pontifex imperaret. Id omne tamen ſimulate exaratum, eumque ita ſubdole egiſſe dein rei eventus comprobavit. Nunquam enim S. Hormiſda ſive mandante, ſive adhortante, ſive minitante paſſus eſt pertinax in ſententia homo, ut Acacii memoria nequam damnaretur, aut nefandum nomen e Diptychis Eccleſiæ abraderetur.

Juſtinus primus Imperatorum, qui a Pontifice Romano Imperiali diademate fuerit redimitus, Imperatoris quidem partes eſſe pacem Eccleſiis procurare, at primas, eaſque præcipuas Romani eſſe Pontificis agnovit probe; quo inconſulto, aut invito in Eccleſia nihil eſſet firmum, fixumque. Turbatis ergo Eccleſiæ Orientalis rebus ab Eutychianis, ut optatam tranquillitatem conciliaret, ad S. Hormiſdam litteris, legati que miſſis efflictim petiit, ut vice reddita, Legatos, litteraſque Conſtantinopolim mitteret, quibus ſedarentur turbæ, error procul exterminaretur, atque rei Chriſtianæ conſuleretur; præſertim vero Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ pax reconciliaretur; & lapſi reciperentur. S. Hormiſdas, cui nihil erat antiquius, quam Eccleſiæ Orientalis unio, Legatos ejuſdem unionis ſequeſtres Conſtantinopolim miſit, ipſis tradito fidei libello, cui Johannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ceterique eidem Eccleſiæ ſubjecti Antiſtites ſubſcribere deberent; eo vero epiſtolam S. Leonis ad Flavianum recipi, Concilio Chalcedonenſi non refragari, & nomen Acacii ex ſacris diptychis expungi præcipiebat Pontifex: tribus iſtis adimpletis conditionibus, agente Imperatore anno 519. Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ cum Romana redintegrata communio eſt, eaque de re ad Juſtinum epiſt. 48.

epiſt. 48. gratulatus eſt optimus Pontifex, ejuſdem egregia opera Coſtantinopolitanæ Eccleſiæ reſtitutam pacem, quam ut pariter Eccleſiis Alexandrinæ, & Antiochenæ reſtitui adlaboraret, adhortatur. Aliud erga Apoſtolicam Sedem ſuæ, atque ſummæ pietatis argumentum præbuit idem Juſtinus. Exardeſcente enim tunc temporis controverſia circa eam ſententiam, num *Unus e Trinitate in Carne confixus eſſet*; eamque Monachi Scythæ credendam ad ſeditionem uſque inculcarent; ac inſuper Fauſti Regienſis libros ceu hæreſi Pelagiana aſperſos damnandos edicerent: qui vero contra pugnabant, ac in diverſas partes erant diſtracti, Scythis Monachis Eutychianæ hæreſis notam appingerent, Fauſtique libros erroris labe omnino puros eſſe contenderent: graviſſimæ hujuſce quæſtionis Judices non ſuæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopos, ſed eoſdem Romanæ Eccleſiæ Legatos Judices interpellavit Imperator. Quibus reponentibus talibus de rebus nihil ſe a Pontifice in mandatis habuiſſe, imo ſibi injunctum, ne aliis ſe cauſſis immiſcerent; idque unum Juſtino inſtanti reſpondentibus: *Quod non eſt ſcriptum a Papa Leone non ſuſcipimus*: Imperator Scytharum Monachorum cauſſam ad S. Hormiſdam integram detulit, judicandamque dimiſit, Pontifici Monachos illos commendans, qui cauſſa vincere ſibi videbantur. Quo de argumento loco in alio uberius erit agendum.

Eluxit etiam Juſtini erga S. Johannem I. Hormiſdæ ſucceſſorem cum obſequio egregia obſervantia, quem teſtibus Anaſtaſio in vita Johannis, & Aimoino lib. 1. cap. 1. Conſtantinopolim appulſum ſumma religione ſuſcepit, ſibique ab ipſo Imperialem capiti coronam imponi infimis precibus impetravit. *Juſtinus Imperator*, ait Anaſtaſius, *gaudio repletus eſt, quia meruit temporibus ſuis Vicarium B. Petri Apoſtoli videre in Regno ſuo, de cujus manibus cum gloria coronatus eſt. Johannes Papa*, inquit, Aimoinus, *Juſtino Auguſto, ut Vicarius B. Petri, imperialem impoſuit coronam*. Juſtini tandem laude omni dignum ſtudium, quo Cabadum Regem Perſarum, & Alamundarum Regem Saracenorum ad Religionem Chriſti an. 513. amplexandam adduxit; Eleſbaanum quoque Æthiopum, ſive Axumitarum Regem apud Homeritas chriſtianam Religionem reſtituentem adjuvit. In eo

etiam laudibus celebranda Juſtini de re chriſtiana ſollicitudo, qua Tzatium Lazorum in Colchide Regem Conſtantinopolim anno 522. profectum, & chriſtianam Religionem amplecti cupientem, ut de Chriſtiana re probe inſtrueretur, ſummopere ſategit, noſtræ Religionis miſteriis initiatum e ſacro fonte ſuſcepit, eique ab ſe Regio titulo, & inſignibus exornato adverſus Perſas, qui ad fidem Chriſtianam deferendam ipſum compellebant, ſuppetias tulit. Id conſtat ex Cedreno, & Procopio lib. 1. de bello Perſico. Itaque illis ſummam, qua ipſe affectus erat, erga Romanam Eccleſiam exiſtimationem Juſtinum inſpiraſſe, facile perſuaſus ibit quiſque, qui perſpectam habeat, quam ipſe erga Romanos Pontifices tenuit agendi rationem. Ad cumulum ejus laudum accedit, quod L. 12. Cod. Juſtin. de *Hæreticis* Arianos, & Manichæos compeſcuit, atque ab inferenda Eccleſiæ moleſtia, ac noxa deinceps abſterruit. Itaque iis multis modis abunde abſterſit, expurgavit, compenſavitque inſcientiæ, quæ eidem adhæſit, notam, fuit enim Analphabetus, ſive litteris defectus; non autem Juſtinianus, ut autumavit Baronius a mendoſo Suidæ Lexico Mediolanenſis edit. deceptus, ubi V. Ἰυστινιανός ſubjecta legitur vox Ἀναλφαβητός, quæ tamen Juſtino ſubjicitur in omnibus codicibus Mſs. Bibl. Vatic.; idque ipſum de Juſtino tradit Procopius lib. 1. de bello Perſico cap. 11.

Juſtinianus, qui Phocam annis 70. circiter anteceſſit, quamvis non nihil in Romanos Pontifices, & Eccleſiaticas regulas peccaverit, collationem cum Severianis Conſtantinopoli habendam Catholicis Epiſcopis imperans: contra Vigilii ſententiam edictum adverſus tria Capitula emittens: contra pacta cum Pontifice conventa Synodum V. celebrandam indicens: Africanos Antiſtites trium Capitulorum defenſores male habens: Vigilium imo Pontificem in exilium per ſummum nefas ejiciens: Pontifici Romano confirmandi locum jus ſibi attribuens: & tandem in hæreſim lapſus Aphthartodocetarum, qui Chriſti Corpus ante reſurrectionem incorruptibile aſſerebant, eaque de re in Eutychium Conſtantinopolitanum, & Anaſtaſium Antiochenum Epiſcopos, quod hanc hæreſim execrarentur, deſæviens, in qua illum objiſſe, etſi unus neget Richardus Crachanthorpius e gre-

ge

ge Proteſtantium in opere, cui titulum fecit: *Vigilius dormitans*; poſt Euſtachium in vita S. Eutychii apud Surium, & Bollandum ad diem 5. Aprilis, & Evagrium lib. 4. cap. 40. tenent Eruditi. Nihilominus quum partium ſtudio minime abreptus prærapide non ageret, ſibique recte agendum proponeret, ea egit, ſcripſit, edixit, quorum multa refert Baronius tom. 7. ad an. 533, quibus nihil illuſtrius ad confirmandum, quanti faceret Romani Pontificis de fide doctrinam æque, atque in Eccleſia auctoritatem, poteſt adferri. Enim vero in profeſſione fidei, quam Imperator inauguratus ad S. Bonifacium II. direxit, quæ legitur in ejuſdem Bonifacii decretis, hæc habet: *Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & a conſtitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non poteſt Domini Noſtri Jeſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis*: Tu es Petrus &c. *Et hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt catholica Religio ſervata. De qua ſpe, & fide minime ſeparari cupientes, & Patrum ſequentes conſtituta, anathematizamus omnes, qui contra Sanctam Romanam, & Apoſtolicam Eccleſiam ſuperbiendo ſuas erigunt cervices: ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & prædicantes ejus omnia conſtituta, & per omnia ſpero, ut in una communione Vobiſcum, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe merear, in qua eſt integra, & vera Chriſtianæ Religionis, & perfecta ſoliditas; promittens ſequeſtratos a communione Eccleſiæ Catholicæ, ideſt non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non eſſe recitanda myſteria.* Hæc conſentaneæ ad fidei libellum ab S. Hormiſda ad Orientales ſubſcribendum miſſum Juſtinianus enuntiabat. Hanc eamdem fidei profeſſionem iterum S. Agapeto nuncupavit, ut mox dicetur. Hac autem fidei profeſſione palam fit credidiſſe illum nulla erroris macula coinquinari ullo unquam tempore Romanum poſſe Pontificem, cujus proinde fidem amplecti, & præceptis obſequi de neceſſitate ſalutis ſit. Age diſpiciamus, quid de Pontificis poteſtate illi fuerit perſuaſum.

Ea etiam tum Monachos Scythas inter, & Acæmetas vigente controverſia, num videlicet *Unus de Trinitate carne crucifixus eſſet*, quam quidem Scythis affirmantibus, contra Acæmetæ oppugna-

ſtitutionem ad Epiphanium Conſtantinopolit. Epiſcop. ab eodem Juſtiniano exaratam L. 7. C. de ſum. Trinit.; ubi Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem expreſſis verbis nuncupat *Cunctorum Sacerdotum Caput*, cujus muneris ſit errores omnes exterminare, & locorum ubique hæreticos coercere. Adhæc in Authentica, ſive Novella 9. etiam ad eumdem Johannem II. directa, quæ ut Eccleſia Romana centum annorum gaudeat præſcriptione præcipit, hæc præclara de eadem Eccleſia prædicat. *Ut legum originem anterior Roma ſortita eſt, ita & Summi Pontificatus apicem apud eam eſſe nemo eſt, qui dubitet: unde & Nos neceſſarium duximus patriam legum, & fontem Sacerdotii ſpeciali noſtri Numinis lege illuſtrare*. Subdit legem, qua non niſi centum annorum ſpatio præſcribi contra Romanam Eccleſiam poſſe jubet. Idem in Authentica de Eccleſiaſticis titulis, & privilegiis, ſive Novella 131. ad Petrum Prætorio Præfectum cap. 2: *Sancimus*, inquit, *ſecundum Sanctarum Synodorum definitiones Sanctiſſimum Senioris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum*. Poſt ſecundum honoris locum juxta canones Concilii Conſtantinopolitani, & Chalcedonenſis defert Epiſcopo Conſtantinopolitano, quem Alexandrino, & Antiocheno dignitate, & auctoritate deſiderabat anteferri.

Compendio id totum comprehendit in gemina epiſtola, quam ad S. Agapetum, dum Conſtantinopoli ageret, idem Juſtinianus direxit, quæ habetur tom. 4. Concil. In prima, quæ incipit: *Ante tempus in hac Regia Urbe*, poſtquam narraſſet jampridem edictum ab ſe vulgatum contra Neſtorianos, Eutychianos, & Acemætas, ejuſque exemplar ad Johannem ipſius prædeceſſorem miſſum ipſi probatum fuiſſe, rogat pariter Agapetum, ut pro ſumma, qua fungebatur poteſtate, quæ Johanni placita fuerant, ipſe quoque firma juberet. In ſecunda vero ad Pontificem fidei ſuæ profeſſionem mittit, quæ incipit: *Prima ſalus eſt rectæ fidei* &c., cujus tenorem paullo ſuperius exhibuimus. Acceptas habuit S. Agapetus Imperatoris litteras, ipſique reſcribens inquit ſe equidem illius edictum ad Johannem II miſſum, ab eoque approbatum probare, & amplecti, addit tamen: *Non quia Laicis auctoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei*

ve-

impenſis extruxit. Legendi Evagrius lib.4.hiſt.Eccleſ. capp.20., 22., & 23.; Baronius ad annum 327.; & Pagius ad annum 537.

Phocas, qui interempto Mauritio Imperium invaſerat, ſua ſummopere intereſſe intellexit, ſi Apoſtolicæ Sedis clientelam demereret. Ergo Bonifacio III. Pontifice Maximo petente, quod a Phocæ prædeceſſoribus, videlicet a Tiberio, Conſtantino, & Mauritio Pelagius II., & S. Gregorius Magnus impetrare non potuerant, ideſt, ut Johannis, & Cyriaci Patriarcharum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, qui ſe Patriarchas œcumenicos inſcribere affectaverant, inanis faſtus cohiberetur, lata lege, profeſſus eſt ſolum Romanum Pontificem eſſe dicendum œcumenicum Epiſcopum, ab eaque nomenclatura, ut Conſtantinopolitani Epiſcopi impoſterum abſtinerent, præcepit. Ita referunt Anaſtaſius in Bonifacio III., & Paulus Diaconus lib. 4. de geſtis Longobar. cap.37. Baronius, Binius & Brietius legem illam in odium Cyriaci Conſtantinopolitani Epiſcopi, cui Phocas ſubinfenſus erat, evulgatam exiſtimant. At ut animadvertit Pagius in Bonifacio III, & poſt ipſum Cuperus hiſt. chronolog. Patriarch. Conſtantinopolit in Cyriaco n.33, prorſus concidit iſta conjectura, quandoquidem priuſquam Bonifacius Pontifex inauguraretur, ideſt ante an. 607, Cyriacus mortalitatem expleverat an. 606, eique ſuffectus fuerat Thomas Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus: ac propterea concludendum non aliam ob cauſſam a Phoca legem illam evulgatam, niſi æquitatis, ut qui optime noſſet ſoli Romano Pontifici concreditas a Chriſto primas in Eccleſia partes, quas proinde ne per invidiam uſurparent, & invaderent, Patriarchæ Conſtantinopolitani eſſent prohibendi. Non moror hoc autem loci Molinæum, & Othomanum, quorum calumniam, commentumque jampridem Lutherus, Calvinus, Centuriatores, aliique, de quibus ſuperius eſt dictum, obtruſerant, poſtea vero Baſnagius, aliique ejuſdem furfuris ad nauſeam uſque recoxerunt, ogganientes Primatum a Romano Pontifice tyrannice invaſum, a Tyranno Phoca per tyrannidem in illius jus tranſcriptum. Eos enim modis omnibus depexos dedit Baronius ad an.606. n. 4., & ſeqq. S. Bonifacio IV. poſtea idem Phocas dedit Pantheon nobile illud delubrum a Marco Agrippa tem-

retraxit, & ſibi aliquando retinuit, donec S. Benedicto II. rogante illud dimiſit: ita Romanam Eccleſiam in libertatem aſſerens, ut teſtatur citatus Anaſtaſius in Benedicto II. Sed de argumento hoc alibi, Deo auſpice, diligentius, & amplius.

Juſtinianus II. Junior dictus minus quidem æquus aliquando erga Pontifices fuit, quippe nulla ſacræ Conſtantini juſſionis habita ratione Eccleſiam Romanam olitæ ſervituti expectandi Ravennatenſis Exarchæ conſenſum in electione Pontificis iterum ſubjugavit: quinimo S. Sergium Pontificem Maximum acta Synodi Quini-Sextæ probare renuentem Protoſpatario ſuo ut Conſtantinopolim captivum deportaret, in mandatis dedit. Verum id etiam egit, quo ſatis oſtenderet maximi eſſe faciendam procul dubio Romani Pontificis auctoritatem. Enim vero teſte Anaſtaſio ad Cononem Papam miſſa Divali (ſcilicet ſanctione) illibatam, & integram cuſtodiri ſextam Synodum juſſit, atque ab ſe integre, illibateque cuſtodiendam ſpopondit. Dum etiam in Sergium Synodo Quini-Sextæ ad eumdem directæ ſubſcribere detrectantem deſæviit, ſatis ea iniqua agendi ratione indicavit, adeo Sergii neceſsariam autumaſſe ſyngrapham, ut ea denegata Trullana Synodus obtinere non poſſet. Itaque apud Conſtantinum Papam ea de re Conſtantinopolim accerſitum, ut controverſiam de Trullanis canonibus excitatam, & in dies exardeſcentem ſua auctoritate componeret, ſummopere enixus eſt, ut Trullanorum Canonum confirmationem, quam fruſtra a S. Sergio I., & Johanne VII. poſtularat, tandem impetraret. Atque quidem impetraſſe a Conſtantino illorum Canonum confirmationem, qui Eccleſiæ Romanæ moribus, & ritibus non adverſarentur, ex Anaſtaſio in vita Conſtantini conjicit vir Clariſs. Chriſtianus Lupus in ſcholiis, & notis ad canones Trullanos. Illuſtre illud vero profuſi erga Pontificem obſequii exemplum exhibuit; quo venienti Pontifici Nicomediam uſque obviam proceſsit: præſentis pedes devote exoſculatus eſt: diadema humi depoſuit; alteramque poſt diem e litantis Pontificis manibus ad aram ſacra communione percepta, Romano Pontifici integra impoſterum privilegia manere ſua præcepit.

Ad eumdem Conſtantinum Papam Anaſtaſius II. antea dictus

e throno deturbato, in locum ſuum, ut dignum erat, juſtumque, redire S. Ignatium juſſit, cujuſce rei ab ſe præclare geſtæ Legatos confeſtim Romam ad S. Nicolaum I. Pontificem M. properare juſſit, illum certiorem facturos. Zonaras ſchiſmaticus auctor ſcribit Photium ea de re a Baſilio exauctoratum, quod ipſum Imperatorem ob cædem Michaelis III. communione Eccleſiæ mulctaſſet. Zonatæ in mendacio anteiverant Leo Grammaticus, Simeon Logotheta, & Georgius Monachus; ſed omnes apertiſſimi mendacii evincunt epiſtolæ tum S. Ignatii ad S. Nicolaum, tum Baſilii ad eumdem Pontificem; tum Hadriani II. ad Baſilium inſertæ actis Synodi VIII, ex quibus conſtat id egiſſe Imperatorem in executionem ſententiæ a S. Nicolao latæ. *Divinitus evectus*, inquit S. Ignatius, *Imperator noſter, & fideliſſimus filius veſter, tuæ Sanctitatis ſententiam, & decretum executus, utrumque, & me, inquam, & Photium pro æquitate cauſæ tractavit.* Audiatur idem Imperator in act. 6. *Neque enim*, ait, *ut Sanctiſſimus Patriarcha ad proprium regrederetur Thronum imperii mei opus, vel excogitatio facta eſt, ſed multum ante Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Papa Nicolaus, quæ circa illum erant, certiſſime diſcens Synodice decrevit reddi ei jus proprii Throni, & anathema cum tota Sancta Romanorum Eccleſia pronunciavit contra reſiſtentes hujuſmodi decreto, atque ſententiæ. Hoc autem Nos olim ſcientes, & paventes judicium anathematis promulgari, obſecundari Synodico judicio Romanæ Eccleſiæ neceſſarium duximus, & hujus rei gratia reddidimus ei proprium Thronum.*

Ab Hadriano II. juſſus Concilium VIII. Conſtantinopoli Imperator indixit, ac libello Legatis tradito a Pontifice, cui omnes ante confeſſum ſubſcriberent, ultro calculum adjecit ſuum. Ad Hadrianum completo Concilio Legatis, & littteris miſſis ſupplex ipſe poſtulavit, ut quæ a Concilio definita non fuerant, auctoritate ſua abſolveret, atque in iis, quæ Concilium decreverat, ſcilicet promotos a Photio, vel qui in Photiana Pſeudo-Synodo adverſus S. Nicolaum ſententiam dixerant, non recipiendos, diſpenſaret. Ad Johannem VIII. litteris, & Legatis miſſis poſtea petiit, ut Ignatio fatis functo, Photio tum communionem ſuam, tum ſedem Conſtantinopolitanam ob unitatis bonum concederet:

quas

tium damnaverunt, nolueritis Fratri meo convenire, quoniam videlicet a Photio Diaconus fuit ordinatus, venite ſcribamus, & mittamus una Romam ad Pontificem, ut diſpenſet abſolutionem anathematis iis, qui a Photio fuerunt ordinati. Scripſit itaque ad Stephannm V; ſcripſit & Stylianus Neocæſareenſis Metropolita ſuo, Imperatoris, & omnium Sacerdotum nomine id obſecrans etiam his verbis: *Quoniam ſcimus, quod a veſtra Apoſtolica Sede corrigi, & juxta Canones corripi debemus, hac de cauſſa humilibus his noſtris litteris tuam oramus Venerabilitatem, ut miſericorditer nobiſcum agas.* Eorum ſententia ergo ſupra Concilii generalis Canones Romanus Pontifex poterat. Porro Stephanus veritus, ne ſibi obreperetur, quippe Imperatoris, & Styliani litteras non ſatis cohærere invicem obſervarat, reſcripſit diſpenſationem, quam rogabant, ab ſe ſuſpendi, donec miſſis Legatis certior magis, magiſque fuiſſet factus. Leonis, & Styliani novos legatos, novaſque litteras recepit Formoſus, qui Stephano ſucceſſerat, reſcribenſque duo lapſorum diſtinxit genera, Sæculares, quos dignos venia edixit, non etiam Sacerdotes, quos abſque honoris gradu manere voluit. Interea indulgentiam laicis largitus eſt ea lege, ut in Photium lata a Pontificibus ſententia loco ſuo ſtaret; atque ut lapſi oblatis libellis facti pœnitere ſummopere ſe profiterentur, iſtiuſmodi facinora ſe non amplius impoſterum perpetraturos pollicentes. Legere eſt haſce epiſtolas apud Harduinum tom. 6. Concil. par. 1. pag. 366, ac ſeqq., & 423. Poſtremo præclarum eſt illud, quod idem Leo in ſermone de S. Petro ab ſe adornato pronunciavit ad illa verba: *Tu me ſequere. Tu me ſequere*, inquit, *hoc eſt ſequere me baculo paſtorali, & ſicut Ego, quum eram vobiſcum, ſervabam vos, ut Pater veſter, & Caput, ac Magiſter vigilans pro vobis: ſic & Tu eſto meo loco, & & ſequere me Principatu, ac poteſtate iſta Fratres tuos confirmans. Te enim volo eſſe meo loco. Unde manet uſque in hodiernum diem Petrus ſequens Chriſtum in Succeſſore ſuo.*

Ab eo tempore, quo a Michaele Cerulario Photii ſchiſma e tumulo excitatum eſt, ſcilicet ab anno 1053, ex Oriente Imperatores non defuere, qui Romanorum Pontificum excolendam eſſe communionem, traditæ ab illis doctrinæ adhærendum, illorum

ſa-ris

nem enixe efflagitavit, quem in epistolæ epigraphe his nominibus cohonestat: *Patrem Patrum, Beatissimum Papam, Imperii dominum, & Apostolicæ Sedis summum Pontificem* appellans: in ipsa vero epistola his infimis verbis deprecatur: *Quatenus sicut Princeps omnium Sacerdotum, & universalis Doctor Ecclesiæ catholicæ urgeat unionem ejusdem Ecclesiæ, cui loco B. Petri Deus præcipue ipsum præfecit, promittens se omnes gentes, & Patriarchales Sedes sui Imperii ad devotionem, obedientiam, & amorem ejus subjecturum.* Id constat ex Wadingo ad annum 1263. Eam unionem, quam rursus a Clemente IV. expetivit, in Concilio Lugdunensi II. sub B. Gregorio X. perfectam fuisse, in qua idem Imperator, & una Ducas Angelus Comnenus per Legatos fidei formulæ a Pontifice præscriptæ subscripserunt, alibi jam enarratum est. Quin insuper idem Michael, unaque Andronicus ejus filius iterato cum ad Johannem XXI., tum ad Nicolaum III. formulam professionis fidei, ac juramenti obedientiæ eorumdem Pontificum Apocrisariis Constantinopoli ab se præstiti transmiserunt. Id constat ex Bzovio ad annum 1276., & Raynaldo ad annum 1277.

Andronicus Junior ad unionem, cujus vinculum abruperat ejus decessor Andronicus Senior, redintegrandam propensum gestare animum visus est, ut qui ejusmodi spem fecerat cum Johanni XXII., tum Benedicto XII., qui studiis omnibus, ut ea unio ex sententia cederet, adnitebantur. Quia vero is quoque affectus ita erat, ut a Latinis auxiliares copias contra Turcas obtineret, illis non impetratis, negotium intermissum est. Instauravit tamen Johannes Cantacuzenus tractatu instituto cum Clemente VI., & Innocentio VI., apud quos conditionem istam apposuit de Concilio celebrando: a cujus propositione non abhorruisse Pontifices, sed eam ob bellorum pericula ad exitum non perductam idem Imperator scribit lib. 4. cap. 9. historiæ suæ. Johannes Palæologus Innocentio VI. obedientiam juravit, operamque omnem impensurum Græcis ad fidem Romanæ Ecclesiæ revocandis spopondit. Ejusmodi juramenti formulam ex MSS. Arcis S. Angeli, & Vaticani descripsit Raynaldus ad an. 1355. n. 34, & seqq. Imo Romam ipsemet accedens Urbano V. obedientiam exhibiturus juxta for-

mulam ab ipſo Pontifice ſibi præſcriptam, ſchiſma, erroreſque ejuravit, & Eccleſiæ Romanæ fidem profeſſus eſt: eamdem vero exhibet ad an. 1366. n. 7, & 8. Raynaldus. Imperatoris exemplum imitati plerique Græcorum, e quibus Clara vidua Alexandri Valachiæ Principis, ejuſdem Claræ filia Bulgariæ Regina, & Latzcho Moldaviæ Dux eamdem profeſſionem emiſerunt. Adiſis Bzovium, & Spondanum ad annum 1369.

Manuel Palæologus propenſum ad Eccleſiæ Græcæ cum Romana conjunctionem, præſtandamque Romano Pontifici obedientiam animum præſetulit, ut liquet ex legationis Antoni Maſſani Ord. Min. actis apud Raynaldum ad an. 1422. Ea enim de re Oratores ad Martinum V. miſit, ſed infirmitate præpeditus idem negotium perficiendum Filio Johanni Palæologo integrum permiſit. Is igitur nihil moratus intentas ſibi ab Amurate Turcarum Tyranno minas de iterato Conſtantinopoli invadenda, niſi a conjunctionis cum Latinis ineundæ conſilio recederet, ad Eugenium IV. Florentiam properavit, atque in Concilio Florentino definitioni fidei, atque fœderis decreto ab Eugenio edito libens, volenſque ſubſcripſit, Græcoſque ſuos ad ſubſcribendum juſſione ſua, exemploque adduxit. Stetiſſet utinam Johannes in ſententia, & ſchiſmatis evertendi ſtudium non remiſiſſet! Neque enim ab auxilio contra Turcas commodando Eugenius receſſiſſet, ut ad Conſtantinum Palæologum litteris ſuis ſignificavit idem Pontifex. Sed & idem Conſtantinus litteris admonitus a Nicolao V. ſchiſmati extinguendo utinam opetam impendiſſet, fidemque in Concilio Florentino datam impleviſſet! Quis enim ſcit, ſi forte Orientis Imperium ſtetiſſet? Quod Latinis ſuppetias denegantibus, ac permittente vindice Deo, uti a Deo infra triennium ipſius excidium Nicolaus Papa fuerat interminatus, anno 1453. die 29. Maii non abſque Cæleſtibus ſignis concidit, & capite diminutus Conſtantinus imperandi Græcis in Oriente finem fecit; ea deinceps dignitate in Turcas transfuſa.

Ad Occidentis convertimur Imperatores. Obſervatum eſt, quod ſicut Imperium Occidentale ab Auguſto inchoatum in Auguſtulo deſierat: (Fuit autem Occidentale Imperium ab Auguſto inſtitutum juxta calculum Pagii anno 39. ante verum Chri-

ſti

ſti Natalem, atque 45. ante vulgarem Æram: ſubinde duravit annos 521., ideſt ad annum uſque 476.: quo Odoacer Rex Herulorum dictus eſt Rex Italiæ, & Auguſtulus depoſitus:) Ita Imperium Orientale a Conſtantino Magno inchoatum Romæ anno 306; Conſtantinopoli anno 324. a devicto Licinio; aut 328. ab Imperii Sede Conſtantinopoli defixa; poſtquam duraſſet annos 1146., aut 1129., aut 1125., ideſt uſque ad annum 1453, ſub altero Conſtantino eo anno interfecto finem accepit. At Occidentis Imperium redintegravit S. Leo III, ad illius apicem inaugurato anno 800. Carolo Magno ex gente Francorum, apud quam Imperii infulæ manſerunt ad annum uſque 924., quo in Berengario ex ſtirpe Caroli Magni poſtremo defecit, atque ad Germanos translatum eſt, cujus gentis primus dictus Imperator, (quamvis nonnullis dicendus videatur Conradus, & poſt ipſum Henricus I. Auceps nuncupatus, laudanduſque utique quam maxime ab egregio, enixoque ſtudio cum curandæ, ac procurandæ Religionis chriſtianæ, quo videlicet Vandalorum, Gothorumque ingentem copiam dum vicit, & devicit, rite credere per victores ſuos vel inilites docuit: Danis vero, & Northmannis in fide fatiſcentibus conſtantiam, & fortitudinem ſuaſit, & perſuaſit: tum amplificandæ Romanæ Eccleſiæ, cui profecto incrementum dedit quam maximum, ut propterea ab Eminentiſſimo juſti, æquique æſtimatore Baronio dictus ſit *Decus Religionis chriſtianæ*: qui equidem Germaniæ Reges fuere, prior ab anno 912. ad 919, poſterior ab anno 919. ad 924; at quia nec Modoetiæ Corona ferrea a Mediolanenſibus Archiepiſcopis, nec Romæ aurea a Romanis Pontificibus redimiti fuerunt, Imperatoribus adſcribi non debent), Otto magnus audit anno 962. a Johanne XII. Romæ inauguratus. De Imperatoribus ex gente Francorum impræſentiarum non dico, dicturus poſtea: dicere modo præſtat de iis, qui ex Germania imperarunt.

Atque quidem is primus, ac præſto eſto ipſe Otto Magnus, qui antequam inauguraretur, Johanni Papæ ad Romanæ Eccleſiæ defenſionem juramento ſe obſtrinxit; eidemque non modo ablata a Tyrannis reſtituit, & ampliſſimas Pippini, & Caroli Magni donationes ratas habuit, ſed & nova dominia adjecit. Ottonis

juramentum exhibet Gratianus dist. 63. can. 33; diploma vero aureis exaratum litteris ex Cod. Castri S. Angeli, & Bibl. Vatic. descriptum refert Baronius ad annum 962. De dominio temporali Romani Pontificis agemus part. 2. Vindiciar. Interea tibi sum auctor, ut de eo argumento consulas doctissimum Orsium in lib. de hac re adornato. Præterea Occidentis Imperatores priusquam aurea Corona a Romanis Pontificibus redimirentur, iisdem jugiter fidei professionem nuncupasse, ac religionis sacramento erga Romanam Ecclesiam se obstrinxisse eadem par. 2. Vindic. observabimus. Cujus quidem præclarum specimen præbuit Otto III, qui Gregorium V. Crescentii Nomentani Romæ tyrannidem exercentis opera expulsum, ejus in loco suffecto Johanne Episcopo Placentino, suæ restituit Sedi, Crescentium vero capite mulctavit; Johannes autem lingua, oculisque imminutus a militibus hujusmodi ausibus inhabilis redditus est. Adisis Baronium ad annum 998. De attentatis vero ab Ottone I. adversus Johannem XII. Spondanum legesis, qui offensionis lapidem omnem amovet.

S. Henricus II. statim ac accepisset Benedictum VIII. e Throno, & Urbe expulsum a Gregorio quodam, qui conflato schismate ipsius Cathedram invaserat, collecto exercitu Romam properavit, atque in fugam Gregorio conjecto, Benedictum suo restituit loco: a quo postquam Imperii insignibus fuisset indutus, non prius tamen, quam sacramenti religione Pontifici fidem despondisset, edito diplomate omnia dominia a decessoribus suis Romanæ Ecclesiæ collata confirmavit. Refertur a Baronio diploma ad an. 1014; schismatis vero illius solus meminit, ac 13. memorat Wernerus Rollevinch in Fasciculo temporum. Cum Benedicto IX. eodem pietatis officio functus est Conradus II, eum siquidem a Romanis Sede dejectum in eamdem restituit, ut adnotavit Pagius ad an. 1038. adversus nonnullos, qui id beneficii impensum non Benedicto, sed Johanni XIX. autumarunt. Sub uno eodemque tempore, quo Benedictus IX. Pontifex audiebat, Romæ eodem honoris titulo cohonestabantur Silvester III, & Gregorius VI, ad unum tres simoniaca labe aspersi, scilicet a Benedicto IX. ingenti pecuniæ pondo Gregorius Pontificatum emerat,

rat, Silveſter autem in eumdem Pontificatum immigraverat. Ad eam igitur abſtergendam ſordem, illudque ſchiſma ablegandum Henrico III. adjutore, haud auctore anno 1046. congregata eſt Synodus Sutrina, in qua Silveſter exauctoratus eſt: Gregorius poſtulata venia ſponte Pontificatu ceſſit: Benedictus vero IX. jam antea, ut indicavimus, Gregorio VI. ab eo accepta pecunia Pontificatum dimiſerat: ex quo factum eſt, ut legitimos inter Pontifices, tum Benedictus, tum Gregorius adnumerati ſint. Eo modo vacante Sede Imperator Romam progreſſus, Romanoque Clero, populoque congregatis una cum Epiſcopis Synodi Sutrinæ operam dedit, ut alter eligeretur Pontifex, electus eſt autem Clemens II, a quo ipſe Henricus Imperiali diademate eſt inſignitus. Iſta conſtant ex Victore III. lib. 3. dialog.; & Clemente II. in epiſt. ad Clerum, populumque Bambergenſem, cujus Eccleſiæ ipſe prius Epiſcopus fuerat, quam refert Gretzerus in lib. de Divis Bambergenſibus.

Henricus IV. homo alioquin poſt natos homines Romanis Pontificibus infenſus, infeſtuſque, de quo proinde copioſe aliquando erit agendum, nihilominus apud Alexandrum II. ab Ottone Bajoariæ Duce ſimoniæ, aliorumque ſcelerum accuſatus, teſte Mariano Scoto in Chron. ad annum 1075, atque ab Alexandro in jus vocatus, juſſuſque, ut Romam cauſſam dicturus, reſponſuruſque accuſationibus ad Sedem Apoſtolicam a Saxonibus delatis accederet, Pontifici præcipienti ſibi obſequendum fore agnovit. Poſtea de mandato S. Gregorii VII. denuntiato ſibi decreto contra inveſtituras lato, Pontifici, ut par erat, obſequentem ſe exhibuit, ſeque parere paratum, verbis ſaltem, ſi non animo, ſimulavit, teſte Paulo Benriedenſi in vita S. Gregorii VII. cap. 64. apud Mabillonium. Poſtremo ad Paſchalem II. miſſis litteris demerere ſibi illum ſtuduit, urque indulgentiorem erga ſe efficeret ſupplex ſategit. Legatis illius coram iniquitatem ſuam confeſſus ſatisfactionem ſpopondit: eiſdemque admonentibus Imperii depoſita inſignia Henrici Filii poteſtati ultro dimiſit: S. Hugonem Cluniacenſem Abbatem tandem, ut pacis apud Pontificem ſequeſter accederet, data epiſtola deprecatus eſt, pollicitus, ſi a Pontifice id impetraſſet, ut Imperio reſtitueretur, Hieroſo-

lymi-

lymitanum iter ab ſe adornandum. Iſta conſtant ex Urſpergenſi Abbate ad annum 1106, & epiſt. ejuſdem Henrici ad S.Hugonem tom.3. Spicilegii Dacheriani. Henricus V. poſtquam longas cum Paſchali II, tum Calliſto II. moleſtias creaſset; tum demum Apoſtolicæ Sedis auctoritate compreſsus inveſtituras dimiſit, cujus dimiſſionis, cum in Wormatienſi Conventu, tum in Concilio Lateranenſi I. recitatus tenor iſte eſt: *Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus pro amore Dei, & S. Romanæ Eccleſiæ, & D. Papæ Callixti, & pro remedio animæ meæ dimitto Deo, & SS. ejus Apoſtolis Petro, & Paulo, & S. Catholicæ Eccleſiæ omnem inveſtituram per annulum, & baculum.* Et in fine. *In quibus S. Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit, fideliter juvabo, & in quibus mihi querimoniam fecerit, debitam ſibi juſtitiam faciam.* Similia ſpoponderunt, qui poſt ipſum Imperatores ſunt inaugurati, quorum memoria alio in loco celebranda erit: ex quibus Lotharius II. non ante imperium inire voluit, quam ab Innocentio II. juſsus: totus nempe ad Romani Pontificis nutum pientiſſime intentus.

Fridericus I. dictus Ænobarbus, qui in Eccleſiam, ejuſque Pontifices Eugenium III, Anaſtaſium IV, Hadrianum IV, Alexandrum III, Lucium III, & Urbanum III. inſaniens tot, & tanta intulit incommoda, quum tamen aliquando veri, rectique ei adfulſiſset lumen, illud ſcilicet, quo cum fide chriſtiana fuerat imbutus, probeque agnoſcens in ſe concitatam ſupremi Numinis iram; ut teſtantur acta Alexandri III. apud Baronium ad an. 1176, & Pagium in Crit. Baronii ad eumdem annum, eidem Alexandro reverentiam, obedientiamque ejurato ſchiſmate ſpopondit, ad eamque, quoad uſque viveret, obſervandam ſacramento religionis ſe obſtrinxit. Eamdem quoque Romano Pontifici obedientiam ut exhiberet, per epiſtolam vehementer adhortatus eſt Manuelem Græcorum Imperatorem: *Sicut ille*, inquit Fridericus; *Rex Regum, a quo omnis poteſtas, Romanum Imperium Caput totius Orbis conſtituit; ita etiam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum unicam Matrem, Dominam, & Magiſtram ordinavit, quod utique duorum gladiorum numero figuravit, quos etiam ſufficere perhibuit auctor fidei noſtræ. Quapropter tuam Prudentiam com-*

commonemus, quatenus Nobis, & Romano Imperio honorem debitum impendas, & Summo Pontifici, quem nomine tenus Sanctum appellas, debitam obedientiam exhibeas, & honorem. De Ottone IV. dicemus alibi, quum de Innocentio III. De Friderico II. diximus, ubi de Concilio Lugdunenſi ſub Innocentio IV.

Rodulphus I. Habſpurgenſis Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ, cujus extitit Caput, in Imperii apice ſucceſſoribus inſigne erga Pontifices Romanos obedientiæ, reverentiæ, & obſervantiæ reliquit exemplum. Ad B. Gregorium X. quippe Lugduni Concilium agentem ſolemni decreta legatione eidem obedientiam, & fidelitatem ſub ſacramenti religione ſpopondit. Legationis hujus tabulas ex Archivo Caſtri S. Angeli, ſeu Molis Adrianæ deſcriptas exhibet Raynaldus ad an. 1274. n. 7, & ſeqq. Non moror autem Hippolythum a Lapide hominem Lutheranum in diſſert.: *De ratione ſtatus in Imperio Romano-Germanico* Rodulpho ex eo capite invidiam conflantem, quod Romano Pontifici munificum præter modum ſe exhibuerit, Italiæ Exarchatum ipſi confirmans, ſed magis ad Baronium hæreticorum hujuſmodi impoſturas paſſim expungentem; & ad Gretzerum *De munificentia Principum in Sedem Apoſtolicam* egregie differentem patiare te dimitti. De Ludovico Bavaro, & Wenceslao agemus par. 2. Vindic. De Sigiſmundo, & Friderico III. egimus, ubi de Conciliis Conſtantienſi, & Baſileenſi, ſicuti de Carolo V, ubi de Concilio Tridentino, in quo finem facimus, ab eo præ aliis præclare geſtis utique laudando, quod Capitulationis ſuo nomine Carolinæ dictæ cap. 1. coram Electoribus ſacramento, cujus perinde formam in Imperio ſucceſſoribus præbuit, ac præſcripſit, ſemet obſtrinxit, ſpopondit-que *Chriſtianum populum, Sedem Romanam, & Pontificiam dignitatem, atque Eccleſiam Romanam Univerſam tanquam Eccleſiæ Advocatum conſtantiſſime defenſurum.* Jam ad Regum teſtimonia, ac geſta convertatur oratio.

Ex

Ex Regibus, Viriſque aliis Principibus Occidentis.

§. II.

AUſpicabor autem ab iis, qui in Italia quidem publicarum rerum ſumma potiti ſunt, ſed quæ ad Religionem pertinerent, nihilo magis fecerunt, quorum proinde minus ſuſpectum haberi teſtimonium poſſit. In his Theodoricus Gothorum Rex, qui Odoacro Rege Herulorum, ac primo Italiæ occiſo, Regno Oſtrogothorum in Italia initium anno 493. dedit, Princeps Arianorum partibus addictiſſimus, nihilominus, quum adverſus S. Symmachum legitime in Romanum Pontificem electum, Laurentium Presbyterum ſuperbe inſurrexiſſe, eique Sedem ſuam invidere intellexiſſet, hunc quidem, ejuſque partiarios in ordinem redegit, illi vero ſuum manere integrum locum juſſit. Ita refert Auctor libri Pontificalis ſub nomine Damaſi. Poſt annos 4, anno ſcilicet 503. denuo cum ſchiſmate excitatas turbas a Laurentio in Symmachi locum irrepere tentante, atque illum e gradu deturbandi gratia plurium criminum perſonam Symmacho viro ſanctiſſimo imponente, de hujus conſenſu indicta a Theodorico eſt Synodus a loco dicta *Palmaris*, cui hac de cauſa integrum detulit judicium: *In Synodali*, inquiens, *eſſe arbitrio in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reverentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertinere*. Uti referunt acta Synodica. *Non noſtrum*, inquit in præcept. ad Synod. apud Harduinum tom. 2, pag. 974, *judicavimus de Eccleſiaſticis aliquid cenſere negotiis; ideo Vos de diverſis Provinciis fecimus evocare, ut ſub divini timore judicii, totius certaminis Vobis diſponentibus cauſſa tranſiret... Nec a Nobis veſtri expectetur forma judicii; ſed Vos qualiter vultis, ordinate. Sive diſcuſſa, ſive indiſcuſſa cauſſa, proferte ſententiam*. Cæterum Synodo cauſſam S. Symmachi nec in judicio experiri licuiſſet, niſi ſe illius judicio ſponte ſubmiſiſſet Pontifex, ut contra Launojum alio loco probabimus. Quod quidem optime perſpectum habens Pontificis cauſſam divino judicio ſervandam decrevit. Legendus Ennodii Ticinenſis liber apologeticus

cus pro Symmachi defenſione adornatus. Scio a Theodorico poſtea S. Johannem I. inhumaniter habitum, ſibique Romanum Pontificem eligendi jus adſcripſiſse: ſed in exemplum ſane trahenda eſse nolim, quæ per ſummum nefas perpetravit Arianus homo, ſed quæ æqui bonique facienda conſuluit.

Athalaricus etſi eadem Ariana pece conſpurcatus in Romani tamen Cleri gratiam lege lata ſanxit, ne Clerici ad ſæcularia tribunalia traherentur, ſed Romano Pontifice coram ſuam diſceptarent cauſsam, cujus ſententiæ obſequi omnino deberent: qua occaſione præclara de eodem Pontifice edixit: *Si quiſpiam*, inquit, *ad Romanum Clerum aliquem pertinentem in qualibet cauſsa probabili crediderit actione pulſandum, ad judicium Beatiſſimi Papæ potius conveniat audiendus, ut aut ipſe inter utroſque more ſuæ Sanctitatis agnoſcat, aut cauſsam deleget æquitatis ſtudio terminandam. Et ſi forte, quod credi nefas eſt, competens deſiderium fuerit petitoris eluſum, tunc ad ſæcularia fora jurgaturus accurrat, quando ſuas petitiones probaverit a ſupradictæ Sedis Præſule fuiſse contemptas. Quod ſi quis extiterit tam improbus litigator, atque omnium fuerit judicio ſacrilega mente damnatus, qui reverentiam tantæ Sedi exhibere contemnat, & aliquid de noſtris affatibus crediderit promerendum, ante alicujus conventionis effectum decem librarum auri diſpendio feriatur, quæ pauperibus erogentur, carenſque impetratis negotii quoque ſui amiſſione mulctetur. Dignus enim eſt duplici pœna percelli, qui & divinam reverentiam,* (erga Pontificem) *& noſtra juſſa temerarit.* Extat apud Caſſiodorum lib. 7. variar. epiſt. 24. Ex cujus etiam epiſt. 20. lib. 12. liquet a Theodato Rege juſſum, ejuſdem Caſſiodori opera, qui Præfecti Prætorio apud ipſum officio fungebatur, ut vaſa ſacra, quæ S. Agapetus ad expenſas in profectione Conſtantinopolitana ei a Rege imperata faciendas oppignorare coactus fuerat, Eccleſiæ S. Petri redderentur, a qua ſublata fuerant. Scilicet viro, etſi Ariano, tanta erga Apoſtolorum Principem animo inſedebat reverentia. In Teja anno 552, poſtquam annos non ultra 60. prorogatum fuiſſet, Oſtrogothorum in Italia Regnum defecit. Inchoatum paullo poſt anno 568. ab Alboino Regnum Longobardorum, quod in Deſiderio anno 774. deſiit, poſtquam ad an-

nos 206. duraſſet, ſcilicet a Carolo Magno Francorum Rege deſtructum.

Ex Regibus Longobardis principio id obiter attingam, quod profecto devoti erga Pontifices animi non parvum indicium poſſit haberi, videlicet ab Ariberto II. hujus nominis alpes Cottias a Romanæ Eccleſiæ juribus a Longobardis diſtractas S. Petro, & Iohanni VII. reſtitutas fuiſſe, eoque de re confectas tabulas aureis litteris exaratas Romam ad Pontificem miſſas, ut refert Paulus Diaconus lib. 6. de geſtis Longobard. cap. 28. Eamdem reſtitutionem Romanæ Eccleſiæ confirmavit poſtea Luitprandus, ob id præcipue laudandus, quod inter leges ab ſe latas illud tit. 23. §. 5. ſanxerit tenendum Romanum Pontificem ſuprema in Orbe Chriſtiano potiri poteſtate: *Papa Urbis Romæ*, inquiens, *in omni Mundo Caput eſt Eccleſiarum Dei, & Sacerdotum*. Quanto vero in honore abſe haberetur Pontifex patefecit, dum ſe ad pedes S. Gregorii II. abjecit, ejuſque cohortatione commotus non ſolum a quoppiam lædendo abſtinuit, ſed imo, quibus erat indutus, omnia ſive arma, ſive inſignia, ſacras ante exuvias S. Petri depoſuit, ut auctor eſt Anaſtaſius in S. Gregorio II. Rachis poſtquam aliquando juris, paciſque violato fœdere S. Zachariæ Papæ moleſtus fuiſſet, tandem ejuſdem Pontificis cohortationibus devictus, non modo a ſæviendo deſtitit, ſed priſtinæ vitæ pertæſus abdicato Regno Monachum ſub S. Benedicti regula induit. Id conſtat ex Anaſtaſio in Zacharia, & Leone Oſtienſi in Chron. cap. 8. Aiſtulphum iniquiſſime agentem erga Romanam Eccleſiam, cujus patrimonia longe lateque populabatur, ad Stephani II. preces compreſſum a Pippino Francorum Rege dicam, Deo auſpice; alibi, quum de Romanæ Eccleſiæ dominio erit dicendum; quo loci Deſiderium poſtremum Longobardorum Regem peſſime quoque erga Stephanum III, S. Paulum I, Stephanum IV, & Hadrianum I. ſe gerentem, bonaque Eccleſiæ Romanæ contra pacta nedum reſtituere detrectantem, ſed diripientem imo, in ordinem redactum primo a Pippino, dein a Carolo Magno, a quo poſtremo Longobardorum in Italia regnum eſt deletum, copioſe dicetur. Videlicet res proprias iis ceſſiſſe aut peſſime, aut proſpere, qui Romanæ Eccleſiæ res aut peſſum dedif-

diſſent, aut procuraſſent. De Regibus Siciliæ hæc paucis accipe.

Siciliæ Reges a Romanis Pontificibus Regni inſignibus adornatos, ab iisque unis regnandi jure donatos res eſt extra omnem dubitationis aleam conſtituta. Id enim conſtat exemplis multis, ac maxime Rogerii, quem Innocentius II. Regem dixit: Edmundi genere Angli, quem Innocentius IV. Regem dicere voluit: Caroli Andegavenſis, quem Urbanus IV, & Clemens IV. Regem eſſe dixerunt: Caroli II. dicti Claudi, quem Nicolaus IV: Friderici Aragonii, quem Bonifacius VIII., & Benedictus XI: Roberti, quem Clemens V. Reges crearunt Siciliæ: Friderici II, quem Gregorius XI. Trinacriæ Regem nuncupari juſſit: Ladislai Dyrrachinii, quem Bonifacius IX. Regem Neapolis inauguravit, aliorumque, de quibus alibi opportunius, & copioſius. Non ita certo conſtat tamen de privilegio, quod Siculi *Monarchiam* nuncupant; quo nempe apud Gaufredum Maleterram Monachum Siculum, rerumque a Rogerio geſtarum deſcriptorem lib. 4. cap. ult., circumfertur ab Urbano II. Pontifice M. anno 1098 Rogerio indultum, tum ut nullus Legatus a latere in Siciliam, præter ipſius voluntatem, Roma mitti poſſet; tum ut ipſe poſſet cohibere, quæ Legatus miſſus præter ejuſdem voluntatem tentare voluiſſet; tum ut Epiſcopos, & Abbates Romam accerſitos mitteret ipſe, quos vellet. Præterquam enim privilegium iſtud, ſive Urbani II. hancce Bullam pſeudo-epigraphis adnumerant plerique, eamdemque qua reſcidit, qua ad uſus ſub Regibus Auſtriacis reduxit Clemens XI, ſpectare tandem eos tantummodo a viris doctis obſervatum eſt, idque ex Bullæ textu deductum, qui Rogerio jure dumtaxat hæreditario, non etiam jure belli, aut cujuſque alterius conventionis ſucceſſiſſent. Ut ut ſit de privilegio iſto, certo certius eſt tamen præfatos Reges hujus genus beneficia ab Apoſtolica Sede obedientia, devotione, obſequio in ſe derivaſſe.

Ex Sabaudiæ Ducibus, nunc Sardiniæ Regibus, de quibus mihi ſilendum nullo erat modo, uti quibus ortu, & inſtituto quam maxime obſtringor, ut verbo dicam, quo non religionis ſtudio Apoſtolicam Sedem proſecuti ſunt, atque operibus, opibuſque eam demeruerunt, atque quidem inter alios Oddo, ejuſ-

que conjux Adelais, quam S. Petri filiam nuncupatam voluit S. Gregorius VII.: Amedeus II. Adelaidis filius, qui ob egregiam ipsis impensam operam, Alexandro II., & S. Gregorio VII. acceptissimus fuit, quem postremum inter, & Henricum IV. conciliationis, & pacis sequestrem se fecit: Humbertus III, qui partes Alexandri III. adversus Fridericum I. dictum Ænobarbum pro virili parte defendit: Philippus, qui Innocentio IV., a quo Lugdunensis Archiepiscopus fuerat designatus, sed Petro ipsius fratre defuncto in Principatus jura successit, magno adversus Comites Urbini, & Camerini, ac Malatestam Domicellum Ariminensem Friderici II. Imperatoris partibus addictos fuit auxilio; adeo ut patrimonii S. Petri administrator, & Ecclesiæ Vexillarius ab eo Pontifice fuerit constitutus, atque a Paulo Pandulpho in panegyri Innocentii IV. dictus *Papæ Amantissimus*, & de Ecclesia optime meritus: Thomas II, qui ejusdem Innocentii IV. partes adversus Fridericum II. pro viribus tuitus est, ut proinde Pontifex in eumdem jura transtulerit, quæ Archiepiscopus Tarentinensis in castra Ripularum, Avillianæ, & Segusii obtinebat, eumdemque Ecclesiæ Vexillarium, & Patrimonii S. Petri custodem crearit: Aimo, cui de Ecclesia Romana optime merito Benedictus XII. anno 1339. id prærogativæ concessit, ut in Romani Pontificis coronatione Pontificii equi fræna Sabaudiæ Comites, modo nullus adesset Rex, perpetuo tenerent: Ludovicus, a quo nihil non actum, ut magnum Ecclesiæ schisma sub Johanne XXIII, Gregorio XII, & Benedicto XIII. compesceretur, cujusque cura effectum est tandem, ut Martinus V. in Concilio Constantiensi inauguraretur: Amedeus VI. dictus Comes Viridis, qui rem Christianam in Bulgaria egregie curavit; atque Johannem Palæologum Græcorum Imperatorem, unaque Patriarcham Romam perductos ad fidei professionem coram Pontifice emittendam adduxit; scilicet nihil operæ prætermittendo, quo Græcæ Ecclesiæ cum Romana unionem redintegraret: Amedeus VIII, qui Nicolai V, & B. Amedeus IX, qui Pii II. gratiam officiis suis optime sunt secuti: Emanuel Philibertus a Paulo III. litteris anno 1535. die 4. Februarii datis impense laudatus propterea, quod oblata ab hæreticis Helvetis, modo ad ipsorum partes voluisset pertransire?

con-

conſtantiſſimo animo repulit, ne Apoſtolicæ Sedis fidei deficeret: Sabaudiæ vero Domum Auguſtam *Toto Orbe celebrem ex pientiſſimis, & catholicis geſtis præteritis tantam ſibi gloriam, & veræ pietatis decus*, aſſerente eodem Pontifice, acquiſiviſſe. Mitto cæteros ne ſim longior, de quibus legendus inter alios Thomas le Blanc in epitome hiſt. Regiæ Domus Sabaudiæ to. 3. comprehenſæ, quorum propterea beneficentiæ, gratoque ſtudio gratiis, ac beneficiis vicem rependere Romani Pontifices curarunt, atque præ ceteris, Nicolaus V., Sixtus IV., Innocentius VIII., Julius II., Leo X., Clemens VII., Clemens VIII., Benedictus XIII., & Benedictus XIV. privilegiis cumularunt; illo præſertim, ac præclariſſimo nominandi quotquot, qui Eccleſiis Cathedralibus, atque Abbatialibus ſuis in ditionibus præficiendi forent. Legendus citatus Thomas le Blanc in Carolo Emanuele I. Jam ad Reges Hiſpaniæ, & Portugalliæ excurrat oratio, complexura non quidem quæ ſuppeterent omnia, (quod neſcio an fieri quiret,) ſed illuſtriora nonnulla ſuæ erga Apoſtolicam Sedem devotionis ſpecimina ab illis reddita, quæ ultro citroque ſe offerent.

Reccaredus inter Reges Hiſpaniæ primus, qui S. Leandri opera a S. Gregorio Magno adhibita Ariana hæreſi ejurata catholicæ religioni nomen dedit, exemploque ſuo, & edicto ingentem Gothorum multitudinem ad Eccleſiæ gremium pertraxit, S. Gregorio litteris, legatiſque miſſis obſequium omne exhibuit, adjectis ex auro muneribus ad S. Petrum, & veſtibus multis ad uſum pauperum Eccleſiæ Principis Apoſtolorum, quem dato reſcripto in ſuſcepta Religione confirmare optimus Pontifex ſategit. De Thedomiro, qui ex Principibus Suevis primus chriſtianis ſacris eſt initiatus, quatenus erga Pontifices animo fuerit obſequentiſſimo imbutus, adiſis Ambroſium Moraleſium Chron. lib. 2. cap. 62. Unus Vitiza Rex, qui Johanni VI. obedire, & cenſum a Majoribus decretum ſolvere detrectavit, ſubditis inviſus evaſit. Alphonſus I. Portugalliæ Dux, poſtquam Mauros ingenti clade affeciſſet, ab Innocentio II. regiam dignitatem ſibi conferri, adjecto promiſſo duas auri marcas annuatim Eccleſiæ Romanæ loco cenſus perſolvendi, poſtulavit. Lucio II. de in Romano Pontifici Regnum ſuum veſtigale reddidit ea ratione motus, ut ſub Apoſto-

licæ

licæ Sedis clientela degeret, nulliuſque dominio ſubjaceret deinceps, niſi ejuſdem Apoſtolicæ Sedis. Id conſtat ex epiſt. Alphonſi, & Lucii editis a Baluzio tom. 2. Miſcellan. Ab Alexandro III. denique Portugalliæ Regibus eadem regia dignitas vel confirmata, vel ut alii malunt, collata eſt. Sanctius I. Luſitaniæ Rex cenſum Romanæ Eccleſiæ ab Alphonſo conſtitutum ſolvere detrectavit: at ad illum perſolvendum Innocentius III. epiſt., quæ eſt 99. lib. 1., compulit. Ob alia crimina ab eodem Pontifice objurgatus humillime ſatisfecit, ut adparet ex ipſius epiſt. 58., & 59. Neque abſimili ratione egit idem Pontifex cum Alphonſo II. ejus filio, qui nec a Patre degener Pontifici morem geſſit, violataque Eccleſiæ jura redintegravit, uti conſtat ex Innocentii epiſt. 52.

Veremundus, qui regnandi, vivendique finem fecit anno 999. referentibus Roderico Toletano lib. 5. de rebus Hiſpan. cap. 18., & Johanne Mariana lib. 8. de rebus Hiſpaniæ cap. 9., ſanctiſſimo edicto ſanxit, ut tum ſecundum priſcas Gothorum leges, tum præſertim ſecundum Pontificum Romanorum reſponſa jus redderetur. Ferdinandus cognomento Magnus Victori II. præcipienti, ut ab Imperatoris titulo, quem uſurparat, abſtineret, parere officii loco duxit: obid magis laudandus, quam ob inanem nominis umbram. Alphonſus VI. S. Gregorio VII. ut morem gereret id ſuadenti, ritum Gothicum a ſacris exulare juſſit, Romano ſubrogato, & in Eccleſias Hiſpaniæ invecto. Sanctius I. Aragoniæ Rex Cœnobium S. Johannis de Penna iiſdem met privilegiis, quibus gauderet Cluniacenſe in Gallia, donatum voluit edito diplomate apud Hieronymum Blanca in comment. rer. Aragon., cujus quidem conceſſionis eam cauſsam ait: *Ut ſicut Cluniacenſes ſunt liberi ab omni jugo humanæ ſervitutis, ita & iſti ſint tantummodo ſervantes debitam reverentiam Apoſtolicæ Sedi*. Petrus II. Aragoniæ Rex Romam profectus poſtquam Innocentio III. obedientia, fidelitateque ſeſe obſtrinxiſſet, juris jurandi adjecta obligatione; eique, ac ſucceſſoribus Regnum ſuum vectigale ſub certo tributo annuatim perſolvendo feciſſet, ab eo Rex inauguratus eſt; atque Tarraconenſibus Epiſcopis, ut Romani Pontificis vice fungentes Aragoniæ Regibus coronam imponerent, facta facultas. Juramen-

menti formula a Petro edita legitur in actis Innocentii III. Jacobus I. Aragoniæ itidem Rex veniam ſceleris in Gerundenſem Epiſcopum patrati, cui linguam abſcindi imperaverat, infimis precibus ab Innocentio IV. poſtulavit, a quo ad pœnitentiam agendam provocatus, ab ejuſdem Legato in genua provolutus, graviſſimis verbis caſtigari ſe paſsus eſt, ſatisfactionemque impoſitam religioſe, ut par erat, adimplevit. Id liquet ex Innocentii IV. litteris apud Raynaldum ad annum 1246. n. 44, & ſeqq., & Johanne Mariana lib. 13. cap. 6.

Alphonſus III. Luſitaniæ Rex, quum aliquando Eccleſiaſticæ immunitati vulnus intuliſſet, eaque de re a Regni Epiſcopis ſacrorum juſtitium toto Regno indictum fuiſſet, ipſeque Rex a ſummis Pontificibus Clemente IV, B. Gregorio X, & Johanne XXI, graviſſimis verbis increpatus, ad rectam frugem, antequam fatis cederet, regreſſus ſe Apoſtolicæ Sedis mandatis religioſe, ut par erat, parere profeſsus eſt: quæ Eccleſiarum occupaverat bona, e veſtigio reſtitui juſſit, atque ad Eccleſiæ inlatas reſarciendas injurias Dionyſium filium, ac ſucceſsorem religione ſacramenti obſtrinxit. Ita refert Brandanus lib. 15. Monarchiæ Luſitanæ cap. 47. Sed & idem Dionyſius ob ſimile violati juris Eccleſiaſtici crimen a Nicolao IV. anathemate devinctus, ut ab eo ſolveretur, ſatisfactionis leges ſubiit, quas ipſi Pontifex præſcripſit. Adeundus Raynaldus ad an. 1289. n. 16, & ſeqq. De actis a Martino IV. cum Alphonſo X, Sanctio, Petro III. Caſtellæ Regibus, & Alphonſo II. Rege Aragonum dicturus ſum alibi. Jacobus II. Aragoniæ Rex Sardiniæ, & Corſicæ Regnis a Bonifacio VIII. adauctus, ut liquet ex diplomate Pontificio anno 1297. dato, Apoſtolicæ Sedi, cui præerat Benedictus XI, ſacramento fidei per Oratores ſeſe devinxit, clientelarique ſponſione magis, magiſque ſe dedidit. Conſtat id ex diplomate Clementis V. apud Raynaldum ad annum 1304. n. 16. Alphonſus IV. Aragonum item Rex ſollicitum admodum ſe præbuit, teſte Zurita in Indicibus pag. 172, ne Fridericus patruus Siciliæ Rex cum Ludovico Bavaro Eccleſiæ Romanæ inimico fœdera jungeret, utque a pacto inito modo omni abduceretur. Sollicitior ſcilicet, quam de Imperatoris, Patruique impendiis, de Pontificis obſequio, & obedientia.

Johan-

Johannes Caſtellæ, ſicut ubi de Conſtantienſi Concilio obſervatum eſt, ex Petri de Luna, cui ſub Benedicti XIII. nomine diu multumque audiens fuerat, pertinacia facile intelligens ſchiſmaticum, illegitimumque illum eſſe, obedientia abdicata, eam integram Martino V. legitimis electo ſuffragiis transdidit. Johannis veſtigiis hærens Ferdinandus Aragoniæ Rex, poſtquam eumdem pſeudo-Pontificem obteſtatus fuiſſet fruſtra, ut ceſſione ſua pacem Eccleſiæ concederet, edicto anno 1416. edito ejus obedientiam demum ejuravit, quam poſtea Martino V. profeſſus eſt. Eleganter ejuſdem geſta tribus libris deſcripſit Laurentius Valla hujus ævi diſertus ſcriptor. Alphonſus in Aragoniæ Regno ſucceſſor equidem principio cum Pontificibus Martino V., & Eugenio IV. ob Siciliæ Regni prætenſa jura, quæ ipſi Pontifices abjudicabant, ſimultates ad ſchiſma uſque geſſit, poſtea tamen grande nefas eſſe ab Apoſtolicæ Sedis obedientia aberrare facile intelligens, Eugenio IV. ſubmiſit ſe ſe. Ejus præclara facinora libris quatuor comprehendit Antonius Panormitanus. In Henricum IV. Caſtellæ Regem rebelles ſubditi, qui eo nefarie exauctorato Alphonſum fratrem ſubrogarant, tanto facinori patrocinium non potius, quam a Pii II. Pontificis Maximi conſilio, & conſenſu ſibi quærendum putarunt. Quod quam falſo, ac per nefariam calumniam effictum a maleferiatis fuerit per Legatos declarandum duxit Paulus II. Pii II ſucceſſor: id autem a Paulo II, ut declararet per Oratores enixe poſtulavit Henricus. Ergo Pontifex exerto gladio rebelles ad Regis obſequium, vellent, nollent redire compulit. De hoc argumento copioſius alibi. Legeſis Jacobum Cardinalem Papienſem ep. 122., & Marianam lib. 23. cap. 9., & ſeqq. Ferdinandus Catholicus ob Mauros ann. 1492. ejectos ita denominatus, ſub quo Aragonia, & Caſtella in unam Monarchiam coaluerunt, novi Orbis recens a Chriſtophoro Columbo detecti tum tandem in ſe legitime dominium tranſcribi poſſe putavit, quum primum Summus Pontifex jus hujuſmodi ſibi permiſiſſet: quare ab Alexandro VI. ejuſmodi, ideſt Americæ donationem, impetrandam duxit; impetrataque fas illi fuit Imperium in eum Orbem dilatandi, quod fuſe alio loco proſequemur. Ut vero in iis Regionibus Catholicæ fidei conſervandæ, ac propagandæ cauſsa Epiſcopales Cathedræ eri-

erigerentur, a Paulo III. Pontifice Maximo poſtea facile impetravit Carolus V.

Emanuel, ac ſubinde Johannes III. Luſitaniæ Reges optime de re chriſtiana promeriti, poſtquam Vaſci Gammæ, Petri Alvari, Americi Veſpucii, Alphonſi Albuquercii, & Franciſci Almeidæ egregia opera Malabariam, Braſiliam, Malacam, Molucas, aliaſque Inſulas cum in Occidentis, tum in Orientis Indiis: In Africa autem Æthiopiam, Guineam: In Aſia Goam, Cambajam, aliaſque Regiones aut detexiſſent, aut ſubjugaſſent, nihil antiquius habuerunt, quam ut Eccleſiæ Romanæ fidem, religionem, mores, rituſque eas in regiones inferrent. Teſtantur id Emanuelis litteræ ad Leonem X, & Johannis III. ad Clementem VII, quæ extant tom. 2. Hiſpaniæ illuſtratæ, quibus de chriſtiana Religione in eas regiones ab ſe invecta certiores Pontifices faciunt; unamittunt Davidis Æthiopum Imperatoris, & Zagazabo eorumdem Æthiopum Epiſcopi litteras, quibus Romanæ Eccleſiæ fidem profitebantur, Romanoque Pontifici obedientiam pollicebantur, quas paullo poſt referemus; tandemque petunt viros Apoſtolicos prædicatum Evangelium in utramque Indiam ab Apoſtolica Sede dirigi, qui eamdem in chriſtiana religione erudirent: quorum petitionibus ſatisfactum a Pontificibus Summis eſt, miſso præ aliis celebratiſſimo illo Indiarum poſtea dicto Apoſtolo, quod longe, lateque per Indias Chriſti fidem dilataſset, S. Franciſco Xaverio. Johannes V. e Domo Bragantiæ nuper a Benedicto XIV. Pontifice Maximo plurimorum officiorum gratia, quibus ipſius Auguſta ſtirps Apoſtolicam Sedem proſecuta eſt, ipſeque proſequi non deſinit, Regis *Fideliſſimi* præclarum titulum promeruit. Hæc de Hiſpaniarum, videlicet Caſtellæ, Aragoniæ, & Luſitaniæ Regibus leviter delibaſſe, atque primoribus, ut ajunt, labiis ſalutaſſe ſatis ſuperque arbitror, quum res omnibus perſpectiſſima ſit, omni ſtudio a Regibus Catholicis res Religionis curatas ſemper fuiſſe, omnique officiorum genere Apoſtolicam Sedem obſtringere ſibi nunquam non navatum.

Ad hæc doctiſſimus Cardinalis de Aguirre tom. 1. collect. Concil. Hiſpan. diſſert. 15. excurſu 3, appoſite obſervavit Hiſpaniæ Reges tanta olim, nedum ut decebat, in Romanos Pontifices,

ſed & in Epiſcopos obſervantia, devotione, ac religione affectos fuiſse, ut ſub initium Conciliorum, quibus intereſse conſueverant, initio ramen eorumdem tantum, humi proſtrati enixe ſe Epiſcoporum precibus commendarent, nec ante in pedes exſurgerent, donec pro ipſis plures orationes fuiſsent effuſæ. Advertit etiam Regum chriſtianorum primos Hiſpaniæ Reges, horum vero primum Reccaredum, quem anno 589. ejurata Ariana hæreſi catholicæ Eccleſiæ adſcribi voluiſse diximus, in coronatione ſua ab Epiſcopis ſolemnem, regiam, ſacramque unctionem accepiſse. Ferunt equidem Clodoveum Francorum Regem primum, qui Chriſto nomen dedit, chriſmate e Cælo demiſso conſecratum fuiſse: ſed ea unctio non Regia fuit, & ad Coronationem ſpectans, ſed Sacramentalis, & pertinens ad Baptiſmum. Id liquet ex epiſt. S. Hormiſdæ ad S. Remigium Remenſem Epiſcopum, quam tamen genuinam eſse non convenit inter Eruditos, ut obſervat Pagius in crit. Baronii ad annum 514, & Sirmondus eam ceu ſpuriam a ſua collect. Concil. Galliæ rejecit. Liquet etiam ex S. Gregorio Turonenſi lib. 2. hiſt. Francor. cap. 31, ubi agens de Clodovei baptiſmo inquit: *Delibutuſque ſacro chriſmate cum ſignaculo Crucis Chriſti*. Quamobrem P. Gabriel Daniel Soc. J. tom. 1. hiſt. Gall. conſtantiſſime affirmat Francorum Regum primum fuiſse Pippinum, qui ſacra, ac ſolemni unctione Rex inauguratus fuerit, eam bis accipiendo, primo quidem anno 752. a S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, atque Sedis Apoſtolicæ Legato; poſtea vero anno 754. a Stephano III. Papa in Gallias profecto, ſicuti referunt Annaliſtæ Bertinianus, Loiſelianus, Metenſis, Tilianus, Eginhardus, Regino, & alii. Nunc ad Angliæ, Daniæ, & Scotiæ Reges inferendus gradus.

Ad S. Eleutherum, qui Pontificatus faſtigium anno 170. aſcendit, Lucium Britanniæ Regem epiſtolam dediſse, rogatum precibus infimis, ut divini verbi præcones, qui populum ſuum de rebus Romanæ Eccleſiæ erudirent, Sacerdotes item, qui ſacramentis, moribus, ritibuſque populum eumdem procurarent, mitteret, miſsos vero a Pontifice Fugatium, & Damianum, aliis Donatianum, ſeu Duvianum, qui Regem, ſubditoſque magnum numerum Religione Eccleſiæ Romanæ imbutos ſacris myſteriis initiarunt, teſtantur

Au-

Auctor libri Pontificalis, & V. Beda lib. 1. hiſt. Angl. cap. 4. Fertur item fuiſſe tunc temporis in Britannia Flamines 28, & Archiflamines 3, inque eorum locum poſtea totidem Epiſcopos, & Archiepiſcopos ſuffectos. Quod poſterius ſi fabellarum loco reponendum pugnes, per me licet, non repugno, reponas. V. Bedæ teſtimonium confirmat Uſſerius antiq. Britannicar. Eccleſiar. cap. 3. duobus nummiſmatibus antiquiſſimis, argenteo uno apud Joſephum Hollandum, aureo altero penes Robertum Cottonum, in quibus ſignata Crux, & Regis Lucii nomen ſubſcriptum legebatur. Uſſerio vero conſentiunt Tillemontius tom. 3. monum. hiſt. Eccleſ.; Bollandiani in catalog. veter. Pontif. præfixo tom. 1. Aprilis; Baronius ad annum 183; Pagius in Eleutherio; Rapinus de Thoyras lib. 1. hiſt. Angl.; Michael Alfordus Soc. Jeſ. in Annal. Eccleſ. Britan. ad annum 182; Blanchinius in adnot. ad Anaſtaſium in Eleutherio; aliique ex Anglis Proteſtantibus: contra quos pugnant Fridericus Spanhemius filius lib. 3. Miſcellan., in diſquiſitione de converſionibus Lucii Britonum Regis, Juliæ Mameæ Auguſtæ, & Philippi Imper. Patris, & Filii; & Samuel Baſnagius in Annal. polit., & Eccleſ. ad annum 181, quorum opinio poſt habenda mihi quidem videtur, nullo ſatis fixo argumento ſuffulta. Quandoquidem Origenes hom. 4. in Ezechiel.; Tertullianus in lib. adverſus Judæos; & S. Athanaſius in epiſt. ad Jovinianum Imper. apud Nicephorum lib. 9. hiſt. Eccleſ. cap. 42, jam tum in Britannia Chriſti nomen auditum, atque excultam rem chriſtianam teſtantur.

Ab exordio iterum reparatæ chriſtianæ religionis a S. Auguſtino in Angliam directo a S. Gregorio M. cœpit Angliæ Regum eximia erga Apoſtolicam Sedem devotio, quam ut demererent, omni genere officiorum ſategerunt. Ergo Ethelbertus Canthii Rex recens a S. Auguſtino ad chriſtianam Religionem adductus S. Gregorium Magnum maxima obſervantia ei exhibita ſibi obſtrinxit, ut liquet ex V. Beda lib. 1. cap. 32. referente litteras S. Gregorii, quibus Ethelberti Religionem commendavit. Enituit præcipue erga Apoſtolorum Principes ejus devotio eorumdem in honorem excitato templo. Quid autem quod Honorio I. Cynigilſus Saxonum Occidentalium Rex S. Birino Epiſcopo du-

ce; atque S. Martino I. Penda Mittelengorum, ſive Anglorum ad mare Mediterraneum Alcfleda conjuge ſuadente devotionis ſacramento ſe ſe devinxerunt? Ethelbaldus, qui Merciis imperabat, ad S. Zachariæ Papæ ſalutaria monita ſtatim Concilium Cloveshoviæ ad morum reformationem, accepta regula a moribus Romanæ Eccleſiæ, celebrandum curavit; teſtatur id Uvillelmus Malmesburienſis lib. 1. de geſtis Regum Anglorum. Offa alter Merciorum Rex Romam profectus veniam peccatorum ad ſepulchrum S. Petri exoraturus Hadriano I. Pontifici Maximo anno 775, ejuſque ſucceſſoribus Regnum ſuum vectigale fecit, ſingulis Regni familiis domeſticatim impoſito tributo ſinguli denarii in annos ſingulos Romanæ Eccleſiæ ſolvendi. Ita Willelmus Malmesburienſis lib. 1, & Polydorus Virgilius lib. 14. Anglic. hiſt. Scholam Anglorum Romæ ab Ina, de quo infra, fundatam amplificavit idem Offa, atque reditibus auxit, ut majori numero Romam Anglia proficiſcentibus rerum neceſſariarum nihil deeſſet, quo a diuturniore mora trahenda prohiberentur, ſed imo commode magis, Eccleſiæ Romanæ doctrina inſtrui poſſent. Ita refert Matthæus Pariſius in vita Willegodii Abbatis Monaſterii S. Albani ab Offa erecti.

Oſuvius Rex Northumbriæ vigente controverſia de celebratione Paſchatis, poſtquam longam in utramque partem audiviſſet diſputationem, illi victoriam detulit, quæ pro ſervando more Eccleſiæ Romanæ decertarat: proinde impoſterum juxta Romanæ Eccleſiæ morem celebrandum Paſcha pronunciavit. De hacce controverſia par. 2. Vindiciar. copioſius agemus. Porro eo uno argumento, nulloque præterea, quam quia antiqui Britanni Aſiatico more aliquando Paſcha coluerunt, ducti Anglo-Calviniſtæ non nulli Majores ſuos fidei Chriſtianæ prima rudimenta a Græcis, Aſianiſque recepiſſe conjiciunt, iſtaque conjectura, quod pejus eſt, a Patriarchatu Romano Britannicas Eccleſias ſubducunt, quo modo viam inivere excuſandi nefarii conſilii, quo Eccleſiæ Romanæ jugum, quin verius juriſdictionem excuſſerunt. Quam fictitia, & quam falſa conjectura iſthæc ſit, ex una Johannis IV. Papæ epiſtola anno 640. ad Scotos exarata de Paſchate poſt Lunam 14. celebrando conficitur, quam exhibet V. Beda lib. 2. cap. 19.

cap. 19, in qua error ille celebrandi Paſcha Luna 14. recens apud Scotos invectus dicitur; & Beda eo loci ſub id temporis eum exortum in Scotia, nec eidem adhæſiſſe gentem univerſam, ſed quoſdam dumtaxat refert. Sed de hoc argumento alibi. Confer & Chenulphi Regis epiſtolam ad S. Leonem III, de qua paullo poſt. Nec alteram Naitano Pictorum Regi celebrandi Paſchatis inſediſſe rationem, quam quæ Romanæ Eccleſiæ referretur accepta, perhibet V. Beda lib. 5. cap. 22.

Ceduvalla Rex Occidentalium Saxonum Chriſto nomen dediturus Romam ad S. Sergium I. Papam an. 689. profectus, ab eodem ſacro expiari baptiſmo voluit; id teſtantibus V. Beda lib. 4. capp. 15, & 16; & Willelmo Malmesburienſi lib. 1. Confer etiam Alfordum ad annum 687; Bollandum ad 20. Aprilis; & Pagium ad annum 689. n. 2, & ſeqq. De Coenredo Merciorum Rege conſule V. Bedam lib. 5. cap. 20. Ina Ceduvallæ ſucceſſor Regnum ſuum Romano Pontifici S. Gregorio II, ejuſque ſucceſſoribus ſubjecit anno 726, in ſingulas domos conſtitutis ſingulis nummis argenteis S. Petro annuatim perſolvendis. Rem narrant V. Beda lib. 5. cap. 7; & Polydorus Virgilius lib. 5. Ab eodem Ina exoratus S. Gregorius, ut ſibi liceret Romæ ſcholam Anglorum ædificare, libenter indulſit, teſte Matthæo Weſtmonaſterienſi in hiſt. Angl., utpote quam non aliam ob cauſam extruere Rex expetebat, niſi ut ad eam Reges Angliæ, & *Genus Regium*, ut loquitur citatus auctor, cum Epiſcopis, Presbyteris, & Clericis, in doctrina, & fide catholica erudiendi venirent; ne quid in Eccleſia Anglicana ſiniſtrum, aut veritati catholicæ contrarium doceretur; & ſic in fide ſtabiliter roborati ad propria remearent. Porro Schola hæc poſtea converſa eſt in Xenodochium, quod hodie S. Spiritus dicitur, eſtque celeberrimum, teſte Matthæo Pariſio loco paullo ſuperius laudato.

Chenulphus Merciorum Rex, ſtatim atque inauguratus eſt, legatione ad S. Leonem III. decreta rogaturus, ut Eccleſiæ Cantuarienſi Primatum ad preces Offæ ab Hadriano I. ab ea ad Eccleſiam Lichfeldenſem translatum, iccirco quod Lamberto Archiepiſcopo Cantuarienſi ſubinfenſus Offa fuiſſet, reſtitueret, quod poſtea impetravit; litteras quoque ad eumdem Pontificem dedit,

quas

quas exhibent Labbeus tom. 7. Concil., & Baronius ad annum 796. n. 18, & ſeqq., quæ quanto in Romanum Pontificem obſequii, & devotionis flagraret ſtudio oſtendunt. *Merito*, inquit, *omnis per Orbem exultat Eccleſia, quia quum omnium verus Remunerator bonorum glorioſiſſimum Gregis ſui Paſtorem Hadrianum perpetuo remunerandum ſuper æthera duxiſſet, ſuis tamen Ovibus, pia erexit providentia prævium, qui ſcit Ovile Dominicum ad caulas non inferius vitæ agitare. Nos quoque merito, quos extremitas Orbis tenet, eodem modo præ ceteris gloriamur; quia illius ſublimitas noſtra ſalus eſt, illius proceritas nobis perennis exultatio; quia unde ſibi Apoſtolica dignitas, inde nobis fidei veritas innotuit. Quapropter opportunum arbitror tuis ſanctis juſſionibus aurem obedientiæ noſtræ humiliter inclinari, & quæ tuæ pietati rite Nobis ſequenda videantur, toto niſu implenda: quæ vero rationi contraria deprehenſa fuerint, citius declinanda, ac interim a nobis omnimodis reſecanda.* Subinde ſe Pontificis gratiæ commendans, ab eoque benedici ſummopere exoptans ſubjungit: *Hanc benedictionem omnes, qui ante me ſceptro præfuere Merciorum, meruerunt ab Anteceſſoribus tuis adipiſci: hanc ipſe humilis peto, & a Vobis ô ſanctiſſime impetrare cupio, quatenus imprimis adoptionis ſorte me Tibi Filium ſuſcipias, ſicuti Te mihi Patris perſona deligo, & totis obedientiæ viribus ſemper amplector.* Eardulphus Northumbriæ Rex regno ab Alphuvoldo, & regni Optimatibus pulſus, ad Carolum Magnum primo in Germaniam, Romam deinde ad prælaudatum S. Leonem III. profectus cauſsam ſuam Pontifici permiſit. Is vero intelligens certo regnandi jure Eardulphum præditum eſſe, in Britanniam Adulpho Diacono Legato miſſo, ac litteris ad Epiſcopos, & Optimates directis eum Regno ſuo anno 808. reſtituit. Rem enarrat Eginhardus in Annalibus ad eumdem annum.

Ethelvulphus filius Egberti Regis, ſub quo in unam Monarchiam multa Britanniæ Regna in multos Reges diſpertita demum coaluerant, Regni hæres Romam religionis ergo ad Benedictum III. accedens Sedi Apoſtolicæ Regnum ſuum integrum ſubjecit, atque annuo tributo perſolvendo, quod S. Petri denarius vocatum diu eſt, obnoxium reddidit. Sed & teſtamento ſuo juſ-

ſit

ſit annuatim trecentas auri marcas Romam mitti, ſcilicet centum Baſilicæ S. Petri, totidem Baſilicæ S. Pauli ad luminaria concinnanda, centum reliquas Pontifici Maximo ceſſuras. Aelfredus ejus filius jam pridem ab eodem Rege Romam ad Pontificem miſſus fuerat, a S. Leone IV. Benedicti III. deceſſore moribus pariter, & religione informandus, quem Pontifex in Regem inauguravit, & in ſpiritualem filium adoptavit. Ea ſæpe is uſurpare ſolebat verba: *Maximam Regis eſſe dignitatem, ſi nullam in Eccleſia Chriſti haberet poteſtatem: ſi ſe in Regno Chriſti, quod eſt Eccleſia, non Regem, ſed Civem cognoſcat: ſi non in Sacerdotes legibus dominetur, ſed Chriſti legibus, quas promulgaverunt Sacerdotes, humiliter ſubjiciatur.* Ita teſtantur Aſſerus coævus in ejus vita, & Ælredus Abbas Rievellenſis in lib. de genealog. Regum Anglor. Ethelvolphum etiam Romæ inſtauraſſe Anglorum ſcholam ab Ina, & Offa Regibus ſub S. Gregorio II; & Hadriano I. inſtitutam referunt. Conſer Pagium ad annum 855; nec non ad annum 874; non ſecus atque Baronium ad eumdem annum, ubi agunt de Burrhedo Merciorum Rege haud abſimili erga Romanam Eccleſiam devotionis affectu flagrante.

Ethelſtanus Alfredum, qui e Regno ipſum exturbare moliebatur, vinctum ad Johannis X. tribunal dimiſit coram Pontifice cauſſam dicturum. Alfredi bona Ethelſtano Regi Pontifex adjudicavit: at ille S. Petro in grati animi obſequium Monaſterio Malmesburienſi bonis illis mancipatis dedicavit. Edgarus inter Angliæ Reges pietate, & potentia celeberrimus, poſtquam ab Epiſcopis ſacris Canonibus Eccleſiæ diſciplinæ ut conſuleretur, opera ſua curaſſet, legibus ipſe optimis ut iidem Canones ſarti, ac tecti cuſtodirentur, ſaiegit; inter quas præclara illa eſt, qua erga Apoſtolicam Sedem ardens ſui animi ſtudium, religionemque ſummam oſtendit, denarium S. Petri perſolvendum jubens his verbis: *Denarius in domos ſingulas impoſitus ante feſtum divi Petri redditur: qui eum non ſolverit, denarium illum, ac alios præterea triginta Romam comportato, certaque litterarum teſtificatione domum rediens ſe eo detuliſſe confirmato, ac Regi denique centum viginti ſolidos numerato. Si quis ſecundo non dederit, denarium illum, ac præterea terdenos Romam deferat, Regique poſt-*

quam

quam redierit, ducentos ſolidos dependito. Si tertio deliquerit, rebus ſuis omnibus exuitor. Extant hæ Edgari leges in collectionibus Conciliorum. Obſerves obiter a nonnullis Regibus Regnum vectigale Romanæ Eccleſiæ factum fuiſſe, quod ita eſt intelligendum, donationem factam ab alio ſequiore Rege auctam, vel per ceteras provincias, quæ regiæ poteſtati acceſserunt, ſubinde ampliatam: vectigale quoque pietate Regum factum, non ex obligatione aliunde obſtringente. Denarium illum teſtibus Polydoro Virgilio lib. 5, & Ranulpho Ceſtrenſi lib. 5. cap. 24. Angli vocant *Romeſcot*, qui Latinis eſt argenteus nummus.

S. Eduardus Angliæ Rex anno 1043. ſalutatus votum Romam devotionis gratia petendi more majorum Deo nuncupavit: a quo tamen illum S. Leo IX. ſolvit, peregrinatione cum aliis pietatis operibus commutata. Ergo pientiſſimus Rex tributum pendi ab Anglis Sedi Apoſtolicæ ſolitum auxit; & Cœnobium Weſtmonaſterienſe inſtauravit, reditibuſque ampliavit: in epiſt. vero ad Nicolaum II, qua Cœnobii privilegia confirmari petiit, eximium ſuæ erga Sedem Apoſtolicam obſervantiæ ſpecimen oſtendit: ſic enim ſcribit: *Summo, Univerſalis Eccleſiæ Patri Nicolao Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam & ſubjectionem, & obedientiam.* Gratulatur dein de ipſius inauguratione, ſubditque. *Quapropter juſtum judicamus apud Vos, velut ad ſolidam petram, acuere, & probare omnes bonas actiones noſtras, & veſtram notitiam, & ſocietatem in bono habere, quatenus eas, donationes, & privilegia, quæ obtinuimus apud Prædeceſſorem veſtrum, renovetis, atque augeatis Nobis, videlicet, ut quod ille* (S. Leo IX.) *injunxerat Nobis ſub nomine obedientiæ, & pœnitentiæ propter votum, quod voveram ire Romam, & in remiſſionem omnium peccatorum meorum conſtruere Cœnobium Monachorum in honorem Apoſtoli Petri, ratum faciatis, & privilegia poſſeſſionum, & dignitatum ejuſdem loci confirmetis, renovetis, & decernatis. Ego quoque pro modulo meo augeo, & confirmo donationes, & conſuetudines pecuniarum, quas habet S. Petrus in Anglia, & ipſas pecunias collectas cum regalibus donis mitto Vobis, ut oretis pro me, & pro pace Regni mei.* Legitur in collect. Labb. tom. 9. Nicolaus autem Cœnobii privilegia confirmavit; illud

ab

ab Epiſcopi juriſdictione exemit; Eduardo vero Eccleſiarum omnium Angliæ defenſionem, & cuſtodiam commiſit. Legeſis S. Ælredum in ejus vita apud Bollandianos ad diem 5. Januarii: ab Alexandro III. dein Sanctorum catalogo adſcriptus S. Eduardus eſt. S. Eduardo improle defuncto Willelmus I. Normaniæ Dux ejus Regnum obtinuit, atque ab Araldo, cui illud Angli detulerant, Alexandri II. auctoritate, cui cauſsæ ſuæ æquitatem cognoſcendam commiſerat, vindicavit. Videſis Ordericum lib. 3. hiſt. Eccleſ. De Willelmi II, & Henrici I. cum S. Anſelmo diſſidiis alibi dicetur.

Henricus II. ab Hadriano IV. ut liceret ſibi petiit Hiberniam invadere, exleges populos illos, ut in deſiderio ei erat, ad frugem adducendi gratia, eamdemque ſubactam, Chriſtianæ Religionis in ea conſervandæ, & amplificandæ cauſſa, in ſuum dominium tranſcribere. Permiſit quidem id Pontifex, ea tamen conditione adjecta penſionis unius denarii ſingulis annis a ſingulis domibus Apoſtolicæ Sedi perſolvendi: *Ad cujus*, inquit, *jus eam Inſulam, ceteraſque omnes, quæ documenta fidei cæpiſſent, pertinere nemini dubium eſſet*. Hadriani diploma ex Codice Vaticano deſcriptum exhibet Baronius: referunt etiam Radulphus de Diceto in imaginibus hiſtoriar.; Giraldus Cambrenſis lib. 2. de rebus ab ſe geſtis cap. 10; & Matthæus Pariſius ad annum 1159. apud Pagium in Crit. Baronii ad eum annum: ut propterea immerito Michael Alfordus Soc. Jeſu in Annal. Angliæ de illius diplomatis ſinceritate dubitaverit. De Henrici II. diſſidiis cum S. Thoma recurret ſermo. Sed & legenda ejus nomine a Petro Bleſenſi exarata ad præſ. Pontificem epiſtola 165. A Johanne Rege *ſine terra* dicto Regna ſua Angliæ, & Hiberniæ Innocentio III, ejuſque Succeſſoribus reſignata, homagii juramento ejus Legato præſtito, conſtitutiſque mille marcis quotannis Romanæ Eccleſiæ perſolvendis, illudque homagium, atque tributum etiam ab Henrico III. exhibitum Innocentio IV. dicetur opportuniori in loco, ubi & operoſius erit agendum de jure, quod Bonifacius VIII. ſibi aſſeruit, cognoſcendi de controverſia Eduardum inter, & Johannem de Balliolo circa Regnum Scotiæ. Eduardus III. ſane Procuratoribus ad Romanum Pontificem Clementem VI,

poſt quam litteras dediſſet ad ejus deceſſorem Benedictum XII, miſſis illi cognoſcendum permiſit jus ſuum ſucceſſionis præ Philippo Valeſio in Regnum Franciæ. Id refert Thomas Walſingha-mus in hiſt. Anglic. ad annum 1343.

Richardus II. in Regni Conventu anno 1385. ſtatuta nonnulla ediderat, quæ ut rata manerent, a Romano Pontifice ratihaberi curavit Apoſtolicis litteris impetratis, quibus graves cenſuræ decernebantur adverſus quoſcumque, qui ſtatutis illis obluctari auſi eſſent. Id poſtea Richardo vitio datum fuit ab Optimatibus Regni, unaque ex cauſſis extitit, ob quas ab eo abalienati ſunt, ac Regno cum ipſe ſe abdicaret, tum ab illis abſtineretur: at ii peſtilentiſſima Wicleffi labe jam infecti erant, ut notavit Walſinghamus loco citato. Non ita egere Optimates illi, qui apud Bonifacium VIII. ſupplices accedentes, officio devotionis perſoluto, leges, & libertates a deceſſoribus Pontificibus Angliæ Regibus conceſſas ut confirmaret, enixim efflagitarunt. Henricus VI, dum in Eugenium IV. Baſileenſes debacchantur, ejus partes viribus omnibus proſecutus eſt, adeo ut officiis devinctus Pontifex litteris datis anno 1440, quas refert Raynaldus, ejus religionem quam maxime commendarit.

Henricus VIII, antequam a Catholica Religione deſciſceret a pravis ſuis cupiditatibus abreptus, dum aliquando Lutheri Captivitatem Babylonicam lectitaſſet, zelo fidei flagrans, quumque litteris non leviter eſſet inſtructus, librum de aſſertione ſeptem Sacramentorum contra Lutheri doctrinam adornavit, quem Leoni X. dedicavit. In epiſtola nuncupatoria ſuam erga Chriſti Vicarium obſervantiam, atque erga chriſtianam Religionem enixum ſtudium his explicat verbis: *Quæ peſtis unquam tam perniciosa invaſit gregem Chriſti? Qui ſerpens unquam tam venenatus irrepſit, quam is* (Lutherus,) *qui de Babylonica captivitate Eccleſiæ ſcripſit, qui Scripturam ſacram ex ſuo ſenſu contra Chriſti ſacramenta detorquet, traditos ab antiquis Patribus Eccleſiaſticos ritus eludit, ſanctiſſimos viros, & vetuſtiſſimos ſacrarum litterarum interpretes, niſi quatenus ipſius ſenſui conveniunt, & conſentiunt, nihili pendit, Sacroſanctam Sedem Romanam Babylonem appellat, ſummum vero Pontificium vocat tyrannidem,*

totius

totius Eccleſiæ decreta ſaluberrima captivitatem cenſet, & ſanctiſſimi Pontificis nomen in Antichriſtum convertit? Oh deteſtabilis arrogantiæ, contumeliæ, ac ſchiſmatis Buccinator! Quantus inferorum Lupus eſt iſte, qui Chriſti gregem diſpergere quærit, & a capite ſuo decerpere! Articulo vero 2. ſic ait inter alia: *Negare Lutherus non poteſt, quin omnis Eccleſia fidelium Sedem Romanam velut Matrem, Primatemque recognoſcat, ac veneretur: quacumque ſaltem neque locorum diſtantia, neque periculis interjacentibus prohibetur acceſſu. Quamquam, ſi vera dicunt, qui ex India quoque veniunt huc, Indi etiam ipſi tot terrarum, tot marium, tot ſolitudinum plagis disjuncti, Romano tamen Pontifici ſe ſubmittunt. Ergo ſi tantam, & tam late fuſam poteſtatem neque Dei juſſu Pontifex, neque hominum voluntate conſequutus eſt, ſed ſua ſibi vindicavit; dicat, velim, Lutherus, quando in tantæ ditionis erupit poſſeſſionem. Num poteſt obſcurum initium eſſe tam immenſæ potentiæ; præſertim ſi intra hominum memoriam nata ſit? Quod ſi rem dixerit unam fortaſſe, aut duas ætates ſuperare, in memoriam nobis rem redigat ex hiſtoriis: alioquin ſi tam vetuſta ſit, ut rei etiam tantæ obliterata ſit origo, legibus omnino cautum eſſe cognoſcat, ut cujus jus omnem hominum memoriam ita ſupergreditur, ut ſcire non poſſit cujuſmodi habuerit initium, cenſeatur habuiſſe legitimum; vetitumque eſſe conſtat omnium conſenſu gentium, ne, quæ diu manſerunt immota, moveantur.* Pluribus idem argumentum proſequitur, coque præſertim Lutherum perſtringit, quod Græci olim, quamvis apud ipſos Imperium vigeret, Romani tamen Pontificis ſupra ſe Primatum ſtare agnoſcebant. Adiſis Raynaldum ad annum 1521, ubi Henrici VIII. librum in epitomen redigit. Perlecto vero a Leone X. libro, Henrico Regi ejuſdem auctori illuſtre nomen, & titulum *Denſenſoris fidei* attribuit Conſtitutione edita anno eodem, quæ extat tom. 1. Bullarii Romani. Jam ad Reges Daniæ, Scotiæ, Inſularumque deſcendo.

Harioldus, ſive Haraldus Daniæ Rex hoſtium invidia Regno excedere coactus, inde ad Ludovicum Pium Imper. ſuppetias poſtulaturus profectus, ab eodem ad Chriſtianam Religionem amplexandam perſuaſus eſt. Itaque ab Imperatore, atque ab S. An-

ſchario, & Autberto, quos ad id operis Imperator adhibuerat, de Romanæ Eccleſiæ doctrina edoctus eſt, & ſacris ejuſdem myſteriis initiatus. In Daniam regrediens Anſcharium, & Autbertum initeris comites voluit, qui in Regnum Chriſtianam Religionem longe, lateque, quo patebat, propagarent. Ante omnia autem maximopere curatum eſt ab Imperatore, Rege, & Anſchario, ut harum rerum fieret certior Gregorius IV. Pontifex Maximus, a quo litteræ deinde datæ ſunt ad Anſcharium, quibus eidem facta eſt poteſtas amplificandi apud Danos rem Chriſtianam. Extat Gregorii IV. epiſtola iſthæc legenda apud Lambeccium tom. 1. orig. Hamburgen.; apud Cointium tom. 8. annal. Franc.; Iſaacum Pontanum lib. 4. hiſt. Daniæ, & Mabillonium ſæcul. IV. Benedic. par. 2. Anno circiter 150. ab obitu Harioldi Sueno Rex, quem miror a viro quodam doctiſſimo recentiore, ac mihi quidem magno in pretio, dictum Harioldi hujuſce filium, a quo attamen tanta annorum intercapedine diſtat, Sueno, inquam, Rex aliquando pravo animo in rem Chriſtianam affectus, in noſtros gravem anno 980. circiter commovit tempeſtatem: ſed ſupremo Numine vindice Regno expulſus, idque mali ſibi in vindictam violatæ Religionis agnoſcens, quantum antea Chriſtianæ rei infenſus fuiſſet, tantum poſtea ſtudioſiſſimus cultor, & propugnator fuit fortiſſimus. Adiſis Grammaticum Saxonem lib. 10, & Pagium ad annum 994.

Canutus, qui anno 1017. Daniæ Regnum Angliæ adjunctum a Patre Suvano adiit, quique anno 1028. Olao Norvegiæ Rege debellato, & iſtud Regnum ſuo pariter adjecit, præcedentium Angliæ Regum, quibus pietate haud erat impar, propoſitis ſibi exemplis, profectionem Romanam ad Principem Apoſtolorum, apud quem ſummam eſſe poteſtatem ligandi, & ſolvendi probe noverat, anno 1027. adornavit: cujus equidem itineris eam extitiſſe cauſſam idem met indicat in epiſt. ad Angliæ Epiſcopos relata a Labbeo tom. 9. Concil.; & a Baronio ad annum 1027. *Quia didici*, inquit ibi, *S. Petrum Apoſtolum magnam poteſtatem accepiſſe a Domino ligandi, atque ſolvendi, Clavigerumque eſſe Regni cæleſtis*. Qua quidem in ſententia ſtetiſſe pariter, ac Romano Pontifici ſubſcribendum ſemper voluiſſe Waldemarum Daniæ Regem, teſtata res eſt apud Saxonem Grammaticum lib. 14, & Iſacium

cium Pontanum hiſt. Daniæ lib. 6. ad annum 1168. A Johanne XIX. Canutus deinde obtinuit, ut Dani, Anglique religionis cauſſa Romam adeuntes ab oneribus Romipetis imponi ſolitis abirent immunes, ut idem in cit. modo epiſt. teſtatur; legiturque apud Willelmum Malmesb. lib. 4. de geſtis Reg. Anglor. De Waldemaro Sueciæ, & Haquino Norvegiæ Regibus Apoſtolicæ Sedi addictiſſimis conſule epiſtolas ab Innocentio IV. ad ipſos inſcriptas, quas refert Raynaldus ad annum 1252. n. 20, & ſeqq.; neque enim præſtat omnes ſingillatim perſequi. Ericum Sueciæ pariter Regem in Romanæ Eccleſiæ fidem ſubmiſſe, devoteque ſe tranſcribentem paterno affectu amplexus in clientelam admiſit Honorius III, cujus ad illum datas litteras legere eſt apud Raynaldum ad annum 1225. n. 18. Ericus Daniæ Rex a Bonifacio VIII. cenſuris Eccleſiaſticis irretitus, iccirco quod in Johannem Archiepiſcopum Lundenſem Sueciæ Primatem ſuo juſſu in vincula conjectum violentas manus injeciſſet, tum demum, ideſt anno 1299. ab iisdem abſolvi impetravit, poſtquam Pontifici feciſſet ſatis, atque Præſulem in libertatem aſſeruiſſet. Adiſis Raynaldum ad eum annum, ubi Bonifacii litteras regerit. Poſtremo Chriſtiernus Daniæ pariter Rex anno 1474. Romam pro voti peregrinationis in Palæſtinam commutatione ad Sixtum IV. profectus, tot, tamque egregia erga Pontificem obſequii ſubmiſſi, ſinceræque obſervantiæ ſpecimina exhibuit, ejuſque rei gratia religionis perinde, ac reverentiæ erga S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ut propterea Jacobus Cardinalis Papienſis rerum omnium præſens teſtis ſcribere non dubitaverit in epiſt. 566. Romæ præcitato anno data: *Ita nobis Italis, quo animo eſſe in ſummum Sacerdotium debeamus, ſuo docuit exemplo.* Hancce Cardinalis Papienſis epiſtolam legi dignam deſcripſit Raynaldus ad eumdem annum n. 2.

Reginaldus Inſularum Britanniæ adjacentium Princeps Inſulam Man dictam latine Euboniam in mari Hiberniſo anno 1219. Romanæ Eccleſiæ, ſive Honorio III. dedidit, quam ſubinde a Pandulpho Honorii legato poſſidendam recepit ſub annuo cenſu duodecim marcarum ſterlingorum. Ejuſmodi donationis, conventioniſque inſtrumentum confectum Londini anno præcitato ſe

vidiſ-

vidiſſe ſcribit Spondanus in collectione Nicolai Cardinalis Aragonii; atque ex eo nonnulla recitat Raynaldus ad eumdem annum n. 44, illudque extare teſtatur in regiſtro Honorii III. lib. 4. epiſt. 629, & lib. 7. epiſt. 189. *Noverit Sanctas*, inquit Reginaldus, *Paternitas veſtra, quod nos, ut participes ſimus bonorum, quæ fiunt in Eccleſia Romana, ... dedimus, & obtulimus ei* (Pandulpho Legato) *nomine Eccleſiæ Romanæ, & veſtro, & catholicorum veſtrorum Succeſſorum Inſulam noſtram de mari quæ ad nos jure hæreditario pertinet; & deinceps nos, & hæredes noſtri in perpetuum tenebimus in feudum dictam Inſulam ab Eccleſia Romana, & faciemus ei per hoc homagium, & fidelitatem; & in recognitionem dominii nomine cenſus nos, & hæredes noſtri in perpetuum annuatim ſolvemus Eccleſiæ Romanæ duodecim marcas Sterlingorum in Anglia apud Abbatiam de Furnis Ciſtercienſis Ordinis*. Rogat deinde Pontificem, ut protectionem, quam aliis Regibus impendebat Eccleſiæ Romanæ ſubjectis, ſibi quoque impertiret. S. Gregorius VII. pluribus in locis agit de Regibus Feudatariis Eccleſiæ Romanæ: lib. 2. epiſt. 74. de Regno Ruſſiæ: lib. 4. epiſt. 28. de Regno Hiſpaniæ: & lib. 7. epiſt. 13. de Regno Hungariæ. Confer ejuſdem lib. 1. epiſt. 7. ad Princip. Hiſp.; 29. ad Judices Sardin.; 38, 45, & 61. ad Uratislaum Bohemiæ Ducem: 41. ad Orzocum Judic. Calarit.; 58. ad Geuſiam Ducem Hungar.; 63. ad Sancium Reg. Arag.; 70. ad Guillelmum Reg. Anglor.; lib. 2. epiſt. 7. ad Uratislaum præmem.; 13. ad Salomonem Reg. Hungariæ; 51, & 75. ad Suenum Reg. Danor.; 63. ad præf. Geuſiam Reg. Hung.; 73. ad Boleslaum Ducem Poloniæ; 74. ad Demetrium Reg. Ruſſiæ; lib. 5. epiſt. 10. ad Regem Daniæ; lib. 6. epiſt. 29. ad Ladislaum Reg. Hung.; lib. 7. epiſt. 5, & 21. ad Aconum Reg. Danor.; 6. ad Alphonſum Reg. Caſtellæ; 23, & 25. ad præfaud. Guillelmum Anglor. Reg.; & lib. 8. epiſt. 11. ad Sueciæ Regem, ex quibus palam fit quam ſolliciti viritim fuerint illi, ſive Pontifex, ſive Principes de Romana Eccleſia impenſe colenda; deque ejuſdem rebus ſive divinis, ſive humanis amplificandis.

Donaldus I. hujus nominis Scotiæ Rex, uti ſcribunt Hector Boetius lib. 6. de rebus Scotorum, & Johannes Leslæus Epiſc. Roſ-

Roſſenſis lib. 3, quum multa de chriſtiana Religione audiviſſet, quæ ſibi apprime grata fuerant, de ſanctitate ſcilicet, & miraculis, Paſchaſio, a quo doctrinam acceperat, Romam properare ad S. Victorem I. Pontificem Maximum juſſo, eumdem ſuſceptæ ab ſe chriſtianæ Religionis certiorem fecit, viroſque doctrina, & religione inſignes in Scotiam ad ſe mitti rogavit, qui tum filios ſuos, tum gentes ſibi ſubjectas ſacro baptiſmate abluerent, atque doctrinam, ritus, & mores Romanæ Eccleſiæ edocerent. Id autem a S. Zephyrino, qui in Victoris locum ſucceſſerat, facile impetravit. Igitur a Donaldo datam fuiſſe diligentem operam, quam a Pontifice directi viri Apoſtolici magnopere adjuvarunt, ut ſuperſtitio penitus deleretur, effectumque demum, ut nobiles, ruſticique magnum numerum Romanæ Eccleſiæ religionem amplexarentur, laudati auctores teſtantur: idque factum ajunt anno vulgaris Æræ 203, ab Scotorum vero Regno inſtituto 533; quorum in ſerie Donaldus Rex fuerit 27, a quo deinde uſque ad Mariam Reginam Reges, qui Romanæ Eccleſiæ fidem coluerint, 80. omnino fuerunt. Confer & Dempſterum hiſt. Eccleſ. Scotor. lib. 1. cap. 6; Buchananum rerum Scoticar. lib. 4; & Boſium de ſignis Eccleſ. lib. 8. cap. 1. Dempſterus quidem primum Scotorum Epiſcopum ſcribit lib. 13. S. Nicolaum Culdæum anno 296. Martyrio affectum: at S. Proſper in lib. contra Collat. cap. 41, & in Chron. auctor eſt a S. Cæleſtino I. primum in Scotiam Epiſcopum miſsum fuiſſe Palladium. Conſule Uſſerium, ſi licet, de Britan. Eccleſ. primordiis cap. 16; Baronium ad annum 429; Alfordum in Annal. Britan. ad annum 431; & Pagium ad annum 429, nec non ad annum 431. n. 51.

Pari pietatis ſtudio permotus, deque Romano Pontifice impenſe colendo perſuaſus Machetadus, aliis Macbetha Scotorum Rex Romam ad limina Apoſtolorum profectione adornata Romanæ Eccleſiæ obſequio, obedientiaque ſe mancipavit, de quo Malmesburienſis lib. 2. cap. 13, & Wigornienſis ad an. 1050. Quid præterea, quod piiſſimis legibus, quas ad præfatum annum deſcribit Spelmannus, cautum maximopere voluit, tum ne chriſtiana religione quiſquam initiatus ad profanum Judicem traheretur, ſed potius apud ſacros Antiſtites in judicio experiretur: tum ne

Eccle-

Eccleſiarum Paſtores fructuum terræ parte decima, idque ob Dei cultum, defraudarentur: tum ne Pontifici officio quis deeſset, quique ipſius imperata per annum minoris faceret, ut hoſtis Reipublicæ pariter haberetur; ſi autem per biennium in contemptu perſiſteret, tum demum fortunis omnibus mulctaretur? Nempe a Religionis præſertim erga Pontificem obſervantia Reipublicæ bonum omne pendere quam maxime probe intelligebat. Davidis Scotiæ Regis litteras ad Clementem VI. officii, devotionis, & obſequii cumulatiſſimas deſcribit Raynaldus ad annum 1344. n. 60. Jacobus hujus nominis IV. Scotiæ Rex a Julio II. exſtimulatus, ut a Regno hæreſis Wicleffianæ reliquias penitus eliminaret, Pontificis dicto, ut par erat, audientem ſe dedidit, deditque extemplo egregiam operam, ut hæreſis quam exoſa, tam exitioſa Regno prorſus exularet. Propterea a Pontifice illuſtrem titulum Protectoris fidei promeruit, in cujuſce ſignificationem aureis floribus intertexto diademate donatus eſt. Nulla præterea ratione ſe adduci paſſus eſt, ut ejurata Pontificis obedientia Piſano Conventiculo adverſus Julium coadunato adhæreret. Quamquam poſtea Julii poſthabitis monitis in Regis Galliarum partes deſcenderit; ſed vindice Deo non multo poſt demum juſtas pœnas dedit. Videſis Spondanum ad annum 1507, & Pagium Juniorem in Julio II.

Jacobus Stuartus hujus nominis II. Rex Scotiæ poſtquam nihil prætermiſiſſet, quo Romanæ Eccleſiæ Religionem, quam profitebatur, firmiter propugnaret, quum perduellium æque, ac pertinaciſſimorum hæreſis patronorum ſuſtinendis impetibus ſe imparem animadvertit, præclaro exemplo poſtponendum Religioni Regnum, patriaque potius cedendum, quam a fide abſcedendum duxit. Inter ejus fidei, ac fortitudinis laudatores illuſtrior extitit V. Innocentius XI, qui tum oratione in Conſiſtorio Cardinalium habita illum laudibus cumulavit, tum ad Ludovicum XIV. Galliarum Regem, penes quem Rex ſe receperat, datis litteris commendavit; nihilque non excogitavit, non egit, ut Regem eumdem reduceret, rebuſque ſuis bene conſuleret. Invidia igitur perciti Jacobo calumniati ſunt Rapinus de Thoyras lib. 24. hiſt. Angl., & Burnetius hiſt. revolut. Angl., ſcilicet ut ſuorum impro-

probitatem modo aliquo possent excusare. At eo in exemplo Jacobo Regi anteiverat Christina Sueciæ Regina, cujus in benedictione memoria est. Ea extincto Gustavo Adolpho genitore, ejus in locum Sueciæ Regina septennis adhuc salutata anno 1632. aliquando in Religionem Catholicam, Romanamque Ecclesiam inimicum animum tulit, quem nempe Lutherana hæresis imbuerat, praveque affecerat. At quum primum illi sedatis bellorum tempestatibus licuit ad rem Religionis, quam in Germania tot in dies succrescentibus sectis dilacerari cernebat, mentis aciem, qua prædita erat, intendere, facile intellexit in una dumtaxat Romana Ecclesia vera Christi Domini vigere dogmata, in reliquis nihil esse, nisi hæreses. Ergo anno 1654. insigni virtutis exemplo in Regni Comitiis Regno abdicato, quod cum Catholica fide componere nequibat, primum Bruxellis, quó progressa fuerat, Romanæ Ecclesiæ fidem ultro professa est, exinde Romam ad Alexandrum VII. properans in ejus fide, & obedientia pie vixit, & obiit. Confer Berninum in hist. hæres. sæcul. XVII. capp. 4, & 5, quibus in locis paucis præclara Christinæ gesta complexus est. Carolus II. quinimo Scotiæ, & Angliæ Rex, etsi aliquando in Religione versatilis visus fuerit, prope diem tamen moriturus fidem Romanæ Ecclesiæ professus ex animo est, ut ex certis litteris demandatis monumentis cap. 8. ostendit laudatus Berninus. Anna Hydæ quoque Eboracensis Ducissa, quam præfatus Jacobus II. primo connubio sibi copulaverat, eidem Romanæ Ecclesiæ fidei, quoad vixit, immobiliter hæsit, uti ex certo instrumento ejusdem met manu exarato idem Berninus demonstrat cit. cap. 8, quo loci, quæ paullo supra de Jacobo II. protulimus, diffuse prosequitur. Agemodo ad Reges Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ &c. accedamus.

Ex Hungariæ Regibus S. Stephanus a S. Adalberto ad Ecclesiæ Romanæ fidem perductus, statim atque sacris Religionis mysteriis initiatus fuit, ac Romanæ Ecclesiæ moribus institutus, nihil antiquius habuit, quam ut Hungaros universos ad Romanæ pariter Ecclesiæ unitatem, Romanique Pontificis obedientiam pertraheret. Id ut semel persecit, Legatis suis ad Pontificem Romam properare jussis a Silvestro II. supplex Regis Coronam sibi

impertiri petiit: at Pontifex Regia Corona non modo cohonestandum duxit; sed imo Crucem ante se, cen Apostolatus insigne deferendi, & in Ecclesiis in ejus Ditionibus constitutis designandi Episcopos facultatem fecit. Ista constant ex Cartuitio Episcopo in vita S. Stephani apud Surium ad diem 20. Augusti. Idem auctor est S. Stephanum diadema, & Regnum, tanquam a Romano Pontifice, & a B. Petro donatum, acceptumque habuisse: & sane S. Gregorius VII. lib. 7. epist. 13. scribit Hungariæ Regnum ad jus, & ditionem Romanæ Ecclesiæ pertinuisse. Optimis quoque legibus S. Rex Reipublicæ non modo, sed Religioni maxime nuper invectæ cautum summopere voluit, ut Romanæ Ecclesiæ doctrinæ, moribus, & ritibus cuncti studerent; ratus Reipublicæ cuncta bene cessura, si Religionis res optimo in loco semel fuissent constitutæ. Audire præstat, qui non modo S. Stephani, sed & sui erga Apostolicam Sedem summi specimen, ac testimonium perhibent studii, cum Andream Hungariæ Regem in epist. ad Jacobum Cardin. Prænestinum apud Raynaldum ad annum 1233. n. 51. verbis hisce: *Hunc* (S. Stephanum) *Regem ... qui ad Regni solium propria auctoritate noluit sublimari .... sed a Vicario Jesu Christi, & Petri Beatiss. successore per revelationem Divinam summo Pontifici factam assumpsit Regni diadema*: tum Ladislaum Regem Hungariæ in epist. ad omnes Christifideles apud Raynaldum ad annum 1279. n. 31, ubi de S. Stephano scribit: *Ut Principatum fidei in Sacrosancta Romana Ecclesia consistere .... demonstraret, non a se, vel ab alio, sed ab eadem Romana Ecclesia Matre omnium, & Magistra Regni diadema revelatione Divina meruit obtinere; ut ab ea quasi quodam capite principali dona sua in omne corpus diffunderet lux divina, & exortem ministerii se intelligeret esse divini, qui a Petri soliditate recederet deviando.*

Salomon, qui a S. Stephano Hungariæ Rex VI. est dictus, eo quod ab Hentico Germaniæ Rege Regni Hungarici investituram accepisset, a S. Gregorio VII. gravissimis est verbis objurgatus; Hungariæ Regnum Ecclesiæ Romanæ, cui a S. Stephano submissum fuerat, & vectigale factum, beneficiarium esse affirmante, ideoque a Romano Pontifice eo Regno investiendum fuisse. Profecto Geisas, qui pallo post, Salomone ejecto, ejus locum inva-

invaſit, conſeſtim ad eumdem Pontificem litteris, Legatiſque miſſis ſibi Regnum confirmari rogavit. At reſcripſit ille velle ſe quidem, ut Romanæ Eccleſiæ juta in Regnum Hungariæ integra manerent, quæ quia violaſset Salomon, eum e Regno excidiſſe vindicis Dei judicio; nolle tamen, ut quidquam Geiſæ præter jus, & fas in eodem Regno liceret. Egit proinde modis omnibus optimus Pontifex, ut Geiſam inter, & Salomonem pacem, fœduſque componeret. Quam in rem legenda ipſius epiſt. 70. lib. 2. Geiſæ anno 1077, quo fatis functus eſt, in Regnum Hungariæ ſucceſſit S. Ladislaus ipſius frater, quem quanto Religionem, Eccleſiam Romanam, ejuſque Pontificem ſtudio demerere adnixus ſit, & adlaborarit adeo omnibus eſt compertum, celebratumque, ut oratione noſtra non indigeat. Ludovicus, qui Urbani VI, & Clementis VII. vigente ſchiſmate Hungariæ Regno præerat, tum ac maxime a S. Catharina Senenſi, qui ejuſdem partes egregie promovebat, epiſtolis tum advetſus Clementem VII., tum adverſus Johannam Siciliæ Reginam, quæ ab ejuſdem pſeudo-Pontificis partibus ſtabat, concitatus, præclaram Urbano VI. impendit operam. Ipſi perinde laudi ceſſit votum, quo quotquot ſibi ceu Regi, iidem omnes Romano Pontifici ceu Chriſti Vicario pariter ut parerent, voluit; Judæoſque ideo juſſit aut Romæ ſubeſſe, aut Regno exeſſe.

Ladislaus Poſthumus, ac Pupillus Hungariæ, & Bohemiæ Rex, cujus tutelam adminiſtrabat Fridericus III. Imperator, ab Imperatore Romam Imperii corona redimiendo a Nicolao V. properante comes adſcitus, in Pontificis conſpectum admiſsus, exoſculatis de more ipſius pedibus orationem de laudibus Pontificis recitavit, deque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, cujus obedientiæ, & obſequio ſe, Regnaque ſua obtulit, & commendavit. In ea vero inter alia hæc habet: *Quum animadverto, Beatiſſime Maxime Pontifex, me apud inclytos pedes Sanctitatis tuæ conſtitutum, quæ inter mortales Dei omnipotentis vicem gerit, coram hoc ſanctiſſimo Senatu, ad quem illuſtriſſima totius Mundi ſidera, atque homines doctrina, & ſanctitate lectiſſimi convenerunt, non injuria equidem in tanta rei magnitudine ſubſiſtens, unde initium ſumam orationis, quibus verbis Te unicum Chriſtianorum Prin-*

eipem, Te Regem Regum, atque in terris Deum adorem, non facile conſtituere poſſum. Refertur Oratio iſta a Cochleo lib. 11. hiſt. Huſſitar., & a Raynaldo ad annum 1452. Verum quidem eſt, quod quum ægre ferentes Hungariæ, Bohemiæ, & Auſtriæ Proceres apud Fridericum detineri Ladislaum, conſilio inito, junctiſque viribus illum ab Imperatoris tutela, & cuſtodia abduxiſſent, de injuria vero ſibi illata apud Nicolaum V. conqueſtus fuiſſet Fridericus, atque Pontifex Ulricum Ciliæ Comitem Ladislai avunculum, qui pupilli Regis tutelam Imperatori eripuerat, in judicium vocaſſet, intentatiſque minis juſſiſſet, ne Imperator a Regis tutela impediretur, verum eſt, inquam, quod Ladislaus, qui læte ſua libertate gaudebat, data epiſtola ad Pontificem ita ſcripſit: *Accepi Sanctitatem tuam adverſus eos, qui pro mea in Auſtria liberatione laborant, nonnullos proceſſus decreviſſe. Precor, ut eos revoces. Id enim erit officii tui, quum ſcriptum ſit: Pupillo, & Orphano adſtabis: ac niſi feceris compelles me majores Judices appellare.* At id ſcripſit Rex ex ſententia, & conſilio Scholæ Viennenſis in Auſtria, quæ per appellationem ad futurum Concilium Romani Pontificis mandata ſuſpendi poſſe cenſuerat. Quod quam falſum ſit par. 2. Vindiciarum palam fiet. Adeundi Cochleus loc. cit., & Æneas Silvius in deſcriptione Europæ cap. 3, & ſeqq.

Borzivojus, qui ſub IX. ſæculi exitum Bohemorum Princeps erat, a SS. Cyrillo, & Methodio Orientalibus Monachis de chriſtiana fide edoctus, atque ſalutari baptiſmi lavacro expiatus eſt, quanti ſibi facienda foret Romani Pontificis cum auctoritas, tum doctrina, facile ab iiſdem viris Apoſtolicis intellexit, qui ſummo jugiter ſtudio Apoſtolicam Sedem ſunt proſequuti. Nam principio a S. Nicolao I. Romam acciti, deinde eo defuncto ab ejus ſucceſſore Hadriano II. benigne accepti, poſtquam Romanæ Eccleſiæ fidem profeſſi fuiſſent, & Pontifici Maximo obedientia ſe devoviſſent, Epiſcopi Bohemis, Moraviſque ordinati ſunt, accepta facultate Miſſarum ſolemnia, & Divina officia lingua Sclavonica decantandi. Poſtmodum vero, quum apud Johannem VIII. S. Methodius calumniam paſſus, quaſi aliter doceret, quam quod cum S. Cyrillo ſocio coram Apoſtolica Sede fuiſſet pollicitus,

tus, eaque de re Romam a Pontifice accerſitus fidem expoſuiſſet ſuam, eadem approbata ad opus miniſterii redire juſsus eſt. Alium Epiſcopum ei ſocium itineris, & laboris etiam ordinavit, deditque nomine Wichinum; epiſtolaque ad Sfentopulcrum Moraviæ Comitem exarata indulſit, ut officia linguæ Sclavonica celebrarentur. Confer Bollandum ad diem 9. Martii tom. 2, Baronium, & Pagium ad annum 880, ac ſeq., nec non Bohuslaum Balbinum Soc. J. in epit. hiſt. rer. Bohemicar. lib. 1. cap. 1, & ſeq.

Boleslaus cognomento Pius in Principatu ſucceſſor Boleslai Patris, cui poſt necem S. Wenceslao fratri illatam ſævi nomen adhæſerat, de Eccleſia optime meritus univerſa eſt: maxime vero Romanam coluit, atque ab ejuſdem mandatis ne vel latum unguem recederet, ſummopere cavit. Nam Johanni XIII. Pragam in Epiſcopatum erigenti, jubentique, ut eidem præficeretur vir latinis litteris eruditus, qui in Eccleſia Pragenſi ritum Romanæ Eccleſiæ ſervaret; neque ullo modo ſineret juxta ritum Bulgaricæ linguæ, aut Ruthenæ, aut Sclavonicæ officia celebrari; mandanti quoque ut Monaſterium ædificaret, in quo ſub regula S. Benedicti vitam cælibem cum aliis Deo dicatis virginibus traducere poſset Maria ipſius Regis ſoror, quam Romæ, quó orationis gratia venerat, ipſe met Pontifex Deo conſecrarat, ac Monaſticis diſciplinis imbuerat, officii loco duxit obtemperare, ideoque cum in ſororis gratiam Monaſterium extruxit, tum Eccleſiæ Pragenſi Dietmarum Monachum Saxonem præfici curavit. Adeundi auctor Chronici Magdeburgenſis ad annum 967, & Mabillonius Sæculo V. Benedictino, ubi Johannis Papæ litteras ad Boleslaum exhibet. Uratislao Bohemiæ Duci de Apoſtolica Sede optime merito Alexander II. exemplo nunquam viſo Mitræ uſum conceſſit, ea conditione, ut cenſus nomine centum marcæ argenti S. Petro annuatim perſolverentur. Eumdem uſum eidem Uratislao confirmavit S. Gregorius VII. eo cenſu recepto, ut conſtat ex ipſius epiſtola 38. lib. 1; & 7. lib. 2. Poſtremo Primislao ob egregia de Eccleſia merita, ut Bohemiæ Rex nuncuparetur, indulſit anno 1204. Innocentius III, ut conſtat ex epiſt. 42. lib. 7. apud Raynaldum ad cit. annum 1204. n. 55.

Mi-

Micislaus Poloniæ Dux, poſtquam chriſtianæ Religioni nomen dediſset, ejus rei ſummam unum penes Romanum Pontificem ſtare, cunctaque ejuſdem nutu circa Religionem agi oportere non modo, ſed imo circa orthodoxorum Regna intelligens, ut Rex ipſe quoque inter Catholicæ Eccleſiæ Reges audiret, Lamberto Cracovienſi Archiepiſcopo Legato ad Benedictum VII. Pontificem Maximum miſso rogavit obnixe, ut Regium diadema ſibi impertiret, Regemque Polonorum ſe, & poſteros ſuos dici juberet. Id ei tamen denegatum teſtantur Chromerus lib. 3. polit.; Bzovius de Rom. Pontifice cap. 44, & Pagius in Brev. hiſt. chron. Nihilominus Boleslaus II. anno 1077. Regiam dignitatem affectans Regium nomen ſibi aſsumpſit, & diadema impoſuit, atque a quindecim Epiſcopis in Regem eſt conſecratus, ut ſcribit Lambertus Scafnaburgenſis in Chron. Non diu tamen ea dignitate potitus eſt, quippe anno 1079. ob cædem S. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis a S. Gregorio VII. ea dignitate ſpoliatus eſt, interdictique ſunt Epiſcopi, ne impoſterum Regem aliquem injuſsu ſuo inungerent. Itaque interregnum hoc duravit annos 215, donec anno 1295. Primislaus a Gneſnenſi Archiepiſcopo Rex eſt inauguratus: ſed paullo poſt eo fatis functo Poloniæ Epiſcopi communicato cum Uladislao ſucceſsore electo conſilio, legatione ad Johannem XXII. Pontificem Maximum miſsa, eidem diadema, & Regium nomen impetrarunt. Exiſtimabant enim inauſpicato id ſibi Primislaum injuſsu Pontificis aſsumpſiſse, quod non ignorarent interdictum fuiſse eo dignitatis nomine poſt cædem S. Stanislai Polonis Ducibus. Porro in litteris, quas ea de re ad Uladislaum dedit Johannes XXII. inter alia ſic ait: *Nobis cum inſtantia ſupplicaſti, ut quum Regnum Poloniæ eſſet Nobis, & Eccleſiæ Romanæ nullo mediante ſubjectum, & in ſignum ſubjectionis hujuſmodi, cenſus, qui B. Petri vocatur, Nobis, & eidem Eccleſiæ deberetur, aperientes viſcera*, & reliqua, quibus Regiam confert dignitatem. Legendi Chromerus lib. 4, & 11. de rebus Polonorum; Pagius ad citatos annos, Raynaldus ad annum 1319. n. 1, & ſeqq.; & Pagius alter in Johanne XXII. Videnda etiam Johannis XXII. epiſtola de Gedeminno Lethuinorum Rege, deque Ruthenis in fide Chriſti inſtituendis apud Martenium tom. 1. veterum Anecdotorum.

rum. Ab Henrico V. Imperatore ad Eugenium III. in Concilio Remenſi delatam trium Fratrum Boleslai III. filiorum Poloniæ Principum cauſsam par. 2. Vind. pluribus proſequemur. Quo etiam loci de Georgio Podiebratio Bohemiæ Rege agendum erit. Confer interea Cochleum lib. 12. hiſt. Huſſitarum. A Caſimiro Mieſconis II. filio Poloniæ Rege Regnum Romanæ Eccleſiæ vectigale factum, ac Romam anno 1045. ad Benedictum IX. Oratores miſsos, qui Regis, Regnique nomine obſequium præſtarent, tributumque penderent: a Caſimiro præterea altero Poloniæ Rege ad Alexandrum III. tranſmiſsas, quas in Religionis, Regnique bonum adornaverat, leges, ut ab auctoritate Pontificis robur majus acciperent, refert Johannes Longinus Epiſcopus Leopolienſis in hiſt. Poloniæ ad annum 1045, & 1180: Alexandri vero reſcriptum regerit Baronius ad cit. annum n. 14.

Mindanus Lithuanorum Dux ethnicorum abjectis erroribus, & Chriſtianorum ſacris expiatus Romanæ Eccleſiæ, de cujus auctoritate, & doctrina maximam actutum animo exiſtimationem induit, devote adeo ſeſe demiſit, ut S. Petro pariter in devotionis argumentum dominium detulerit. Legendæ litteræ ad ipſum ab Innocentio IV. exaratæ apud Raynaldum ad annum 1251. n. 44. Uladislaum Lithuaniæ Ducem, & dein Regem Poloniæ anno 1386. ſalutatum pro affectu pietatis tum Gregorii XII, & Johannis XXIII, quorum utique probabiliora erant jura, partibus religioſe ſtuduiſse, tum ſummopere, ut Romanæ Eccleſiæ fides in omnes, quibus longe lateque patent, Lithuaniæ, Poloniæque fines, propagaretur; quin etiam ad finitimas diffunderetur Provincias, curaſſe conſtat ex Dugloſſo lib. 10. hiſt. Polon., & Raynaldo ad annos 1386, 1409, & 1413. Sigiſmundus I. anno 1507. Poloniæ Rex inauguratus ſtatim, atque accepit Lateranenſe V. Concilium indictum a Julio II, a Leone X. continuari, Oratoribus, & litteris miſſis obedientiam Pontifici exhibuit, animique ſui ſententiam, qua erga illum egregie teneretur, hiſce ſignificavit: *Memores officii, ac debiti noſtri, quo eidem S. Romanæ Eccleſiæ Matri noſtræ ſumus adſtricti, pro cujus honore, & tranquillo ſtatu omnes vires noſtras effundere ſemper parati ſumus, Johannem Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, & Stanislaum de Oſtereg Equitem aura-*

auratum deſignamus Oratores noſtros, dantes illis poteſtatem coram Sanctitate Leonis X. Papæ comparendi, ibidemque obedientiam juxta Majorum meorum conſuetudinem præſtandi, & recognoſcendi eumdem eſſe verum, unicum, & indubitatum Pontificem, & Dominici gregis Paſtorem. Non prætermittendum heic, quin perſtrictim de Georgio Saxoniæ Duce ex linea Albertina illud indicem, quod alioqui multis ut celebraretur, dignum eſt, ſtudium ſcilicet tale, ac tantum, quo Romanum Pontificem proſequebatur, Romanæque Eccleſiæ ſibi adhærendum ſtatuerat, ut ab eo illum Lutherus *Diaboli Apoſtolum* appellare non dubitaverit.

Poſtremo Fridericus Auguſtus Saxoniæ Dux, atque in Poloniæ Regem poſtea adſcitus, divina affulgente gratia, quum mentis aciem ad Eccleſiam Romanam intendiſſet, eamdemque veram Chriſti Eccleſiam eſſe conſideraſſet, ut teſtatus eſt ipſius Orator, de quo mox, utpote quæ ſibi ſemper conſentiens, in eadem ſemper fidei, morumque doctrina manſit; nihilque ab ea unquam minus rectum, minus ſanctum, minus antiquum, minuſque Deo dignum manaſſe, Lutheri ejuratis erroribus, Romanæ Eccleſiæ fidem profeſſus eſt, datiſque litteris, & Oratore ad Innocentium XII. tum Eccleſiæ clavo incumbentem miſſo in ejus ſe communione vivere, & commori velle proteſtatus eſt, eique obedientiam, devotionem, & obſervantiam promiſit. Conſtat id totum ex Innocentii epiſt. ad eumdem Regem anno 1698. apud Berninum tom. 4. hiſt. hæreſ. ſæcul. XVII. cap. 10., qua inter alia ita ſcribit. *Satis aſſequi verbis non poſſumus, quo gaudio affecti fuimus, ubi primum, vel ipſo rumore publico nunciante, accepimus te, abjuratis hæreticæ pravitatis erroribus, orthodoxæ fidei profeſſionem in manibus venerabilis Fratris Chriſtiani Auguſti Epiſcopi Javarenſis conſanguinei tui, cujus jampridem zelum catholico Antiſtite dignum probe agnovimus, emiſiſſe: quam quidem lætitiam ea deinde plene cumularunt, quæ ad voluntatis tuæ in eodem propoſito magis, magiſque ſignificandam a te peracta fuiſſe intelleximus. Addiderunt luculentum hujus rei teſtimonium litteræ tuæ a dilecto filio Barone de Taje Nobis redditæ, ac pro ea, qua pollet in rebus agendis prudentia, explicatæ, in quibus nihil omiſit, quod ad declarandam filialem tuam erga hanc S. Sedem, Noſque ipſos obſervan-*

vantiam, & devotionem pertinent. Ex quibus omnibus certam in ſpem adducimur ſplendidiſſimam Polonici Regni coronam æternæ ſapientiæ conſilio tuo capiti ideo fuiſſe impoſitam, ut tu Catholicæ fidei, cujus modo profeſſor agnoſceris, non multo poſt vindex, & aſſertor egregius evaderes. Reliqua habes recitata ibidem a Bernino.

Spendoblus, ſive Suvatoslaus Ruthenorum, qui nunc Moſchi nuncupari ſolent, Principum primus anno circiter 943. chriſtianam Religionem in Ruſſiam invexit, quam poſtea circa annum 987. mirum in modum amplificavit Wolodemirus I, eam ob rem Ruthenorum dictus *Apoſtolus*, & *Salomon*. Quamquam vero Rutheni, ſeu Moſchi a Græcis noſtræ Religionis myſteriis initiati ſint, Græcæ Eccleſiæ ritus colendos ſuſceperint, atque a Græcis Epiſcopi illis ſint ordinati, ut ſcribunt Papebrochius in diſſert. 18. Conatus Chron. hiſt., & in præfat. ad Ephemerides Græco-Moſchas tom. 1. Menſis Maji præfixas; Lequiennius tom. 1. Orientis Chriſtiani; Joſeph Simonius Aſſemanus in Kalend. univerſæ Eccleſiæ par. 2, & alii: quia tamen a Græcis tunc vere catholicis, atque Romanæ Eccleſiæ communione conjunctis, non autem a ſchiſmaticis, ſicut Antonius Poſſevinus autumavit, quem cit. loco refellit Papebrochius, Rutheni chriſtiana fide imbuti ſunt, proinde de Romani Pontificis prærogativis divinitus collatis edocti, ita illi tenaciter adhæſerunt, ut vel Michaeli Cerulario ſchiſma conflanti non auſcultarint. Cujus rei luculentum teſtimonium ſuppeditat S. Gregorius VII. in epiſt. 74. lib. 2. ad Demetrium Ruſſorum Regem, & Reginam ejus conjugem inſcripta, qua ſcripſit ſe ex eorum conſenſu eorumdem filium Georginm, poſtquam S. Petro religionis ſacramento, ſe Regnumque deſpondiſſet, Regem creaſſe, mittere etiam Legatos, qui in Ruſſia diligenter rem chriſtianam curarent. Ex quo liquet tunc temporis Ruthenam Eccleſiam, & Ruſſiæ Reges Eccleſiæ Romanæ præ Græca fuiſſe fide, & communione conjunctiſſimos; quin paullo poſt Alexander Nuſski Ruſſiæ Rex ſanctitate etiam celebris evaſit. Poſtquam vero a Græcis ſchiſmaticis in partes ſuas Rutheni pertracti fuiſſent, a Romanis Pontificibus nihil prætermiſſum, quod ad illos ad frugem, rectamque fidem reducendos pertineret. Teſtata

res eſt apud Poſſevinum lib. 6. Bibl. ſelect.; Baronium ad calcem tom. 7. Annal.; Bzovium ad annum 1514; Raynaldum ad eumdem annum, & alibi; Richardum Simonium Bibl. ſelec. cap. 41; Thomam a Jeſu lib. 6. de procuranda omnium gentium converſione, & alios. Ad hæc Daniel Ruſsorum Rex Innocentium IV. Pontificem M. de Religionis, cultuſque divini rebus conſulendum duxit: cui reſcribens Pontifex epiſt. 174. lib. 5. Græcis, qui Romanis non repugnarent, nti ritibus libens indulſit.

Poſt hæc Johannes Baſilius Moſcoviæ Dux anno 1472. ad Sixtum IV. Summum Pontificem legatis miſſis eumdem veneratum ut Chriſti Vicarium, ſignificavit ſe Florentini Concilii decretis adhæſiſſe; atque ut Legatum dirigeret, qui in Moſcovia corruptelas omnes, ſi quæ irrepſiſſent contra fidem, moreſque, tolleret, efflagitavit. Id refert Maffæus Volateranus in Codice Vaticano Mſ., quem edidit Raynaldus ad cit. annum n. 48, qui & Sixti litteras ad eumdem Ducem deſcribit, quibus eum laudat, quod a Patriarchis Græcis Græcum Epiſcopum in Moſcoviam mitti non eſset paſsus: quod Concilium Florentinum admiſiſset: quod Romano Pontifici Chriſti Vicario reverentiam exhibuiſset. Sed diu ille in ſententia non manſit, nam ad Græcorum ſchiſma rediit, ad eorumdemque ritus cum erroribus eſt relapſus. Confer Chrantzium lib. 13, & Panvinium in vita Sixti IV. Propterea Clemens VII. Pontificatum adeptus in Moſcoviam fidei curas protendens, Oratorem miſit anno 1525. ad Johannem Baſilium Moſcoviæ dictum a Maximiliano Cæſare Imperatorem ad unionem cum Eccleſia Romana redintegrandam, agnoſcendamque ſupremam in Eccleſia Romani Pontificis auctoritatem. Et ſane ſpes magna affulſerat, fore ut res ex ſententia Romano Pontifici ſuccederet: nam Moſchus Princeps perhumaniter acceperat Pontificis Legatos, litteraſque, ipſeque viciſſim Oratore Romam miſso litteras ad Pontificem exaraverat ſub hac epigraphe: *Clementi Papæ, Paſtori, ac Doctori Romanæ Eccleſiæ*, quibus præconceptam a Pontifice ſpem majorem fecerat. Sed bellorum tempeſtate, & Lutheranæ hæreſis furore prohibitum eſt, quominus ea unio perficeretur. Confer Raynaldum ad cit. annum, Spondanum, Auguſtinum Oldoinum, alioſque.

Pau-

Pauca hæc, ne in immenſum oratio excreſceret, ex innumeris Regum exempla exhibuimus, qui Romanos Pontifices omni religionis ſtudio proſequuti apud bonos omnes optime meriti ſunt. Quibus ſubteximus illuſtrium quoque illorum hominum nomina, tum qui paullo poſt egregia Romanæ Eccleſiæ obſervantia obſtrictos ſe ſe oſtenderunt, quales Willelmus IV, & Ludovicus Bajoariæ Duces crebro auditi dicere: *Malle ſe millies mori, quam latum unguem diſcedere ab Eccleſia Romana*: Albertus V. cognomento Magnanimus Willelmi filius, Duxque Bajoariæ a ſtudio, devotioneque Romanæ Eccleſiæ denominatus a Patribus Concilii Tridentini *Firmiſſimum Apoſtolicæ Eccleſiæ propugnaculum*: Willelmus V. Bajoariæ itidem Dux Romanæ Eccleſiæ totus addictus: tum qui poſtremo ſub Pontificatu Innocentii X. hæreticorum caſtris deſertis ad Romanæ Eccleſiæ ſinum convolantes, eam dumtaxat, quam doceret Romanus Pontifex, fidem fore amplectendam probe agnovere, eique ceu legitimo Chriſti Vicario obedientiam nuncuparunt. Sunt autem Odoardus Comes Palatinus Rheni; Uldaricus Dux Wittembergenſis; Dux Holſatiæ; Johannes Fridericus Dux Brunsvicenſis; Dux Luneburgenſis; Erneſtus Lantgravius Haſſiæ; Wolfangus Fridericus Hofmannus Baro Moraviæ; Chriſtophorus Ranzovius Eques Holſatiæ; Herardus Comes Truxenſis, de quibus agit Ciacconius in Innocentio X; quorumque in cenſum parum abhinc advenit Fridericus Haſſiæ Caſellenſis Lantgravius. Præſtat modo, ut ad Orientis Reges, Principeſque alios, qui Pontificibus Summis æquos ſe præbuerunt, noſtra, nec prolixa admodum pertranſeat oratio.

Ex Regibus, & Principibus aliis Orientis.

§. III.

AB Eccleſiæ primo ævo in Mœſiam inferiorem, quæ poſt Bulgaria dicta eſt a Bulgaris, a quibus poſtmodum Provinciæ quoque reliquæ Illyrici, Dacia ſcilicet Mediterranea, Dacia Ripenſis, Prævallis, Dardania, ac Mœſia ſuperior occupatæ ſunt, chriſtianam Religionem fuiſſe invectam, & quidem S. Andreæ

Apoſtoli opera, ab eoque Odyſsæ, quæ inferioris Mœſiæ Oppidum eſt, creato Epiſcopo S. Ampliato, cujus, & Sociorum Stachys, qui Byzantii; Urbani, qui Macedoniæ; & Narciſſi, qui Athenarum, aut Patrarum ab eodem S. Andrea ordinati feruntur Epiſcopi, meminit S. Paulus ad Roman. 16, referunt Hippolytus Martyr in libello de 72. diſcipulis, & Dorotheus in Synopſi apud Baronium in notis ad Martyrolog. Rom. die 31. Octob.; & Sirletum in Menologio Græcorum, quod edidit Henricus Caniſius tom. 2. antiq. lect. Sed vereor ne iſtorum fides omnino nutet, nam opus illud S. Hippolyto attributum dubiæ admodum eſse auctoritatis conveniunt eruditi, eo quod fabellis ſit refertum, inter quas illa de Marco, & Luca, qui auditis verbis illis Chriſti Domini: *Qui non manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, non eſt me dignus*, ab ejus ſequela receſſerint, quos tamen poſtea ad frugem reduxerint SS. Petrus, & Paulus: illa de S. Clemente, quem in Sardinia: de S. Barnaba, quem Heracleæ: de S. Creſcentio, quem Chalcedoniæ in Gallia Epiſcopos affirmat. Confer Ceillierium tom. 2. hiſt. general. auct. ſacr. cap. 27. art. 9. Dorothei Tyrenſis quoque Synopſis de vita Prophetarum, & Diſcipulorum Chriſti, quæ extat in Bibl. SS. PP., fabulis undique ſcatet; cujuſmodi ſpecimen in eo præ ceteris exhibet, quod inter 72. Chriſti diſcipulos enumerat, eoſdemque Epiſcopos facit, quotquot omnes, qui a S. Paulo nominati ſunt, etiamſi Ethnici fuerint, vel fœminæ. Confer Bellarminum de Script. Eccleſ., ubi de Dorotheo Tyrenſi.

Primus, qui ex Bulgariæ Regibus Chriſto nomen dediſse legitur, audit Telericus, qui anno 777. Conſtantinopolim profectus ſacris Religionis noſtræ myſteriis initiatus eſt; quem Patritium declaravit Leo IV. dictus Porphyrogenitus, ei data in connubium Irenis Imperatricis conſobrina. Poſt ipſum Bogoris Bulgariæ dictus Rex a Paulo Presbytero Romanæ Eccleſiæ baptiſmo ablutus, & Michaelis nomine donatus anno 861. ad S. Nicolaum I. Pontificem Maximum Oratoribus miſſis idoneos inſtitutores petiit, qui ſe, gentemque ſuam cum in fide, tum in chriſtiana diſciplina erudirent. Miſit vero Pontifex Paulum Populonienſem, & Formoſum Portuenſem, a quibus res chriſtiana mirum in modum

dum amplificata est. Tanta vero erga S. Petrum, & Romanos Pontifices devotione, observantia, & pietate flagravit Michael Rex, ut capillis sibi attonsis, atque Sedis Apostolicæ Legatis in subjectionis, & obsequii argumentum traditis hisce verbis se illi mancipavit: *Omnes Primates, & cuncti Populi Bulgarorum terræ cognoscent ab hodierna die me servum fore, post Deum, B. Petri, & ejus Vicarii*. Ista constant ex Anastasio in vita S. Nicolai I, & Hadriani II, & in præfat. ad Synodum VIII, ubi addit, quod Græcis modis omnibus adnitentibus, ut Bulgariam a jure Patriarchico Romanæ Ecclesiæ abducerent, & Constantinopolitano Patriarchæ adjicerent, Michaelem columnæ instar obstitisse; atque in Romani Pontificis obedientia stetisse, donec Græcorum fraude deceptus consensit demum, ut Bulgaria in jus Constantinopolitanæ Ecclesiæ transcriberetur, eo quod id definitum in Synodo VIII. ex Orientis Patriarcharum coram Apostolicæ Sedis Apocrisariis sententia falso Græci affirmassent. Qua de controversia alio in loco erit agendum; agit vero inter alios Natalis hist. Eccles. ad sæcul. IX, & X. dissert. 4. §. 23. Ad consulta demum sibi a Michaele missa responsa dedit Nicolaus, quasi totidem decreta, eaque capitulis 106. comprehensa, quibus multa difficilia explanavit, atque Romanæ Ecclesiæ ritus, disciplinamque in Bulgaria stabilivit.

Johannitius, sive Calo-Johannes etiam Rex, seu Imperator; qui anno 1200. circiter Græcorum excusso jugo spem Innocentio III. Summo Pontifici fecerat maximam fieri facile posse, ut Bulgariæ Regnum a longo tempore ab obedientia Apostolicæ Sedis abstractum ad eamdem græcanico schismate abrogato reduceretur, postquam Innocentii Papæ Oratori ad se misso aurem præbuisset facilem, ad Pontificem decreta vicissim legatione, ei obedientiam professus est, Regiaque corona insigniri precibus infimis postulavit, quam olim de manu Pontificis decessores suos accipere consuevisse testatur: *Hoc*, inquit, *petit Imperium nostrum ab Apostolica Sede, ut Nos simus in Ecclesia Romana sicut Matris filialitate firmati. Imprimis petimus ab Ecclesia Romana Matre nostra coronam, & honorem tamquam dilectus Filius secundum, quod Imperatores nostri veteres habuerunt*. Post hæc professionem fidei

fidei juxta formulam a Pontifice præſcriptam emiſit, atque Bulgariæ Regnum, Eccleſiamque, Romanæ Eccleſiæ legibus, juribus, & ritibus ſubjugavit. Innocentius ſceptro illum, & diademate inſignitum Regem dixit; donatum etiam Crucis vexillo, & Clavibus in memoriam Chriſti D.,& S.Petri in Apoſtolicæ Sedis clientelam ſuſcepit: facultatem denique fecit cum Regi cudendi monetam, tum Archiepiſcopo Trinonitano, quem eam ob rem annulo, pallio, & mitra ornavit, Apoſtolicæ Sedis vice Bulgariæ Reges inaugurandi: atque ita Innocentius Eccleſiæ Romanæ jus Patriarchicum in Bulgariæ Regnum, quod jam a multo tempore a Græcis fuerat uſurpatum, recuperavit. Conſtant iſta omnia ex actis Innocentii III. a num. 65. ad 82. Confer & lib.2. epiſt. 115, & lib. 19. epiſt. 65; Illuſtriſſimum Boſquetum ibi, & doctiſſimum Pagium in Innocentio III. Junge Vulcanum Dalmatiæ, ac Diocliæ Regem, qui litteris ad eumdem Innocentium III. inſcriptis Pontifici quidem primas in Eccleſia detulit, ſemet vero imo ex pectore devovit: nec non Stephanum Raſciæ Regem, ad quem exaratas ab Innocentio VI. litteras deſcribit Raynaldus ad annum 1354. n. 26, & ſeqq.

Stephanus Sclavorum, ſeu Serviæ, quæ olim Dardania dicta eſt, & Boſniæ Rex Nicolai IV. opera, qui & operam Helenæ Reginæ Matris egregie adhibuit, ut videre apud Wadingum ad annum 1288. eſt, ad fidem converſus, ejuſdem fidei dilatandæ, & conſervandæ in ſuis ditionibus ſtudio flagrans, ab eodem Pontifice in Principatus Boſniæ fidei Inquiſitores ex FF. Ord. Min. inſtitui, qui rem fidei diligenter ibidem procurarent, ſupplex poſtulavit. Rem ſibi acceptam quam maxime probavit Pontifex, datiſque anno 1291. ad Regem, & Helenam Reginam Matrem litteris, quas ad cit. annum refert Wadingus, poſtulata conceſſit: & quia tum a Stephano, tum ab Helena idem quoque Pontifex rogatus fuerat, ut Ditionem omnem, univerſumque Dominium ſub S. Petri, & ſua protectione ſuſciperet, libenter illis, illorumque rebus S. Romanæ Eccleſiæ clientelam conceſſit, in ſuamque, & Apoſtolicæ Sedis tutelam tranſcripſit. Id conſtat ex ipſius epiſt. 17. Itaque exinde opportunitatem nactus curandi Græcanicum ſchiſma, in quod Bulgari rurſus prolapſi fuerant, quod & cu-

& curandum ſummopere ſumpſiſſe Helenam Reginam probe intellexerat, eidem ſcripta epiſt. 20. ejuſdem ſtudium multis commendavit, & urſit, obteſtatus etiam, atque etiam, ut nihil eorum prætermitteret, quibus Georgium Bulgariæ Imperatorem ad fidem reduci poſſe cognoſceret. Sed & ſignificavit jam ab ſe ſcriptas litteras ad Bulgariæ tum Regem, tum Archiepiſcopum, quibus idem negotium vehementer inſinuaverat, modiſque omnibus ſategerat, ut ad optatum exitum Bulgarorum cum Eccleſia Romana reconciliatio perduceretur. Referuntur Pontificis litteræ ab eodem Wadingo loc. laudato. Sequioribus ævis Bulgaros, Cazaros, & Blachos ad Græcorum ſchiſma iterato delapſos revocare ad unitatem Eccleſiæ noſtri curarunt, dante operam Ladislao Walachiæ Principe, opemque omnem impendente Urbano V. Pontifice Maximo, a quo eam in rem litteræ datæ ad eum, atque ad Latzkum Moldaviæ Ducem, nec non ad Stazimirum, Georgium, & Balſam Albaniæ Principes legendæ extant apud Raynaldum ad annum 1368. n. 19; & ad annum 1370. n. 6, & ſeqq. Sed ob eorum animi levitatem ad ingenium juxta Græcorum morem facile redeuntium, pronumque ad fallendam fidem, diuturna non fuit cum noſtris conſenſio. Itaque ſub Turcarum jugo ingemiſcunt. Agedum de Regibus Armeniæ, finitimiſque dicatur, paucioribuſque, quoad fieri poterit.

Leo ſeu Lievo Armeniæ Rex ad Innocentium III. litteris, Legatiſque miſſis, ſiquidem Regem ab eo dici, & audire mereretur, ſe paratiſſimum ultro præbuit, tum Romanæ Eccleſiæ, tum Romano Imperio cum gente ſua ſubdi. Secundum hæc ſe illi fidei individuæ inhærere, quam Pontifex doceret, profeſſus eſt, gentem pariter ſuam ad ejuſdem fidei profeſſionem adducturum pollicitus; interea privilegia poſtulans, ut præter Romanum Pontificem nemo in ſe, aut in ſuos excommunicationis, vel interdicti pœnis animadvertendi poteſtatem haberet. Utrumque indulſit Innocentius, ſcilicet illum Regem creavit, & illi conceſſit, ut nonniſi a Romano Pontifice, aut ejus Legato, aut de ejus ſpeciali mandato in ejus Regno diſtrictio Eccleſiaſtica exerceretur. Conſtant hæc ex actis Innocentii a numero 111. ad 119; & lib. 5. epiſt. 43. ad 48. Vide Raynaldum ad annum 1206; atque ad annum 1224.

num 1224. n. 19. confer Johannis Comeſtabuli Bratiæ, ſive totius Armeniæ epiſtolam ad Honorium III. inſcriptam obſequii, devotioniſque refertiſſimam: nec non epiſtolam a Johanne XX. ad Oſſinium Armeniæ Regem, quam exhibet idem Raynaldus ad annum 1318. n. 8, & ſeqq. Leo alter Armeniæ Rex, quum Regnum ſuum a Saracenis diripi, divexari, ac diſperdi undique verſum videret, ipſe vero impar eorum ſævitiæ retundendæ eſſet, ad Benedictum XII. Pontificem Maximum anno 1338. litteris Legatiſque directis, quibus ſuppetias adverſus Saracenorum incurſus ſuplex eflagitabat, Regnum quoque ſuum S. Romanæ Eccleſiæ ſubjecit, fidemque obligavit ſuam Monophyſitarum errores ejurandi, nec alteram fidem ab ea, quam Eccleſia Romana edoceret, amplectendi ſe, atque ut Armeni ſui amplecterentur, diligentem operam impendendi. Quia vero Miſſionariorum, quos Johannes XXII. ex Ord. Prædicatorum, & Minorum in Armeniam direxerat, opera, multi Romam Armenorum libri delati fuerant, e quibus diligenti præhabito examine errores ad numerum 117. excerpti ſunt; propterea Pontifex anno 1341. datis ad eumdem Leonem, & ad eorumdem Patriarcham Catholicum dictum litteris juſſit errores illos in libello, quem ad ipſos mittebat, deſcriptos in anteceſſum damnari. Litteras, libellumque ex MS. Vaticano ad hunc annum tom. 16. Annal. deſcripſit Raynaldus: qui pariter ad annum 1338. n. 77. litteras recitat, quas ad Alanorum Principes idem Pontifex dedit teſtes locupletes obſervantiæ, qua ii maxime erga ipſum afficiebatur.

Pii II. pro re Chriſtiana ſollicita cura, quum Ludovicus Bononienſis Ord. Minor., quem a calumniis ipſi a Gobelino impactis egregie vindicat Pagius Junior in Pio II, in Orientem profectus, ut Chriſtianos Reges Iberiæ, Armeniæ, & Meſopotamiæ ad noſtrorum partes perduceret, atque adverſus Turcas in pugnam provocaret, is ſecum Romam adduxit plurium Orientalium Principum Oratores, inter quos dinumerati ſunt Davidis Imperatoris Trapuzuntii Michael Aligerius; Georgii Perſarum, & majoris Armeniæ, & Iberiæ minoris Regis Nicolaus Thephellus; Aſæ Meſopotamiæ Regis Mahometus Turcomannus; Gorgoræ in Iberia majori imperantis Caſſadanus Carcechanus; & Urtebe-

tebeci Armeniæ minoris Regis Moratus Armenus, qui Principum, a quibus missi fuerant, publico in Consistorio coram Pontifice exhibitis litteris, hæc inter alia habuere. *Misisti ad nos Ludovicum Bononiensem professione Minorem, qui ait Te Mantuam petiviſse, ut conventu cum Christianis celebrato Mahumeto Turcarum Imperatori bellum inferres .... Oderunt Turcas noſtri Principes, Te amant, & Christi Vicarium venerantur, parendum Tibi esse fatentur; eam ob causam, quum gravibus inter se odiis discordarent, bellumque gererent, jubente Nuntio tuo arma depoſuere, parati, cum jusseris, adversus Turcas ea resumere. Centum viginti millia pugnatorum, quum volueris, præsto aderunt. In Asiam usque ad Hellespontum, & Thracicum Bosphorum Mahumetis Imperium invasuri, dum Tu pari modo cum Occidentalibus populis aggrediaris Turcas. Ad hoc missi sumus, simulque tuos osculemur pedes tanquam vicem Dei tenentem in terra. Nobis fœderati sunt Bendias Mingrelliæ, & Arabiæ Rex, & Panchratius Iberorum, qui nunc Georgiani vocantur, & Manio Marchio Goriae, & Ismahel Sinopi Dominus, & Casatimene; ac Fabia Dux Anagostae; & Charamannus Ciliciae Dominus, quorum maxima erunt praesidia. Illud tantum ex nunc petimus, ut Ludovicum, qui nos huc adduxit, super eos, qui Romanum in Oriente ritum custodiunt, & tuae Sedis fidei consociantur, Patriarcham constituas.* Adeundi Raynaldus, Spondanus, Continuator Fleurii ad annum 1460, & 1461, & Pagius in Breviar. hist.crit. chronol. de gestis Pii II. De Georgianorum Regum erga Romanam Ecclesiam devotione hæc nunc paucis accipe.

In Colchide, Albania, & Iberia, quæ nunc Georgia, Mingrelia, & Cercetia nuncupantur, fuisse olim Reges, & quidem sub ætatem Constantini Magni, a quo Bachurius Iberorum, sive Colchorum ad Mare Caspium Rex ad sacra noſtra conversus Missionarios, velut vocamus, postulavit, a quibus in Christiana fide gens sua erudiretur, atque sub Justino Imperatore, a quo & Tzantius Laziorum in Colchide Rex, & Gurgennes Rex Iberorum christianæ Religioni addicti suppetias postularunt adversus Cabadem Regem Persarum, qui illos a Christi fide abducere, omnique modo ad Solis cultum juxta Persarum consuetudinem

pertrahere conabatur, constat liquido ex Ruffino lib. 1. hist. Eccles. cap. 10; Socrate lib. 1. cap. 20; Sozomeno lib. 2. cap. 7; Procopio lib. 1. de bello Persico cap. 12; & Gallano tom. 1. Conciliationis Ecclesiæ Armenæ cum Latina cap. 5. Post id temporis facile in Græcorum opiniones, errores, superstitionem, & schismata gentes illæ pro ingenio versatili pertractæ sunt, donec sæculo XIII. Russutana Georgianorum Regina ad Honorium III; ac deinde Rusuda Regina altera, atque David Georgiæ Rex ad Gregorium IX. litteris, quas describit Raynaldus ad annum 1224. n. 17; & ad annum 1240. n. 38, significarunt ardentissimum, quo afficiebantur desiderio, se sacrorum communione Romanæ Ecclesiæ conjungendi. In eadem postea vestigia ingressus Constantinus alter Georgianorum Rex ad Alexandrum VI. Pontificem Maximum Oratore misso Nilo Monacho Basiliano, veterem cum Ecclesia Romana unionem redintegrari rogavit, & Florentini Concilii de fœdere Orientalis Ecclesiæ, damnatisque Græcorum erroribus decreta ad se transmitti. Præsentissimus adfuit Pontifex, unaque cum decreto unionis amplam misit instructionem, præsertim de processione Spiritus Sancti, ac de suprema Romani Pontificis potestate. Has Alexandri litteras exhibet Raynaldus ad annum 1496. n. 21, & seqq. Quis tandem fuerit negotii hujus exitus, si scire aveas, is fuit, qui Græcorum frequens, solemnisque, a quibus sæpe ad frugem reditum, & sæpe in schisma relapsum est. Confer & Continuatorem hist. Eccles. Fleurii ad eumdem annum.

Sequiori ætate nova, & major affulsit spes fore, ut Græcorum ejuratis cum schismate erroribus firmiori nexu Romanæ Ecclesiæ fidei Georgiani conglutinarentur. Auspicio suo spem istam fecit Sciahnava Rex, qui epistola Alexandro VII. Papæ *Patriarcharum omnium Maximo, S. Petri vicem gerenti, totius christiani Orbis Capiti, omnium Magnatum dignitatibus digniori, Archipatrum Domino, atque dispoto* inscripta, ipsi communione sacrorum conjungi, obedientemque esse oportere probissime intellexit. Id pariter Georgio Regi adeo persuasum a P. Angelo a Figline Missionario nostro, ut Mahometica superstitione ejurata, fideique professione emissa integre se V. Innocentio XI. permiserit, ut liquet ex litteris Innocentii ad ipsum anno 1688. Horum vestigiis

hærens

hærens Barzimus Georgiæ Princeps, ab eodem propterea optimo Pontifice litteris benevolentiæ plenis anno 1692. exceptus, in professione fidei his Innocentium XII. celebravit titulis: *Verum Christi Vicarium, Sanctissimi Petri Successorem, Regni Cælestis Clavicularium, omnium fidelium Patrem, Directorem, & Doctorem*, cui totum se dovovet: epistolæ vero hæc epigraphes: *Pastor Pastorum; Pater Patrum; novus Petrus, Plantator fidei Orthodoxæ; Caput legis Christi; Columna, & immobile Christianitatis fundamentum*. Sed & Regius stabuli Præfectus Benedicto XIV. postea scribens hæc usurpavit verba: *Excelso, Potentissimo, & omni laude majori, quo inter Dominationes, & Principes terrestres non est sublimior, cujus inextinguibili celsitudini cum sublimi solvendi, & ligandi potestate, & Paradisi clavibus a Cælo confertur, & unitur pastoralis quoque cura totius Terræ, quam Potentes Mundi timent, & a qua pœnitentes misericordiam, & veniam expectant*. Legendæ etiam litteræ eo de argumento ad S. Congreg. anno 1734. ab Orbelliano viro inter Georgianos magni nominis exaratæ, quæ tom. 7. Bullarii Cappuc. extant, nam omnia persequi res esset profecto tædii, laborisque plena. Ad Turcas, & Tartaros efferatos etsi brevi modo oratione excurrendum.

Qui Mauris in Provincia Sitifensi a Sitifa, nunc in Algerii, & Bugiæ Regno, denominata Regis nomine circa sæculi XI. dimidium præerat Annazir dictus in christianos affectu propensus, quo rei christianæ Præfectum Romanum Pontificem haberet in pretio fecit planum, dum ad S. Gregorium hujus nominis VII. Episcopum consecrandum misit Servandum, litterisque exaratis a Pontifice consecrari postulavit, ut liquet ex epist. 21. lib. 3. Reg. Gregoriani: consecratum eum vero fuisse Episcopum Hipponensem patet ex epist. 20. ejusdem libri ad Clerum, populumque Hipponensem. Soldanus Iconii cum Matris christianæ, sed occultæ ob metum Saracenorum, quæ proxime moritura ei fidem suam aperuerat, adhortationibus, tum Angeli, qui super Matris sepulchrum Crucis signum collocaverat, apparitione commotus, Religionem christianam amplecti anno 1169. decrevit. Itaque legatione ad Alexandrum III. missa petiit obnixe a Pontifice virum idoneum ad se mitti, a quo Pontificis ipsius vice de lege Christi,

de eaque, quam Pontifex ipſe profiteretur, fide plenius inſtrueretur. Miſit autem Alexander litteras Catecheticas, quibus Soldanus in Religione Chriſti eruditus, & confirmatus eſt, unaque hominem doctrina, & virtute præſtantem, a quo ille ſacro baptiſmate, clanculum tamen ob ſuorum metum, rite eſt expiatus. Adeundi hacce de hiſtoria Matthæus Pariſius ad annum 1169; & Robertus de Monte in append. ad Sigebertum ad annum 1181. Sed & Alexandri III. laudatas litteras legere eſt apud cit. Pariſium, Petrum Bleſenſem, Labbeum, & Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1401. Confer etiam Soldani Salachini, Iſmaelis, & Davidis litteras ad Innocentium IV, quas regerit Raynaldus ad annum 1247. n 69, & ſeqq.; nec non ejuſdem Innocentii epiſtolam ad Soldanum Turcarum apud laudatum modo Raynaldum ad annum 1254. n. 5.

Miſſionariorum opera, & prædicatione paullo ante hanc ætatem Mulejus Achmetus Mulei Abenſaris Regis Feſſæ filius, & nepos Mulei Iſmaelis Regis Marochii Muhamedis impia ſecta ejurata, Regiiſque commodis contemptis, chriſtianorum ſe legibus, dogmatibus, & moribus libens obſtrinxit, & Romam veniens Eccleſiæ Romanæ fidei conſociari non modo voluit, ſed imo Societati Jeſu dato nomine, ſub quo Balthaſar de Lojola eſt appellatus, homine chriſtiano vitam dignam duxit, atque ſub Clemente XII. Pontifice Maximo vivendi finem fecit. Agit de eo Thyrſus Gonzalez in manuductione ad converſionem Muhamedanorum par. 2. lib. 2. cap. 8. Præiverat ei vero in exemplo Mulejus Xequus Mahometis Feſſæ, & Marochii Regis filius, qui anno circiter 1593. in Hiſpania cum aulicis ſuis Muhametana abdicta ſuperſtitione, chriſtianæque Religioni dato nomine, Romanæ Eccleſiæ ſacramento ſe totum dedidit.

Oſmannus Ibraini Turcarum Imperatoris primogenitus, dum Methymnam ſepulchrum Mahometis cum matre Baſſæa Sultana viſitatum navigio delatus adiret anno 1644, in Melitenſium Equitum manus fortunatus incidit, a quibus captus, Melitamque deportatus, ubi paullo poſt Mater mortua eſt, divinæ gratiæ luce affulgente, quum impiæ Turcarum ſectæ abſurditatem cœpiſſet agnoſcere, Religionis vero chriſtianæ fidem ſibi fore ſectandam, ſi

ſalu-

ſalutem adipiſci vellet, fidei Catholicæ myſteriis imbui voluit, & poſtquam Romanæ Eccleſiæ nomen dediſſet ſuum, perinde Ordini Prædicatorum ſe nuncupavit, dictus ſubinde Dominicus Ottomanus. Conſule hac de re doctiſs. Gravezonium hiſt. Eccleſ. tom. 8. colloq. 1. Sub Clemente VIII. Pontifice Maximo Romam advenisſe anno Jubilæi 1600. Turcas nonnullos, qui Romanæ Eccleſiæ majeſtate, ſanctitate, & religione in admirationem rapti Mahometica ſuperſtitione abdicata Religioni chriſtianæ ſe ſe obſtrinxerint, atque baptiſmi lavacro abluti ſint, refert Spondanus ad annum 1600. Mitto litteras Pii II. ad Mahometem Turcarum Imperatorem de amplectenda Chriſti fide; nihil enim iis profecit; cæterum eæ alio in loco opportuniori proferentur.

Tartarorum Orientalium Rex Sattachus baptiſmo ablutus ad Innocentium IV. actutum miſſo Oratore Johanne Presbytero obedientia ſe devinxit, deque Chriſtianis ſacris ab eo, qui Chriſtianorum Sacerdotiis præfectus erat, erudiri infimis precibus depoposcit. Legito litteras Innocentii ad ipſum propterea exaratas apud Raynaldum ad annum 1254. n. 2. Poſt hunc, qui Tartaris Imperatorum nomine præerant, Cobila, & Abaga inſigni legatione cum litteris ad Johannem XXI. Summum Pontificem miſsa, mitti ad ſe viros ſcientia, & religione idoneos, a quibus tum ipſi, tum ipſorum filii, tum ipſis ſubjecti populi in fide Chriſtiana inſtrui, atque ſacris Romanæ Eccleſiæ myſteriis initiari poſsent, enixe poſtularunt. Johanne fatis functo Nicolaus III. provinciam a prædeceſsore inceptam explere exoptans, litteris, & Legatis ex Ordine Minor. delectis ad illos Reges directis, quas quidem litteras legere eſt apud Wadingum, & Raynaldum ad an. 1278, multis illos de Religione chriſtiana docuit, & ad eam in ſubditas gentes diffundendam eſt adhortatus. Atque quidem Pontificis officiis devinctum Cobilam noſtris nomen dediſse, & rem Chriſtianam in Imperio diligenter curaſse conſtat ex litteris, quibus ea de re eidem gratulatus eſt Pontifex. At Abagam a præconcepto fidei deſiderio excidiſse, optimi Pontificis de ejus converſione conatus eluſiſse, ac inolito Idolorum cultui hæſiſse, nulloque modo paſſum, ut a ſuperſtitione abſtraheretur, narrat Marinus Sanutus ſecret. fidelium Crucis lib. 3. parte 13. cap. 8. apud Pagium in Ni-

Nicolao III. Conjicere exinde eſt Abagam legationem ad Pontificem miſsam Religionis ſuco deliniviſse, ejus tamen fuiſse ſententiam, ut Chriſtanæ gentis opera ſuis rebus conſuleret. Et ſane jampridem ad B. Gregorium X. Pontificem Maximum in Concilio Lugdunenſi eumdem Abagam litteras, Legatoſque dediſse, non quidem fidei cauſsa, ſed ad fœdus cum Chriſtianis feriendum legitur in actis Concilii Lugdun., & referunt Sanutus loc.cit., Haytonus de Tartaris capp.32,& 35, & Matthæus Weſtmonaſterienſis in annalibus Anglic.ad annum 1275, ac liquet ex litteris Gregorii X.ad eumdem Regem eodem anno exaratis apud Wadingum ad hunc ipſum annum; Binnium; Labbeum tom. 11. Concil.; & Harduinum tom. 7. pag. 704. Teſtantur tamen acta laudata ex Tartarorum Oratoribus tres Idolorum ſuperſtitione relicta Chriſtiana fide imbutos fuiſse, atque a Petro Oſtienſi Cardinali paullo ante ſeſs. 5. baptiſmo ablutos. Ex ea tamen Agabæ agendi ratione liquet agnoviſse illum totius rei Chriſtianæ ſummam penes unum Romanum Pontificem ſtare: perſuaſumque vel Orientalium remotiſſimis, in Religione chriſtiana primas a Romano Pontifice agi partes.

Abagæ interfecto anno 1282. ſucceſſit ipſius frater Tangodor, qui equidem Chriſtianam fidem fuerat amplexatus, atque baptiſmo puer ablutus Nicolai nomine aſsumpto, ſed poſtea fœdere inito cum Soldano Saracenorum, eorum quoque Sectæ totum ſe dederat, Mahometi accepto nomine. Itaque qua præmiis, qua pœnis Tartaros chriſtianos a Chriſti fide deterrere ſtuduit, cunctaſque per Regnum ſuum Eccleſias Chriſto Domino ædificatas evertit. Eum tamen paullo poſt, ideſt anno 1285. Argon ſupradicti Abagæ filius, ac Regni legitimus hæres vicit, vinxit, occidit. Igitur is Regno potitus, atque a Cobila paullo ſupra commemorato, quem penes Tartarici Imperii ſumma ſtabat, in Regno confirmatus, quum animo erga chriſtianam Religionem optime eſset affectus, utque eſset, tum Cobila Imperator, tum noſtri Ordinis Minorum homines illuc miſſi effecerant, Eccleſias dirutas inſtauravit, & Tartaris ſuis, ut in Chriſtum crederent exemplo fuit. Siquidem Oratoribus, & litteris ad Nicolaum IV. miſſis ſignificavit ſe animo erga Chriſtianam fidem approbe com-

pa-

paratum esse, ac desiderio fervere eidem nomen dandi. Sed & certior factus est Pontifex Tartarorum Reginas Tuctanem, & Elegagem jam sacro baptismatis fonte expiatas fuisse: gentis quoque Episcopos schimaticos, & hæreticos, Nestorianos scilicet, aut Jacobitas facile posse ad frugem perduci. Itaque Nicolaus tum ad Argonem Regem, tum ad Tuctanem, & Elegagem Reginas, tum ad Episcopos Regionum illarum incolas, tum ad Fratres Minores iis in RegnisMissionarios agentes litteris exaratis, quas ad annum 1288. exhibent Wadingus, & Raynaldus, qua de fide Christiana instruxit, qua eadem in fide confirmavit, qua fidei mysteria explanavit, & qua ad eamdem fidem dilatandam excitavit. Argonem Regem, & Caydonum Principem in Regno successorem Nicolai monitis morem gessisse, fidemque Romanæ Ecclesiæ fuisse amplexatos tradunt Wadingus, & Sanutus locis cit. apud Pagium in Nicolao IV.

Caganus alias Cassanus Tartarorum alter Princeps,& Argonis filius anno 1298.Missionariorum opera ad ejurandam superstitiosam Mahometi sectam,Religionemque, quam Romana Ecclesia teneret, amplectendam est adductus; qui propterea, ut de re Christiana optime mereret, Saracenis e Palæstina expulsis ea regione potitus est. Carbaganda Argonis filius alter Christiana sacra,assumpto Nicolai IV.nomine,anno 1291. fuerat amplexatus: sed postea pro ingenii levitate rei optime factæ pœnitens a proposito resilivit, ad Mahometi castra regressus. Videsis Raynaldum ad hunc annum. Clemens V, ut apud Tartaros Christi fidem magis, magisque amplificaret, Johannem de Monte Corvino Ordinis FF. Minorum, qui magno cum fructu apud Tartaros præconem egerat, Archiepiscopum, aliosque septem ex eodem Ordine assumptos homines scientia, & virtute eximios ordinavit Episcopos, quibus provincia demandata, ut recentem Tartarorum Ecclesiam fide, moribus, & ritibus Romanæ Ecclesiæ pro iis, quibus valebant, viribus informarent. Idem Johanni XXII. studium, zelusque insedit. Ad Benedictum XII. magnus Tartaro-Chamus anno 1338. Oratoribus missis litteras dedit singularis observantiæ in Sedem Apostolicam testes,quas ad cit.annum exhibet Raynaldus n.74,&seqq.Siquidem Pontificem *Dominum Christianorum*

ram ſalutabat, ipſius benedictionem, & ſanctas orationes efflagitabat, ipſique Alanos, aliosque Imperii ſui chriſtianos commendabat. Pontifex miſſis ex Ordine Minor. viris Apoſtolicis eo in Imperio Religionem chriſtianam propagari curavit: exaratis etiam litteris tum ad Magnum Chamum, tum ad Chriſtianos in ejus aula commorantes, illi in rem Chriſtianam, noſtroſque homines ſtudium gratulatus eſt, utque cum eidem nomen daret, tum eamdem in Regno ſuo prædicari permitteret, eſt obteſtatus: illis vero orthodoxorum dogmatum exarata ſumma, inſtructioneque de recta credendorum ratione miſsa, de Chriſtiana fide ipſos commonefecit, in eaque confirmavit. Ad Tartaros pariter a veteri ſuperſtitione abducendos Guillelmum Archiepiſcopum Cambalienſem multis Minoritis conſociatum miſit Urbanus V, datiſque ad Magnum Chamum, univerſoſque Tartaros litteris, quas Raynaldus regerit ad annum 1370. n. 9, & ſeqq., ad ſacra noſtra amplectenda adhorttus eſt.

Hactenus de Tartaris, qui ad Occidentem ſpectant dictum eſt. Jam de Tartaris dicendum, qui ad Orientem pertinent, ſeu Orientalis maris partem inhabitant. Tartaros porro, ac ferme univerſos circa ſæculi VIII. exitum, & IX. initium in Neſtorianorum partes tranſiiſſe refert Moshemius vir e Proteſtantium grege hiſt. Tartar. Eccleſ. cap. 1. Scilicet narrat a Timotheo Patriarcha Neſtorianorum in Tartariam miſſum primo SubchalieſumMonachum Siriace, Arabice, & Perſice doctum Epiſcopum ab ſe ordinatum, ac poſtmodum Kardagum, & Jaballahamum, ex Monachis pariter Epiſcopos conſecratos, alioſque quindecim Monachos ſocios adjunctos, a quibus chriſtiana Religio, ſed Neſtorii hæreſi conſpurcata, longe lateque per Tartariam, Cathajam, & Sinas propagata eſt. Initio ſæculi X. Tartarorum Orientalium Princeps Presbyter Johannes dictus primus fuit, qui Romanæ Eccleſiæ Religioni ſtuduerit. De ejus nomenclatura, & Regni ſitu controverſia eſt inter eruditos. De ejus nomine agunt Joſephus Scaliger lib. 7. de emendat.; Jobus Ludolphus lib. 2. hiſt. Æthiop. cap. 1; Moſhemius hiſt. Eccleſ. Tartarorum cap. 3; Pagius uterque, Senior quidem ad annum 1145., & 1177., Junior vero in Alexandro III: atque illum quidem Presbyterum Johannem dictum

ctum volunt Moſhemius, & Pagius teſtimonio innixi Ottonis Friſingenſis lib. 7. cap. 33, Gullielmi Tyri in Gerardo Mercatore, & Marini Sanuti lib. 3. fidel. Crucis par. 3. cap. 4, eo quod Rex eſſet, & ſimul Neſtorianorum Sacerdos. E contra Ludolphus illum Preſterchan, hoc eſt adoratorum Chanum dictum fuiſſe contendit, ut indicaretur illum Chriſtianorum Principem fuiſſe. Nec minor eſt de loco diſſenſio. Jampridem Presbyterum Johannem in Africa, ſeu Abyſſinia, ſive Æthiopia Imperium obtinuiſſe exiſtimatum eſt a Baronio, Renaudotio hiſt. Patriarch. Alexand., & Joſepho Franciſco Lafiteau tom. 1. *Des decouvertes des Portugais*. At contra in Aſia illum imperaſſe oſtenderunt poſt Ottonem Friſingenſem, Martinum Polonum, Vincentium Bellov., Marinum Sanutum, Jacobum de Vitriaco, & Paulum Venetum Balthaſar Telezius, Alphonſus Mendeſius, Kircherus par. 2. Chinæ illuſtratæ, Matthæus Veiſerus la Croze vir acatholicus hiſtor. chriſtian. Æthiop., & Armen. l. b. 3, Jacobus Ludolphus Lutheranus homo in comment. ad hiſtor. Æthiop., Moſhemius loc. cit., Johannes de plano Carpini in relat. itiner. art. 5, Guillelmus Rubruquius ſuor. itiner cap. 18, Pagius uterque in locis indicatis, aliique, quibus adhærendum puto. Hæc de nomine, ac loco Presbyteri Johannis obſervaſſe lectori non injucundum arbitror. Jam ut rei nunc noſtræ intereſt

Primus Tartarorum Orientalium Princeps, qui Presbyter Johannes dictus ſit, catholicæ Religioni ſæculi XI. initio nomen dedit, ut auctor eſt Aſſemanus tom. 3. Bibl. Orient. ex Abulpharagio in Chron. Syror. ad annum Hegiræ 438. Poſt hunc, qui Imperii ſummam adeptus eſt Presbyter Johannes in hujus nominis ſerie tertius opera Philippi cujuſdam Alexandri III. Pontificis Medici ad partes illas peregrinati certiorem Pontificem fecit ſe avide cupere de omnibus Apoſtolicæ Sedis dogmatibus eruditi, adeo ut deinceps in nullo a doctrina ejudem ſanctiſſimæ Sedis diſſentiret: deſiderare etiam, ut in Urbe ſuæ Regionis viris concederetur Eccleſia, domuſque, ubi ab ſe miſſi viri ad id idonei de Romanæ Eccleſiæ doctrina, moribus, & diſciplina inſtrui poſſent, quam poſtmodum in patriam reduces alios edocerent. Rem apprime jucundam Alexander habuit, ideoque ad illum litteras

dedit, quas referunt Radulphus de Diceto in Imaginibus hiſtor. pag. 608, Matthæus Pariſius ad annum 1181., & Baronius ad annum 1177, quo illæ datæ ſunt, Legatumque remiſit præfatum Philippum, qui eumdem, & ſuos de articulis Chriſtianæ fidei, in quibus a Romana Eccleſia diſcordarent, erudiret; ſpondens ab ſe Eccleſiam in Urbe concedendam, ut ab eo miſſi in fide orthodoxa magis inſtituerentur. Quis autem ejus legationis exitus fuerit, ignoratur: conceſſam tamen Indis iſtis Eccleſiam S. Stephani cum adjecta domo ſitam poſt abſidem Baſilicæ S. Petri auctor eſt Baronius. Eugenio IV. anno 1441, & Sixto IV. anno 1482. a quibuſdam, qui & Presbyteri Johannis nomine donarentur, Legatos veniſſe legitur, qui avere ſummopere Reges ſuos chriſtianos quidem, ſed catholicorum dogmatum ignaros dixerunt, poſtulaturi perinde, ut illuc a Pontificibus proficiſci juberentur viri idonei veritatem incolas edocturi. At eos Æthiopes, ſeu Abyſſinos, non Aſianos fuiſſe viriſimilius ſit, ac proinde de iis paullo infra agendum, poſtquam ideſt paucis Thibeti, & Japoniæ Reges attigerimus.

Clemente XI. Pontifice de re chriſtiana amplificanda maxime ſollicito, & jubente ad magni Thibeti Regnum, cujus Princeps urbs Laſsa, cuique conterminæ ſunt cum Tartaria, tum Sinæ, profecti noſtræ Cappuccinorum Congregationis homines pietate, & doctrina præſtantes P. Franciſcus Horatius a Penna, unaque i2. Religioſi comites Provinciæ Picenæ Mivaganum Regem, ſummum gentis Sacerdotem, quem magnum Lamam nuncupant, alioſque plures genere præclaros ad Religionem chriſtianam magnopere propenſos effecerunt. Itaque Imperator Mivaganus una ac de re Chriſtiana, de Romani Pontificis auctoritate poſt Chriſtum ſumma, ejuſque zelo catholicæ fidei in Thibeto propagandæ, atque ad ſalutem ipſum Imperatorem, gentemque perducendi inſtructus, præclara erga Pontificem ipſum reverentiæ, atque obſervantiæ ſpecimina exhibuit. Nam Romam reverſuro P. Franciſco, ut rerum geſtarum certiorem Pontificem faceret, exindeque novos Evangelii præcones in Thibetum mitti curaret, etiam, atque etiam inſtitit, ut ſe, gentemque ſuam Pontificis ſtudio commendaret. Regreſso Roma in Thibetum præfato P. Fran-

P. Franciſco ab eo delatas Clementis XII. litteras gratantiſſime accepit, pro ejuſdem ſtudio ad rectam fidem ſe, gentemque ſuam perducendi gratias egit quam maximas; lataque lege anno 1741, ut juxta Pontificis optimi monita chriſtianam fidem a noſtris in Regno prædicari, eiqde ſubditos, quicumque vellent, nomen dandi poteſtatem fecit pleniſſimam. Pontificis quoque litteris ad ipſum exaratis, quas laudatus P. Franciſcus detulerat, quum accepiſſet Magnus Lama eamdem, qua præiverat Imperator, agendi rationem tenuit; evulgatoque eodem anno 1741. edicto Summum Pontificem laudibus cohoneſtavit ob eam, quam gentis ſuæ in fide Chriſti erudiendæ induerat curam: noſtros homines genti univerſæ ſummopere commendavit ob eam, quam tum Pontifici Maximo obedientiam exhibuerant, & quam populis religionis, pietatis, amoriſque ſpeciem ingerebant: jubens, ut a nemine in officio mora illis fieret, utque fidem ab illis prædicatam amplexari cuilibet pro bona voluntate liceret.

Thibeto finitimum eſt Regnum Batgai, cujus principalis Urbs Nepal eſt. Igitur ad Regnum illud directus una cum aliis ex Ordine noſtro anno 1735. P. Vittus a Ricineto, quum Zaervanegittam Mallam Regem, & Biſoraggem magnum gentis Sacerdotem de Religione chriſtiana, & Romano Pontifice ſupremo ejuſdem Capite approbe inſtruxiſſet, magnum iiſdem deſiderium Romanæ fidei fecit. Itaque per utrumque noſtris licuit Evangelium annuntiare, & ſuis fidem noſtram amplecti. Sed & Rex Battiæ Mogoli conterminæ, quum a prælaudato P. Vitto, qui eò conceſſerat, de Religione chriſtiana audiviſſet, ram bene ſtatim in legem ab illo annuntiatam eſt affectus, ut eum e Regno excedere nullo pati vellet modo. Quia vero P. Vittus id, quominus in Battiæ Regno ſibi degere liceret, obeſſe dixiſſet, quod a Summo Pontifice ad Regnum Batgao proficiſci juſſus fuiſſet, ad Pontificem Maximum datis actutum Rex litteris enixe obſecravit, ut ejus juſſu noſtri homines in Regno Battiæ demorarentur, a quibus ipſe, ipſiuſque ſubditi de chriſtiana fide inſtruerentur. Conſtant hæc omnia ex epiſtolis hiſce de rebus ad Pontificem, & S. Congregationem de propaganda fide miſſis, atque ex relatione Rmi P. Sigiſmundi a Ferraria tum Procuratoris Generalis, ac poſtea Generalis Miniſtri

Romæ anno 1742. exarata. Porro a Benedicto XIV. Pontifice M. ad Reges cum Battiæ, tum Batgai datæ deinde litteræ ſunt, quibus gratias agit eorum omnium beneficiorum, quæ in Miſſionarios contuliſſent, atque ad Religionem chriſtianam amplexandam, curandumque, ut populi pariter amplexarentur, graviſſimis verbis eſt adhortatus.

Magna laudum pars, quæ S. Franciſco Xaverio, pariterque ejuſdem inclytæ Societatis Jeſu eximiis Miſſionariis debetur, ea eſt, quod omnium primi in remotiſſimas Japponiæ Regiones chriſtianam Religionem intulerint, ſummoque ſtudio enixi ſint, & ſategerint, ut inlata mirum in modum amplificaretur. Quo de argumento, ſi amplius ſcire aveas, tibi auctor ſum, ut adeas hiſtoriam Eccleſiæ Japponicæ gallice editam, ejuſdemque generis hiſtorias hiſpanice adornatas a PP. Marcello Ribadeneira; Ludovico Guſmano; Petro Morejone, aliiſque; latine a PP. Andrea Schotto; Johanne Petro Maffejo; Nicolao Trigaultio; Bartholo; Craſſeto, aliiſque; atque, ſi licet, Varennium hominem e numero Proteſtantium lib. de Jappon. Relig.; & Scheuchzerum ejuſdem furfuris virum in hiſt. naturali, civili, & eccleſ. de Imper. Jappon. Itaque Societatis Jeſu Sacerdotum opera ad Chriſtianam fidem perducti Bungienſium, Omurenſium, & Arimenſium in Japponiæ Inſulis Reges Oratoribus, & litteris ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum anno 1582. miſſis eximiæ erga Apoſtolicam Sedem obedientiæ, & obſervantiæ teſtimonium dederunt. Atque quidem iis in litteris Franciſcus Bungi Rex ſic inter alia ſcribit: *Summi Dei auxilio ſuppliciter implorato magna cum humilitate ad Sanctitatem veſtram ſcribere aggredior. Dominus rector Cæli, terræque, cujus imperium ſuper ſolem, lunam, & ſtellas, ignoranti mihi, & profundis immerſo tenebris claritatis ſuæ lumen juſſit ſplendeſcere, ac noſtratibus præcipue populis reſerans arcam ſuæ miſericordiæ, atque gemmarum dignatus eſt ante annos amplius quatuor, & triginta deſtinare in hæc Japponiæ Regna Patres e Societate Jeſu, quorum e ſalutari, & divina ſemente non nihil in meum quoque Dei benignitate cecidit pectus. Quod tam inſigne beneficium, aliaque multa o Sanctiſſime totius chriſtiani populi Parens veſtræ potiſſimum precationi, meritiſque accepta equidem refero,*

fero, ac proinde, niſi me bella, ſenium, & affecta valetudo impedirent, conferrem me ipſe ad viſenda, ac veneranda Sacratiſſima iſthæc loca, ac ſimul obedientiam exhibens, pedes veſtræ Sanctitatis poſt pia ipſorum oſcula capiti meo ſuperimponerem, & Sacratiſſima veſtra mana pectus meum ſigno Crucis muniendum curarem. Sed quoniam iis, quas dixi cauſſis, impedior, ſororis meæ filium D. Hieronymum Regis Fiungæ filium cogitabam legare pro me, verum quando is in præſenti longe abeſt, & P. Viſitatoris inſtat profectio, D. Mancium ejus conſobrinum eodem nomine mittere viſum eſt; a veſtra Sanctitate magni beneficii accipiam loco, ſi pro ea, qua fungitur in terris Dei vice, me & Chriſtianum hunc gregem, uti facit, favere, & adjuvare perrexerit.

Conſentanea his omnino exaravit Prothaſius Rex Arimanorum: poſtquam enim Pontificem feciſſet certiorem ſuſceptæ ab ſe Religionis Presbyterorum Soc. Jeſu opera, ſic attexit: *Quumque Sanctitas veſtra Chriſtianum gregem univerſum moderetur, & paſcat, valde mihi fuit optatum iſthuc venire, coramque humi ſtratus magna cum ſubmiſſione exhibere illi obedientiam, & poſt pedum oſcula beatorum, eos met meo capiti ſuperimponere. Sed quoniam rebus variis impedito id mihi non licet, mitto cum eodem Patre Viſitatore patruelem meum D. Michaelem, ut pro me hoc munere pietatis, officiique fungatur. Ex eo ipſo mea vota, & alia cognoſcet veſtra Sanctitas, ac proinde non ero fuſior, quam ego ex animo ſincero, & humili venerabundus adoro.* Denique Bartholomæus Omurenorum Rex pari in Pontificem animo humili affectus ſic ſcribit: *Vereor ne crimen audaciæ ſubeam, attamen quum Regis Cælorum gratia rudem hanc epiſtolam offero Sanctitati veſtræ, quæ quum in terris locum obtineat Dei, ac ſimul ex ipſius doctrina, & magiſterio Chriſtianus populus pendeat univerſus, æquum ſane fuerat me met maria tranſmittere, ipſumque ad veſtram Sanctitatem inviſendam venire, ſacroſque ejus pedes poſt pia iſtorum oſcula ſuper meum caput imponere; ſed quominus hoc fungar officio, multæ me hoc tempore prohibent cauſſæ.* Perhonorifice, & peramanter Legatos, litteraſque horum Regum Gregorius XIII. ſuſcepit, iiſque gratulatus de ſuſcepta fide, ut in Romanæ Eccleſiæ communione permanerent cohortatus eſt.

Nec

Nec abſimili ſtudio Regi Cochini, a quo Legatos acceperat, ad chriſtianam fidem amplectendam, ejuſdemque fidei præcones adjuvandos perſuaſit. Sed & Johanni Regi Inſulæ Ceylani cum viginti ſubditorum millibus FF. Minor. opera chriſtianis ſacris initiato, cujuſque fidei, & obedientiæ profeſſionem receperat, litteris gratulatus eſt, illique ea de cauſsa Regno ſpoliato auxilium, ſuppetiaſque tulit. Adeundus Raynaldus ad annum 1575, & 1582. At de Aſiæ Regibus ſatis: jam ad Reges Africæ noſtra, breviſque tranſeat oratio.

In Æthiopiam, ſeu Abyſſiniam invecta primum ſæculo Eccleſiæ II. a Panthæno Philoſopho chriſtiano, ac genere quidem Siculo, incolatu vero Ægyptio, ut auctor eſt Euſebius lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 10; poſtmodum vero IV. Eccleſiæ ævo a Frumentio Salama dicto ab Æthiopibus in Hagiologio, ut ibidem adnotavit Sollerius, illó a S. Athanaſio miſso, & Axumitarum ordinato Epiſcopo, (ex quo factum eſt, ut obſervarunt poſt Elmacinum Ludolphus, Vanslebius, Bernatus, & Sollerius, & quidem uſque in hanc diem, ut Æthiopibus unus Epiſcopus Metropolitæ nomine, quem Abbunam, hoc eſt Patrem gens vocat, vocatus ab aliis Amba, præſit, iſque Alexandrino Patriarchæ hodie adhuc pareat), amplificata, ut eſt traditum a S. Athanaſio in apolog.; Ruffino lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 9; Theodoreto lib. 1. cap. 23; Socrate lib. 1. cap. 19; Sozomeno lib. 2. cap. 24, aliiſque, quo deque agit Æthiopum Hagiologium ad 11. Muſre, ideſt 26. Julii apud Sollerium in tract. prælim. ad tom. 5. Junii de Patriarchis Alexand. cap. 12. in corollario, chriſtiana Religio, poſtquam Monophyſiſmi, ac Monotheliſmi erroribus illuc ab Alexandrinis Monothelitis, & Monophyſitis delatis conſpurcata fœde fuiſset, ac tandem ad veterem Idolorum ſuperſtitionem fuiſset a gente reditum, ſæculo tandem XV. iis in Regionibus Evangelii luce reſplendente ſacra chriſtianorum ibi coli cœptum eſt. Et ſane Albertus Sartianenſis Ord. Minor. ab Eugenio IV. ad Ægypti, & Æthiopiæ populos Evangelium prædicatum miſsus, ex miſſione redux, ad Eugenium Concilium Florentiæ celebrantem inter alios laborum, quos uberes ferebat fructus, reduxit Andream Abbatem S. Antonii in Ægypto, & Petrum Diaconum Oratorum munere obeuntes

tes Conſtantini Zaræ Jacob Imperatoris Æthiopum, qui & Presbyter Johannes dicebatur, qui Pontifici obedientiam præſtiterunt, atque de fide ab eo decreta profeſſi ſunt. Extant Eugenii epiſtolæ eam ob rem datæ tom. 13. Concil. Labbei. Sixto IV. Pontifici Maximo anno 1482. ab Æthiopiæ Imperatore dicto quoque, neſcio quomodo, Presbytero Johanne, Oratores venerunt nuntiantes Principem in optatis ſummopere habere, ut in Provincias idonei viri a Romano Pontifice concederentur, a quibus tum ipſe, tum ipſius populi chriſtiani quidem, ſed chriſtianorum dogmatum multam partem ignari, plene inſtruerentur. Quis rei fuerit exitus, ignoratur.

Sæculo XVI. David Æthiopum Imperator denominatus ad Clementem VII. Oratores duos Franciſcum Alvarez Luſitanum, qui Emanuelis Luſitaniæ Regis vices apud illum fuerat defunctus, & Chriſtophorum Licanati Æthiopem miſit, qui duas a Rege Davide exaratas litteras Pontifici obtulerunt. Eas latina lingua donatas a Paulo Jovio legere eſt apud Damianum Goez Equitem Luſitanum in comment. de rebus Æthiopum, & apud Oldoinum in additionibus ad Ciacconium. Prima vero hæc habet: *Pax tibi ſit juſte Domine, Pater Sancte, potens, pure, ſacrate, qui es Caput Pontificum omnium, & neminem metuis, quum nemo Tibi poſſit maledicere; qui es vigilantiſſimus ſuper animas Curator, & amicus peregrinantium, conſecrate Magiſter, & Prædicator fidei, & earum rerum hoſtis, quæ conſcientiam offendunt; amator optimorum morum, vir ſanctus, quem omnes laudant; & benedicunt. O felix Sancte Pater, ego tibi reverenter obedio, quum ſis pax omnium, & cuncta bona merearis, & ita æquum eſt, ut omnes Tibi obedientiam præſtent, ſicuti SS. Apoſtoli præcipiunt apud Deum.* In poſteriori vero ad eumdem ſic loquitur: *Felix Sancte Pater, qui a Deo effectus es gentium Conſecrator, & S. Petri Sedem obtines: Tibi datæ ſunt Claves regni Cælorum &c. Mitto ad deoſculandos pedes Sanctitatis veſtræ more ceterorum Chriſtianæ fidei Regum Fratrum meorum &c. Cupio ingenti deſiderio conſequi ſacroſanctam benedictionem a Vicario Domini noſtri Jeſu Chriſti; nam procul dubio Sanctitas veſtra Dei eſt Vicarius. Exoſculor autem pedes ſanctos, & ſupplex oro, ut benedictionem mittat.*

tat. Narrat interea rem christianam in Æthiopia bene haberi: dolet se ab eo litteris non esse visitatum: rogat obnixe, ut Nuncium in Æthiopiam cum instructione mittat: ait extare in archivis suæ aulæ litteras ab Eugenio IV. Pontifice ad proavum suum de Concilii Florentini decretis exaratas: postulat efflictim ad se transmitti sanctorum, ac quam maxime B. V. Mariæ imagines: artifices etiam imagines pingere doctos, & organa musica tum scite facere, tum docte pulsare idoneos; alia horum similia adjungit, quibus edepol, quanto erga Romanum Pontificem ferveret pietatis studio, planum faciebat. Cunctis vero ejus postulatis Clemens Pontifex, prout par erat, fecit satis.

Paulo III. Pontifici Maximo anno 1549. ab Æthiopia Nuntius veniens legatus a Claudio Aznafsagad Imperatore litteras obtulit, in quibus sic ajebat ille: *Pax Tibi, pax Trinitatis sit Tecum. Audi Pater noster, quem nobis in Patrem dedisti, Johannem consecratum posuimus in Sede Pontificia.... Audi nos Pater noster Paule Princeps Patrum Romæ, cui subjiciuntur septem Reges christianorum, obliviscitur ne consanguineus sanguinis sui?* Secutæ sunt deinceps aliæ Æthiopum legationes, curatumque summopere a Pontificibus; ut Episcopi in Æthiopiam contenderent rei Christianæ diligentem operam amplificandæ daturi. Ita Gregorius XIII. Oratore Johanne Baptista Britti in Æthiopiam proficisci jusso Imperatorem Sarzadinghel, ut ad Ecclesiæ unionem, & Apostolicæ Sedis obedientiam regrederetur, vehementer adhortatus est. Ita Paulus IV. Nonnium Baretum Soc. Jesu professorem Patriarchali dignitate adauctum in Æthiopiam ad Imperatorem direxit. Ita ab Urbano VIII. illuc missus Alphonsus Mendesius Soc. Jesu Patriarchæ dignitate exornatus, ut rem christianam in Æthiopia pro virili parte curaret. Sed res nostris male cesserunt. Ita Innocentius XII. Franciscum Mariam a Saleme Ord. Minor. ad Imperatorem Æthiopiæ Nuncium misit, litterasque illi tradendas anno 1700. dedit, quibus inter alia sic effabatur: *Nos, qui licet immerentes, Dei vices gerimus in terris, etsi longo locorum intervallo a te separati, Apostolica tamen charitate non disjuncti indeficientibus votis optamus, ut Cælesti beneficentiæ congrue respondeas, ita ut tibi humanis, quibus frueris bonis, & his quidem*

dem fugacibus, ac tranſitoriis, ſupernæ aliquando felicitates, & immortales addantur. Verum quia id nemo aſſequi poteſt, niſi hanc Romanam Eccleſiam Principis Apoſtolorum Sedem, omniumque Orbis Eccleſiarum Matrem, ac Magiſtram agnoſcat, eique firmiter adhæreat, Pontificiæ noſtræ ſollicitudinis partes eſſe duximus Te etiam, atque etiam hortari, ut ſemitam catholicæ veritatis, quæ ducit ad vitam ingrediaris, & Majorum tuorum, qui hanc ipſam veritatem amplexi ſunt, ſequaris exemplum. Cetera legito apud Berninum hiſt. hæreſ. ſæcul. XVII. cap. 10. Mitto reliqua ne ſim ultra modum longior. Quod ſi plura aveas, præſto erunt Franciſcus Titelmannus Ord. Cappuccin. lib. de Relig., Morib., & Cærem. Æthiopum; Balthaſar Telezius Soc. J. in hiſt. gener. Æthiop.; Euſebius Renaudotius in hiſt. Patriarch. Alexandr.; Vanslebius in hiſt. Eccleſ. Alexand.; qui & Abulbaracat in epitomen contraxit; Solerius in tract. prælim. ad tom. 5. Junii de Patriarch. Alexand.; ex Acatholicis vero Ludolphus in hiſt. Æthiop.; Crouſæus in hiſt. Chriſtian. Æthiopiæ, & Armeniæ, aliique multi.

Congi, & Angolæ, quò a S. Congregatione de propaganda fide anno 1641. Cappucini noſtri prædicatum Evangelium contendere juſſi ſunt, a quibuſque teſte Cerrio in relat. ad V. Innocentium XI. res fidei eis in Regionibus egregie curatæ ſunt, ingenſque itinerum, laborum, prædicationiſque fructus eſt relatus, Congi, inquam, & Angolæ in Africa Reges hominum noſtrorum opera ad noſtra ſacra perducti Romano Pontifici, quibus teſtata eſſet ipſorum erga Apoſtolicam Sedem obedientia, ejusdemque communioni adhæſio, litteras, legatoſque ſæpe miſerunt. In his Antonius Congi Rex, ejuſque frater germanus Franciſcus nomine, qui Religioni chriſtianæ nomen dedit non modo, ſed inter noſtros cooptatus, ad noſtræ amuſſim vitam tranſegit, pieque tandem anno 1651. obiit. Adeundus Jo: Franciſcus Romanus Ordinis noſtri vir doctus, & pius, qui ad Regnum Congi ſemel, & iterum profectus deſcripſit vulgari idiomate hiſtoriam Miſſionis Fratrum Cappucinorum ad Regnum Congi cum deſcriptione Geographica ejuſdem Regni, adjunctis moribus, & ritibus illius gentis. Regina Matambæ Anna nomine alias Singa nuncupata a P. Antonio Laudato a Gaeta ſacris noſtris reconciliata ſuæ fidei,

ſummique erga Apoſtolicam Sedem obſequii locupletes teſtes litteras dedit tum S. Congregationi de propaganda fide, tum Alexandro VII. anno 1662, a quo viciſſim gratulatorias anno 1665. recepit. Quo pariter erga Pontificem devotionis ſtudio flagrarent Principes Sonhi Antonius, & Paulus Generoſus Baretti de Sylva liquet ex eorum litteris ad PP. Generalem, & Procuratorem Ordinis prælaudato tom. 7. Bullar. Cappucc. relatis. Alvarus item Rex Congi, adparet ex litteris Apoſtolicis Pauli V. anno 1620; Gregorii XV. anno 1621; Urbani VIII. anno 1640; & Innocentii X. anno 1645. ad eum exaratis. Garzias Alphonſus II. Congi etiam Rex, conſtat ex actu obedientiæ ab ejuſdem Oratoribus PP. Angelo Valentino, & Johanne Franciſco Romano ejus nomine anno 1648. Innocentio X. exhibitæ; ex litteris ab illo Pontifici inſcriptis, viciſſimque ipſi a Pontifice una cum Regia corona redditis; nec non ex litteris ab Alexandro VII. anno 1660. eidem nuncupatis, quas legere eſt præmemorato tom. 7. Bullarii Cappucc. Alphonſus inſuper Angolæ Rex cum Regina conjuge, & filiis pari obſequio erga Pontificem affectum animum prætulit, ut liquido patet ex ejus epiſtolis anno 1663. Alexandro VII, eique a Pontifice anno 1666. mutuo inſcriptis. Garzias rurſus Congi Rex, uti fit exploratum ex epiſt. Clementis X. anno 1673, & V. Innocentii XI. anno 1677. Petrus tandem Rex pariter Congi, Maria Regina conjux, Anna Regina vidua; nec non Veronica Regina Matambæ; Petrus Dux Bambæ; Dominicus Dux Somni; Dux etiam Battæ, & Sonhi Principes quanti facerent, quantoque Pontificem in honore haberent liquido conſtabit legenti litteras Clementis XI. anno 1707. una cum Regio diademate ad Petrum datas, quas cit. loco exhibet P. Michael a Tugio.

In Borno Regno Guineæ, quò pariter miſſi anno 1674. a Sacra Congregatione de Propaganda fide Cappuccini noſtri, ut auctor eſt Cerrius in relatione cit., Regem quidem rei Chriſtianæ propitium, & Romanum erga Pontificem obſequentem fecerunt, gentis autem ingentem multitudinem chriſtianis ſacris imbuerunt. Quo quidem officio perfuncti perinde ſunt in Inſula S. Thomæ ſub linea æquinoctiali in Africano Guineæ Mari ſita cum Ludovico II. Rege Overii, ut liquet ex litteris ab eo ad noſtros anno 1690.

no 1690. exaratis; nec non cum Obba Bennini Rege, ut adparet ex litteris ab eodem anno 1710. ſcriptis ad P. Procuratorem Gener. Ord.; ad S. Congregationem de propaganda fide; & ad Clementem XI. Pontificem Maximum tom. 7. Bullarii noſtri relatis. Ad hæc in America a Miſſionariis Cappuccinis ad ſacra Chriſtianorum perducti quinque Reguli, quos Caziques appellant, e Provinciis Cumanæ, Carachæ, Guarapichæ, Guacharæ, Araguæ, & Amanæ, nomine Dominicus, Gaſpar, Macarius, Stephanus, & Chriſtophorus, quæ de Pontifice a noſtris fuiſſent edocti, in litteris anno 1666. ad Alexandrum VII. exaratis aperuerunt: *Inter alia*, inquientes, *ipſi nos docuerunt Sanctitatem veſtram Dei apud nos vicem obtinere, eique, ſicuti ipſiuſmet Dei Vicario, debere nos ſubmiſſum animum conteſtari, ac ſub ipſius ſemper obedientia vivere; quod libentiſſime amplectimur. Qua propter abhinc omni cordis obſequio, animæque reſignatione Sanctitatis veſtræ arbitrio, ac poteſtati nos ſubjicimus, & in perpetuum devovemus.* Quæ in noſtratum laudem attexo, non itademum accepta velim, ut Religioſis aliorum Ordinum detractum aliquid ſit: præfiſcine id enim, proculque abs me tantum nefas, qui ſi id operis mei inſtitutum eſſet, illorum præconia multis, præclariſque celebrarem; quod & ſupra ubi oportunitas affuit, præſtitiſſe me puto, ſed & confeſtim præſto.

Sæculo ſuperiore Monomotapæ Rex ab Aloyſio a Spiritu S. Ord. Prædicat. viro Apoſtolico ad chriſtianam Religionem perductus, a Romano Pontifice, de cujus poteſtate edoctus fuerat, operarios mitti, qui Romanæ Eccleſiæ fidem in Regno ſuo diſſeminarent, ut refert Cerrius, valde deſideravit. Sed de his hactenus dicta abunde ſufficere arbitror, ut palam fiat, quod principio articuli propoſitum fuerat, a Regibus, qui in Religione chriſtiana enati, aut enutriti eſſent, Apoſtolicam Sedem ſummo ſemper in pretio habitam; peſſimeque res illis cunctas ceſſiſſe, qui eam aliquando deſpicatui habuiſſent. Regibus vero, qui Idololatriæ, ſuperſtitionis, aut ignorantiæ tenebris fuiſſent involuti, ut Religioni chriſtianæ optime iret conſultum, id ſummopere perſuaſum a Miſſionariis fuiſſe, oportere Romani Pontificis, cujus ſumma eſſet in Eccleſia auctoritas, doctrinam amplecti, monitis obtem-

perare, & præceptis morem gerere; quæ si semel fierent, fore ut humana, & divina optimo in loco essent constituta, uti plurimo experimento, pluriumque exemplo Regum, Regnorumque expositum est, & exploratum.

Ex Doctrina veteri, & nova Gallicanæ Ecclesiæ.

ARTICULUS X.

VEterem Gallicanæ Ecclesiæ de privilegiis doctrinam voco, quæ ab exordio ejusdem Ecclesiæ obtinuit jugiter ad epocham usque Concilii Constantiensis: novam autem, quæ ab eo tempore, ac deinceps invecta est. Contendo vero Gallicanæ Ecclesiæ eamdem esse novam, atque veterem, in qua enutrita semel eidem semper adhæserit. Fuisse ex Gallis equidem, qui sub ævum Concilii Constantiensis in oppositam ultro opinionem concesserint, esseque etiam num, qui veteri illa, veraque sententia abdicata, in novitiam, a veritateque toto ostio aberrantem descenderint, quam & eidem sacratissimæ Ecclesiæ appingere non verentur. At Gallicanæ Ecclesiæ hanc minime arrisisse, fuisseque acceptam, sed religiose, ut par erat, potius a Majoribus acceptæ doctrinæ jugiter, tenaciterque adhæsisse illam propugno, atque ut propugnem, multa sunt, quæ efficiunt, momenta, quæ antequam in medium proferam, illud in antecessum, obiterque, opportunitatem e re nata nactus, in laudem Gallicanæ Ecclesiæ producendum arbitror, ab omni ævo de Apostolica Sede optime Gallicanam Ecclesiam fuisse promeritam, adeo ut uni Galliæ acceptam frequentissime retulerint Romani Pontifices jurium suorum conservationem, dignitatis defensionem, vitæ imo securitatem. Ita enim in eos debacchantibus, ac desævientibus schismaticis, rebellibus, hæreticis, hostibus Principibus Leone Isaurico, Luitprando, Aistulpho, Desiderio, Ottone, Henrico, Friderico, Ludovico &c. Sæculo VIII. SS. Gregorius II; Gregorius III; Stephanus II; Paulus I; Stephanus III; Hadrianus I; Leo III: Sæculo IX. Stephanus IV; Johannes VIII: Sæculo XI. Urbanus II; Paschalis II: Sæculo XII. Gelasius II; Callixtus II; Innocentius II; Alexander III; Gregorius

gorius VIII: Sæculo XIII. Innocentius IV; Urbanus IV; Bonifacius VIII: Sæculo XIV. Johannes XXII: Sæculo XVI. Clemens VII; Paulus IV: Sæculo XVII. Clemens VIII; & Paulus V. Quo vero animi obsequio Romanos Pontifices non sunt prosequuti Francorum Imperatores, Regesque Carolus Martellus, Pippinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Philippus, S. Ludovicus &c. paullo post laudibus pro meritis cumulandi?

Quamobrem in Gallicanæ Ecclesiæ laudem, & quidem magnam cedit, quod S. Nicolaus I. calumniis appetitam a Photio, Græcisque Latinam Ecclesiam, ut vindicaret, ad Episcopos Gallicanos inscripta epist. 70, quam exhibet Baronius ad annum 867. n. 43, & seqq., auguste eosdem adhortatus sit, ut Græcorum propulsandi calumnias provinciam susciperent, Latinorum vero ritus, mores, religionemque in libertatem assererent. Quod Johannes VIII. epist. 30. ad Ludovicum Bajoariæ Regis filium in hæc effatus sit: *Ex vestra progenie nullus cervicem superbe contra hanc extulit Sedem: sed propter Deum suppliciter colla submisit*. Quod S. Gregorius VII. epist. 8. lib. 8. Regi Suecorum gratulatus sit, iccirco quia sacri verbi præcones, a quibus gens sua in christiana fide erudiretur, ex Gallicana Ecclesia arcessissent, affirmans ab Ecclesia Gallicana non aliam Suecis suis doctrinam, quam qua ipsa a Romana Ecclesia edocta fuerat, propinandam. *Gallicana siquidem*, inquit, *Ecclesia non vos alienis documentis instruxit, sed quod de thesauris Matris suæ S. Romanæ Ecclesiæ accepit, salubri vobis eruditione contradidit*. Quod Gelasius II. apud Baronium ex Pandulpho verba referentem affirmarit: *Portum Romanæ Ecclesiæ, & fluctuantis Naviculæ Petri Galliam esse*. Quod Gregorius IX. in epist. ad Archiepiscopum Remensem scripserit: *Gallicanam Ecclesiam in devotione Apostolicæ Sedis non sequi alias, sed antecedere*. Quod Alexander III. ad Ludovicum VII. Galliarum Regem pariter effatus fuerit: *Gallicanam Ecclesiam . . . nunquam a Catholicæ Matris Ecclesiæ unitate recessisse; nunquam ab ejus subjectione, & reverentia se subtraxisse, sed tamquam devotissimam filiam firmam semper, & stabilem in ejus devotione permansisse*. Quod Innocentius III. ad Philippum II, & ad Archiepiscopos, & Episcopos Galliarum datis litteris dixerit: *Fidem, & obedientiam*

tiam veſtram Nos, & Prædeceſſores noſtri ſumus frequenter experti: in aliis etiam litteris in hæc verba ſit loquutus: *Exaltationem Regni Francorum ſublimationem Apoſtolicæ Sedis reputantes: quum hoc Regnum benedictum a Deo ſemper in ipſius devotione permanſerit, & ab ejus devotione nullo unquam, ſicut credimus, ſit tempore diſceſſurum*. Quod Pius II. ad Carolum VII. Francorum Regem ſcribens affirmarit: *Francorum Regibus ſolemne fuiſſe ... Romanam Eccleſiam honeſtare: hæreditariam devotionis conſtantiam, ac fidei puritatem a Progenitoribus ſuis accepiſſe*. Quod Concilium Lateranenſe III. de Simon. cap. 18. apud Harduinum tom. 6. part. 2. in append. p. 1724. in Eccleſiæ Gallicanæ laudem hæc protulerit: *Gallicana Eccleſia majorum perſonarum ſcientia, & honeſtate præfulget*. Quod Concilium Tridentinum in elogium Galliarum Regis, ac Regni tum dicentem libenter audierit: *Rex chriſtianiſſimus ... non tam quæ ſua ſunt, quærit, quam quæ ſunt Catholicæ Eccleſiæ, & Pontificis Maximi, cujus dignitatem, & auctoritatem, ut ſartamtectam in Gallia retineat, non dubitat tanti Regni imperium, vitam, & fortunas magnorum Principum, Procerum, & Nobiliorum in periculum adducere*: tum liquido dixerit apud Harduinum tom. 10. pag. 276: *Omni tempore Regnum illud firmiſſimum Catholicæ veritatis præſidium, & columen jure optimo habitum* fuiſſe. Quæ quidem jure, atque merito effata ex ſequentibus exploratiſſimum fiet. Hæc vero tam libenter protuli, quam ſincere: quorum utique ſimilia ſexcenta in ejuſdem Gallicanæ Eccleſiæ laudem proferre mihi eſſet pronum, ſi id propoſiti mei ratio pateretur. Ex his tamen paucis volo cetera plurima intelligantur, quove ego animo approbe afficiar erga Gallicam gentem, palam fiat: & proinde ſi, quam mente gero, ſententiam Gallicanæ Eccleſiæ appingam, id æquo animo facere credar, non ſecus atque ſi contra Gallos nonnullos calamum exacuero, id abs me non fieri, ingenue profiteor, aut invidiæ genti illi conflandæ gratia; (abſit a me etenim tantum nefas) aut ex minori, quo eam gentem in pretio habeam, (maximi enim pendo) bene vero eo uno, quod ego Italus Gallis illis, qui Italos noſtros Sedi Apoſtolicæ ſtudentiſſimos vellicant, vicem rependam; palamque faciam quinimo Italos præ Gallis neutiquam Sedi

di Apoſtolicæ ſtuduiſſe magis, aut magis ſtudere. Præterea quum ex Eccleſiarum traditione, ſive teſtimonio diſputationem meam corroborandam, vallandamque circumquaque ſuſcepiſſem, de ea, quæ una ex præcipuis habenda eſt, diſtinctim, copioſe, ac dilucide agendum operæ pretium duxi: ea quoque ratione ductus, quod admodum ægre audirem ei adverſam paſſim attribui opinionem, ex eaque, etſi peſſima conſecutione, Proteſtantes anſam arripere Pontificum privilegiis conviciandi, quam ut penitus eriperem, hanc inire viam propoſui, in quam e veſtigio ingredior.

Ex Conciliis Eccleſiæ Gallicanæ, atque ex Gallicani Cleri Comitiis.

§. I.

ERgo Eccleſiam Gallicanam ei a priſca ætate, & poſteriori jugiter inſtitiſſe ſententiæ, quod Romanus Pontifex ejuſmodi Primatu in Eccleſia univerſa potiatur, cujus appendices ſint cum ſupra Concilia generalia poteſtas, tum in fide infallibilitas exploratum fit primo ex Conciliis ea in Eccleſia celebratis. Principio, quæ in proleg. art. 3. tom. 1. ex Concilio Arelatenſi primo jam prolata ſunt, adeo ſunt præclara, ut repetere, paucis tamen, quoad fieri poterit, omnino præſtet. Enim vero eo in Concilio una cum Afris, Hiſpanis, Britannis, Italis, omnibus 600, coadunati Gallicani Epiſcopi perfecta jam Synodo pro ipſius confirmatione, magnificis verbis illis ad S. Silveſtrum ſcripſerunt: *Placuit hæc juxta conſuetudinem antiquam a Te, qui majores Diœceſes tenes, & per Te potiſſimum omnibus inſinuari.* Quæ plane verba Concilio Arelatenſi reſtituenda collatis Codicibus Mſs. Colbertino, Pithæano, & Pariſienſi Collegii Societ. Jeſu apud Sirmondum, & Harduinum conſpicies, jureque reſtituta a Perronio, & Harlæo, atque ab obtrectationibus Eduardi Stillingfleeti, qui in ſuis origin. Britan. nihil non egit, ut Romani Pontificis cum Patriarchatum, tum Primatum everterer, quæque faverent, recta, & oblique intorquerer, ſuſque deque vexaret, vindicata a Clariſs. Scheleſtratio perpendens doctiſs.

Tho-

Thomaſſinus veter., & novæ diſcip. lib. 1. p. 1. cap. 8. tam vere, quam nitide pronunciavit, quod prima S. Silveſtri Sedes, ad quam Patres Arelatenſes ſcribebant, *indeclinabilem juriſdictionem exercuerit in ceteros omnes Patriarchas*: indeclinabilem ita, inquam, ut vel ipſi ſubjectas ſe generales Synodi intellexerint, nec niſi ipſa jubente, loco ſtare ſuo a generalibus Synodis inſtituta. Quæ vero de Pontificis infallibilitate præclara ipſis inſederet ſententia, pateſecerunt Galliarum Epiſcopi 43. in Concilio Narbonenſi anno 451. congregati in epiſtola Synodica ad S. Leonem M., quæ inter Leoninas poſt epiſt. 51. legitur, qua de ejuſdem Pontificis epiſtola ad Flavianum ſcribentes ſic ajunt: *Quæ Apoſtolatus veſtri ſcripta, ut ſymbolum fidei quiſquis Redemptionis ſacramenta non negligit, tabulis cordis adſcribit ... Doctrinæ poſt Deum veſtræ debet quiſquis fidelis, ut conſtanter teneat, quod credebat: debet etiam infidelis, ut a perfidia ſua, agnita veritate, diſcedat; & Apoſtolicæ inſtitutionis luce perfuſus erroris ſui tenebras derelinquat, magiſque ſequatur, & credat, quod per os veſtrum Dominus noſter Jeſus Chriſtus de ſacramento Incarnationis ſuæ docet.* Grates Deo reddunt deinde: *Quod tantæ fidei, tantæque doctrinæ Apoſtolicæ Sedi, unde Religionis noſtræ fons, & origo manavit, Antiſtitem dederit.* Sunt ne vero indicia iſthæc, amabo, opinantium Pontificem de fide edocentem falli poſſe, & fallere, cui non ſit cur proinde utroque, pronoque auſcultetur aure, an potius hominum plane, qui officio deputent Pontifici edocenti animum integre apponere, velut ei, a quo, dum edocet, errandi procul omne abſit periculum? In Concilio Araufican II. anno 529. congregati adverſus Fauſti Rejenſis Epiſcopi errores, eidem cum Semipelagianis communes: *Id nobis*, inquiunt, *ſecundum admonitionem, & auctoritatem Sedis Apoſtolicæ viſum pauca capitula ab Apoſtolica Sede nobis tranſmiſſa ... ad docendos eos, qui aliter quam oportet, ſentiunt, ab omnibus obſervanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus. Quibus locis, qui hucuſque non ſicut oportebat, de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea, quæ fidei Catholicæ conveniunt, animum ſuum inclinare non differat.* Itaque Apoſtolicam Sedem in fidei ſententiis ſequendam abſque periculo erroris fore pronunciant; reapſeque ſibi ſequendam proponunt.

Exin-

Exinde profectum pariter ſtudium illud eximium, enixumque, quo cautum ſummopere eſt a Concilio tum Vaſenſi II. anno 529. can. 3, 4, & 5, ſive de ritibus in Eccleſia Romana ſacris in Eccleſiam Gallicanam tranſcribendis, ſive de Romani Pontificis nomine inter ſacra a Gallicana Eccleſia recitando: tum ab Aurelianenſi IV. anno 541. can. 1, ut quæ pariter Romanæ Eccleſiæ celebrandi Paſchatis ratio placuiſſet, eadem, ut par erat, religioſe a Gallicana Eccleſia obſervaretur: *De qua ſolemnitate quoties aliquid dubitatur, inquiſita, vel agnita per Metropolitanos a Sede Apoſtolica ſacra conſtitutio teneatur*. Ita obiter de diſciplina. Jam uberius de doctrina, & decretis.

In Concilio Aurelianenſi V. anno 549. collecti Galliarum Epiſcopi can. 1. Neſtorii, & Eutychetis ſectas cum eorum auctoribus, & ſectatoribus diris cunctis devoventes, Apoſtolicæ Sedis judicium præ oculis haberi debere duxerunt: *Quas etiam ſectas*, inquiunt, *Sedes Apoſtolica, & Sancta condemnat*. Conſer et canonem 1. Concilii Arverneſis II. anno eodem celebrati. Sane hæreſes illas una cum Hæreticis a Synodis Epheſina, & Chalcedonenſi damnatas non neſciebant: qui igitur fieri potuit, ut Sedis Apoſtolicæ dumtaxat judicium ſibi ſectandum propoſuerint, niſi quia illud ſatius fore in cauſſis fidei finiendis ratum, perſpectumque ipſis fuerat? In Concilio II. Turonenſi anno 567. coacta Gallicana Eccleſia plane non alteram prætulit de Apoſtolicæ Sedis decretis ſententiam, dum præclare ita pronunciavit: *Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ a Sede Apoſtolica proceſſerunt, agere præſumat?* Loquebatur de S. Innocentii decretali epiſtola ad Victricium Rotomagenſem. Pergit deinde de S. Gelaſii decreto loquens: *Vel quis, quod pejus eſt, contra ſententiam, quam.... Paulus Apoſtolus ... promulgavit? ... & quorum auctorum valere poſſit prædicatio, niſi quos Sedes Apoſtolica ſemper aut intromiſit, aut apocryphos fecit, & Patres noſtri ſemper hoc cuſtodierunt, quod eorum præcepit auctoritas? Nos ergo ſequentes quod vel Apoſtolus Paulus, vel Papa Innocentius ſtatuit, in canonibus noſtris inſerentes ſtatuamus obſervandum*. Sibi igitur Pontificum decretis parendum fore probe intelligebant, nullum vero in ejuſmodi obedientiæ obſequio ſubeſſe profecto erroris

roris periculum. In Concilio Lugdunenſi I. ſub S. Nicetio Archiepiſcopo, & Guntheramno Rege ex 14. Epiſcopis coadunato anno 570. adverſus Salonium Ebredunenſem, & Sagittarium Vapincenſem, qui plurium, ingentiumque criminum, puta cædis, pervaſionis, homicidii, adulterii, perſonam gerebant, quum lata fuiſſet depoſitionis ſententia, ii vero ad Johannem III. Pontificem M. interpoſita appellatione, graduquo feſtino Romam properantes ſuis reſtitui ſedibus, (ob id puto, quod Pontifice inconſulto gradibus fuiſſent deturbati) precibus impetraſſent, datiſque ad Regem litteris Pontifex imperaſſet, ut iis ad ſuum regredi locum liceret, tantum abeſt, ut ſive Rex, ſive Galliarum Præſules mandato Pontificio, quo ſuamet ſententia fuerat infracta, aut inferre moras, aut vim facere ſe poſſe abſque piaculo autumarint, ut potius in argumentum obſequii, quo Apoſtolicæ Sedi aſsurgebant, ambobus, prius tamen officii admonitis copiam priſtini loci confeſtim ultrocitroque fecerint. Conſule S. Gregorium Turon. hiſt. Francor. lib. 5. cap. 20, ex quo fit exploratum præclarum, enixumque ſane ſtudium, quo de colendis, adimplendiſque Sedis Apoſtolicæ dogmatibus, ſive decretis, Galliarum qua Reges, qua Antiſtites afficiebantur. Suſpecta quidem peritis quibuſdam S. Gregorii Turon. narratio viſa eſt, ſed hujus loci non eſt de hujus rei veritate curioſius inveſtigare. Ut ut enim de his ſit, argumento ſunt approbe ſtatuta Synodalia Eccleſiæ Remenſis ſub Sonnantio, ſicuti veriſimilius videtur, qui Synodo Remenſi anno 625, aut 630. præfuiſſe legitur apud Flodoardum lib. 2. hiſt. Rem. Eccleſ. cap. 5: nam cap. 1. ſancitum habetur, ut omnes *Exacte doctrinam fidei juxta verbum Dei, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ traditionem teneant, ſequanturque.*

Qui vero quæro a ſingulari Eccleſia teſtimonium, quum liquidum, ac luculentum ſuppeditat tota Eccleſia Gallicana, una cum Germanica in Concilio Liptinenſi congregata in Francia Orientali anno 743. ſub Carolomanno Rege, & S. Bonifacio Moguntino Præſide juſsu S. Zachariæ Papæ in dicto, ejuſdemque auctoritate comprobato, ut liquet tum ex Benedicto Levita in præfat. ad tres poſteriores libros Capitularium, tum ex epiſtolis S. Bonifacii ad Zachariam, & viciſſim S. Zachariæ ad Bonifacium,

& ad

& ad Francos, ac Gallos apud Labbeum tom. 8? Siquidem in eo ſtatutum præſertim de obedientia, obſequioque Pontifici impendendis in epiſtola 105. ad Cudbertum Archiepiſcopum Cantuarienſem præmemorato loco legenda præfatus S. Bonifacius, qui Synodo præfuit, liquidis his verbis perhibet: *Decrevimus in noſtro Synodali conventu, & confeſſi ſumus fidem catholicam, & unitatem, & ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ ſine tenus vitæ noſtræ velle ſervare: S. Petro, & Vicario ejus velle ſubjici ... Metropolitanos Pallia ab illa Sede quærere, & per omnia præcepta Petri canonice ſequi deſiderare, ut inter oves ſibi commendatas numeremur. Et iſti confeſſioni univerſi conſenſimus, & ſubſcripſimus, & ad corpus S. Petri Principis Apoſtolorum direximus, quod gratulando Clerus, & Pontifex Romanus ſuſcepit.* Quæ quidem profecta ex animis de Pontificis ſuprema poteſtate, ac infallibilitate perſuaſis liquido patet etiam, atque etiam ex aliis epiſtolis ad SS. Gregorium II, Gregorium III, & Zachariam ab eo exaratis, ab iiſque viciſſim acceptis. Quid autem quod Epiſcopi Concilii Francofordienſis in Elipandum, & Felicem ab ſe prolatam ſententiam a Pontifice confirmari precibus infimis petierunt? Quid enim earum precum in cauſſa fuit, niſi quia non ignorarent poſt Synodum reliquum Romani Pontificis, qui Synodis ipſis ſuperſtat, judicium ſupereſſe? Itaque poſt Synodum Francofordienſem Synodus altera Romæ anno 794. ab Hadriano I. habita eſt, ex cujus actis Auctor veterum Annalium Francorum a PP. Martenio, & Durando tom. 5. veter. Monum. editus iſta deſcribit. *Placuit etiam univerſali Concilio* (Francofordienſi,) *ut ob reverentiam Sancti Apoſtolici Hadriani Papæ Romæ ſcripta mitterentur, per omnia juris privilegio reſervato Summo Pontifici. Qui præfatus Papa iterum Concilio congregato Epiſcoporum totius Eccleſiæ Romanorum, Helephantum,* (Elipandum) *& Felicem totius perfidiæ & arches, & ſequaces eorum ...* (comdennavit). *Miſit etiam epiſtolam Epiſcopis, vel Eccleſiis partibus Hiſpaniæ, vel Galliciæ conſolatoriam.* Epiſtola iſta Synodo Romanæ anni 792. olim tribuebatur; ſed jam tribuendam eſſe Synodo Romanæ anni 794. ex modo dictis adparet.

Videri poſſent iis, qui obliquo oculo Apoſtolicæ Sedis amplitudinem

plitudinem aſpiciunt, Pariſienſis Synodi Patres anno 824. juxta Labbeum, & Harduinum, aut verius 825. juxta Baronium, & Pagium in cauſsa Imaginum congregati Romanum Pontificem hoc honoris loco, quo ex Gallicanæ Eccleſiæ ſententia nos collocamus, haud habuiſse. At, ſi ſuperis placet, non alteri, ſi inveſtigetur accurate, eos ſententiæ, quam quæ Majoribus inſederat, communiſque nobis contingit, inſtitiſse demonſtratu haud difficile arbitror. Equidem in epiſtola Synodica ad Ludovicum, & Lotharium Imper. parum habuerunt SS. Patrum ſententias ſiniſtrorſum intorquere, interpretarique ita, ut illos SS. Iconum hoſtes inique agerent: parumque perinde Synodi VII. Patres erroris iccirco temere inſimulare, quod SS. Imaginibus cultum indixiſsent, Hadrianum Pontificem Maximum errato pariter affarunt; in eo audacter reprehendentes, in quo plane ſe duplici reprehenſione dignos præbuerunt, tum quod in epiſtola apolog. ad Carolum M. pro cultu SS. Imaginum, Imagines erigi, & coli ſub juramenti religione juſſiſſet: (quas quidem licite erigi ipſi non ibant inficias, coli autem nefas autumabant:) tum quod illis in litteris multa miſcuiſſet, turbaſſetque teſtimonia veritati, auctoritatique directo contraria, & abſona: tandem tamen in fine apologiæ explicate fuiſſe profeſſum non aliam de Imaginibus ſibi inſidere ſententiam, quam quæ a S. Gregorio M. adverſus Imagines fuerat expreſsa: ex quo inferunt *Quod non tantum ſcienter, quam ignoranter in eodem facto a recto tramite deviaverit*. At ipſi magis ignorantia in tranſverſum acti toto oſtio abs veritate aberrarunt, tum in eo, (ne dicam quod neque Patrum Synodi VII, neque Hadriani Papæ ſenſum aſſecuti ſunt), tum, inquam, in eo quod veritati, & traditioni adverſa a Pontifice prolata adſtruunt; tum in eo, quod demum cum S. Gregorio Hadrianum Imaginum cultui infenſum agunt, quum potius Hadrianus S. Gregorium, (quem tam ſcriptis, quam factis Imaginum cultum fuiſſe profeſſum affirmat, planumque facit, probatque fuſe Baronius ad annum 794. n. 46, & ſeqq.), in cultu Imaginibus impendendo ſibi exemplo imitandum propoſuerit; atque Imagines quidem erigi, & coli, non tamen ſub jurisjurandi ſacramento imperaverit. Cetera minoris momenti, quæ ſuapte corruunt,

Ha-

Hadriano objecta non moror, quæ abunde alioqui diluta a Doctiſs. Baronio videre eſt ad annum 825. n. 5, & ſeqq.

Ex his tamen nihil exculpi poſſe pugno, quo Pontificem ex Cathedra loquentem falli, & fallere poſſe Patribus præfatæ Synodi Pariſienſis fuiſſe perſuaſum conficiatur. Præter enim quam quod errori facti, ſive errori perſonali Hadriano id totum deputarunt, uti ex loco mox adnotato liquido adparet; quinimo nec erraſſe Hadrianum, ſed in via veritatis S. Gregorii teſtimoniis fuiſſe retentum affirmarunt: *Niſi retinaculis veritatis*, inquientes, *B. ſcilicet Gregorii inſtitutis aſtrictus iter devium præcaviſſet, in ſuperſtitionis præcipitium labi potuiſſet*; præter, inquam, totum id, tandem ad religionis officium ſe ſe recipientes, ea ſubtexunt, quæ non niſi ex animo de Pontificis infallibilitate, ſupremaque poteſtate auguſte perſuaſo haberi profecta, accipique ſane poſſint. Suggerunt enim ab Imperatoribus ad Michaelem Imperat. Græcorum non ex propria dumtaxat, ſed præcipue ex Apoſticæ Sedis auctoritate, litteras, (quarum formam eo loci ipſi deſcribunt,) eſſe ſcribendas. Quorſum id vero, niſi quatenus exinde litteris invictum robur adſciſcerent, exploratumque haberent nefas eſſe Pontifice Romano inſcio, aut inconſulto litteras pacificas conſcribere, prout ipſas propterea inſpiciendas ad Pontificem dirigere Imperatores officio duxerunt? Subjungunt ad Romanum Pontificem litteras pariter obſequii plenas, (quarum quoque exemplar ibidem exhibent,) ſcribi oportere. Quare id iterum, niſi quia Pontifice invito nihil ſibi propitium futurum ſperabant; atque quem putabant, errorem a Pontifice omnino damnari, proſcribique debere probiſſime ſciebant? Qui vero fieri potuit, ut fatentur nunquam fore, ut a Pontifice quippiam proficiſceretur Apoſtolicæ Sedi adverſum, *Ab eadem Sede*, ajentes, *aliter, quam auctoritas, & veritas ſe habet*, niſi infixa animo opinio de indefectibili fide Apoſtolicæ Sedis, quam tamen inepte ab ſedente in eadem Antiſtite ſecernunt? Quid plura? In litterarum exemplari ad Pontificem mittendarum illum toti Orbi terrarum præfectum, & univerſalem Papam habent, & prædicant. Quamobrem operæ pretium fuiſſe, ut ex Pontificis ſententia res ad exitum perduceretur, ratum ipſis fuerat, receptumque.

que. Præterea in exemplari litterarum, quas a Pontifice ad Imperatorem Græcorum dirigi obſecrant, & deſiderant, de Romana Eccleſia tam vere, quam explicate perhibent: *Quod in his, quæ pertinent ad conſervandum Eccleſiæ incontaminabilem ſtatum... noxia, vel nociva... reſecare conſuevit; & ea, quæ ad ſalutem totius Eccleſiæ pertinerent... ſancire ſolita fuit.* Quæ quidquæſo te, aliud, præferunt, quam quod ex Patrum Synodi Pariſienſis ſententia, utrumque videlicet Romani Pontificis privilegium propugno? Ad quorum quidem cumulum facit, quod alioqui principio fuiſſet ponendum, illud ideſt, quod perſuaſum habuerint nefas fore ex SS. Patrum libris circa Imaginum cultum ad ſententias quærendas, colligendasque accedere, (quas tamen quæſitas, collectaſque poſtea aliorſum detorſerunt, ut exinde potius SS. Imaginibus cultum detraherent,) antequam a Romano Pontifice ſibi fuiſſet facultas facta: quam in rem legenda Ludovici Pii ad Eugenium II. epiſtola apud Harduinum tom. 4. pag. 1259. Quod autem ad ipſum Ludovicum attinet, quamvis horum conſiliis inhærere viſus ſit, quum tamen ab his abhorrere Pontificem dignovit, a cœptis prorſus deſiſtere, nec præter ipſius placitum efferre pedem religioni duxit, de quo fuſius paullo poſt. Obiter demum obſerves velim, quod hujuſce Pariſienſis Synodi acta ſub titulo *Synodi Pariſienſis de Imaginibus* in lucem prodiere primum Francofurti ab auctore Anonymo edita: quod opus quum in odium Romanæ Eccleſiæ elucubratum videretur, Bellarminus actutum refellere aggreſſus eſt, ſuæ vero Conciliorum collectioni inſerere nefas ſunt arbitrati Labbeus, Sirmondus, & Harduinus. Verum eadem deinde acta ex Codice Bibliot. Thuanæ n. 270. edere non dubitavit Petrus dela Lande. De hac Synodo denique accurate differunt doctiſſ. Mabillonius in præfatione prioris par. ſæcul. IV. Benedict., & poſt ipſum Pagius tom. 3. Crit. ad annum 825. num. 3, & ſeqq.; quos præ aliis ut adeas, tibi ſum auctor.

Quanti profecto facerent, faciendaque eſſent Pontificis Romani, pro ſumma, qua pollet in Eccleſia poteſtate, ſive monita, ſive mandata, explicarunt plane alterius Synodi Pariſienſis apud Ducheſnium tom. 2, quæ a Baronio, Binio, Sirmondo, aliiſ-

aliiſque Turonenſis IV. hactenus denominata eſt, ex quatuor Provinciis Antiſtites in epiſtola Synodica apud Lupum Ferrar. 84. ad Nomenojum Britanniæ Ducem, qui divinis, humaniſque ſuſque deque verſis, excuſſaque utraque poteſtate Regis, & Pontificis, rei utriuſque civilis, & ſacræ arrogaverat ſibi ſummam, adjunctoque ad criminum cumulum contemptu Carlo Calvo intentanti minas, & S. Leoni IV. monita inſinuanti tantum abeſt, ut inflexus cederet, ut potius frontem præfractam contraponeret. Nomenojum igitur ex eo potiſſimum capite graviſſime objurgant, quod objurganti Pontifici non obſequeretur, nec ſibi temperans a ſævitia Pontifici monenti gereret motem: quam grave piaculum eſſet Pontificem M. offendere, his efferentes verbis: *Ad cumulum malorum auxiſti temeritatem, & omnem læſiſti chriſtianitatem, dum Vicarium* (ex aſſe Succeſſorem vetius) *B. Petri Apoſtolicum, cui dedit Deus Primatum in omni Orbe terrarum, ſpreviſti.... In eo igitur læſiſti Apoſtolos, quorum eſt Princeps Petrus.* Et infra: *Maximum reatum te contraxiſſe ſcimus, quod epiſtolam Sedis Apoſtolicæ reſpuiſti.* Si enim magnus reatus eſt poteſtati Eccleſiaſticæ non obtemperare, reatus maximus erat non obedire Summo Pontifici, a quo in Eccleſiam omnem poteſtas diffunditur, & promanat.

Eadem Eccleſia Gallicana in Concilio Aquiſgranenſi anno 860. in cauſsa Theutbergæ Lotharii conjugis congregata in epiſtola Synodica ad S. Nicolaum I. Pontificem M. ad Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem res dubias, difficilesque Eccleſiarum referendas eſſe, exindeque expetenda, accipiendaque reſponſa ex more recepto Majorum, a quo recedere nefas ſit, fatetur ſic fata: *Apoſtolicis documentis, & Pontificalibus decretis multipliciter informamur, veſtri SSmi Apoſtolatus apicem Principis Apoſtolorum fide, & nomine conſecratum, quoties S. Eccleſia aliqua novitate pulſatur, humiliter adeamus, ibique veri conſilii ſaluberrima inſtituta ſinceriter hauriamus, ubi mitis Magiſter Chriſtus, & Summum Caput noſtrum fundamentum Eccleſiæ poſuit.* Juxta iſta itaque totius Eccleſiæ fides mutaret, ſi Eccleſia Romana, cui univerſalis innititur, de fide periclitari poſſet. Id autem quid, amabo te, eſt, quam Pontificem eſſe infallibilem? Quia

vero

vero Lotharii a Theutberga divortio ejuſdem loco Waldradam ſuperinducentis aſsenſum præbuerant ſuum Guntharius Colonienſis, & Theutgaudus Trevirenſis Archiepiſcopi, atque in eorum ſententiam Epiſcopi alii conceſserant, re comperta S. Nicolaus I. Romæ anno 863. habita Synodo, utrumque Archiepiſcopum loco quidem movit, ceteris vero Epiſcopis eamdem pœnam minitatus eſt, ſi cum illis coirent, atque a Sede B. Petri illis inhærendo diſsentirent: ſi vero Pontificis, ut par erat, dicto potius obedientes eſsent, veniæ ſpem fecit. Itaque ex illis Adventius Metenſis, & Franco Tungrenſis Antiſtites libello ſupplici ad Nicolaum exarato ejuſdem ſacris juſſionibus ſe adquiſcere conteſtati ſunt, veniamque precibus infimis efflagitarunt; quam illis ea lege dumtaxat impertitus eſt Pontifex, ut a ſententiis ab Apoſtolicæ Sedis Præſule prolatis nullo modo deſciſcerent. Extat S. Nicolai I. ad Adventium, & Franconem epiſt. tom. 3. Concil. Galliæ collect. Sirmondi.

Ejuſdem Gallicanæ Eccleſiæ Præſules, ideſt ſeptem Provinciarum Epiſcopi in Concilio III. Sueſſionenſi anno 866. collecti pro cauſsa Wlfadi, ac ſociorum, qui ab Hincmaro in Synodo Sueſſionenſi II. gradu dejecti fuerant, Apoſtolicam vero Sedem a Synodi judicio appellaverant, quamvis apud Nicolaum I. Hincmari agendi rationem, ob quam fuerat a Pontifice objurgatus, excuſare quoquomodo ſtuduerint, Pontifici tamen Wlfadi, & ſociorum cauſsam, & reſtitutionem reſervare religioni duxerunt, hiſceque officii refertiſſimis Pontificis auctoritati aſsurgere conſilium injerunt. *Congregato*, ajunt in epiſtola ſynodica, *& devotiſſime coadunato Vobiſcum noſtro ſpiritu, quod pium, juſtumque ſentitis, ſentimus; quod decernitis, exequimur, & quod deliberaveritis, eorum in omnibus gratulantes reſtitutioni, efficaciter nos amplectendum fatemur. Et quia de recuperatione eorum a veſtræ ſapientiæ medela ſumpſit exordium, oportet omnino, & æquum fore claret totius ejuſdem negotii ſummam præſtantiæ veſtræ conſummari decretis .... quorum ſumma, perfecta, & integra firmitas, ut claret, & juſtum eſt, in Apoſtolicæ Sedis reſervata eſt arbitrio poteſtatis.* Legenda etiam altera eorumdem a Concilio Tricaſſino anno 867. ad S. Nicolaum exarata epiſtola, qua Ebbo-

Ebbonis hiſtoriam accurate, ut juſſi fuerant, exponunt; ab eo dein decerni, ne ullus Epiſcopus Pontifice inconſulto e gradu dejiciatur, efflagitant, obſecrantque etiam, atque etiam ut Wlfadum pallio dignitatis inſigni condecoraret. Paullo ante eumdem Pontificem conſuluerant Epiſcopi Synodi Senonenſis anno 862, num abſque ejus conſenſu Herimannum Epiſcopali ab officio, cui impar erat, amovere ſibi fas afforet. De Wlfadi, ſociorumque appellatione par. 2. Vindic. agendi ſuus opportunior erit, ampliorque locus.

Explorata ſit etiam optima, quam de ſuprema Pontificis auctoritate Gallicana Eccleſia animo gerebat, opinio ex Concilio Pontigonenſi anno 876., in quo collecta ſic can. 1. ſtatuit: *Ut Sancta Romana Eccleſia, ſicut eſt Caput omnium Eccleſiarum, ita ab omnibus honoretur, & veneretur; neque quiſquam contra jus, & poteſtatem ipſius aliquid injuſte agere præſumat, ſed liceat ei debitum tenere vigorem, & pro univerſali Eccleſia paſtoralem exhibere curam.* Et can. 2. ſic ait: *Ut honor Domino, & ſpirituali Patri noſtro Johanni* (VIII) *ſummo Pontifici, & Venerabili univerſali Papæ ab omnibus conſervetur, & quæ ſecundum ſacrum miniſterium ſuum auctoritate Apoſtolica decreverit, cum ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conſervetur.* Iſta ne indicant homines, qui Concilio Pontificem haberent inferiorem, adeo ut ceu inferiori ſuperius, obedientia deeſſe Pontifici Concilium poſſet impune? Ne vero hoc ullo putetur modo prohibet expreſſa ſententia ejuſdem Eccleſiæ in Concilio Trecenſi II. anno 878. tom. 3. Concil. Gall. collect. Sirmondi coadunatæ adverſus Lambertum Spoletinum Ducem, & Adelbertum Marchionem, qui Romanam Eccleſiam diriſſime divexabant: quippe Hincmari Remenſis verba ſua faciens, ſic Johannem VIII. Concilio præſentem, Præſidentem, & alloquentem excepit: *Domine Sanctiſſime, & Reverendiſſime Pater Patrum Johannes Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ, videlicet Romanæ primæ Sedis Papa, Nos famuli, & diſcipuli veſtræ auctoritatis Galliarum, & Belgicarum Epiſcopi ... veſtræ auctoritatis judicium, quod privilegio B. Petri, & Sedis Apoſtolicæ ... protuliſtis, voto, voce, & unanimitate noſtra, atque auctoritate S. Spiritus ...*

prosequimur: quos excommunicastis, excommunicatos tenemus, quos ab Ecclesia abjecistis, abjicimus, quos anathematizastis, anathematizatos esse judicamus, & quos regulariter satisfacientes vestra auctoritas, & Apostolica Sedes receperit, recipiemus. Itaque sibi necessitatem incumbere Pontificis judicio ex animo adquiescendi probe agnoscebant; quod proinde supremum omnium esse, idque infallibile oportet: qui pote alioqui labente Pontifice, in errorem pariter abripi obsequentem eidem Ecclesiam contingeret?

Posteaquam in Concilio Troslejano anno 909. can. 15. Ecclesias Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ singulari ratione Romanæ Ecclesiæ filias affirmassent, quia a S. Petro, ejusque successoribus institutæ essent, & edoctæ, his verbis quam veris, tam egregiis Romanam Ecclesiam extollunt: *Nunc omnes alloquamur, qui juste, & pie volunt vivere in communione S. Ecclesiæ catholicæ . . ., quæ quum generaliter ab ipso suo Capite Christo super Petrum, ideſt super confessionem Petri sit ædificata, manifestum tamen est in omnem Italiam, Gallias, & Hispaniam nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Petrus, aut ejus Successores constituerunt Sacerdotes. Et quoniam Ecclesia in nostris quoque partibus super hanc Petræ soliditatem non tantum fundata, sed ab eo, ejusque Successoribus est etiam edocta, cum Dei gratia ipsius B. Petri suffragantibus meritis, firmitatem fidei, quam primo percepit, hactenus inconcussam servare studuit, nullaque perfidorum consortia recepit.* Vidistin? unde ex Gallicanæ Ecclesiæ sententia ceteris Ecclesiis in fide firmitas accessit? Videlicet ex infallibilitate in fide Romanæ Ecclesiæ, quæ Caput, & Centrum, Mater & Magistra ceterarum a Christo Domino est constituta. Quo perinde loco Pontificis haberi auctoritas debeat, & haberetur profecto ab se, declaravit, tradiditque dilucide in Concilio Remensi anno 992. sub Hugone, & Roberto Regibus in causa Arnulphi Remorum Antistitis collecta ad Johannem XV, aut XVI. his verbis scribens: *Beatissime Pater non sumus nescii jam dudum oportuisse nos expetere consulta S. Romanæ Ecclesiæ pro ruina, & occasu Sacerdotalis Ordinis . . . . Adesto Pater ruenti Ecclesiæ, & sententiam ex sacris Canonibus . . . prolatam profer in medium . . . Sentiamus in Vobis alterum Petrum defensorem, &*

cor-

corroboratorem Chriſtianæ fidei. Ferat S. Romana Eccleſia ſententiam damnationis in reum (Arnulphum,) *quem univerſalis damnat Eccleſia... Ut ſciamus, & intelligamus, cur inter ceteros Apoſtolatum veſtrum præferre debeamus.* Quibus approbe Pontifici ſupremum in omnes Epiſcopos, Eccleſiaſque jus adfirmant, ideoque Pontifici jus diſtringenti obedientia Eccleſias, omneſque Epiſcopos devinciri omnino, & obſtringi.

Utrumque hoc Pontifici Romano in perſona S. Petri collatum a Chriſto Domino privilegium paucis complexi ſunt Concilii Lemovicenſis II. anno 1031, ut oſtendit Pagius n. 7, non vero anno 1034, ut autumavit Baronius, celebrati Antiſtites. Poſtquam enim perlecta Pontificis, (qui Thomaſſino veter., & novæ diſcipl. par. 1. cap. 6. eſt Benedictus IX, qui tamen eſse nequit, ſiquidem ante annum 1033. Pontificatum non inivit, ſed potius Johannes XIX, aliis XX,) perlecta, inquam, epiſtola ad Stephanum Claromontanum Epiſcopum, (qua quod Pontium Arverniæ Comitem ad ſe profectum ab anathemate, quo ab Epiſcopis Provinciæ fuerat adſtrictus, potuiſset abſolvere ex poteſtate ſibi facta a Chriſto Domino in Chriſtifideles omnes defendit; quod autem Pontius per fraudem abſolutionem obtinuiſset, Stephano crimini deputat, quatenus de legitima uxore a Pontio dimiſsa, ac pellice in conſuetudinem ſuperinducta Pontificem non commonefeciſset,) poſtquam, inquam, ſemet ultro in culpam vocaſsent, quod de vibrato ab ſe in præfatum Comitem anathemate Pontificem non feciſsent certiorem, ad avertendas procul impoſterum e provincia ejuſmodi prætermiſſiones, ceteros Galliarum Epiſcopos officii ſui religioſe erga Romanos Pontifices exhibendi admonendos judicarunt his verbis: *Comprovinciales noſtros neceſſe eſt admoneri, ut obediant Romanæ Sedis Capiti ſuo... Judicium enim totius Eccleſiæ maxime in Apoſtolica Romana Sede conſtat.* Igitur ipſorum ſententia non ſecus, atque univerſalis, ita Romana Eccleſia, Deo adjuvante, in fidei diſcrimen adduci nequit. Confer, quæ ibidem de Stephano Galliarum Rege referuntur.

Quid ad hæc, quod in Concilio Remenſi anno 1049, cui præfuit S. Leo IX, Gallicani iidem Præſules declaratum voluere: *Solum Romanæ Sedis Pontificem univerſalis Eccleſiæ Primatem eſſe, &*

Apoſtolicum ? Neque Concilium œcumenicum proinde ſupra ipſum Pontificem eſse. Dolent, & conquerntur deinde quam maxime, quod non deſsent homines tam impudentes, quam impii, qui Regi Galliarum ſuggerere non deſinerent : *Regni ſui decus annihilari, ſi in eo Romani Pontifici auctoritatem dominari permitteret; vel ſi eidem, ut decreverat, occurrens, præſentiæ ſuæ favorem ad cogendum Concilium exhiberet... & quod nullus Anteceſsorum ejus id reperiatur aliquando conceſſiſse, ut ob ſimilem cauſſam in Franciæ Urbes ingreſsus pateret alicui Papæ*. Eo enim graviſſimæ calumniæ genere Pontificis jus, poteſtatemque offendi, & infringi perſpiciebant non modo, ſed imo Galliarum Regni, Regumque devotionem, religionem, decuſque imminui, & deterreri. Quid amplius ? Concilii Bituricenſis acta anno 1276. a Simone Archiepiſcopo B. Gregorii X. auctoritate edita recipere religioni duxerunt Galliarum Antiſtites, ut adparet ex Johanne Turonenſi in epiſtola ad Nannetenſem Epiſcopum a P. Coſsartio primum evulgata. Ejuſdem præterea Pontificis Conſtitutiones Cap. *Quicunque* ; & Cap. *Quia nonnulli* extra de Reſcriptis religioſe, uti par erat, recepit perinde Synodus altera Bituricenſis anno 1286, ut habetur capp. 11, & 12 : quibus inſertas pariter voluit Conſtitutiones Innocentii III. incip. *Omnis utriuſque ſexus*; Clementis IV. incip. *Quidam temere*; & Martini IV. incip. *Ad fructus uberes*. Ad hæc Urbano V. admonenti, jubenti, & annuenti ut ſubito facerent ſatis, Petrus Narbonenſis, & Gaffredus Toloſanus ex utraque Provincia Synodum Vaurenſem anno 1368. congregarunt, eaque ſtatuerunt, quæ ad Pontificis adimplendum placitum conferrent. Quæ quid aliud, obſecro, præferunt, quam Gallicanæ Eccleſiæ ex intima proculdubio profectum ſententia de Apoſtolicæ Sedis ſumma auctoritate, ac in fide infallibilitate, propoſitum nunquam vel tranſverſo ungue ab ejuſdem decretis declinandi ?

Pleraque multa, quæ ad hæc confirmanda conferrent, atque ex Gallicanis Conciliis præſto eſsent, conſulto prætermitto, ut modum demum faciam dicendi, id unum ad horum cumulum adjungere contentus, quod horum omnium compendium veluti haberi poſſit, videlicet, quod Galliarum Præſules in Concilio Narbonen-

ſi an-

ſi anno 1551. congregati hæc ad appendicem canonum de Eccleſia Romana adjici voluerunt, quæ quam ſublimi eadem Eccleſia ab ſe haberetur loco, clara, & præclara eſsent teſtimonia: *Voluit Concilium omnia, de quibus in his Canonibus, & Statutis agitur, determinationi S. Matris Romanæ Eccleſiæ ſubjici, a qua in quoquam deviare, aut aberrare nolumus*. Aberrare autem a veritate Eccleſiam Romanam poſse propterea nefas eſt cogitare. Non vacat plura congerere; ſed & plura jam dedimus, ubi de Conciliis Nicæno II, Remenſi, & Viennenſi egimus. Viden exinde Gallicanam Eccleſiam unius Pontificis judicio fidei cauſsas finitas agnoviſse: illi judicanti morem gerendum ab univerſis intellexiſse: illum penes rei Chriſtianæ ſummam, Eccleſiæque univerſæ ſententiam conſiſtentem edixiſse: gloriantem ſe ab Eccleſia Romana approbe edoctam, adeoque fidei jacturam non fuiſse perpeſsam, & pleraque hujuſmodi de Pontifice fatentem, quæ quam lato oſtio ab ea, quæ per ſummam nefas præclariſſimæ Eccleſiæ appingitur, qua ſcilicet Pontifici Maximo cum ſupra Concilium poteſtas, tum in fide infallibilitas abjudicatur, ſententia abſit, palam faciunt. Fit idipſum ſecundo palam, atque perſpicuum

Ex Comitiis generalibus Cleri Gallicani, quæ vicem Nationalis Concilii apud Gallos ſupplere compertum eſt. Principio itaque Gallica Natio, ac Regni Proceres, quo erga Pontifices ferrentur animi obſequio, ac pia ſententia, oſtenderunt, dum in ſcripto Clementi V. adverſus Bonifacium VIII, quo cum Philippus Rex ſimultates geſserat, oblato ſic ajebant: *Non quæritur de hæreſi Papæ quondam ut Papæ, ſed ut privatæ perſonæ, nec ut Papa potuit eſſe hæreticus, ſed ut privata perſona. Nec unquam aliquis Papa, ut Papa potuit eſſe hæreticus; & ideo quum de ejus mortui hæreſi quæritur, non habet congregari Concilium generale: eſtis enim Vos, Pater Sanctiſſime, Jeſu Chriſti Vicarius totum Corpus Eccleſiæ repræſentans, qui Claves regni Cælorum habetis. Nec congregatum totum generale Concilium ſine Vobis, & niſi per Vos poteſt cognoſcere*. Videſis *Hiſtoire du different* &c. Eſt ne in his, dic ſodes, veſtigium requiſiti, quem hodie nonnulli oſores ad nauſeam uſque, ravimque obtrudunt, aſſenſus Eccleſiæ, ut Pontificis de fide judicium infallibile evadat? Eſt ne levis dubitandi

di locus de Pontificis poteſtate ſuper univerſam Eccleſiam? Imo hiſce nonne Pontifex, quaPontifex, ab errore omnino immunis adſtruitur; eique omnis, qua potis eſſet Concilium generale, poteſtas; tanta quin imo, taliſque, qua ſola Concilium poteſt, & ſine qua iſtud nihil poſſet? Præ Laicis attamen præſtat audire, uti par eſt, Gallicanos Antiſtites. Itaque ſex Galliarum Epiſcopi in epiſt. ad Innocentium II. anno 1140, quæ inter S. Bernardi epiſtolas eſt 337, olim 370, *Nulli dubium eſt*, inquiunt, *quod ea, quæ Apoſtolica firmantur auctoritate, rata ſemper exiſtunt, nec alicujus poſſunt deinceps mutilari cavillatione, vel invidia depravari*. Hæc de infallibilitatis privilegio: de ſuprema vero Pontificis Romani poteſtate hæc Epiſcopi Provinciæ Senonenſis apud Ivonem Carnot. in epiſt. 238. *Romani Pontifices*, ajunt, *non ſubjiciuntur ulli hominum judicio*. Quibus conſona ſunt apprime, quæ Concilii Senonenſis nomine ad eumdem Pontificem adverſus Abælardum epiſtola 191. prælaudatus S. Bernardus exaravit.

Quam prope ad hanc ipſam de Pontificis ſuprema poteſtate, atque in fide infallibilitate ſententiam Gallicana Eccleſia tum temporis pariter acceſſiſſet, æſtimare fas eſt tum ex Conventu Melodunenſi anno 1479. habito, uti legitur tom. 1. *Memoires du Clerge*, ex quo Epiſcopi de Apoſtolica Sede, *Hæc Sedes*, egregie ſcribebant, *Columna, & firmamentum veritatis* &c.: tum etiam ex altero Melodunenſi Cœtu anno 1579. coacto, ex quo idem Clerus Gallicanus, ut habetur tit. 1. Conſt., qui eſt de profeſſione fidei, Epiſcopis omnibus, eorumque per Diœceſes vices gerentibus, ſive Vicariis generalibus præcepit, & præſcripſit, ut in Synodis tam Diœceſanis, quam Provincialibus omnes Chriſtifideles tam Laicos, quam Clericos adſtringant ad eam fidem amplectendam, profitendamque, quam S. Romana Eccleſia tenet, & docet, quæ veritatis Magiſtra, columen, & fulcrum eſt, hancque eſſe illam Eccleſiam, cui ob ſuum Primatum ceteræ omnes Eccleſiæ ſe coaptare tenentur. Evidentius id evadit ex Comitiis anno 1626. Pariſiis celebratis, e quibus idem Clerus in epiſt. ad omnes Regni Archiepiſc., & Epiſcopos præclaris hiſce monitos voluit: *Hortamur Epiſcopos omnes, ut ſacram Apoſtolicam Sedem, Romanamque Eccleſiam, utpote in Dei ſponſione infallibili, & Apo-*

& Apoſtolorum, ac Martyrum ſanguine fundatam, omniumque Eccleſiarum Matrem omni honore, cultuque proſequantur. Ipſa enim, ut cum B. Athanaſio loquamur, eſt ſacer Vertex ille, a quo in omnes Eccleſias velut in totidem membra omnis Spiritus diffunditur, quo nutriuntur, & conſervantur. Sanctiſſimum quoque Patrem, & Pontificem noſtrum, quippe Eccleſiæ univerſalis Caput viſibile, Deique in terris Vicarium, Epiſcopum Epiſcoporum, & Patriarcham Patriarcharum venerabuntur. Is enim Succeſſor eſt Petri, a quo Apoſtolatus, Epiſcopatuſque initium, originemque ſumpſerunt, & ſuper quem Chriſtus Jeſus Eccleſiam ſuam fundavit, quando illi Claves regni Cælorum, atque infallibilitatis donum in cauſſis fidei reliquit, quam non ſine ingenti miraculo immotam, illibatamque in ejus Succeſſoribus perſeverare etiam num videmus; unde ingens ille in Romanorum Pontificum decretis, mandatiſque amplectendis apud fideles omnes, orthodoxoſque obſervantia profecta eſt. Quid enim, quæſo, his luculentius, illuſtriuſque proferri poteſt ad oſtendendam Eccleſiæ Gallicanæ eam tunc egregiam inſediſſe ſententiam de Apoſtolica Sede, ut ab eadem omnis a fide defectio procul abigeretur, eique primæ, potioreſque ſupra Concilium vel generale partes aſſererentur: quippe quæ Eccleſiæ univerſæ poteſtate præſit, atque in quæſtionibus fidei finiendis dono infallibilitatis prædita a Chriſto fuerit, ut proinde ab ejuſdem decretis, dogmatibuſque, ne latum quidem unguem deflectere orthodoxi omnes religioni ducere debeant?

Quo pariter affecta Gallicana Eccleſia eſſet conſilium, ſententiamque capiendi ab Apoſtolica Sede de rebus dubiis, difficilibuſque, dum nempe in dies ferveret, Galliamque exagitaret, ac in partes diſtraheret graviſſima Janſenii controverſia, ſtudium aperiens ſuum in epiſtola e Comitiis generalibus anno 1651. ad Innocentium X. exarata, cui Epiſcopi 85. omnino ſubſcripſere, Janſenii errores Pontifici hiſce devotionis plenis detulit verbis: *Majores cauſſas ad Sedem Apoſtolicam referri ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure ſuo poſtulat. Æquiſſimæ huic legi obſequenter &c. experta eſt nuper Beatitudo veſtra, quantum Apoſtolicæ Sedis in gemini Capitis errore* (a Barchoſio invecto) *profligando valuerit auctoritas: con-*

tinuo

tinuo ſedata eſt tempeſtas; æque ad Chriſti vocem venti, & mare obedierunt. Paucis id omne perſtringens ſic ſubjicit: *Scimus ubi Caput Eccleſiæ, ibi totius fidei arcem eſſe.* In alia perinde ad eumdem Pontificem epiſtola e Comitiis anno 1653. adornata poſt latam ab ipſo Conſtitutionem, cuique epiſtolæ 30. Epiſcopi ſyngraphan appoſuere, ita ſcripſerunt. *Poteſtas Romani Pontificis ſola acerrimas fidei contentiones compeſcere potuit.* Id perſuaſiſſimum ſibi, exque ſententia profectum, ut magis, magiſque tum Pontifici innoteſceret, tum gentilibus ſuis inſinuarent, ſubnectunt. *Conſtat non ſolum ex Chriſti Domini noſtri pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematiſmis adverſus Apollinarium, & Macedonium nondum ab ulla Synodo œcumenica damnatos a Damaſo paullo ante factis judicia pro ſancienda regula fidei a Summis Pontificibus lata ſuper Epiſcoporum conſultatione, ſive ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſive omittant, prout illis collibuerit, divina æque, ac ſumma per Eccleſiam univerſam auctoritate niti, cui Chriſtiani omnes ex officio ipſum quoque mentis obſequium præſtare teneantur.* Præterea portas Inferi, hæreſes hoc eſt, prævalere non poſſe adverſus Petram Apoſtolicam, Petri nempe Cathedram diſerte, explicateque declarant: aliud ad hæc ex S. Innocentii I. ad Africanos epiſtola exemplum expromentes, quo illius auctoritate ſuffultam Pelagianam hæreſim execratam fuiſſe Eccleſiam univerſam ſubjungunt hiſce verbis: *Enim vero vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica ſola Cathedræ Petri communione, & auctoritate fulta, quæ in Decretali epiſtola Innocentii ad Africanos data elucebat, quamque dein Zoſimi altera ad univerſos Orbis Epiſcopos epiſtola ſubſequuta eſt, Pelagianæ hæreſis damnationi abſque cunctatione ſubſcripſit.* Poſt hæc concludunt: *Nos Innocentio X, cujus ore Petrus locutus eſt, ut Leoni I. acclamabat quarta Synodus* (Chalcedonenſis,) *hanc divinam lauream gratulati ſacros inter Eccleſiæ faſtos, quod olim de Synodis œcumenicis fieri ſolitum, Conſtitutionem iſtam ab eo editam lubentes ex animo reponemus.* Huicce doctrinæ individue ſe inhærere declaravit deinde Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus anno 1705, & 1713, de quibus paullo poſt. Itaque Gallicanæ Eccleſiæ intime perſuaſum erat, perſpectumque a Romano Pontifice

ejus-

ejuſmodi profundi de fide judicia, quibus adquieſcendi toti Eccleſiæ neceſſitas incumbat, quæque ab omni erroris periculo longe ſemota ſint. Quorſum ergo Gallicanæ Eccleſiæ aliena peſſime affricatur a maleferiatis quibuſdam ſententia? Hancce ante me a celeberrima Eccleſia calumniam depulit, & propulſavit doctiſſ. P. Dominicus a SS. Trinitate, qui lib. 3. Bibl. Theolog. ſect. 4. cap. 16. præfatis ad Innocentium X. a Clero Gallicano inſcriptis litteris rite, ſerioque perpenſis, *En*, inquit, *ſuprema tandem, qua in Eccleſia nulla major, univerſalis, ac independens Romanorum Pontificum auctoritas, eaque infallibilis in rebus fidei, & religionis, ubi ex Cathedra loquuntur!* Recte ne vero ita enuntiaverit vir eruditus, ex laudatis litteris volo lector apathes dijudicet, & diſcernat.

Juvat interea adnotare doctrinæ, quam modo explicate a Gallicano Clero traditam accepimus, eidem pariter inſtitiſſe, ad eamque ſuam omnem credendi, agendique rationem exegiſſe in Comitiis generalibus anno 1661. congregatos Antiſtites Gallicanos: quippe qui ad Alexandrum VII. Pontificem Maximum ſcribentes; *In te*, inquiunt, *veluti in Petri ſucceſſore noſtra omnium fortitudo firmata eſt.* En unde in Epiſcopos, Gallicano Clero judice, promanat fidei firmitas, a Romano nempe Pontifice. *Quia*, ſubtexunt, *in hoc Monte*, (Sede Apoſtolica ſcilicet) *Dominus docet, ſtatuimus ibi finem quærendi, ſtationem credendi, expunctionem inveniendi.* Non manet ergo, ſi Gallicanis auſcultes Epiſcopis, poſt latam a Pontifice ſententiam amplius de fide judicium. Id enucleatius exponentes in Comitiis anno 1663. celebratis, his verbis officium, obſequiumque, quo erga Apoſtolicam Sedem afficiebantur, declararunt: *Noſtra erga Romanum Pontificem obedientia illud eſt, quod invictam reddit noſtram fidem, ac infallibilem noſtram auctoritatem.* Quum Romæ anno 1699. die 15. Martii Innocentii XII. decretum prodiiſſet adverſus librum *Des Maximes des Saints* a D. de Fenelon Archiepiſcopo Cameracenſi adornatum, idem Clerus Gallicanus per unamquamque Provinciam in cœtum congregatus, ut conſtat ex actis verbalibus Cœtuum, præſertim Provinciarum Pariſienſis, Arelatenſis, Bituricenſis, & Remenſis, nullo prævio adhibito examine, aut Epiſco-

porum exquiſito conſilio, ei decreto ultro citroque adquievit, admiſitque velut illud, quod omnem extra erroris periculum, aleamque poſitum eſset, ideoque religionis, officiique loco ducens Pontifici edicenti parere. Audire præſtat præ aliis Epiſcopos Provinciæ Remenſis, qui in cœtu ea de cauſsa habito ſic fati ſunt: *Certum eſt juxta omnium ſæculorum traditionem conſenſum Epiſcoporum primæ Sedis judicio ſimul eſse actum obedientiæ erga Sanctam Sedem, & actum auctoritatis, & judicii ſub principali ejuſdem S. Sedis auctoritate.* Scilicet judicii adhæſionis, ac neceſsarii aſſenſus, non item examinis, ac liberæ conſenſionis.

In eadem ingreſſi veſtigia Præſules Gallicani in Comitiis anno 1681. Pariſiis habitis, purumque a præjudicatis opinionibus animum adjicientes tum ad pollicitationes B. Petro a Chriſto D. factas de nunquam defectura ipſius fide, imponendaque provincia regendi ſupremi Præſidis jure, viceque ſui univerſam Eccleſiam; tum ad Patrum dicta de Romano Pontifice poſt S. Petrum conſtituto a Chriſto D. univerſæ Eccleſiæ Vertice, & Capite, Eccleſiaſticæque unitatis, & juriſdictionis Centro, & Fonte, religioni duxerunt quam expreſſe, tam ſincere declarare: *Summum Pontificem eſſe Caput Eccleſiæ; Centrum unitatis; obtinere Primatum auctoritatis, & juriſdictionis, ipſi a Chriſto in perſona S. Petri collatum; & eum, qui ab hac veritate diſſentiret, ſchiſmaticum, imo & hæreticum fore.* Quod, amabo, quid aliud eſt, quam Pontificem ſuprema in Eccleſia poteſtate potiri, ac in fide falli, & fallere omnino eſſe neſcium fateri, & profiteri? Ad hæc in Comitiis generalibus anno 1700. utrumque hoc privilegium ſupremæ ſcilicet poteſtatis, & in fide infallibilitatis complexus idem Gallicanus Clerus *Unum in Eccleſia adeſse primum Epiſcopum* profeſſus eſt: *Unum adeſse Petrum toti gregi paſcendo a Chriſto præpoſitum: Unam adeſse Matrem Eccleſiam ceteris edocendis inſtitutam.* Inde autem inferunt: *Jeſu Chriſti vero Eccleſia ſuper hanc unitatem fundata, tanquam ſupra Petram immotam, eſt inconcuſſa.* Cum quibus ſtare, quod Pontifex Concilio ſubſit, atque a fide devius eſſe poſſit, quis dicat? Dicant, per me licet, Launojus, Dupinus, Queſnellus, quique horum incumbunt greſſibus, homines quippiam æqui bonique facere pro

inge-

ingenio faſtidioſo detrectantes non modo, ſed delectantes vel res, quæ in confeſſo venerunt, unoque ſermone celebrantur, & cavillari, & calumniari: longe abfuit tamen edepol ab horum dicto, cogitatoque Gallicana Eccleſia. Adeſdum, eamque abfuiſſe quam maxime accipe amplius. In Comitiis anno 1705. poſtquam Epiſcopi Conſtitutionem Clementis XI. *Vineam Domini* eodem anno die 16. Julii Romæ publici juris factam integro, quo par erat, obſequio ſuſcepiſſent, ad eumdem Pontificem ſcribentes: *Judicio Sedis Apoſtolicæ firmari pacem Eccleſiarum* profeſſi ſunt. Planiora hæc fecit, quique germanus eſſet Gallicanæ Eccleſiæ, quem apprime habuit perſpectum, aperuit Cardinalis Noallius in epiſt. ad eumdem Clementem XI. poſt acta Pariſiis, acceptamque ibidem laudatam Conſtitutionem anno 1711. exarata (cujuſque ſimilem anno antecedenti dederant 12. Epiſcopi, eique idem Cardinalis ſubſcripſerat,) qua excuſandum ſuſcepit apud Pontificem modum, quo Clerus eam Conſtitutionem admiſerat, qui Pontifici diverſus ab eo plane viſus fuerat, quo olim Conſtitutiones Innocentii X, & Alexandri VII. fuerant ſuſceptæ, teſtatus eſt 1. Clerum Gallicanum vere in animo habuiſſe Conſtitutionem illam eodem prorſus obſequio, eademque obedientia complecti qua Majores ſui Summorum Pontificum Conſtitutiones adverſus Janſenium complexi fuerant. 2. Quum idem Clerus enuntiavit Conſtitutiones Summorum Pontificum a corpore Epiſcoporum acceptatas totam Eccleſiam obligare, non ea mente id dixiſſe, quod neceſſariam eſſe exiſtimaret acceptationis hujuſmodi ſolemnitatem, ideo ut illæ tanquam regulæ credendi a catholicis omnibus haberi deberent; ſed eo ſenſu dumtaxat, ut ultima Janſeniſtarum munimenta convelleret penitus, ipſiſque effugium omne principio ab iiſdem conceſſo, poſitoque intercluderet. 3. Non ſibi id arrogaſſe Clerum, ut Pontificias ſanctiones examini ſuo ſubjiceret, ſed in ipſis fidei ſuæ aſſertionem recognoviſſe, ſicuti S. Leoni Magno ſcribebant olim Epiſcopi Gallicani. 4. Clero in confeſſo fuiſſe Pontificum decretis adverſus Janſenium nihil deeſſe, ut univerſam Eccleſiam obligent, & circa eadem neque appellationem admittendam fore, nec mutationem expectandam. Itaque Gallicanorum Antiſtitum ſententiam, agendique ratio-

nem a ſiniſtra qualibet ſuſpicione liberavit, eoque gradu poſuit, qui Pontifici ipſi allibuiſſet. Hæcce epiſtola a Cardinali Noallio anno 1711. ad Clementem XI. inſcripta eſt: expoſitio vero quatuor articulorum, quos eadem complectitur, facta anno 1710, eique ſyngrapham adjecerant ſuam, ut innui ſuperius, Archiepiſcopi, & Epiſcopi 12, videlicet Cardinalis Noallius; Colbertus Toloſanus; Leon Bituricenſis; Armand Burdigalenſis; Henricus Albienſis; Auguſtinus Auſcenſis; Carolus Aquenſis omnes Archiepiſcopi; Carolus Franciſcus Conſtantienſis; David Nicolaus Bleſenſis; Franciſcus Trecenſis; Carolus Antiſiodorenſis; Johannes Valentinus Epiſcopi, qui omnes Comitiis anno 1705. interfuerant, compertumque apprime univerſi Cleri ſenſum habuerant.

Conferunt quam maxime ad hæc confirmanda, quæ ab eodem Clero in Comitiis anno 1713. die 15. Octob. Pariſiis congregato acta, ac ſcripta ſunt. Vix enim a Rege ſibi tranſmiſſum Conſtitutionis *Unigenitus* exemplar recepit, ut ſtatim die ſequenti ſex Epiſcopos delegit, qui ulla abſque cunctatione, non quidem in Conſtitutionem examen inſtituerent, ſed media inquirerent, quæ aptiora afforent ad eamdem Conſtitutionem acceptam omnibus reddendam, cui demum die 23. Januarii conſenſu unanimi (demptis 9, de quibus mox) ſubſcriptum eſt. Porro ii novem Epiſcopi, interquos Cardinalis Noallius, ab ea ſolemniter acceptanda ſuperſedendum eſse ducebant, donec ab Apoſtolica Sede explicationes quaſdam, quibus illam indigere putabant, (quum tamen revera non indigeret,) impetraſsent. Ita quippe ſuo, & aliorum 8. Epiſcoporum nomine Cardinalis Noallius, cui principio liber Queſnelli probatus fuerat, ut refert Illuſtriſſimus D. Petrus Franciſcus Lafiteau Epiſcopus Siſtaricenſis lib. 1. hiſt. Conſtit. *Unigenitus* ad annum 1695, (qui tamen paullo poſt, ideſt anno 1696. die 20. Aug. ut ſuſpicionem Janſeniſmi ab ſe amoliretur, fidemque liberaret ſuam, fategit, dum nempe eodem Lafiteo teſte paſtorali inſtructione evulgata cum generatim quinque Janſenii propoſitiones devovit, tum ſpeciatim libellum inſcriptum *Expoſitio fidei ſupra Gratiam, & Prædeſtinationem* teſte D. Vaucello in epiſt. ad Archiep. Sebaſtenum a Sangyrano olim ador-

adornatum, atque a Gerberonio in lucem emiſsum Typis Montenſibus Gaſparis Migeotii, in quo prima ex quinque Janſenii propoſitionibus explicate adſtruebatur, infamiæ notis affecit,) ad Clementem XI. exarata epiſtola, non alia ratione ſe, illoſque octo ab ea ſubſcriptione ſuperſediſse teſtatus eſt: *Rati*, inquiens, *veſtram Sanctitatem prius conſulendam, quam commiſso nobis gregi ipſius cenſuram exponeremus*. Proteſtabatur interea ſe, illoſque Pontificis juſſionibus parere paratos his verbis: *Illud imprimis habuimus in animo, ut Apoſtolicæ Sedi debitam obſervantiam exhiberemus*. Quapropter ſtudio conciliandæ Eccleſiaſticæ pacis, illoſque lucrandi, uti ſcripſit Clemens XI. in Brevi die 17. Martii anno 1714. dato, ceteri Epiſcopi aliquandiu, ideſt ad tres Menſes, quot ſcilicet a die 15. Octobris anni 1713. ad 23. Januarii anno 1714. interfluxerant, Conſtitutionis acceptationem diſtulerunt, donec media ſuppeterent apta, quibus refractarii omnes ad eam Conſtitutionem acceptandam ultro citroque adducerentur, mandatoque Pontificio parendum. Qua de re qui affatim velit inſtrui, adeat præ aliis prælaudatum Lafiteum lib. 2. ad annum 1714.

Mirari ſubit propterea Boſsuetium putaſse a Clero Gallicano agnitam quidem, aſsertamque Sedis Apoſtolicæ in definiendo infallibilitatem, non etiam Apoſtolici Antiſtitis: neque vero ab ipſo Clero Pontificum Conſtitutiones acceptatas, niſi poſtquam prævio illas ſubjeciſsent examini. Nam inaniter prorſus, neque niſi ad præconceptam ſemel animo opinionem, quibus poſset viribus, defendendam excogitata iſthæc a Boſsuetio fuiſse ex dictis palam fit. Quippe, ut illud præteream, quod alio in loco, opinor, abunde exagitatum jam eſt, inaniter ab Apoſtolica Sede ſecerni in ea ſedentem Antiſtitem, quandoquidem dicta de Apoſtolica Sede principaliter de Romano Pontifice intelligenda eſse dubitandum haud ſit, ut propterea Melchior Canus de loc. Theolog. lib. 6. cap. 8. jure optimo dixerit, quod eam diſtinctionem, qua inter Apoſtolicam Sedem, & Sedentem in ea Pontificem ſecernitur, *Ratio aſpernatur*; ſi vel perfunctorie relegantur, quæ ex Cleri Gallicani decretis protulimus, liquido pateſcet, quæ Apoſtolicæ Sedi privilegia attribuuntur, eadem plane principaliter de Romano

mano Pontifice fore prædicanda, ab eodemque Clero reapſe prædicata fuiſse. Clementi XI. certe Gallicanæ Eccleſiæ intimum ſenſum perſpectum non fuiſse, niſi qui pro impudentia in omnem effuſa licentiam quodlibet audet, inficias ibit: ecce autem quæ in allocutione ad Cardinales in Conſiſtorio anno 1716. die 27. Junii, quam legere eſt apud Lafiteum lib. 3. hiſt. Conſtit. *Unigenitus*, aſseveranter aſseruit. Equidem Gallicanæ Eccleſiæ inter libertates referri a Gallis hæc duo potiſſimum ait inter alia. 1. Quod Epiſcopi in cauſſis fidei judicium, ut vocant, in prima inſtantia ferre poſſint. 2. Quod poſſint inſuper Pontificum Conſtitutiones explicare, planioreſque facere: ob hæc ſubjungit, ſe Gallis Antiſtitibus negotium ullum faceſsere nolle; attamen affirmat, confirmatque ex ſententia etiam Cardinalis Noallii in epiſtola anno 1711. ad ſe exarata, morem eſse veterem, ac conſtantiſſime in Eccleſia Gallicana receptum, retentumque Pontificiis Conſtitutionibus prompte, ac ſubmiſſiſſime obſequendi, perfecte, atque ſincere obediendi: a Gallicanis Epiſcopis ſibi nunquam adſcriptum, arrogatumque jus, & fas Pontificia decreta ad examinis incudem revocandi: Gallicanæ Eccleſiæ imo eſse intime perſuaſum, quod decretis Pontificum dogmaticis nihil deſit, quin actutum Eccleſiam univerſam obſtringant; ideoque quod irreformabilia ſeipſis ſint, nefas ſit ab iis appellationem interponere. Hæc ſummatim ex præfata allocutione delibata ſatis ſuperque haberi poſsunt ad eorum infringendum auſum, qui Gallicanæ Eccleſiæ ſiniſtram alteram ſententiam afflare non erubeſcunt. Auctor denique locuples, liquiduſque accedit Benedictus XIV. Pontifex Maximus in epiſtola encyclica anno 1756. ad Galliarum Antiſtites exarata, qua litteris e Gallicani Cleri Comitiis die 31. Octob. elapſi anni ſcriptis reſpondens, delatamque ad ſe controverſiam de Euchariſtia deneganda Refractariis Bullæ *Unigenitus* pro ſua eximia, qua præſtat eruditione, & doctrina enucleans, ac diſſolvens, ac in mediis ſtatuendis, & defigendis, quibus Refractarii hujuſmodi ceu publici, & notorii habendi ſint, iique proinde, qui abſque ulla hæſitatione a perceptione Euchariſtiæ arceantur, mire elucens, ac diſcernens, in laudem ejuſdem Eccleſiæ ob egregium ſtudium erga Apoſtolicam Sedem adnectit: *Veſtram firmitatem*,

tem, atque conſtantiam, veſtram perſpeximus perfectam conſenſionem in cuſtodiendo veræ, Janæque doctrinæ depoſito, & in retinenda, quam ſemper Majores veſtri profeſſi ſunt, erga Apoſtolicam B. Petri Sedem, catholicæ Unitatis centrum, obſervantia, & veneratione.

Me miſetet perinde excogitatæ a Tournellio de Eccleſia tom. 2. q. 5. art. 3 edit. Pariſ. vanæ, inaniſque diſtinctionis de Romano Pontifice ad eludendam plane, qua premebatur, argumenti vim obtruſæ: *Qua eſt Eccleſiæ*, inquiente, *firmum, & immobile fundamentum, ſubdiſtinguo, quando Eccleſiæ totius ædificio indiviſe adhæret, concedo; ſi forte ab ipſo propter hæreſim ſejungatur, nego.* Gerræ profecto gerræ ſunt iſtæ; eſt fundamentum, quando eſt fundamentum; eſt immobile, quando eſt immobile. Sane objicientibus Janſeniſtis, quod Eccleſia univerſa per Orbem diffuſa Innocentii X, & Alexandri VII. decreta circa factum dogmaticum Janſenii non acceptaverat, una excepta Gallicana Eccleſia, eo quod una eademque Gallicana excepta, a nulla alia Janſenii liber expenſus fuiſſet, ut certa fieret de ſenſu quinque propoſitionum in eodem contentarum, reſpondet idem Tournellius de Eccleſia q. 5. art. 3. in reſp. ad obiect. 3. ordinis 2, reſpondet, inquam, 1. ex ſua ſententia Gallis ſat eſſe debere Gallicanæ Eccleſiæ auctoritatem, ita ut ſi ſola Apoſtolicas Conſtitutiones de facto dogmatico Janſenii admiſiſſet, obſequi tamen Gallos omnes iiſdem oporteret; nec cuiquam licitum eſſe obluctari judicio Eccleſiæ, in qua exigit. At, quæſo, judicium ejuſmodi eſſet ne infallibile? Si ſic autem, ergo ne ex definitione Pontificis, an ex admiſſione Gallicanæ Eccleſiæ? Quum vero fides una debeat omnium eſſe, ſi obſequi deberent Galli, eccur non ceteri? Reſpondet 2. ex ſententia Epiſcoporum Galliæ in epiſt. anno 1653. die 15. Julii ad Innocentium X. ab univerſa Eccleſia illas Conſtitutiones fuiſſe acceptatas, eo quod nulla interceſſit, nulla reclamavit, nulla improbavit. Neque vero eſſe neceſſe, ut ſingulæ librum Janſenii expenderent, ſuumque de illo ferrent judicium; ſed ſatis fuiſſe, ut Romanæ Eccleſiæ librum expendenti, ac de illo judicium promenti ſingulæ adquieverint, ſive tacite, ſive expreſſe. Verum ſi id totum eo ſenſu reponit Tournellius, ut contra

Jan-

Janſeniſtas evincat nullum ipſis patere amplius effugium, quod ex deſiderato Eccleſiæ univerſæ conſenſu ſuæ inobedientiæ conquiſiverant, abs vero non abhorret: nam eo modo refractariis illis aditum omnem intercludere ſe voluiſſe ea in epiſtola Gallicani Præſules ſignificaverant. At ſi id velit Tournellius, eam univerſæ Eccleſiæ acceptationem fuiſſe neceſsariam, ut præfatæ Conſtitutiones Pontificum in fidei dogmata evaderent, næ is vehementer in errore verſatur, falſique perſonam Gallicanis Epiſcopis imponit, quandoquidem illi apertiſſime faſſi ſunt Epiſcoporum juris non eſſe, Pontificias Conſtitutiones examini ſubjicere, eiſdemque conſenſum ſuum adjicere, aut detrahere, ſed imo officii eſſe, ut ſtatim cunctatione omni ſemota iiſdem obediant, ſummiſſeque obſequantur. Sed de his fuſius paullo poſt.

Ex Regum Francorum Teſtimoniis.

§. II.

ERga Romanos Pontifices obſequii, obedientiæque refertiſſimum animum geſſiſſe jugiter Galliarum re, & nomine Chriſtianiſſimos Reges, in idque potiſſimum intendiſſe perpetuo, ut Romanam ditarent Eccleſiam, atque Sedis Apoſtolicæ dignitatem, auctoritatemque defenderent, res eſt cunctis, qui vel a primo limine Eccleſiaſticam hiſtoriam ſalutaverint, compertiſſima. At in anteceſſum obiter animadvertere nec inutile, nec erit injucundum, quod anno Incarnationis Dominicæ 420. a Faramundo, a quo lata lex Salica fœminas a regnandi jure fecit extorres, initium auſpicata eſt Gallica Monarchia. Anno vero 448. in Regem ſalutatus Meroveus primæ ſtirpi, exinde Merovingiæ nuncupatæ, atque in 22. Regibus, quorum 4. idololatræ, ceteri autem catholici eſſent, regnaturæ ad annum uſque 751, quo Childerico III. S. Zachariæ Papæ ſententia exauctorato, ſuffectus eſt Pippinus, ex ſuo nomen fecit. A Carolo Martello Palatii Magiſtro alterius Pippini notho, atque Pippini Regis patre ſecunda Francorum Regum ſtirps Carolingia nomenclaturam ſortita eſt, quæ in 14. Regibus ad annum uſque 987, quo improle ſatis functo Lu-

Ludovico V, rejectoque Carolo Lotharingiæ Duce, electus est Hugo Capetus, Regni clavum tenuit. A Capeto tertia stirps Capeta denominata est, quæ etiam num regnat, Regesque sui nominis 21. recenset: quamquam anno 1328. dicta quoque sit Valesia a Philippo VI. Valesio filio Caroli, qui frater fuit Philippi IV. agnomine Pulchri S. Ludovici nepotis. Valesia autem stirps an. 1589. in Henrico III. finem accepit, cui succedens Henricus IV. Borbonius ex stirpe S. Ludovici per Robertum ipsius filium descendens, Borbonicæ nomen fecit. Qui omnium primus christianæ Religionis mysteriis initiatus est Clodoveus Clotildis uxoris hortatu templum in honorem SS. Petri, & Pauli extruxit, quo suum erga rem christianam ab illis egregie curatam, pium animi affectum commonstraret, atque ad S. Symmachum, seu, ut aliis placet, ad S. Hormisdam recens electum coronam auream gemmis ornatam dono misit, qua illius Primatum, summamque potestatem testaretur. Theodebertus, ut liquet ex epist. Vigilii ad S. Cæsarium Arelatensem, eumdem consuluit de pœnitentia incesto imponenda. Non nesciebat scilicet facto optimum, si Pontifici Maximo in rebus vel fidei, vel morum, vel disciplinæ auscultaret; nefasque esse, si ab ejus sententia recederet. Baronius in ea versatus est opinione, quod Pontifex consultus fuerit de pœnitentia ipsi met Theodeberto imponenda ob incestas nuptias: at jam ab adulterino conjugio resilierat Rex, quum Vigilium consuluit: de subditorum igitur incestis consultum ab Rege Pontificem oportet. Childebertus teste Papyrio Massono lib. 1. Annal. Francor. Pelagio II. consulto de litteris S. Leonis adversus Eutychetem Pontificis fidei se integre dedere religioni, officioque duxit. Quo de argumento par. 2. redibit sermo.

Pippinus statim, atque Rex est salutatus, quo non obsequio Romanos erga Pontifices se affectum præbuit? Stephanum III. Pontificem Maximum in Gallias profugum ab Longobardorum molestiis, & vexationibus ut se surriperet, Italiamque universam in libertatem assereret, suppetias imploratum, incolumem in Italiam reduxit non modo, sed eorumdem Rege Aistulpho armis subacto, spoliatoque, Romanæ Ecclesiæ Exarchatum Ravennæ, & Pentapolim, idest veterem Flaminiam, Æmiliam, & Picenum,

in hiſque nobiles Urbes Ravennam, Bononiam, Ferrariam, Ariminum, Anconam, Urbinum, aliaſque ad tres, & viginti contradidit. Jura vero omnia eidem Eccleſiæ cum a Chriſto collata, tum abſe ſemel attributa, ut integra manerent, ac ſarta, & tecta, cum ipſe, tum ejus ſucceſſores juſſerunt, & curarunr ſummopere. Adeundus Anaſtaſius in vita Stephani III. Ex his Carolus Magnus Eccleſiæ Romanæ a Pippino attributa dominia confirmavit ne dum, ſed ipſi infeſto Deſiderio Longobardorum Rege devicto, Regnoque Italiæ diminuto, Spoletano Ducatu adjecto amplificavit. Plena vero erga Pontificem obſequii, puræque ſententiæ ſunt, quæ geſſit, dixit, ſcripſit.

Vix inauguratum Hadrianum I. Papam anno 772. intellexit, ut legato miſſo Angilperto Alcuini, ſeu Albini diſcipulo, datiſque litteris, quibus quo erga Apoſtolicam Sedem afficeretur devotionis ſtudio aperiebat, eumdem ita eſt allocutus: *Scio me per ſacri Baptiſmatis adunationem de illius eſſe ovili Paſtoris, qui pro ſuis ovibus animam ponere non dubitavit, quas etiam poſt altiſſimam ſuæ reſurrectionis gloriam Beatiſſimo Petro Principi Apoſtolorum ob trinam magnificæ dilectionis confeſſionem paſcendas commendavit, cui etiam in Cælo, terriſque æternam ligandi, atque ſolvendi poteſtatem delegavit. Hujus te excellentiſſime Pater, ut Vicarium ſanctiſſimæ Sedis agnoſco, ita & mirificæ poteſtatis hæredem eſſe confiteor.* Ad eumdem anno 797. Legatis, litteriſque miſſis, quid de Elipandi Toletani circa Chriſti Domini adoptionem opinione credendum foret, conſuluit. Id conſtat ex Caroli epiſtola ad Elipandum: *Ad Beatiſſimum*, inquit ibidem, *Apoſtolicæ Sedis Pontificem ter, quaterque direximus miſſos, ſcire cupientes, quid S. Romana Eccleſia Apoſtolicis edocta Traditionibus de hac reſpondere voluiſſet traditione.* Acceptis vero Hadriani litteris ad Epiſcopos Gallæciæ, & Hiſpaniarum, quas Elipandi error pervaſerat, quibus ea hæreſis proſcribebatur, Pontificis ſententiæ ſe plane adquieviſſe eadem in epiſtola ad Elipandum ſignificat. *Nec veſtræ*, ajens, *me paucitati in conſenſione hujus aſſertionis novæ* (de Chriſti adoptione) *ſocium admitto: ſed Apoſtolicæ Sedi, & antiquis ab initio naſcentis Eccleſiæ, & Catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate*

con-

conjungo. Quæ qui tenet, probe perſpicit, cur Carolus M. Apoſtolicæ Sedi indivulſe ſibi inhærendum ſtatuiſset, ideo ideſt, quod apud eam rei chriſtianæ adminiſtrandæ ſumma integritas, religioniſque orthodoxorum Dogmatum jugis traditio, illibataque vigeret.

Immenſus eſsem vero, ſi omnia, quæ de Romano Pontifice in ſuarum legum Capitularibus idem Carolus præclare prædicavit, complecti, & perſequi vellem: ſatius ſit itaque nonnulla delibaſse. Iſta duo a Carolo M. conſtituta inter viginti tria Capitula recitat Gratianus diſt. 19. cap. 3. hiſce verbis. *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus S. Romanam, & Apoſtolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis. Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus.* Hujuſce Capituli mentio in Concilio Triburienſi occurrit. Aliud Capitulum edidit eodem anno 801. idem Rex, quod integrum non refert Gratianus 11. q. 1. can. 37. *Volumus*, quod ex 16. Theodoſii Imperatoris libro capitulo 11. ad interrogata Ablavii reſcripto deſumpſiſſe Carolus teſtatur, quodque ſic habet. *Quicumque litem habens, ſive poſſeſſor, ſive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decurſis temporum anniculis, ſive quum negotium peroratur, ſive cum inceperit promi ſententia, ſi judicium elegerit ſacroſanctæ Legis Antiſtitis, illico ſine aliqua dubitatione, etiam ſi alia pars refragetur, ad Epiſcoporum judicium cum ſermone litigantium deferatur. Multa enim, quæ in judicio captioſæ præſcriptionis vincula promi non patiuntur, inveſtigat, & promit ſacroſanctæ Religionis auctoritas. Omnes itaque cauſſæ, quæ vel prætorio jure, vel civili tractantur, Epiſcoporum ſententiis terminatæ perpetuo ſtabilitatis jure firmantur. Nec licet ulterius tractari negotium, quod Epiſcoporum ſententiis deciderit. Teſtimonium etiam ab uno licet Epiſcopo perhibitum omnes Judices indubitanter accipiant, nec alius audiatur; quum teſtimonium Epiſcopi a qualibet parte fuerit repromiſſum... Hoc nos perpetua lege firmamus.* Qui tanta erga Epiſcopos obſervantia ferebatur, quanta, putas, erga Pontifices erat affectus?

Is vero etsi parcissimus in novis condendis legibus, attamen ex sacris Conciliis, decretisque præsertim Summorum Pontificum Capitula ad 168. colligi jussit, quibus Ecclesiastica disciplina redintegraretur. Quandoquidem vero a plerisque ea Capitula, quod ab ipso Carolo adornata non fuissent, minime observanda fore, putatum intellexerat, Pippino filio anno 802. præcepit, ut in Gallia, dum ipse in Italia exigeret, eadem observari summopere curaret. Libro 1. Capitular. cap. 6. quam eximiam de Pontificis infallibilitate animo perferret, sinceramque sententiam, itemque de ipsius suprema potestate significat: *Non ab aliis scripturis*, inquiens, *nisi ab his, quas illa* (Apostolica Sedes) *inter Canonicas recipit, testimoniæ sunt assumenda; nec aliorum Doctorum, nisi eorum, qui a Gelasio, vel aliis illius S. Sedis Pontificibus susceptisunt, dogmata sunt amplectenda*. Eodem loci ad comprobandum illorum dumtaxat inoffenso pede relegi vestigia Doctorum, qui Apostolicæ Sedi fuissent accepti, eorumdem ponit exemplum, ac proponit, quibus in more positum fuit, ad omne prorsus erroris declinandum discrimen a Pontifice de rebus dubiis, difficilibusque capere consilium, recipereque responsum. Ex his vero commemorans a S. Hieronymo consultum de fide S. Damasum subdit: *Quod regulariter omnes Catholicæ debent observare Ecclesiæ, ut ab ea post Christum ad muniendam fidem adjutorium petant, quæ non habens maculam, nec rugam, & portentosa hæresum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat*. Eatenus nempe Romanam Ecclesiam fore de fide deposcendam edicit, quod ab eadem omne errandi procul abesse periculum eidem probe esset persuasum. Romanæ autem Ecclesiæ nomine præcipue ejusdem Præsulem habitum a Carolo M. quis dubitet? Hanc obrem, quod apprime perspectum ei esset Pontificem potissima, ac suprema super Ecclesiam potestate pollere, atque a Pontifice æquitatis, veritatisque jugiter plena judicia proficisci, proinde lib. 7. Capitular. cap. 237. statutum voluit, ut appellationum ad Sedem Apostolicam jus staret integrum: *Placuit*, inquiens, *ut si Episcopus accusatus appellaverit ad Romanum Pontificem, id statuendum, quod ipse censuerit*. Confer Baronim ad annum 819. n. 8, & seqq., ubi horum simillima multa describit.

Exor-

Exorta, & exardeſcente controverſia de Chorepiſcoporum auctoritate, nihil antiquius habuit, quam S. Leonem III. conſulere, cujus reſponſis edoctus Lege eidem lib. 7. inſerta ſancivit, ne a Chorepiſcopis ordinationes,& conſecrationes cum virginum, tum altarium celebrarentur, neve Confirmationis ſacramentum adminiſtraretur, imo ne Chorepiſcopi amplius crearentur. Extat tom. 1. Capitular. edit. Baluzii. Mitto cetera ne ſim moleſtior. Teſte S. Gregorio VII. lib. 8. epiſt. ultima ad Epiſcopum Albanenſem, & Principem Salernitanum in Gallia Legatos, idem Carolus M. annuatim mille, & ducentas libras Apoſtolicæ Sedi pendebat; Saxoniam inſuper S. Petro vectigalem fecit, conſtituitque ſub eodem *ſignum devotionis, & libertatis*, ut inquit ibidem optimus Pontifex. Poſtremo in ſupremæ ſuæ voluntatis tabulis tres filios Ludovicum, Pippinum, & Carolum, quos inter Provincias ſui juris partitus eſt, anno 806. id cautum voluit, ut Romanæ Eccleſiæ clientelam gerere pro viribus omnibus ſtuderent, ejuſdem inclytos defenſores illos conſtituens in hæc verba,ut refert in ejus vita tom. 1. pag. 486. Duplexius: *Super omnia autem jubemus, ut ipſi tres filii mei curam, & defenſionem, ſive patrocinium Eccleſiæ Sancti Petri ſimul ſuſcipiant; quod fecit Carolus* (Martellus) *Avus, & Pippinus felicis memoriæ pater meus, quorum veſtigiis inſtiti, ut Deo auxiliante, eam adverſus omnes ejus hoſtes propugnare totis viribus contendant, ipſiuſque jura pro virili, & quoad licebit, tueri nitantur*. Quod quidem teſtamentum, ut probaret Leo III. Pontifex Maximus ab eodem Carolo per Legatos, rogatus confirmavit: qui tandem poſtremum ſibi vitæ diem appropinquare intelligens, anno 813. Ludovicum filium, quem Imperatorem deſignaverat, admonitum voluit, ut Dei Eccleſias defenderet, & Sacerdotes honoraret ut Patres. Vere itaque Magnus non tam fortitudine, quam fide dictus eſt, de quo merito dicat Baronius ad annum 794: certe non niſi ad ipſam Sedem Apoſtolicam in Eccleſiaſticis controverſiis ipſum Carolum recurrere conſueviſſe; ab eadem reſponſa accipere ſollicite procuraſſe, atque ex ipſorum reſcripto perficere omnia laboraſſe. Jure perinde etiam Morajnes Doctor Pariſienſis in epiſtola nuncupatoria ſui Anti-Janſenii Ludovico XIV. Magno ſignificavit: ipſam Occidentalis

talis Imperii Coronam ſingularis erga Sedem Apoſtolicam venerationis, ac religioſæ obſervantiæ merito Carolum Magnum fuiſſe adeptum.

Ludovicus Pius Patrem imitatus, quum in Gallias anno 816. pro confirmanda pace, & imitate S. Eccleſiæ, ut ait Anaſtaſius in vita Stephani IV, profectionem adornaſſet Stephanus IV. aliis V, Pontificem eo reverentiæ officio excepit, ut ter ante ipſius pedes procubuerit. Anno 823. Lotharium filium Romam miſit, Imperii, Regnique Italiæ inſignibus redimiendum a S. Paſchali Papa, ea adjecta lege, ut Romanæ Eccleſiæ defenſionem ageret. Id conſtat tum ex teſtimonio Ludovici, qui anno 835. quum accepiſſet a Lothario Romanæ Eccleſiæ homines divexari, Legatis ad ipſum miſſis monuit, quatenus memor eſſet: *Quia quando ei Regnum Italiæ donavit, etiam curam S. Romanæ Eccleſiæ ſimul commiſit, & quam ab adverſariis defenſandam ſuſceperat, nequaquam a ſuis diripi permitteret*: ut ait Aſtronomus in vita Ludovici Pii: tum ex teſtimonio Lotharii, qui in vita Walæ Corbejenſis Abbatis apud Mabillonium ſæculo IV. Benedict., ita Patrem de Romana ſua profectione allocutus refertur: *Ad eamdem Sedem* (Romanam) *clementer me veſtra imperialis Eximietas miſit ad confirmandum in me quidquid pia dignatio veſtra decreverat, ut eſſem ſocius, & conſors, non minus ſanctificatione, quam poteſtate, & adminiſtratione: unde quia coram ſancto altari & coram ſancto corpore B. Petri Principis Apoſtolorum a Summo Pontifice, veſtro ex conſenſu, & voluntate, benedictionem, & nomen ſuſcepi Imperialis officii, inſuper diademata capitis, & gladium ad defenſionem ipſius Eccleſiæ, & Imperii veſtri, nemo vobiſcum magis, qui eam, quam ego, defendere velit, aut debeat.*

Poſthinc Caroli M. exemplo Francorum Reges Imperatoris nomen ſibi aſſumere non ſunt auſi, antequam Romæ a Romano Pontifice inaugurati eſſent, uti teſtatus eſt Ludovicus II. in epiſt. ad Baſilium Græcorum Imperatorem apud Ducheſnium tom. 3. hiſtor. Francor. Ad id vero uſque temporis, annum 823. penes Pontificem ſupremum Urbis Romæ, unumque dominium ſtabat. Omnium primum S. Paſchalem I. cum Lothario Imperatore, cum eodemque poſtmodum Eugenium II, cum Ludovico II. præterea S. Leo-

S. Leonem IV. Urbis dominium fuiſse partitos ex ſupplemento hiſtoriæ Pauli Diaconi, quod affert ex corpore Francicæ hiſtoriæ veteris, & ſinceræ ad annum 823, affirmat Franciſcus Pagius in Paſchali I. Veruntamen unum penes Romanum Pontificem ſupremum Urbis dominium ſtetiſse ſemper, præfatis vero Imperatoribus unius dumtaxat Patriciatus inſignia, dignitatemque, qua quidem ad Romanæ Eccleſiæ patrocinium impendendum obſtringebantur, non etiam in Romanæ Urbis dominium juriſdictionis partem obtinerent, oſtendit vir doctiſs. Octavianus Gentilius in egregio ſuo opere de Patriciorum origine, varietate, præſtantia, & juribus lib. 3. cap. 8, qui cap. 1. omnium primum a S. Gregorio III. Patriciatus dignitatem adeptum Carolum Martellum, & a Stephano III. deinde Pippinum demonſtrat. Ex Nummis plurimis, de quibus videri poteſt Vignolius de antiq. Rom. Pontif. denar., ſub Ludovico Pio, Lothario, & Ludovico II. percuſſis, in quibus nomina leguntur Ludovici, Lotharii, Romæ, & Sancti Petri putant Le Blanc in tractat. de antiq. Regum Francor. monetis; & Cl. Antonius Pagius præfatos Imperatores ſupremi juris in Romanam Urbem fuiſſe potitos; ſcilicet quia putant Nummos illos Imperatorios eſſe. Verum, uti Franciſcus Pagius obſervavit, & poſt ipſum Octavianus Gentilius loco cit. in Nummis illis una cum Imperatorum nomina quoque vel S. Petri, vel Pontificum leguntur, ſicut in Nummis Benedicti III, & S. Leonis IX; quod indicium eſt Nummos illos non Imperatorios, ſed Pontificios fuiſſe: atque proinde abſque Pontificis conceſſione poteſtatem ab Imperatoribus illis in Romanos non fuiſſe exercitam, neque jus cudendæ monetæ illis conceſsum. Sed de his parte 2. Vindic. Confer interea, qui hoc de argumento copioſe, egregieque, agit, Octavianum Gentilium lib. 3. cap. 6., & ſeqq. Ad propoſitum nunc redeat oratio.

Anno 824. Lotharius a Ludovico Patre Romam miſsus ſedandæ cauſsa diſsenſionis poſt obitum Paſchalis in electione Eugenii II. exortæ, Conſtitutionem ibidem edidit, qua inter cetera juſſit, ut Summo Pontifici in omnibus integra ſervaretur obedientia, Ducibuſque, ac Judicibus ab eodem ad juſdicundum conſtitutis, ab omnibus obtemperaretur: ut vivente, vel mortuo

tuo Pontifice Romanæ Eccleſiæ bona nulli incommodo, aut invaſioni paterent: ut Pontificis electioni impedimentum nullus apponeret, ſed ea Clerum penes integra permaneret. Legeſis Cointium in Annal. ad annum 824: ſed & has Lotharii Conſtitutiones legere eſt apud Harduinum tom. 4. pag. 1261., & apud Holſtenium in collect. Rom. par. 2. pag. 211. Anno 825. poſt celebratam Nicænam II. Synodum, in qua de ſacris Imaginibus actum fuerat, agi de iiſdem in Gallia Ludovicus exoptans, non antea id ſibi licere, eaque de re Conventum Epiſcoporum cogere intellexit, quam Legatis, litteriſque ad Eugenium II. miſſis facultatem impetraſſet: qua obtenta Synodus Pariſiis habita eſt, in qua decretum ſacrarum Imaginum cultui minus idoneum editum eſt, de quo alibi eſt abunde dictum.

Magis vero ſtudium, quo Pontifices colerent, ſententiamque, qua de Pontifice cenſerent, prodit epiſtola, quam anno 826. ad eumdem Eugenium Ludovicus, & Lotharius exararunt: *Quia veraciter*, inquiunt, *nos debitores eſſe cognoſcimus, ut his, quibus regimen Eccleſiarum, & ovium Dominicarum cura commiſſa eſt, in omnibus cauſſis ad divinum cultum pertinentibus opem, atque auxilium ....feramus .... Idcirco rogamus, ut Almitas veſtra curam, & diligentiam adhibere dignetur, quomodo per veſtram ſaluberrimam doctrinam, & admonitionem magis ad concordiam, & unitatem revocetur, quam propter hoc ad majorem diſcordiam impellatur*. De Ludovico Pio Vindic. par. 2. recurret ſermo. Paucis hæc omnia complexus eſt P. Dominicus a SS. Trinitate Bibl. Theolog. lib. 3. ſect. 4. cap. 16. obſervans Carolum Magnum, Ludovicum Pium, & Lotharium Imperatores, Francorumque Reges Capitularia ſua ex Summi Pontificis conſenſu edidiſſe: Pontificis auctoritate confirmari voluiſſe: Decreta ſemel a Pontifice ſervanda omnino ſtatuiſſe: in dubiis ad Pontificem ab omnibus recurrendum juſſiſſe: atque a Pontifice Synodos omnes aut infirmari poſſe, aut confirmari oportere affirmaſſe. Confer Capitular. lib. 6. cap. 267; lib. 7. capp. 91, 104, 187, 205, 265, & 267; in addit. 4. ad lib. 7. capit. 12; apud Harduinum tom. 4. Capitul. excerp. tit. 2. cap. 5; tit. 3. cap. 2; tit. 4. cap. 1; & Conſtit. cap. 1, & ſeqq.: epiſtolam etiam Lotharii ad S. Nicolaum

laum I. obſequii, devotionis, obedientiæque cumulatiſſimam. Ludovicum II, S. Nicolao I. Ravennam ingreſſo, dixiſſe Johanni Archiepiſcopo Papiam ad ſe profecto: *Vadat, & faſtu elationis depoſito tanto ſe humiliet Pontifici, cui & Nos, & omnis Eccleſiæ generalitas inclinatur, & obedientiæ, ac ſubjectionis colla ſubmittit*, auctor eſt Anaſtaſius in S. Nicolao I.

Carolus Calvus, ideo quod ingenti non abſque reatu, probroque Monaſteriorum bona in prædam abſtrahi, diſciplinamque peſſum abire permitteret, a Benedicto III. Pontifice Maximo, qua monitis, qua objurgationibus perſtrictus, anno 856. prope Pariſios placitum celebrans ab Epiſcopis, qui & ipſi increpatoriis litteris a Pontifice exſtimulati fuerant, ut Regem ad officium revocarent, graviſſimis verbis admonitus eſt, ut Pontifici faceret ſatis, ejuſdemque cum monitis, tum mandatis auſcultaret. Ab Hadriano II. etiam admonitus, intentatiſque minis juſsus eſt idem Carolus, ut ab uſurpando mortui Lotharii Regno, quod in jus Ludovici II. tranſiiſset, abſtineret, quo de argumento parte 2. Vindiciar. copioſius agemus. Is igitur quod probe tandem intellexit, cunctis pariter integre cuſtodiendum injunxit, videlicet: *Ut S. Romana Eccleſia, ſicut eſt Caput omnium Eccleſiarum, ita ab omnibus honoretur, & veneretur; neque quiſquam contra jus, & poteſtatem ipſius aliquid injuſte agere præſumat, ſed liceat ei debitum tenere vigorem, & pro univerſali Eccleſia Paſtoralem exhibere curam*. Extat Capit. tit. 41. cap. 1. tom. 1. collect. Sirmondi. In epiſtola inſuper ad S. Nicolaum I. de Ebbonis cauſsa ſic effatus legitur: *Congruum (eſt) ... veſtræ præ ceteris reverentiæ Pontificatus regia colla ſubmittere, veſtrisque ſaluberrimis monitis aurem cordis ad obtemperandum humillima devotione ſubdere. Quippe quem luce clarius cernimus Eccleſiæ inter Mundi turbulentam voraginem fluctuantem ſolidiſſimam ancoram conſtitutum, paxillumque immobilem*. Extat apud Harduinum tom. 5. pag. 686.

Hugo Capetus is, inquam, in quem e Carolingia, defuncto Ludovico V. improle, & abjudicato Carolo Lotharingo ipſius Ludovici patruo, Galliæ Regnum translatum eſt, quum proditionis ſuſpicione laborantem Arnulphum Remenſem Archiepiſcopum in Synodo Remenſi gradu dejici curaſſet, is autem alte-

rius ſe, quam Romani Pontificis, judicio ſubeſſe pernegaret; Johannes XV. etiam Epiſcopis omnibus, qui in Synodo adverſus Arnulphum ſententiam dixerant, ſacris interdixiſſet, quod ſe inconſulto illum loco movere fuiſſent auſi, Hugo, inquam, Rex ad Johannem Pontificem Maximum anno 990. inſcriptis litteris rogavit, ut in Gallias venire ipſemet non gravaretur, hanc cauſſam præſens judicaturus: nec enim ſibi, nec Epiſcopis Regni ſui eam inſedere ſententiam, ut Apoſtolicæ Sedis judicium declinare vellent: *Hoc*, inquiens, *ex integro affectu dicimus, ut intelligatis, & cognoſcatis nos, & noſtros veſtra nolle declinare judicia. Petimus itaque, ut Johannis Archidiaconi legationem benigne ſuſcipiatis, ut dum quod petit, obtinuerit, nos in ſuo adventu efficiat lætos, & in veſtro obſequio ferventiſſimos*. Nihilominus Regis petitioni obſtitit obfirmato animo Pontifex, Arnulphumque ſuæ reſtituit ſedi: & quamvis (contra quam Baronius, & Binius ab Aimoini Continuatore decepti putarint) Rex Hugo Pontificis mandatis obſequi detrectaverit, jubente tamen Gregorio V, qui Johanni fuerat ſuffectus, minaſque intenranti, niſi Arnulphus juxta Johannis deceſſoris ſententiam ſuæ redderetur Eccleſiæ, Robertus, qui Hugoni patri ſucceſſerat, morem gerendum duxit, Arnulpho ſuum locum integrum fecit, Pontificique litteras obſequii, & obedientiæ plenas inſcripſit, ut refert Aimoinus in vita S. Abbonis Abbatis Floriacenſis, quem ad Gregorium V. Oratorem Robertus Rex miſerat.

Ludovicus VII. cum Alexandri III. Pontificis Maximi adverſus ſchiſma Victoris Antipapæ, quod præpotentia ſua fovebat Fridericus, partes defendendas aggrediens; tum S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi contra graviſſima incommoda eidem illata ab Henrico III. Angliæ Rege patrocinium ſuſcipiens datis ad Alexandrum III. an. 1160. litteris, quo in Apoſtolicam Sedem pietatis affectu ferretur, ac ſerveret ſatis aperuit. *Ab humanæ pietatis*, inquiens, *lege recedit filius, qui matrem deturpat; neque Creatoris beneficii reminiſcitur, qui de ſanctæ Sedi Apoſtolicæ illata turpitudine non contriſtatur. Verum ſpecialius eſt condolendum . . . . quoniam in Sanctum Dei inſurgens malignitas in pupillum Chriſti gladium infixit, & Cantuarienſis Eccleſiæ lucer-*

lucernam non tam crudeliter, quam turpiter jugulavit. Excitetur ergo exquisitæ genus justitiæ, denudetur gladius Petri in ultionem Cantuariensis Martyris, quia sanguis ejus clamat pro universa Ecclesia. Præterea Friderico per Legatos de ipsius in Alexandrum III. studio conquerenti eximium hoc reddidit responsum: *Miror prudentem Virum vana mihi, & fabulosa verba misisse: an ignorat, quod D. N. I. Christus, quum esset in terris, B. Petro, & per eum universis ejus Successoribus Oves suas pascendas commisit .... Nunquid sunt hinc Francorum Reges, vel antiqui Prælati excepti? An Episcopi Regni mei non sunt de Ovibus, quas Filius Dei B. Petro commisit?*

Philippus I, quod Bertradam pellicem non dimitteret, ab Urbano II. latæ excommunicationis sententia perstrictus; quodque sacerdotia pretio venderet, a S. Gregorio VII, ut liquet ex epistola 35. lib. 1. ad Rodericum Episcopum Cabilonensem, exauctorationis minis perterrefactus, obediendum sibi Pontificibus intellexit demum, scilicet se duplici pœna, cum spirituali, tum temporali ab illis alioqui puniendum, nisi satisfaceret, subiturumque ex pertinacia honoris quidem nihil, plurimum autem dedecoris. Philippus II. dictus Augustus Innocentio III. jubente Ingelburgam Reginam dimissam recepit, & Mariam superinductam dimisit non modo, sed quum ab eodem Innocentio anathematis vinculo innodatus, & Angliæ Regno mulctatus fuisset Johannes Rex, Angliæ vero Regnum sibi attributum ea lege, ut Episcopos Anglia exules suis restitueret sedibus, remque christianam in Anglia redintegraret, Pontifici morem gerundum ratus, instructissimum collegit exercitum, numerosamque instruxit classem. Infecta quidem res fuit, quo tamen animo Pontificis jussa prosequeretur eo, quo modo dicebam, opere significavit. Quam vero animo gereret de Pontificis auctoritate sententiam, ad eumdem Innocentium anno 1209. exaratis litteris exposuit his verbis scribens: *Romani Pontificis judicium soli Deo reservatur, soli Deo debetur.* De formula *Regnante Christo*, quæ loco formulæ *Regnante Philippo* usurpata est durante interdicto, cui ob adulterinas nuptias Philippi I, non vero Philippi II, ut perperam scripsit Nicolaus Vignerius lib. 3. histor.

Francor., ab Urbano II. Galliæ Regnum fuerat ſuppoſitum, ut obſervavit Jutetus in notis ad epiſt. 46. Ivonis Carnotenſis, quamvis occaſione nuptiarum inceſtarum Philippi II. eidem Regno ſacrorum juſtitium ab Innocentio III. fuerit etiam indictum, parte 2. Vindiciar. agemus.

S. Ludovicum IX. inter ſanctiſſima documenta, quæ ante mortem Philippo primogenito manu propria gallice exarata tradidit, quæque hiſtoriæ ſuæ inſeruit Jonvillæus, latine vero reddita exhibent Gaufridus de Belloloco, & Guillelmus Nangius de geſtis S. Ludovici, illud, quod ſummam erga Romanam Eccleſiam obſervantiam redolet, ſummopere commendavit. *Sis devotus, & obediens Matri noſtræ Romanæ Eccleſiæ, & Summo Pontifici, tanquam Patri ſpirituali.* De Philippo III. Audace par. 2. Vindiciar. agetur, ſicuti & de Philippo V, cui Pulchri nomen acceſſit. De Carolo VI, & VII. diximus, ubi de Conciliis Conſtantienſi, & Baſileenſi. Ludovicus XI; a quo Pio II. mandante Pragmatica ſanctio abrogata eſt, cujuſque abrogationem Leone X. petente confirmavit Franciſcus I, uti dictum jam eſt, ubi de Concilio Lateranenſi V, quamvis Regaliæ jura amplificare ſtudens nonnihil in Eccleſiæ libertatem deliquerit, qua de re legendus doctiſſ. Cardinalis Sfondratus *in Gallia vindicata* diſſert. 1. §. 7, in epiſtola tamen anno 1461. ad Pium II, quæ inter Pii epiſtolas legitur, de Pragmaticæ ſanctionis abrogatione verba faciens, hiſce, quo erga Pontificem animo eſſet optime comparatus, indicavit: *Te Vicarium Dei viventis ea veneratione proſequimur, ut ſacra, præſertim in Eccleſiaſticis rebus, tua monita velut vocem Paſtoris audire, illiſque parere prompta mente velimus. Te Principem totius Eccleſiæ, Antiſtitem ſacrorum, & Dominici gregis Paſtorem profitemur, & ſcimus; Teque jubentem ſequimur, Tibi, & Beatiſſimi Petri Cathedræ conſentimus. Itaque ſicut mandaſti* (Pragmaticam Sanctionem) *tuæ Sedi infenſam, utpote quæ ſchiſmatis tempore, atque per ſeditionem mota ſit, e Regno noſtro, noſtroque Viennenſi Delphinatu, & omni Ditione noſtra per præſentes pellimus, dejicimus, ſtirpituſque abrogamus.* Eaſdem litteras exhibet Raynaldus ad eumdem annum 1461. n. 118. Ad Paulum II. Pontificem M. Carolo Borbonio Archie-

chiepiſcopo Lugdunenſi Oratore miſso anno 1466. obſequium, obedientiamque ſpopondit, cujus certum indicium illud eſse voluit, tum quod moleſte ferret a Carolo VII. patre non ita in pretio habitum fuiſſe, uti par erat, Pontificem; tum quod contra Regni Procerum, Doctorum Pariſienſium, Pariſienſiſque Senatus opinionem abrogaſſet ſanctionem Pragmaticam. Extant Ludovici XI. ad Paulum II. litteræ tom. 1. Privilegior. Rom. Eccleſiæ, & apud Raynaldum ad annum 1466. n. 15, & ſeqq.

Franciſcum I. hujuſce nominis pro virili parte adverſus Hæreticos tum temporis adnixum, pro ſtudio, quo approbe erga Apoſtolicam Sedem afficiebatur, contendiſse, & curaſse, ut ubique in Regno ſuo omnes colerent, & revererentur *Unum in Eccleſia Romana Epiſcopum, utpote Petri ſucceſſorem, reliquorum & auctoritate, & dignitate Principem, ad quem ceteri ut ad Caput referrentur, qua maxime re noſtra hac in terra militans Eccleſia illius in Cælo triumphantis effigies quædam agnoſceretur*: in oratione habita ad Patres Concilii Tridentini anno 1546. die 3. Julii, quam refert Pallavicinus lib. 8. cap. 3, perhibuit Petrus Daneſius præfati Regis Orator. Henricus II, quo Religionis integritati zelo ſtuderet, quo pariter erga Religionis ejuſdem Principem Romanum Pontificem afficeretur animo, quo ſcilicet nonniſi Pontificis ſententia Religionis rem curatam ire intelligeret, celebri eo anno 1555. edicto oſtendit, quo Ditionum ſuarum Judicibus omnibus injunxit, ut Judicum a Pontifice delectorum, & Quæſitorum fidei ſententias adverſus hæreticos, nulla provocationum quarumlibet ad ſupremas Curias factarum, aut faciendarum habita ratione, ocyus exequerentur.

Ejuſmodi edicti occaſione obſervare eſt 1. a S. Ludovico in Galliis tribunal Inquiſitionis fuiſſe inſtitutum anno 1255. Quos poſthac ſuprema Curia Pariſienſis Inquiſitores deſignaverat, Clemens VII. dato ad eamdem Curiam Brevi anno 1525. die 20. Maji approbavit. Anno 1550. ab eadem ſuprema Pariſienſi Curia approbatæ fuere litteræ inquiſitionis conceſſæ P. Mathurino Olri: & anno 1557. Henricus II. mox laudatus ad Paulum IV. ſupplices litteras dedit, quibus in Galliis fidei Quæſitores conſtitui obſecrabat, facileque obtinuit. Obſervare eſt 2. in Galliis a Tribunalibus

bus ſacrar. Congregat. Inquiſitionis, & Indicis edita decreta ſæpiſſime recepta, religioſeque executioni mandata fuiſſe. Enim vero Concilia Rotomagenſe anno 1581. capit. 2; Burdigalenſe anno 1583. capit. 27; Turonenſe eodem anno capit. 4; Bituricenſe anno 1584. capit. 4; Aquenſe anno 1585. capit. 4; Toloſanum anno 1590. par. 4. capit. 10, & ſeqq.; Avenionenſe anno 1594. capit. 7; Narbonenſe anno 1609. capit. 3; Burdigalenſe anno 1624. cap. 1. tit. 12; quibus jungendum Cameracenſe anno 1565. capit. 1; libros Romæ confixos, ac in Indicem relatos omnes ad unum legi vetuerunt, Epiſcopis vero juſſere, ut quotannis librorum prohibitorum catalogum a Parochis per Diœceſes promulgandum a S. Officio depoſtularent. Clerus etiam Gallicanus in Comitiis generalibus anni 1614. conſcriptum Romæ Indicem publici juris in Galliis eſſe voluit, decreto ea de re ad tertium Regni Ordinem directo, cui libentiſſime ſacra Pariſienſis facultas ſyngrapham adjecit ſuam, teſte Domino De Fileſac tunc temporis Sorbonæ Syndico; quamquam Cleri decretum nec a Rege fuiſſet obſignatum, nec a ſuprema Pariſienſi Curia in acta relatum. Anno 1641. idem Clerus S. Officii decreto adverſus tres libros Baunii lato ſubſcripſit; & anno 1645. altero decreto, quo ab eodem S. Officio tres pariter libri P. Rabardeau proſcribebantur, quin prius decretum illud Regi, Curiiſque Regni probatum fuiſſet: quin imo ſimile decretum Romæ a S. Officio evulgatum ſupremus Senatus Pariſienſis anno 1710, ceu canonicum, atque a legitima poteſtate latum agnovit.

Obſervare eſt 3. ab Epiſcopis Gallicanis ſummopere ſemper cautum fuiſſe, ne cauſſis Eccleſiaſticis ſe Laicæ Curiæ immiſcerent, aut de cenſuris Eccleſiaſticis cognoſcere auderent. Id conſtat ex Conciliis Arelatenſi II. anno 452. can. 31; Andegavenſi anno 455. can. 1; Venetico anno 465. can. 9.; Agathenſi anno 506. can. 8, & 32; Epaonenſi anno 517. can. 11; Aurelianenſi III. anno 538. can. 32; Aurelianenſi IV. anno 541. can. 20; Aurelianenſi V. anno 549. can. 17; Autiſiodorenſi anno 578. can. 35, & 43; Matiſconenſi I. anno 581. can. 8; Matiſconenſi II. anno 585. can. 9, & 10; Pariſienſi anno 614, aut 615. can. 4; Remenſi anno 625, aut 630. can. 6, & 18; Rotomagenſi

genſi anno 1189. can. 21; Valleguidonenſi anno 1242. can. 5; quo & citatur canon 19. Concilii Millevitani II; Bituricenſi 1276. cap. 7; Turonenſi anno 1282. cap. 7; altero Bituricenſi anno 1286. cap. 11; Rotomagenſi anno 1299. capp. 3, 4, & 5; Melodunenſi anno 1300. cap. 3; Compendienſi anno 1301. capp. 1, & ſeqq.; Avenionenſi ex tribus Provinciis Arelatenſi, Aquenſi, & Ebredunenſi anno 1326. capp. 8, 9, 10, & 14; Marciacenſi eodem anno capp. 8, 9, & 10; Roſſiacenſi anno 1327. cap. 1; Compendienſi altero anno 1329. capp. 1, 3, & 7; Rotomagenſi anno 1581. cap. 10; & Toloſano anno 1590. cap. 4; a quibus lata excommunicationis ſententia in Laicos quoſcumque, qui directe, vel indirecte in Eccleſiaſticam juriſdictionem irrepere auderent, eamque vel impedire, aut uſurpare, aut de cenſuris Eccleſiaſticis cognoſcere. Mitto latam a Concilio Lateranenſi ea de re cenſuram in Aquiſextianam Curiam, de qua alibi.

Obſervare 4. juvat, noſtraque intereſt, anno 1580. dumtaxat in Galliis Bullæ Cœnæ Domini promulgationem fuiſſe prohibitam, quod ea Regis jura nonnihil violari circa vectigalia Clero Gallicano impoſita viderentur. Ante vero annum 1665, diem 29. Aprilis, quo Alexandri VII. Conſtitutio *Regimini*, qua Janſeniſtici erroris ſuſpectis formularium ſubſcribendum præſcribebatur, a ſupremis Curiis Regni in tabulas relata eſt, nullam unquam Pontificiam dogmaticam Conſtitutionem in Galliis fuiſſe in Curiarum tabulis deſcriptam; ac propterea Conſtitutionem *Unigenitus* Clementis XI. ordine 4. eſſe ex illis, quæ in eaſdem tabulas referri cœperunt. Nunquam pariter Pontificiæ Conſtitutiones in Galliis Regia ſyngrapha obſignari conſueverant, antequam ab Epiſcopis reciperentur, ac publici juris fierent: quippe vel anno 1643. Dominus de Gondi, qui Archiepiſcopus Pariſienſis primus audivit, Conſtitutionem Urbani VIII. *In eminenti* anno 1641. adverſus Janſenii librum editam evulgavit, etſi nedum a Rege obſignata eſſet, aut a Curia ulla in tabulis exarata. Videlicet Gallis univerſis tum temporis illud perſuaſum erat, quod poſtremo Cardinalis Noallius in epiſtola ſuo, aliorumque 9. Epiſcoporum nomine Cleri Gallicani anno 1705. Comitiorum ſententiam explicans, Clementi XI. anno 1711. die 29. Junii ſcripſit:

Sa-

Sacrum Ordinem perſuaſum ire haud neceſſariam eſſe ſolemnem acceptationem, ut Pontificum Conſtitutiones ab omnibus Chriſtifidelibus veluti fidei, morumque regulæ habeantur. Quam Cleri ſententiam a Rege, Regnique Curiis propriam quoque factam ea ratione liquet, quod Ludovici XIV. juſſu ea Cardinalis Noallii epiſtola cum a Domino Ponchartrain magno Cancellario, tum a Domino Dagueſſau Procuratore generali probata fuerit. Regum ergo Galliæ omnium primus Ludovicus XIV. anno 1653. die 4. Julii ſacra juſſione Conſtitutionem Innocentii X. *Quum occaſione*, qua ad preces 85. Epiſcoporum Galliæ quinque Janſenii propoſitiones proſcripſerat, in Curias Regni referri, ac publicam per Regnum fieri præcepit. Cetera Regum Galliæ edicta, quæ ſubſecuta ſunt, ad ſacri Ordinis poſtulationes evulgata ſunt, idcirco ſcilicet, ut Pontificum Conſtitutiones quam celerius, & quam conſultius executioni mandarentur; Novatoribuſque omnis evadendi locus interciperetur. Denique omnium primus Ludovicus XI in Gallias recipi a Romana Curia reſcriptas Litteras, Proceſſus, Scripturas &c., (non tamen Brevia, aut Bullas) prohibuit, quæ plane antea ultro citroque nullo præhabito Regis, aut Curiarum placito admittebantur. Id omne adnotavit Clemens XI. in epiſt. anno 1716. ad Ducem Aurelianenſem data apud Lafiteum lib. 3. ad cit. annum. Facit huc propterea, quod quondam Cardinalis Richelius Carentonicis Miniſtris aſſentationis vitium erga Apoſtolicam Sedem Gallicanis Epiſcopis appingentibus, quod Pontificum Romanorum judiciis, præter quam par foret, ultro citroque adquieſcerent, in Gallicani Cleri, Regnique egregiam laudem repoſuit: *Si crimen eſt Patris filios epiſtolis commonere, ſi filiorum Patris conſilia excipere, crimen erit amborum Galliæ Ordinum Nobilium ſcilicet, Eccleſiaſticorumque, Pontificum Conſtitutiones excipere, venerari, & obſervare.* Hæc ex occaſione edicti ab Henrico II. lati a nobis obſervata ſunto. Jam ad propoſitum oratio revertatur.

Henricus IV, qui Borbonicæ ſtirpi rem Gallicam impræſentiarum glorioſe adeo adminiſtranti nomen fecit, quum diſputationi a Perronio habendæ cum Philippo Mornæo Pleſſio præcipui inter Calviniſtas nominis, in qua quidem doctiſſimus Perronius eum-

eumdem Mornæum in lib. gallico idiomate de Miſſæ abuſibus inſcripto interpolationum, falſarumque citationum ad 60. convicit, adeſſe decreviſſet, palam imprimis proteſtatus eſt nolle ſe, ut ea in collatione de fidei articulis ageretur, quandoquidem illorum judicium dubio omni procul ad Apoſtolicam Sedem pertinere non ignoraret; ſed in id unum diligenter inquiri, num revera, ut objecerat Perronius, pernegabat vero Mornæus, veterum Patrum ſententias idem Mornæus præfato in libro depravaſſet. Id conſtat ex relatione ejuſdem collationis ab eodem Perronio deſcripta apud Berninum tom. 4. hiſt. hæreſ. ſæcul. XVI. cap. 13. Ludovicus XIII. officii loco duxit Clementis VIII. ſacris obedire juſſionibus: nam legem, quam Henrico IV. Patri, antequam abſolutionis beneficio donaretur, præſcripſerat Pontifex, videlicet, ut rem catholicam, eliminata Calviniana hæreſi, in Bearnia redintegraret, adimplendi gratia, tum edicto lato a Provincia Bearnenſi hæretica labe pollutos quamprimum ſecedere juſſit; tum detrectantes anno 1620. ducto exercitu ad parendum, Romanæque Eccleſiæ fidem amplexandam compulit. Cujus veſtigiis inhærens Ludovicus XIV, cum Calviniſtas ad unum omnes expelli e Regno anno 1685. juſſit: qua de re præclare geſta gratulatoriis litteris eidem Regi inſcriptis die 15. Novembris ejuſdem anni V. Innocentius XI. inter alia in hæc effatus eſt: *Recenſebit ſuis in faſtis Catholica Eccleſia tam grande tuæ erga ipſam devotionis opus, nomenque tuum non interituris præconiis proſequetur*. Et in allocutione ad Cardinalium Collegium eadem de re anno 1686. die 18. Maji ſic ait præfatus Pontifex: *Qua ſane in re* (laudato edicto hæreticos coercendi) *quum Chriſtianiſſimi Regis zelus, & pietas mirifice eluceant, ipſius immortali merito noſtræ, & omnium laudes debentur, quas quidem uberes omnis poſteritas illi reddet, dum hujus tam præclari facti memoriam recolet*.

Enituit ejuſdem Regis cum fidei curandæ eximium ſtudium, tum de Pontificis poteſtate optima ſententia occaſione turbatum, quas in Gallia excitaverat liber D. Franciſci de Salignac Fenelon Archiepiſcopi, & Ducis Cameracenſis, cui is titulus: *Explication des Maximes des Saints*, quo de libro hæc inter alia verba latine reddita die 23. Decembris anno 1698. ad Innocentium XII.

Pontificem Maximum ſcripſit Rex: *Non abſque animi mœrore intellexi Apoſtolicæ Sedis eo de libro judicium Eccleſiæ paci tam neceſſarium, adhuc illorum artificio dilatum iri, quorum, ut illud differatur, ſummopere intereſt. Cunctationis hujuſce aperta adeo, atque periculi plena conſectaria conſpicio, ut digne Eccleſiæ primogeniti filii nomine me donari non putem, ni apud Sanctitatem veſtram enixas in preces iterato me effundam, atque rogem etiam, atque etiam, ut tandem conſcientiarum turbas hocce a libro commotas ſua auctoritate compeſcat, quæ quidem pax alia ratione conciliari non poteſt, quam ſuprema omnium Patris definitione, quæ tamen clara, apertaque adeo ſit, ut ambigendi reliquus non ſit locus, dubiumque omne circa doctrinam libri prorſus amoveat, ſtirpituſque hoc malum evellat.* Regis autem optimi petitionibus fecit ſatis Pontifex, datoque anno 1699. die 12. Martii decreto 23. propoſitiones illo ex libro decerptas proſcripſit. De Ludovici XIV. erga Pontificem obſequio iterum infra, cujus quidem ob egregia pro Religionis bono facinora, laudes eximie, eleganterque celebravit anno 1683. Bernardus de Monnoje de litteris vir optime meritus: quin & Lafiteus lib. 2. hiſt. Conſt. *Unigenitus* ejuſdem Regis eximium pro fide catholica, obedientiaque Pontifici cuſtodienda ſtudium in aprico poſuit, omnique prorſus ab invidia liberavit.

Non minori, quam Majorum ſuorum religionis ſtudio, atque in Apoſtolicam Sedem reverentia fertur, fervetque, qui feliciter regnat Ludovicus XV, cujus quidem præclarum ſpecimen præbuit anno 1723; quo quum prodiiſſet in lucem opus poſthumum gallice inſcriptum: *Neuvieme diſcours de M. l'Abbe Fleuri ſur les libertes de l' Egliſe Gallicaine*, ubi Auctor pag. 24. hæreticam ait ſententiam, quæ aſſerit Romanum Pontificem humana dumtaxat inſtitutione, ac pura, putaque Eccleſiaſtica politia Primatum obtinere, quumque cenſura iſthæc ceteroquin æquiſſima cuidam Anonymo, qui præfatum opus publici juris fecit, notis omnino hæreticis deformatum, diſplicuiſſet, hominis audaciam non tulit pro ſua pietate, & in Romanum Pontificem religionis ſtudio Rex Chriſtianiſſimus. Itaque decreto ſupremi Conſiſtorii die 9. Septembris 1723. opus nefaſtis cum notis ſuppreſſit, juſ-

juſſitque in auctorem, editoremque diligenter inquiri. Ejuſdem Regis zelus, quo Eccleſiaſticam juriſdictionem a Laicis impetitam ſartam, ac tectam jubet, quove Apoſtolicæ Sedis judicia de Janſenii, Queſnellique erroribus integra vult, tam Orbi univerſo palam factus eſt, quam de eo ſermonem facere opus ſit. Cujus quidem illud non prætereundum, quod edicto anno 1728. die 3. Julii præclarum ſpecimen præbuit: quum enim libellus gallice inſcriptus: *Conſultation des Mmrs les Avocats* (numero 50.) *du Parlament de Paris au ſujet du jugement rendu a Embrun contre Monſieur l'Eveque de Senez*, in lucem anno 1726. editus fuiſſet, atque a Benedicto XIII. die 9. Junii ejuſdem anni diris cunctis devotus, optimus Rex, ut turbis conſuleret, quas nefarium opus excitarat, eumdem Epiſcoporum examini delatum, quum erroribus refertum Pontificiæ præſertim auctoritati adverſis intellexiſſet, ex ſecretioris Conſiſtorii ſententia lato edicto præfatum libellum, tanquam eum, quo præcipue Romani Pontificis, qui quidem in Eccleſia, non etiam Eccleſiæ viſibile Caput adſtruebatur, privilegia lædebantur, prohibuit, gravibuſque propoſitis pœnis, quominus detineretur, aut divulgaretur, præcepit. Eadem de cauſſa libello illi nigerrimas appinxere notas Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi num. 31. in litteris ad Regem die 4. Maji anno 1728. nuncupatis; atque privatis in inſtructionibus paſtoralibus Epiſcopi præ aliis Sueſſionenſis, Maſſilienſis, Carcaſſonenſis, & Cameracenſis. Ad illius denique laudum cumulum accedit, quod Benedictus XIV. P. M. in encyclica anno 1756. ad Galliarum Antiſtites ab *Hæreditario*, uti loquitur, *ipſius in Apoſtolicam Sedem obſequio* eumdem celebrandi exordium capiens, ſtudiumque egregium, quo de Religionis rebus ad Apoſtolicam Sedem referendis, ab eaque ſententiam expetendi ſollicitum ſe ſe exhibebat, commendans, præconium quam breve, tam illuſtre his attexit verbis: *Teſtari poſſumus, atque debemus Nos ſemper illius Regii animi ſenſus eos plane deprehendiſſe, qui maxime decebant orthodoxum Principem, & vera in Deum religione, & ſincera erga Romanam Sedem pietate præditum*. Atque hæc quidem de Francorum Regum veteri, novaque de Romano Pontifice perſuaſione attigiſſe ſufficiat: de quorum meritis erga Ec-

cleſiam, atque cum Pontificibus Summis neceſſitudine recte quidem, ſed non æque recta intentione Puteanus tom. 1. de probat. libert. Eccl. Gallic. tria capita inſtruxit. Jam ad Eccleſiæ Gallicanæ Patres, & Doctores oratio decurrat, quæque illis hæſerit intime perveſtigata in lucem producatur.

Ex SS. Patribus, & Doctoribus Eccleſiæ Gallicanæ.

ARTICULUS XI.

§. I.

PRopoſitum non eſt, nec pretium operæ eorum quotquot, qui cum ſapientia ſingulari, tum ſanctitate illuſtri Eccleſiam Gallicanam exornarunt, aut ſeriem perluſtrare, ſententiaſque proferre, nec enim facere poſſem, etſi vellem, ac ſi facerem, rem ne facturum lectori frugi gratam autumarem: aut eorum teſtimonia retexere, quorum pleraque, eaque præſtantiora jam attigi, quum agerem de Latinæ Eccleſiæ Traditione, ne viderer videlicet traditionis ejuſmodi ordinem abrumpere, atque diminutum admodum tradere; aut ab ejuſmodi ordine Eccleſiam Gallicanam excipere, tantam nempe, tamque præclaram Latinæ partem ablegarem. Quamquam & dicto veniam deprecor, ſiquidem ea, quæ eo loci obiter inſinuavi, uberius heic ceu ſuo recolo loco, dum recolenda interea dimitto, quæ ibidem copioſiori jam ſunt oratione dimenſa. Atque quidem S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, Gallicanæque Eccleſiæ inter Patres facile Princeps omnium primus offerat ſe ſe, quamque a S. Polycarpo Magiſtro auditam a Chriſti diſcipulis accepit ipſe, acceptamque, uti perhibet in epiſtola ad Florinum, non in charta, ſed in corde deſcribere curabat diligenter, atque Gallicanæ Eccleſiæ puram, illibatamque propinavit, doctrinam agedum in aciem producat. Principio S. Irenæus Romam profectione aliquando ad S. Eleutherum Pontificem M. adornata, proprioque, ac SS. Martyrum Lugdunenſium nomine, ac legatione defungens litteras, quibus ad Pontificium tribunal pſeudo-Prophetias Cataphrygum denuntiabant, præ-

præterea commotæ in Eccleſia Lugdunenſis perſecutionis, nec non Confeſſorum, qui paſſionibus ſuis chriſtianam confirmaſſent fidem, commonefaciebant, detuliſſe, dum adhuc Presbyter eſſet, legitur apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 3. Poſtquam vero S. Photino in Eccleſia Lugdunenſi Epiſcopi officio ſucceſſiſſet, apud S. Victorem Papam per epiſtolam ſequeſter, ſupplexque acceſſit, obteſtans etiam, atque etiam, ut cum Aſianis a Romanæ Eccleſiæ ritu Paſchatis peragendi abſcedentibus mitius ageret, ſententiamque ſuſpenderet tot, tantaſque Aſiæ Eccleſias abſcindendi, uti auctor Euſebius eſt lib. 5. cap. 24. Cur vero ii ad Romanum Pontificem appuliſſent ſive pro actorum ſuorum ratione reddenda, ſive pro rebus ad religionem attinentibus capiendo conſilio; tum is id itineris adornaſſet, id muneris adimpleſſet, ac pro Eccleſiarum pace obnixe obſecraſſet, niſi a SS. Eleuthero, & Victore ſacrorum in Eccleſia ſummum Principatum geſtum, eiſdemque propterea a cunctis gerundum fuiſſe morem exiſtimaſſent? Exiſtimaſſe ita vero eos unde tibi videntur, niſi ex certa, conſtantique Chriſti D. teſtimoniis innixa ab Apoſtolis traditione accepta, quæ uſu in Eccleſia univerſa jam veniſſet?

Celebris eſt, necdum celebratus ſatis S. Irenæi locus ex libro 3. adverſus hæreſes cap. 3, ubi paucis quidem, perſpicuis adeo tamen has, quibus de agimus, Pontificis Romani prærogativas exprimit, & perſtringit, ut eas in confeſſo omnino collocet. Enim vero propoſitum ſuum de profligandis hæreticis, quod ibidem inierat S. Irenæus, quo tandem putas efficaciori perfecit modo, quam illos provocando ad Romanam Eccleſiam, de qua profecto ratione præcipua Pontificis habita hæc præ aliis in medium protulit, de parta victoria quin jam ſecurus, antequam proferret? *Maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientes uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſibi placentia, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam,* (tria germina, ex quibus exurgunt hæreſes,) *præter-*

terquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem (legi *potiorem* malunt plerique, sed nihil interest, nam voci utrique eadem vis inest) *principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, Traditio.* Exinde Romanorum Pontificum ad suam ætatem recensita serie, ac successione repetit, ac reponit: *Hac ordinatione, & successione, ea, quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconatio pervenit usque ad nos, & est plenissima hæc ostensio unam, & eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate.* Itaque S. Irenæi sententia Ecclesiam Romanam instituit S. Petrus: S. Petro in locum Romani Pontifices succedunt: in hac successione tanquam in fonte pura, ac perpetua conservatur traditio; quæ in ceteras dein promanat Ecclesias: Ecclesiis itaque cunctis incumbit Romanæ Ecclesiæ se instruendas exhibere; atque ita ab ea instructas in accepta fide ab Apostolis integras, tutasque ab erroribus manere, & permanere. Quæ plane sententia eadem efferuntur, quum Pontificem affirmamus potissima in Ecclesia pollere auctoritate, proculque abesse ab eo periculum, ut falli possit, aut fallere.

Mirum propterea quam grave negotium faceſſat adversæ opinionis patronis apertissimum istud S. Irenæi testimonium: mirumque magis, quod leve adeo reputent alii, ut illo se premi ullatenus negent. Ut nihil dicam nunc de Blondello, Glassio, Clerico, aliisque Heterodoxis alibi explosis, Launojus locum hunc dissimulare, ac silentio præterire satius habuit. Dupinus, & Natalis eo loci Pontificis Primatum quidem confirmari, amplius autem nihil autumant. Non ita tamen illum textum interpretati sunt Gallorum Doctores alii, & doctissimi Antistites, ex eo testimonio docentes Ecclesiis omnibus cum Romana Ecclesia, idest cum Pontifice Maximo in doctrina fidei conveniendi omnimodam necessitatem incumbere. Ita Petrus de Marca lib. 1. concord. cap. 2; Stephanus Baluzius in adnot. 63. ad epist. 55. S. Cypriani; Fevardentius, & De la Bare in not. ad præfatum locum S. Irenæi; atque in locum Tertulliani de præscrip. cap. 38; Bossuetius ipse

imo

imo in ſerm. habito ad Conventum Cleri Gallic. anno 1682, atque in inſtruct. 2. Paſtor. ſuper promiſſ. Eccleſ. Pontificis infallibilitatem eo loci prædicari nec inficiatus. Ita edepol intellexere Gallicani Præſules, quotquot docuere, profeſſique ſunt, quod Romanæ Eccleſiæ fidei adhærere perinde ſit, atque veram Eccleſiæ fidem profiteri, inque Pontificis doctrina ullo abſque periculo erroris quieſcendum fore: uti Cardinales ampliſſimi de Biſſy, & de Tencin; & doctrina conſpicui Illuſtriſſ. Epiſcopi Fenelonius; Languetius; de Vintimille; de S.Albin; de Colongue; de Belſunce; de Argentre; de Revel; aliique, de quibus paullo poſt: Cardinalis imo Noallius cum aliis 9. Epiſcopis in epiſt. ad Clementem XI. anno 1714. exarata: Clerus Gallicanus denique in litteris ad Regem nuncupatis e Comitiis anno 1728, & 1730. *Cathedræ S. Petri adhæſio*, inquiens, *Catholicam Eccleſiam ab omnibus Sectis ſecernit*. Atque quidem accipiendum ita locum S.Irenæi ratio ipſa evidenter ſuadet: in id enim totus incumbebat S. Irenæus, ut ex jugi, interruptaque nunquam Apoſtolicæ Sedis Antiſtitum ſucceſſione veram Chriſti Eccleſiam oſtenderet, ab eaque extorres hæreticorum ad unam omnes ſectas erroris manifeſtiſſimi revinceret: exinde nempe quod apud Sedem Apoſtolicam integra perſeveraret tradita ab Apoſtolorum Principe fidei doctrina, ideoque Eccleſiis ceteris neceſſitas incumberet cum eadem conveniendi: quod eodem recidit, ac ſi dicatur, ex Pontificis infallibilitate infallibiles evadere Eccleſias: Eccleſiaſque cunctas Pontificis juri ſubjacere, dictoque obedientes eſſe debere. Alioquin enim Adverſariorum invita interpretatio, quam adhibere ſolent, hunc plane ineptum ſenſum redderet: neceſſe eſt ceteras Eccleſias cum Romana in fide convenire, quia ceteræ cum eadem Eccleſia in fide conveniunt: ſive quando ceteræ Eccleſiæ cum Romana in fide conveniunt, tum neceſſe eſt ceteras cum eadem in fide convenire: quod quam nugax ſit, ineptumque, nemo, opinor, non videt. Jam ad alios Gallicanæ Eccleſiæ Patres excurrat ſermo.

S. Hilarius Pictavienſis Antiſtes, illeque Arianæ hæreſeos invictiſſimus debellator, acerrimuſque Nicenæ fidei aſſertor, & vindex tum in cap. 16. S.Matth., tum in Pſal. 131, tum lib. 6. de

de Trinit., verba illa *Super hanc Petram, & Tibi dabo Claves &c.* de persona S. Petri ita est interpretatus, ut ad Pontificem Romanum pariter transferri commode, omninoque oporteat: ita perinde de privilegiis divinitus S. Petro collatis accepit, ut eadem ad Romanum Pontificem ex asse successorem pertransiisse, ac pertinere agnoverit. Ei etenim *Claves Regni Cælorum* datas dicit, *ut quæ in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant & in Cælo*: super eum, ceu super *Petram*, ac *felix fundamentum* Ecclesiam ædificatam, adversus quam proinde *Portæ inferi nihil prævalerent*: eum iterum esse *Petram, & Ecclesiæ fundamentum, ædificationi Ecclesiæ subjacens*: *Cælestis Regni Janitorem, & in terreno judicio Judicem Cæli* &c. Quibus præsumebat, ut mihi quidem videtur, ejusdem in Ecclesia parem non esse potestatem, majorem vero multo minus: ejusdemque fidem periculum erroris passuram fore nunquam. Quæ autem ei appingitur a nonnullis pessima de Liberii fide persuasio, suo excutietur loco, atque ab omni, opinor, prorsus invidia abstergetur. Huic S. Hilarii interpretandi rationi hærens, atque ex his locis eamdem sententiam insinuans S. Eucherius Lugdunensis Episcopus, sive is quispiam alter sit Gallicanus Antistites, in serm. de Nat. Apostol. Petri, & Pauli Eusebio Emisseno adscripto etiam, locum ex Johannis 21, 15. interpretatus: *Prius Agnos*, inquit, *deinde Oves commisit ei*: (Petro videlicet Christus D.) *quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus Agnos, pascit, & Oves: pascit filios, pascit & matres. Regit & subditos, & Prælatos: omnium igitur Pastor est, quia præter Agnos, & Oves in Ecclesia nihil est.* Ignorabatur tum, ignoscas, a priscis illis Patribus celebrata dein plurimum distinctio de Episcopis seorsum, ac singillatim acceptis, deque Episcopis collectim, ac in Concilio coadunatis: ideo indiscriminatim enuntiabat S. Eucherius *in Ecclesia nihil esse* præter subditos, & Prælatos, omnibus vero omnino præesse Pontificem, potestateque in Ecclesia esse potiorem.

Ecclesiarum suarum, sive eorum, qui loco præcesserant, Episcoporum traditioni acceptam ego refero, sollicitudinem, qua maximopere affecti Garetius, Salonius, & Veranius ex Provin-

vincia Alpium Maritimarum Gallicani Antiſtites, quum S. Leonis M. epiſtolæ ad Flavianum exemplar ſibi deſcripſiſſent, eumdem ad Pontificem anno 449. dirigendum, ut ſi quid ab autographo diſcordaret, ab ipſomet emendatetur, conſultius duxerunt: qua occaſione, quæ de Apoſtolica Sede optima ſibi, intimeque perſuaſa opinio inhæreret, perbellis hiſce expreſſerunt verbis: *Domine Sancte Pater Apoſtolica Sede digniſſime Papa, magna tui gratulatione ſuccreſcimus, quod illa ſpecialis doctrinæ veſtræ pagina ita per omnium Eccleſiarum conventicula celebratur, ut vere conſona omnium ſententia declaretur, merito illic Principatum Sedis Apoſtolicæ conſtitutum, unde adhuc Apoſtolici ſpiritus oracula referantur ... Deprecamur, ut opus & præſentibus, & futuris temporibus profuturum, quod nos aſſervandi ſtudio foliis mandare curavimus, Sanctitas Veſtra percurrere, & ſi quid Librarii errore defuerit, emendare dignetur.* Qui etenim a Pontifice ceu a Principe Eccleſiæ profecta dogmata ita excipiunt, tanquam quæ fuiſſent Apoſtolico ſpiritu profuſa; hoc ipſo perinde nomine haberi ab ſe perhibent, celebrataque etiam imo in Eccleſia evaſiſſe; ſeque adeo propterea ſollicitos præbent de eorumdem ſincero exemplari adipiſcendo, ad quod deinceps futuris quoque temporibus fidem ſuam confidentiſſime exigere poſſent, & conferre probe, putaſne, deprecor, Pontificem aut Concilio auctoritate, dignitateque poſteriorem habuiſſe, aut eo demum fidei loco, de quo poſſet decidere? Quominus præpoſtera hæc ipſis affricetur opinio, procul dubio prohibent iidemmet Præſules, qui eodem anno cum 44. aliis convenientes in Gallia Narbonenſi S. Leoni gratulati de epiſt. ad Flavianum ad ſe miſſa epiſtolam inſcripſere ſynodicam, qua inter alia hæc habent, quibus ſenſum ſuum faciunt planiſſimum. *Multi in ea gaudentes pariter, & exultantes recognoverunt fidei ſuæ ſenſum, & ita ſe ſemper ex paterna traditione tenuiſſe, ut veſter Apoſtolatus expoſuit, jure lætantur .... gratulantes, quod tantæ ſanctitatis, tantæque doctrinæ Apoſtolicæ Sedi, unde Religionis noſtræ propitio Chriſto fons, & origo manavit, Antiſtitem dederit.* Recolenda, quæ tradidimus, ubi de Conciliis Gallicanæ Eccleſiæ.

Ad eumdem S. Leonem M. anno 450. ſcribentes Provinciæ

Arelatenſis Epiſcopi, inque eiſdem ſtare ſe veſtigiis, ſummo ideſt, ut oportebat, Sedem Apoſtolicam ſe habere loco, & proſequi honore profitentes, hæc præclare loquuntur: *Memores quantum honoris, & reverentiæ Beatiſſimæ Sedi Apoſtolicæ, cui vos Dominus Noſter Jeſus Chriſtus pro meritis ſanctitatis voluit præſidere, ſemper debitum fuerit, ſemperque debeatur, Ordinationem, qua Coepiſcopus noſter Ravvennius in Civitate Arelate poſt tranſitum beatæ recordationis Hilarii Epiſcopi .... ad ſummum Pontificium .... provectus eſt, miſſis continuo litteris Apoſtolatui veſtro indicare curavimus.* Et infra. *Sicut per Beatiſſimum Petrum Apoſtolorum Principem Sacroſancta Eccleſia Romana tenet ſupra omnes totius Mundi Eccleſias Principatum, ita etiam intra Gallias Arelatenſis Eccleſia, quæ S. Trophimum ab Apoſtolis miſſum Sacerdotem habere meruit, ordinandi Pontificium vendicat.* Extat apud Baronium tom. 7. ad cit. annum. Viden a Gallis Epiſcopis eam in Pontifice agnitam auctoritatem, qua nulla ſit eminentior, quaque Epiſcoporum ordinationes firmari oporteat? Antiquitus etiam Archiepiſcopi Galliarum ſub ævum Caroli Calvi profeſſionem Romano Pontifici, antequam ordinarentur, in hæc verba nuncupare debebant, ut adparet ex veteri formula, quam edidit Sirmondus in append. tom. 2. Concil. Galliæ. *Beato vero Petro, & Vicario ejus debitam ſubjectionem, & obedientiam: ſuffraganeis vero noſtris adjutorium me exhibiturum profiteor.* De S. Proſpero Aquitano, Gennadio Maſſilienſi, & S. Avito Viennenſi artic. 8. dictum eſt. Recolendam indico Leontii Arelatenſis Epiſcopi epiſtolam ad S. Hilarum Papam apud Labbeum tom. 4. edit. Pariſ. anni 1671. Legito etiam libellum S. Symmacho P. M. oblatum ab Ægidio Abbate, & Meſſiano Notario de privileg. Eccleſiæ Arelat. apud Labbeum loc. cit., quo *Quantum*, inquiunt, *in omnibus Eccleſiarum Pontificibus, quae in toto Orbe diffuſæ ſunt, Apoſtolica Sedes ſibi vindicet Principatum, & Synodalibus decretis firmior ejus praecellat auctoritas* &c. Ex quibus facile percipis hanc Primatus Pontificii eſſe prærogativam, ut Synodis præſtet; alteramque eidem connexam, ut Pontificia ut pote irreformabilis Synodicis ſententiis prævaleat.

Prae his attamen præſtat audire, qui tum pondere auc-

ctoritatem gerit longe majorem, tum pretio teſtimonium facit longe gravius, quamque Gallicanæ Eccleſiæ perſpectam, approbe habebat, traditionem ampliorem reddit, & apertiorem, S. Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum ajo, qui in libello ſupplici S. Symmacho Pontifici M. inſcripto ſic de ipſius ſumma auctoritate effatur. *Sicut a perſona B. Petri Apoſtoli Epiſcopatus ſumit initium, ita neceſſe eſt, ut diſciplinis competentibus Sanctitas veſtra ſingulis Eccleſiis quid obſervare debeant, evidenter oſtendat.* Quibus liquido ſignificat legibus univerſam Eccleſiam obſtingere ſuis in Pontificis auctoritate eſſe poſitum, ideoque ſuper Eccleſiam omnem Pontificem eſſe potem. Qui enim dixiſſet a S. Petro derivari in Epiſcopos poteſtatem, niſi ſuper Epiſcopos omnes collectim etiam ille poſſet; debereque Pontificem Eccleſiis proſpicere, niſi Eccleſia univerſa deberet ab eo pendere? Quid autem cauſſæ fuit, ut adpatet ex Bonifacii II. epiſtola ad ipſum, ut acta in Concilio Arauſicano II. probari a Pontifice poſceret, niſi intellexiſſet probe fore, ut poſthac certum in fidei dogma evaderent, fixamque in Eccleſia obtinerent auctoritatem? Quam pio quoque ſtudio proſequerentur, quantique penderent Apoſtolicæ Sedis ſive vota, ſive juſſiones, ſive monita Virgilius Arelat.; Pelagius Turon.; Deſiderius Vienn.; Etherius Lugdun.; Syagrius Auguſtod., & Serenus Maſſil., conjectura facile, aut ego fallor, aſſequi poteſt ex S. Gregorio M. lib. 5. epiſt. 53, alias lib. 4. epiſt. 50; lib. 6. epiſt. 51, alias lib. 5. epiſt. 57, & 58; lib. 9. epiſt. 106, alias lib. 7. epiſt. 111; epiſt. 107, alias 112; & lib. 11. epiſt. 13, alias lib. 9. epiſt. 9. Quibus profecto in obſequio, & obſervantia erga Romanos Pontifices, ob id, quod his obaudire, obedireque ſtuderent quam maxime, nequaquam impares fuiſſe S. Amandum Trajectenſem, qui ut ſibi liceret ob Cleri ſui in libidines effuſam licentiam ſe loco abdicare, per litteras ſupplex ad S. Martinum I. acceſſit; S. Heimerammum genere Pictavienſem, dignitate Epiſcopum in Aquitania, ſed incerti loci, (quem perperam quidam Ratiſponenſem Epiſcopum agunt, ſiquidem tum adhuc tempotis in Bajoaria tres dumtaxat erant Sedes Epiſcopales Salisburgenſis, Laureacenſis, & Patavienſis, primus autem, qui Epiſ-

copi nomine Ratiſponenſem rexit Eccleſiam ſub ſæculo VIII, audit S. Claribaldus,) qui ad nefandum ſibi impactum ſcelus amoliendum ad Johannem VI. appellationem interpoſuit; Fulradum item Sandionyſianum Abbatem; nec non Tilpinum Remenſ., & Bertherium Vienn. Archiepiſcopum ſit exploratum ex litteris S. Martini apud Harduinum tom. 3. pag. 945; ex actis S. Heimerammi a Cyrino Epiſcopo Ratiſpon. deſcriptis apud Surium die 22. Septemb. tom. 5; ex epiſtola Stephani II. ad Pippinum, quæ in Codice Carolino n. 8. extat; atque ex litteris Hadriani I. ad Bertherium, & Tilpinum apud Petrum De la Lande in ſupplem. Concil. Gall., & Harduinum tom. 3. pag. 2026, & ſeq.

In celebri, quam Romæ anno 799. Carolus M. adverſus eos, qui S. Leonem III. Pontificem optimum afflixerant, inſtitui juſſit, quæſtione, ii non fuerunt dumtaxat Itali, qui pro ingenito erga Apoſtolicam Sedem ſtudio Pontificem ab invidia, qua apud imperitos quoſdam, ac præter modum credulos laborabat, liberarint, fuere quinimo quotquot cum Francorum Imperatore e Gallicana Eccleſia inſigniores Antiſtites interfuerunt, a quibus una voce, votoque cum Italis communicato eſt conclamatum, ut auctor eſt Anaſtaſius: *Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt Caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus. Nam ab ipſa nos omnes, & Vicario ſuo judicamur; ipſa autem a nemine judicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit: ſed ſicut ipſe Summus Pontifex cenſuerit, canonice obediemus.* Scilicet eis in ſententia anteiverant nedum Itali in Synodo Palmari ſub S. Symmacho, ſed Galli Epiſcopi utique in epiſtola communi ipſorum nomine a S. Avito Viennenſi ad Senatores Urbis exarata, de qua alibi eſt dictum. Poſtivere pariter, qui ex Synodis ſive Aquiſgranenſi in cauſſa Lotharii; ſive Silvanectenſi in cauſſa Rothadi; ſive Sueſſionenſi III. in cauſſa Wlfadi; ſive Trecenſi in cauſſa Ebbonis litteras S. Nicolao I. inſcripſerunt. Etiam ſacratæ eidem ſententiæ inſtitiſſe S. Aldricum Cenomanenſem Antiſtitem conjicere eſt certe cum ex epiſtola a Gregorio IV. ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliar. &c., quam quidem Cointius ad annum 839. ſubdititiam autumat, ſed quia probabilibus conjecturis dubitationem ſuam non ſuffulcit, genuinam proinde habent pro-

procul dubio Baronius, Sirmondus, Pagius, Harduinus, aliique periti criticistum ex altera epistola ejusdem Gregorii IV. ad ipsum exarata apud Baluzium tom. 3. Miscellan.: institisse item Rothadum Suessionensem fit manifestum ex instrumento appellationis, quo ab Hincmari Synodo ad S. Nicolaum I. anno 868. provocans, sic præfatus est: *Ad illam summam auctoritatem sine intermissione appello, cui nullus potest contradicere, quæ a Domino Jesu Christo per B. Petrum Apostolum tantum meruit Principatum, cui scilicet omnes Synodi subjaceant, ipse vero nullius judicio, subjectus sit.* Confer vero S. Nicolai I. ad Galliar. Episcopos epistolam hac in Rothadi causa nuncupatam, qua ejusmodi Apostolicæ Sedis prærogativas in aprico ponit. De Alcuino, Hilduino, Aimoino, Autperto, Auctore annal. Metensium, Jona Aurelianensi, Paschasio Corbejensi, Ratramno, & Hincmaro Remensi dictum est alibi.

Æneas Parisiensis Episcopus utramque Romani Pontificis Primatui adnexam, qua de agimus, prærogativam adeo egregie ab invidia Græcorum defendit, adeoque loco suo, atque in bono lumine collocavit, ut postquam illum de suprema Pontificis auctoritate differentem audivisse art. 7. §. 2. non pœnituit, paucis nunc de ipsius infallibilitate agentem excipere non pigeat. Itaque in præfat. libri adversus Græcos apud Dacherium in spicileg., & Labbeum in collect. Concil., præclaris hisce, atque absolutissimis Pontificem in fide falli, & fallere prorsus nescium adstruit, & prædicat. Postquam enim dixisset pleroque hæretica pravitate infectos homines in Constantinopolitana Ecclesia consedisse, *Non vero*, subtexit, *in Romana Sede, Deo rectore, tale unquam contigit dedecus, ut aliquis hæresiarches eidem præsideret; quam Summus Apostolorum Princeps sua sessione illustravit; cui suas regendas Oves Dei Filius speciali cura commisit. Nec mirum, quia ipsi dictum fuerat:* Tu es Petrus &c. *Ergo cui propria auctoritate Regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat? Quem quum Petram dicit, fundamentum Ecclesiæ indicavit.* Quæ ipsissima verba ex S. Ambrosio mutuatus sua fecit peculiaria, & propria. Ad hæc dum plerique Galliarum Antistites privatis studiis in diversa distraherentur, Rotlandus Arelatensis in vestigia ingres-

ingreſsus Deceſsorum ſuorum, quibus nihil accidebat antiquius, quam Apoſtolicæ Sedi individue inhærere, horum ſibi propoſito exemplo, ad S. Nicolaum I. Pontificem M. inſcriptis litteris profeſsus eſt, & pollicitus ab Apoſtolica Sede decretis, quoad viveret, deceſsurum ſe nunquam, vel latum unguem; dignumque ſe præbuit propterea, quem Pontifex tum laudibus pro devotione cumularet, tum in propoſito pro voto confirmaret. Igitur inter alia, quæ huc conferunt, hæc ad eumdem reſcripſit Pontifex in epiſtola, quam ex Codice Antonii Auguſtini acceptam deſcribit Baronius ad annum 864. n. 28: poſtquam enim probaſſet ejus erga Apoſtolicam Sedem obſervantiam, obſequiumque, futurum ipſi pollicetur, ut a quocumque diſcrimine fidei declinet: *Si in Apoſtolicæ Sedis petra more Majorum præſidium tuum locaveris; ejusque fidei doctrinis, vel decretis arctius inhærere contenderis; quam ille ſua ſacravit ſeſſione, quem Dominus ejus Chriſtus Eccleſiis ſuis voluit primum, & ſpeciale retinere faſtigium.* Quæ quidem verba Rotlando hæſiſſe deinceps non modo, ſed pervaſiſſe in animum perinde Hincmari perſpicuum fit ex epiſtola apud Flodoardum lib. 3. cap. 13, qua S. Nicolaum certiorem fecit de ſtatu Eccleſiæ Cenomanenſis, ac de cauſſis Balduini, & Rothadi, ubi inter alia ita ait: *Scimus noſtras Eccleſias ſubditas eſſe Romanæ Eccleſiæ; & nos Epiſcopos in Primatu B. Petri ſubjectos eſſe Romano Pontifici; & ob id ſalva fide, quæ in illa Eccleſia ſemper viguit, & Domino cooperante florebit, nobis eſt veſtræ Apoſtolicæ auctoritati obediendum.* Dictum de Hincmaro id obiter ſit; ſiquidem abunde de eo actum ſit alibi, de quo conferri adhuc poteſt libellus ab ipſo oblatus Concilio Duziacenſi anno 871. cap. 26; pertranſiiſſe ad Heriveum pariter Remenſem fit planum ex ipſius epiſtola ad Johannem IX, de qua ſermo factus alio in loco eſt.

Nec vero cuiquam moras injicere debent ſive Gerbertus Remenſis, ſive Erchembaldus Turonenſis: ille quidem, quatenus in Apoſtolicam Sedem inſurgere ſolum, ſtareque adverſus haud ſatis habens, alios quamplures Antiſtites ad rebellionem ſollicitavit, ut epiſtolis ad Seguinum Senonenſem, & ad Conſtantinum Miciaſenſem, ſuadendo judicium Synodi a Papa reſcindi non poſſe: nec Papæ accommodandas faciles, pronaſque aures: iſte vero, qua-

quatenus Pontificii interdicti posthabita ratione, præsentia sua Roberti Francorum Regis cum Berta incestum conjugium cohonestare non erubuit. Nam quod ad Gerbertum attinet, præterquamquod non ex prava sententia, sed ex impendio proprio, nempe ne locum, quem invaserat, Arnulpho expulso, amitteret, præposteram eam agendi rationem tenuit, nec dicto obaudientes Episcopos habuit, & ipse postea Pontificatum adeptus eamdem devovit: ut perperam propterea avide istiusmodi arripuerint Centuriatores ad insultandum Apostolicæ Sedi, eidemque creandam invidiam. Quod autem Erchembaldum attingit, paullo post una cum facinoris sociis aliis Præsulibus justas pœnas dedit in Synodo Romana anno 998. a Gregorio V. communione suspensus: quem tamen postea facti pœnitentem Romam venisse, atque a Pontifice venia petita accepisse pœnitentiam auctor est locuples S. Leo IX. in fragm. epist. ad Henricum Regem Franc. Roberti filium. Neque magis quempiam movere debet eorum Episcoporum inobedientia, & obstinatio, qui ob Simoniacam ordinationem gradu deturbari ab Apostolica Sede ægre ferentes, aut superbas adversum erexerunt cervices, aut sententias adversus se latas minoris habuerunt, uti liquet ex epist. 21, & 22. Alexandri II; nec non ex epist. synodica Hugonis Diensis Legati ad S. Gregorium VII. apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 1572. Nam alioqui Pontifici M. vel gradu dejectos majori ex parte Episcopos parere, moremque gerere officio, religionique duxisse in confesso fit ex Gallicanis Conciliis habitis sub S. Leone IX, & Victore II; nec non sub S. Petro Damiani Nicolai II, & Alexandri II. Legato; subque Hugone Diensi Legato S. Gregorii VII. Decreto demum, quo idem S. Gregorius VII. in gratiam Gebuini Lugdunensem Ecclesiam Primatus dignitate in ejus persona adauxerat, eidem subjugatis Provinciis Rotomagensi, Turonensi, & Senonensi, obfirmato animo obstitit Richerius Senonensis: sed hujus refractarii haberi ratio nulla debet; siquidem ex adverso decreto illi obtemperare officii loco duxerunt Rodulphus Turonensis, & paullo post cum Rotomagensis Archiepiscopus, tum Daimbertus Senonensis Richerii successor, unaque sententia eorumdem suffraganei: de quibus consulendi Petrus de Marca

in

in differt. de Primatu Lugdun.; Baluzius in append. ad hoc opus; Carolus de Boiſins hiſt. Eccleſ. Pariſ. lib. 11. cap. 5; & Natalis hiſt. Eccleſ. ad ſæcul XI, & XII. ſynop. cap. 7. art. 7.

Eorum omnium, qui ſub hac, ac ſequiori ætate Gallicanam Eccleſiam qua doctrina, qua dignitate illuſtrarunt, intimam ſententiam velle ſcrutari, ac perluſtrare res profecto eſſet operæ plena, numeriſque ſuis nunquam perficiendæ; unde ſatius erit ſuperque perſtrictim, ac promiſcue nonnullos attingere, ex quibus, qui ceteris ineſſet communis, approbe detur aſſequi ſenſus; atque dignoſci, quam prope, & quam procul abs vero aberrent, qui alienum iis appingere non verentur. Atque quidem quam ſummiſſe, attenteque ſtuderet Apoſtolicæ Sedi Leothericus Senonenſis electus Antiſtes, eique acceptus evaſiſſet, liquet ex litteris Silveſtri II. ad ejus ſuffraganeos, quibus jubet, ut inſuperhabitis, quas Frotmondus Comes locum illi invidens injiciebat, moris, miniſque, electum ordinent in Epiſcopum, & loco ſuo collocent. In hoc ipſo ſtudii genere enituerunt Willelmus S. Benigni Divionenſis, & Richardus S. Wintoni Virdunenſis Abbates, qui quum intellexiſſent apud Johannem XIX. agere Græcos, enitique, quatenus Conſtantinopolitanam Eccleſiam *Univerſalem* vocari Romana aſſentiretur, adque poſtulata concedenda paratum eſſe Pontificem, ad ipſum litteris inſcriptis, quas refert Glaber Rodulphus lib. 4. hiſt. cap. 1, a conſilio deterruerunt, adhortantes, admonenteſque, ſiquidem ſua intereſſet ſummopere, ne vel nominis, quod unius ſui in Eccleſia univerſa Primatus erat proprium, Græcis particulam faceret, quin potius illorum faſtum comprimeret, atque ad ſubmittendos Romanæ Eccleſiæ faſces compelleret: *Quoniam*, inquit Willelmus, *licet poteſtas Romani Imperii, quæ olim in Orbe terrarum Monarches viguit, nunc per diverſa terrarum innumeris regatur ſceptris*, (exinde enim, quod civilis Imperii faſtigium Conſtantinopoli fuiſſet collocatum, Græcorum Patriarchæ anſam arripuerant pariter affectandi nomen univerſalis,) *ligandi, ſolvendique in terra, & in Cælo poteſtas dono inviolabili incumbit Magiſterio Petri*. Ob eximium, quo erga Romanam Eccleſiam affectus erat, animi ſenſum S. Leoni IX. apprime acceptum evaſiſſe Hallinardum Abbatem S. Dionyſii

ſii Divion., ac dein Lugdun. Archiepiſcopum teſtis eſt liquidus Chronographus ejuſdem Monaſterii apud Dacherium tom. 1. Spicileg. Ab obedientia, devotione, obſequioque, quo Apoſtolicæ Sedi inhærebat, Gervaſium Remenſem Antiſtitem laudibus exornarunt in epiſtolis ad eumdem exaratis, legendiſque apud Harduinum tom. 6. par. 1. pag. 1051, & ſeqq. Stephanus IX, aliis X, & Nicolaus II, quibus devotionem omnem ſuam deſpondit, fidelemque ſe fore perpetuo pollicitus eſt, uti liquet eodem loci ex litteris ad ipſos inſcriptis. Quanti pariter Romani Pontificis ſive præcepta forent pendenda, ſive facienda eſſet poteſtas, fecerunt planiſſimum, qua Ivo Carnotenſis, ut qui in epiſt. 60. ad Hugonem Lugdun. Apoſtolicæ Sedis Legatum ſe paratiſſimum profeſſus eſt ad dura, diraque quælibet perferenda, ne obedientia deeſſet decretis ab Apoſtolica Sede pro dogmatum defenſione; & in epiſt. 67. ad Urbanum II. perhibuit ſe, pro ſervanda Pontifici fidelitate, obedientiaque ejuſdem præceptis, injurias percepiſſe, & contumelias pertuliſſe, quin tamen unquam ab officio divelli ſe paſsus ſit; de quo plura alibi: qua Goffridus Vindocinenſis, ſiquidem Urbano II, Paſchali II, Calliſto II, & Honorio II adeo fuit addictus, ut ad eorum adjuvandas partes duodecies alpes, quæ Galliam ab Italia diſterminant, ultrocitroque tranſcenderit, ut Eccleſiæ Romanæ laboranti opera, & conſilio prodeſſet, ac ter etiam propterea ab adverſariis tetro carceri fuerit mancipatus. Legeſis ejus epiſt. 8. ad Paſchalem II; & Calliſti II. ad eumdem viciſſim epiſt. 9, & 10; de eo enim non plura ſubtexam, quum abunde dixerim alibi.

Antiquius nihil fuiſse, animoque magis infixum Roberto Carnotenſi Antiſtiti, quam ſacramento Apoſtolicæ Sedi dedere ſe, fidemque devincire ſuam, demonſtrat formula, cujus meminit S. Gregorius VII. lib. 4. epiſt. 14, exemplarque exhibet Harduinus tom. 6. par. 1. pag. 1563. Nec minoris feciſse, quæ a Pontifice proficiſcerentur, ſive monita, ſive mandata Rodulphum Turonenſem, Rolandum Doleuſem, Lambertum Atrebatenſem, Jozelinum Burdigalenſem, Willelmum Rotomagenſem, Hugonem Dienſem, & homonymum Lugdunenſem adparet ex S. Gregorio VII. lib. 2. epiſt. 20, & 32; lib. 6. epiſt. 24; & lib. 9.

epiſt. 1; ex Urbano II. epiſt. 10; & ex Concilio Claromontano anno 1095. ſub eodem Urbano habito. Quid, obſecro, cauſsæ fuit, cur Urbano II. litteris ſive quæſtiones deferret Pibo Tullenſis, ſive fidem deſponderet Raynaldus Remenſis, ut liquet ex epiſt. 17. Urbani, & altera poſt 36. in append., quam perſuaſio intima de Pontificis ſuprema poteſtate, indefectibilique de fide judicio? Quid autem gratiæ Paſchali II. acceptiſſimos effecit Hildebertum Cenomanenſem, & S. Godefredum Ambianenſem, præterquam cum inſigni pietatis ſpecimine conjuncta ſollicitudo ſive in afflictis rebus ad Pontificem confugiendi, ſive de Eccleſiaſticis cauſſis apud eumdem in judicio experiundi? Quæ cauſsa fuit, cur Romanam profectionem uterque adornaret, de qua adeundi ſcriptor de geſtis Epiſcopor. Cenoman. apud Mabillonium tom. 3. Analect.; & Surius tom. 6. ad diem 8. Novemb. Egregia ſunt autem adeo, quibus S. Godefredus Pontificem allocutus eſt, quam quæ ullo prætermitti modo poſſint: *O Paſtor orthodoxæ Matris Eccleſiæ! Ea cauſſa Te Chriſtus voluit ſuo loco illi præeſſe, ut lucem a tenebris, verum a falſo diſcerneres. Ut enim a capite membra reguntur, ut ad illius nutum membrorum vitia corrigantur, ſic etiam a Te Chriſtianorum omnium non facta dumtaxat, ſed etiam malæ voluntates comprimendæ ſunt.* Itaque haud aberrabit conjectura, qui haud abſimilem ſententiam affiet longe pluribus Galliarum Præſulibus doctrinæ, pietatiſque laude non inferioribus.

Argumento enim vero erunt magis, ac magis, qui Innocentii II. diro ſchiſmate divexati partes adjuvarunt pro virili, operaque ſua Pontificem optima demeruerunt: cujuſmodi inter alios celebres evaſerunt Hugo Rotomagenſis Archiepiſcopus, de quo videndus Ordericus Vitalis lib. 13. pag. 900; Hugo Atrebatenſis Archidiac., ad quem legenda Innocentii II. epiſt. 26.; & alter homonymus Pontiniacenſis Abbas, ac dein Epiſcopus Autiſiodorenſis, qui tum ſuo, tum Carthuſianorum nomine Innocentio obedientia, devotioneque indivulſe ſe devinxit; de quo adeundus Annaliſta Mauriniacenſis ad annum 1131. Quanta pariter opera partes Innocentii proveherent, alioſque, quos poſſent, in eaſdem pertrahere pro ſua in Pontificem obſervantia adnixi

nixi ſint Gaufridus Carnotenſis, Vulgrinus Biturícenſis, Willelmus Santonenſis, Guillelmus Pictavienſis, Euſtorgius Lemovicenſis, & Willelmus Petragoricenſis, tum ex Innocentii ad illos, tum ex mutuis ad invicem litteris, tum ex Gaufrido in chronico, tum ex Annaliſta Maurin. conſtantiſſimum ſit, & confeſsum. Quibus adjungendi, qui ſpeciatim Eugenio III. ſtudio affectos ſe exhibuerunt Sugerius Abbas Sandionyſianus, & Petrus Biturícenſis Archiepiſcopus, ut adparet ex Eugenii epiſtolis 11, & ſeqq., ac 69. Auſpicio præterea ſuo confirmant, qui Alexandro III. a ſchiſmaticis afflicto opera ſua non defuerunt, quinimo ſolliciti quam maxime fuerunt de obedientia Pontifici ab aliis pariter impendenda, S. Anthelmus Bellicenſis Epiſcopus, qui Carthuſianis, & Ciſtercienſibus auctor fuit, ut ad Alexandri partes accederent, de quo Bollandus adeundus ad diem 26. Junii; Arnulphus Lexovienſis, cujus epiſtolæ ad Alexandrum, ad Cardinales, & ad Epiſcopos Angliæ, quibus pro aris, & focis Pontificis cauſſam promovet, legendæ proſtant tom. 22. Biblioth. PP.; Guillelmus Senonenſis, ut liquet ex ipſius epiſt. ad Alexandrum inter epiſt. S. Thomæ Cantuar. 88. lib. 3; Philippus Abbas bonæ ſpei, uti conſtat ex epiſt. ad eumdem Pontificem; Petrus Abbas, & Fulco Decanus S. Remigii, ſicuti fit exploratum ex epiſt. Alexandri apud Harduinum tom. 6. pag. 1450, & ſeqq.; Hugo Sueſſionenſis; Henricus Remenſis; Hugo Senonenſis; Galterius Lingonienſis; Henricus Æduenſis; Alanus Antiſiodorenſis; Bernardus Nivernienſis &c., de quibus legere eſt epiſtolas Alexandri III. 20, & 61. in append. 1; ac 9, 11, & 12. in append. 2; Antiſtites ii demum, & Abbates inter centum, qui ex Gallia, & Anglia Synodo Toloſanæ anno 1161. interfuere, cujus quidem acta perierunt, qui tamen præſens adfuerat, eadem memoriæ prodidit Faſtardus Abbas Claræ vallenſis apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 1586. Confer & Canonicorum Aurelianenſium epiſtolam ad Alexandrum III. inter Alexandrinas poſt 106. in append. 2. ibidem pag. 1535, qua eximia de Pontificis auctoritate prædicant.

In maximam æſtimationem venerant utique Gallicanis Epiſcopis Apoſtolicæ Sedis ſive mandata, ſive monita, dum a Cæleſti-

no III. in epiſt. ad Michaelem de Corbolio Archiepiſcopum Senonenſem, quam refert Pariſius ad annum 1195, datam tamen anno ſequenti oſtendit Pagius, vel objurgati ob exceſſum, quo Philippum Regem a conjugio Ingelburgis abſolverant, in culpam violati Pontificii juris vocari ſubmiſſe tulerunt, revocarique in memoriam a Pontifice, quæ gravibus exortis quæſtionibus Gallicana Eccleſia ineundam rationem judicaſſet, his verbis: *Hic revera contra SS. Patrum veneranda Concilia proceſſum eſt manifeſte, qui majores, & difficiliores quæſtiones ab univerſis ad Sedem Apoſtolicam cenſuerunt debere referri: quod uſque in hodiernum diem non ſolum a Gallicana Eccleſia, præterquam in præſenti articulo, verum etiam a longe remotioribus devotiſſime obſervatur.* Poſt quæ, ſubdit, metu pœnæ, quam a Prædeceſſoribus ſuis parem ob culpam ſubierant Theutgaudus Trevirenſis, & Guntharus Colonienſis ab ejuſmodi auſu eos abſtinere debuiſſe: ab ſe itaque attentatum reſcindi, juberique ut Regem ab inceſtu revocarent. Quod heic de more religioſe a Gallicana Eccleſia obſervato tradit Cœleſtinus, exemplo ſuo confirmarunt cum Michael Archiepiſcopus Senonenſis, & Odo Pariſienſis Antiſtes, qui ad normam ſacræ juſſionis ab Innocentio III. perceptæ, poſtquam adverſus Populicanos hæreticos tum in Gallia graſſantes proceſſiſſent, Decanum Nivernenſem gravi hæreſis ſuſpicione laborantem ad Apoſtolicam Sedem in judicio experiundum dimiſerunt, ut liquet ex epiſt. 69, & 90. lib. 2; & refertur Cap. *Inter ſollicitudines* extra de Purgat. canon.: tum Johannes Archiepiſcopus Lugdunenſis, qui eidem Pontifici quæſtiones de forma verborum in tranſubſtantiatione, & de mutatione aquæ cum vino in ſanguinem propoſuit, iſtudque accepit reſponſum epiſt. 121. lib. 5, & refertur Cap. *Cum Marthæ* extra de celebrat. Miſſar. *Quoniam in Primatu Apoſtolorum Principis Apoſtolicæ Sedis magiſterium recognoſcens, ad eam credis majores cauſas Eccleſiæ referendas &c. reſpondemus &c.* Confer & epiſt. 14. lib. 6, & 164. lib. 15. ad Archiepiſcopum Biſuntinum. Atque quidem in laudem Gallicanæ Eccleſiæ propterea idem Innocentius protulit in epiſt. ad Epiſcopos Galliar. de pace procuranda Philippum inter, & Johannem Reges Galliæ, & Angliæ: *Fidem, & obedientiam veſtram Nos, & Prædeceſſores noſtri*

noſtri ſumus frequenter experti : cujus profecto teſtes liquidi, locupleteſque perinde acceſſerunt Romam profecti Senonenſis, & Bituricenſis Archiepiſcopi; Pariſienſis, Meldenſis, Catalaunenſis, & Nivernenſis Epiſcopi ſacramento fidei certiorem facientes Pontificem de ſua obedientia, & obſervantia, ut auctor eſt Anonymus apud Ducheſnium tom. 5. pag. 809 : acceſſeruntque pariter Epiſcopi Concilii Vaurenſis anno 1213. per litteras apud Harduinum tom. 6. par. 2. pag. 2023. Pontificem commonefacientes de fidei negotio adverſus Albigenſes juxta ipſius juſſiones numeris, qui fuerant proprii, ab ſe abſoluto. Quarum quidem ad laudum cumulum accedit teſtimonium, quod epiſt. 21. lib. 1. ad Galliar. Epiſcopos dedit Honorius III. Gallicanam Eccleſiam hoc elogio exornans : *Quis neſciat, quod Reges, & Regnum Francorum ſemper in Apoſtolicæ Sedis devotione firmiter perſtiterunt; quod ſemper in difficilibus, arduiſque negotiis aſtiterunt ei ſtudio indefeſſo, & nunc contra hæreticam pravitatem, & nunc contra paganorum barbariem ei devote, & humiliter obſequendo, illam utriſque formidabilem reddiderunt? Hæc quidem obſequia, ... & merita Eccleſiæ Gallicanæ, cujus fides, ac devotio nullo unquam tempore defecerunt, pro vobis ſufficienter, ut credimus, fide jubent, quod inter cetera Regna mundi illud quadam prærogativa diligimus charitatis, ejuſque ſtatum ſemper tranquillum eſſe cupimus, & felicem*. Horum ſimillima cum Ludovico VIII. Regi epiſt. 86. lib. 1, tum ad Eccleſiam Remenſem, & Pariſienſem epiſt. 133. ſcripſit Gregorius IX : *Eccleſia Gallicana*, inquiens, *poſt Apoſtolicam Sedem quoddam totius Chriſtianitatis eſt ſpeculum, & immotum fidei firmamentum, utpote quæ in fervore fidei chriſtianæ, ac devotione Apoſtolicæ Sedis non ſequitur alias, ſed antecedit*. At, te amabo, devotione erga Apoſtolicam Sedem excelleret ne, aliaſque antecelleret, ideoque præ aliis ejuſmodi præconiis extolleretur, ſi quæ Apoſtolicæ Sedi ab aliis privilegia ultro citroque attribuuntur, ipſa una invideret, detraheret, denegaret?

Injuriam infert propterea ſive præfatis Pontificibus, qui Gallicanæ Eccleſiæ intimam ſententiam eoſdem non attigiſſe exiſtimaret, ſive Eccleſiæ Gallicanæ, qui ejuſdem ſenſum ſiniſtrorſum

ſum accipere vellet, dum ita videlicet laudatorum, & laudatæ laudes vergeret in ludibrium. Atqui præterea mendacii putidiſſimi coargueretur ab Ivone Carnot.; Guigone Carthuſ.; Hugone Victor.; S. Bernardo Claræval., V. Petro Cluniac.; Hildeberto Turon.; Arnulpho Lexov.; Petro Cellen.; Petro Bleſen.; Stephano Tornac.; aliiſque, quibus alteram plane ab ea, quam Gallicana Eccleſia gereret, opinionem inſedisse, nemo dicet; in eorum vero opinione Romanum Pontificem falli, & fallere, prorſus eſse neſcium, talique, ac tanta potiri auctoritate, ut ea nec par ſit, nedum potior, abunde, aut ego fallor, articulo 8. eſt demonſtratum. Nec tamen horum tantummodo incumbimus teſtimoniis, & innitimur tametſi liquidis, ac locupletibus: conferunt enim ad hæc confirmanda, quæ profert vel Pariſius in hiſt. Angl. ad annum 1247. Nempe a Friderico, pro ſuo Pontificibus infenſo ingenio, fraude, fucoque ſubornati Galliarum Proceres quodam nefaſti fœderis genere percuſſo de adimenda, aut diminuenda ampla, qua Clerus Gallicanus in dirimendis cauſſis defungebatur auctoritate, hanc ad cauſsas hæreſis, matrimonii, & uſurarum coarctaverant, nec cenſendos deinceps eſse excommunicatos, niſi quos laici Judices ad id muneris delecti juſte ſacris depulſos judicaſsent, declaraverant. Clerus itaque Gallicanus ad Innocentium IV. pro auxilio ad inlatam Eccleſiaſticæ juriſdictioni, libertatique injuriam propulſandam acceſſit: nempe imparem ſe intelligens, abſque Pontificis ope, & opera, ad id præſtandum. Præſentiſſimus fuit Pontifex, datiſque litteris, quas legere eſt apud Raynaldum ad annum 1247. n. 49, & ſeqq., acta omnia a laicis Proceribus reſcidit, ſacris vero Præſulibus auctoritate ſua communitis animos ad reſiſtendum adjecit. Legeſis & litteras ab Alexandro IV. ad eoſdem Epiſcopos anno 1257. exaratas apud Raynaldum n. 54, & ſeqq.

Clementi IV. in hæreſis ſuſpicionem venerat Narbonenſis Antiſtes delatus, quod dicere non deſiſteret Chriſtum D. in Euchariſtia exiſtere ſolumodo ſicut ſignatum ſub ſigno. Juſsus igitur fidei ſui rationem reddere accuratam, apologetico adornato, legendo apud Raynaldum ad annum 1267. n. 36, ſuſpicionem omnem deterſit, Sedique Apoſtolicæ ſcripta, & dicta ſua corrigen-

genda, & emendanda demiſit. Galterus Epiſcopus Pictavienſis in Synodo anno 1284. cap. 3. Apoſtolicam auctoritatem ſupra Synodum ſtare non modo, ſed in omnem, qua longe, lateque patet, Eccleſiam extendi approbe agnovit. Radulphus Lugdunenſis, & Hugo Æduenſis Antiſtites ordinationes ab ſe editas anno 1286. Apoſtolicæ Sedis auctoritate confirmari maximis in votis habuerunt. Ad Honorium IV. quamplurimi erroris nomine a Pariſienſibus Theologis delatus Ægidius genere quidem Romanus, ſed inſtituto ejuſdem facultatis doctor, ac dein Bituricenſis Archiepiſcopus Pontificis judicio ultro citroque ſe, ſcriptaque ſua ſubmiſit, ipſoque jubente, quæ a Stephano Pariſienſi nigro fuerant carbone notata, retexuit, revocavit, retraxit. Extant hac de re Honorii litteræ lib. 1. n. 33. ad Nicolaum Pariſienſem Stephani ſucceſſorem, quæ & legi poſſunt apud Raynaldum ad annum 1285. n. 76. Jam vero argumentando exinde inferre eſt a Gallicanæ Eccleſiæ ſive Epiſcopis, ſive Doctoribus Apoſtolicam Sedem tanti habitam, ut ea ſuperius in terris tribunal non ſit, tanti factam fidem, ut ea falli, aut fallere nullatenus poſſit, tantique penſam ſententiam, ut ad eam credendi, docendi, agendique rationem omnes ſuam exigere, & componere oporteat. Sed qui rem aliunde certiſſimam, apertiſſimamque conjecturis conficio? Audire præſtat Stephanum Pariſienſem, quæ Gallicanæ Eccleſiæ eſſet de Summi Pontificis in quæſtionibus ad fidem pertinentibus indefectibili prorſus judicio, potiorique auctoritate, ſententiam, cujus ipſe apprime erat conſcius, ex ſua peræque, nec non ex ſententia propria Capituli Eccleſiæ ſuæ, Willelmi Viennenſis Archiepiſcopi, 23. in Theologia Doctorum, & 39. Facultatis Pariſienſis Baccalaureorum, verbis hiſce quam veris, tam egregiis exprimentem. *Nos igitur attendentes cum eis* (ſcilicet præfatis Canonicis, & Doctoribus) *quod Sacroſancta Romana Eccleſia Fidelium omnium Mater, & Magiſtra in firmiſſima Petri Chriſti Vicarii confeſſione fundata, ad quam velut ad univerſalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio, & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum, præfatum Doctorem venerabilem* &c. Declarat ſubinde (ob eam namque cauſſam is cœtus fue-

rat

rat convocatus) doctrinam S. Thomæ *Salutarem Orbi terræ commendabilem*. Quæ quidem declaratio, ut obſervavit Doctiſs. Charlaſius lib. 10. cap. 10., eo majoris eſt ponderis, quod idem Pariſienſis Antiſtes antea quaſdam Angelici Doctoris propoſitiones oppugnari permiſerat. Ideo igitur a priori ſententia deceſſerat, quia, ut indicat, Romana Eccleſia S. Doctoris doctrinam commendaverat: judicio vero Romanæ Eccleſiæ adquieſcendum omnino eſse certo certius habebat. Referuntur hæc ab Egaſſio Bullæo tom. 4. hiſt. Univerſit. Pariſ. ad annum 1324.

Quam heic Stephanus Pariſienſis Facultatis fuiſſe affirmat ſententiam, fuiſſe profecto, foreque propriam illam honori habuiſſe, pleraque alia hiſtoriæ Univerſitatis monumenta confirmant. Exardeſcente enim vero Philippum Regem inter, & Bonifacium VIII. diſſidio, quænam Academiæ ſententia hæſit? Hæcce plane: Pontificis poteſtatem eſſe fontem plenitudinis, ex quo omnis in Eccleſiam poteſtas profluit: illum omnium in Eccleſia Judicem eſſe, nulliuſque ſubjacere judicio. Sub Clemente V. inſtaurata cauſſa, in ſententia manſit ſua dictis, & ſcriptis docens: in ſolo hæreſis caſu Pontificem Concilio ſubeſſe: in cauſſa Bonifacii Clementem ſolum eſſe Judicem, utpote qui ſolus Eccleſiam univerſalem repræſentaret; & ſine quo de Bonifacii cauſſa cognoſcere Concilium nequiret. In controverſia pariter de Minorum paupertate haud in alteram ab hac abiit, quod Pontificum Conſtitutiones de fidei cauſſis revocari ad examinis incudem nequeant. Quid ad hæc, quod anno 1384. in tractatu adornato confirmandæ gratia cenſuræ adverſus errores Johannis Monteſonii editæ, qui proſtat in appendice operum Petri Lombardi, approbe agnoſcit, affirmatque Pontificem Summum penes ſupremam ſtare de rebus fidei judicandi facultatem, eaſque poſtremo finiendi judicio, neque eo in judicio falli, aut fallere illum poſſe? Quid amplius? Univerſitatis Pariſienſis nomine Petrum Alliacenſem ad Clementem VII. (Gallis acceptum, locoque habitum legitimi) allocutionem habentem, atque ſuam, Univerſitatiſque ſententiam de ſacris Romani Pontificis prærogativis aperientem verbis hiſce claris, & præclaris refert Bullæus hiſt. Univ. Pariſ. tom. 4. ad annum 1387: *Quidquid dicturi ſumus, totum correctioni, & judi-*

cio

cio Sedis Apoſtolicæ, & Sedentis in ea Summi Pontificis humiliter ſubmittimus, dicentes cum B. Hieronymo 24. *q.* 1. (verius cum Pelagio dixiſset, ut ſuo adnotavimus loco:) Hæc eſt fides Pater Beatiſſime, quam in Eccleſia Catholica didicimus, in qua ſi quid minus perite, aut minus caute forte aliquid poſitum eſt, emendari petimus a te, qui Petri fidem, & Sedem tenes. *Non ignoramus enim, ſed firmiſſime tenemus, & nullatenus dubitamus, quod Sedes Apoſtolica eſt illa Cathedra Petri, ſupra quam eodem Hieronymo teſte fundata eſt Eccleſia, & habetur in eadem quæſtione* Cap. Quoniam vetus: *Et ſicut dicit Cyprianus* 93. diſt. Cap. Cathedram: *De qua Sede in perſona Petri Apoſtoli in ea Sedentis dictum eſt*: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. *Hæc eſt igitur, ad quam determinatio fidei, & approbatio veritatis catholicæ, ac hæreticæ impietatis deteſtatio maxime pertinet*. Offundant his tenebras, qui invidiam, quam in Pontifices quærunt, Pariſienſi Academiæ affiare parirer non erubeſcunt, lucem tamen frugi cuilibet afferunt, quæque intima fuerit celeberrimæ Facultatis, ſententiam in aprico ponunt: in qua quidem perinde manſiſſe, & permanſiſſe, magis magiſque paullo poſt exploratum fiet.

Age nunc vero argumento utamur, cui adverſarii velint nolint, victas tamen manus dedere debeant. Galli genere, Pariſienſes profeſſione Doctores fuerant, deinde Pontificarum adepti inter alios Clemens V, Johannes XXII, Benedictus XII, Clemens VI, Innocentius VI, Urbanus V, & Gregorius XI: iis aurem, quænam, amabo, de prærogativis propriis ſenrentia inſedit, quam quæ tum temporis Pariſienſis pariter Facultatis fuerat, Gallicanæque Eccleſiæ ſemper fuit, eſtque non altera ab ea, quam pro virili parte propugnamus? Eorum loca, quæ plane dubitationem procul omnem abigant, proferemus Vind. par. 2. art. 1. §. 2., quæ modo indicaſſe ſufficiat. Clementem V. legeſis in litteris convocatoriis Concilii Viennenſis, in Clementina de ſumma Trinit., & Fide cathol. §. *Nos igitur*, ubi docet *Quod ad Apoſtolicam Sedem dumtaxat declarare pertinet*, quæ in SS. Scripturis obſcura ſunt: atque in epiſtola ad Amanevum Epiſcopum Auxitanum, qua præſcribit formulam fidei Sedi Apoſtolicæ præ-

ſtandæ ab iis, qui ad tabellionatus officium ab illo forent admovendi apud Harduinum tom. 7. pag. 1350. Johannem XXII. confer in diplom. Canoniz. S. Thomæ; in cap. *Si Fratrum* extra lib. 5. *Ne Sede vacante*; in epiſt. ad Armenorum Epiſcopos; in epiſt. ad Oſſinium Regem Armeniæ; in epiſt. ad Epiſcopos univerſos adverſus errores Waldenſium; in epiſt. ad Zachariam Cachanæ in Tartaria Archiepiſcopum, qua Clementis IV. fidei formulam Græcis propoſitam regerit; & in epiſt. ad Georgium Georgianorum Regem, ubi ex verbis *Quodcumque ligaveris &c. Paſce oves meas &c. Ego rogavi pro te &c.* utrumque privilegium egregie adſtruit apud Raynaldum ad annum 1318. num. 8, & 47, & ad annum 1321. num. 5, & ſeqq. Benedictum XII. adire præſtat in diplom. incip. *Benedictus Deus*; & in cap. *Sancta Romana Eccleſia* extra de elect. lib. 1. tit. 3; atque in litteris ad Alanorum Principes apud Raynaldum ad annum 1338. num. 77, & ſeqq. Clementis VI. locus inſignis legendus exhibetur in litteris ad Conſolatorem Armeniæ Catholicum; nec non in litteris ad Patriarcham, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Græcorum, quas deſcribit Raynaldus ad annum 1343. num. 17, & ſeqq. Innocentii VI. epiſtolam ad Johannem Cantacuzenum Græcorum Imperat.; epiſtolam ad Stephanum Raſciæ Regem; atque Conſtitutionem incip. *Sollicitudo Paſtoralis Officii*, quibus Apoſtolicæ Sedis privilegia diſerte prædicat, refert Raynaldus ad annum 1353. num. 23, & 29; & ad annum 1354. num. 28. Urbani V. recolere eſt litteras ad Johannem Palæologum, cui fidei formulam proponit, quam pridem Benedictus XII. Alanorum Principibus; Johannes XXII. Oſſinio Armeniæ Regi; B. Gregorius X. Græcis; Clemens, & Urbanus IV. Michaeli Palæologo propoſuerant, apud Raynaldum ad annum 1366. num. 4, & ſeqq., quamque ille anno 1369. Romam accedens coram Pontifice profeſſus eſt. Gregorii XI. inſtructiones Legatis ſuis Conſtantinopolim proficiſcentibus, quibus præcipit Græcis ad frugem regredientibus formulam fidei profitendam præſcribi, quam Urbanus V. Johanni Palæologo, aliiſque plurimis Regibus, Principibus, ac populis, ut Armenis, ut Perſis, ut Tartaris, ut Raſciis, ut Alanis, ut Ruſſis &c.; atque Orientalibus aliis ejuſdem Deceſſores, ut modo indicavimus, propoſue-

ſuerant, adire poteris apud Raynaldum ad annum 1374. num. 3; epiſtolam præterea ad Emanuelem Cantacuzenum Romaniæ Deſpotam ibidem num. 5; litteras inſuper ad Johannem Cantacuzenum ex Græcorum Imperatore S. Baſilii Monachum factum apud eumdem Raynaldum ad annum 1375. num. 2; & epiſtolam ad Epiſcopos Cretæ Inſulæ ibidem num. 25.

Quod ſi referimus pedem ad eos, qui tum Pariſienſem Academiam doctrina exornarunt, tum Gallicanæ Eccleſiæ dogmata excoluerunt, comperiemus hancce de Romano Pontifice ſupra Concilium pote, atque falli, & fallere neſcio doctrinam veterem eſſe a Majoribus receptam, ab eis retentam, ratamque habitam. Ex his Humberti Cardinalis olim Tullenſis Monachi; Jacobi a Vitriaco; Alexandri Halenſis; Vincentii Bellovacenſis; Hugonis Carenſis; Alberti Magni; Guiberti Tornacenſis; Sancti Thomæ; S. Bonaventuræ; Richardi Mediavillani; Durandi Mimatenſis; Durandi Meldenſis; Nicolai Lyrani; Guidi Elnenſis; Auguſtini Triumphi; Petri Paludani; Nicolai Gorrani, aliorumque Gallicanæ Eccleſiæ Doctorum teſtimonia art. ſuper. protulimus, quibus impræſentiarum plerique alii doctrina illis haud inferiores ſunt attexendi, longe pluribus ſilentio prætermiſſis, ut dicendi fiat tandem modus. Hervæum heic Pariſ. Doct. Ord. Præd. Gener. Magiſtrum revocare in medium non diſtædet, qui in tract. de poteſt. Papæ laudato a S. Antonino par. 3. tit. 22. cap. 2. §. 3. fidei unitatem totius Eccleſiæ repetens ab unitate Capitis, cui jus tribuit finitivo judicio fidei dubia dirimendi, Pontificem plane, ſicuti de Eccleſia indubium id eſt, neceſſaria conſecutione in fide falli, & fallere nequire perſpectum, perſuaſumque habuit: *In tota*, inquiens, *univerſitate chriſtiana debet eſſe conformitas de iis, quæ pertinent ad veritatem fidei, & bonos mores circa neceſſaria ad ſalutem: ſed talis conformitas non poteſt ſalvari, niſi in ordine ad unum Caput, ſeu unum Præſidentem, ad quem ſpectat ſententiare quid credendum, & quid non credendum*: & in tract. ms. Bibl. Vatic. num. 4109. apud Raynaldum ad annum 1321. num. 33. de juriſdict. Eccleſ. adverſus Johannem de Poliaco Ordinibus Religioſ. hoſtem infenſiſſimum, *Poteſtatem omnem eſſe a Sede Apoſtolica, & ſuper poteſtate Sedis Apoſtolicæ eſſe ſta-*

bilitam docens, docet plane Apoſtolicæ Sedis poteſtate non eſſe ſuperiorem, ac potiorem, aut imo ei ſupparem. Conſimillima adverſus eumdem Johannem de Poliaco in tract. de poteſt. Eccleſ. tradidit Petrus Paludanus ejuſdem Ord. Præd. Doctor Pariſienſ., & Patriarcha Hieroſolym. ex verbo Dei ſive ſcripto, ſive tradito oſtendens: Primo, quod S. Petrus habuit *a Chriſto poteſtatem ſuperomnes Apoſtolos, tanquam Princeps, & Prælatus eorum*. Secundo, quod *a Chriſto habuit prælationem ſuper totam Eccleſiam Univerſalem*. Tertio, quod *Omnis poteſtas juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & prælatio in Eccleſia procedit, derivatur, & originatur a Papa*. Quas propoſitiones ſubinde probat ex S. Scriptura, Conciliis, Canonibus, Patribus, & Pontificibus, quæ regerere non vacat. Si igitur Pontifex toti Eccleſiæ præeſt, ceu toti Populo Princeps, atque a Pontifice ceu a capite in corpus poteſtas omnis profluit, Pontificem Eccleſia poteſtate eſſe ſuperiorem Paludani ſententia prorſus oportet.

Eamdem ceu communem, propriamque Scholæ Pariſienſis ſententiam propugnabat Vitalis e Furno Patria Vazatenſis, profeſſione Ord. Minor., dignitate a Johanne XXII. Cardinalis inauguratus, & Epiſcopus Albanenſis. Conſultus enim, juſſuſque a Pontifice de Minorum paupertate ſententiam promere, in tract. ms. Bibl. Vatic. num. 3740. apud Raynaldum ad annum 1322. num. 67. præclaris hiſce proloquutus eſt. *Præmitto omnibus, & ſingulis dictis meis illud, quod ſcribitur* 24. q. 1. C. Hæc eſt fides, *ubi ſic dicitur*: Hæc eſt fides catholica &c.; quem locum deſcripſimus alibi; poſt quæ ſubjungit: *Prædictum Capitulum duo continet evidenter, quæ in proteſtatione mea volo includi. Primum eſt, quod ſi in dictis meis forte aliquid ponam minus provide, incaute, vel indiſcrete, omnia per Chriſti Vicarium corrigantur. Secundum eſt, quod quidquid per eumdem Chriſti Vicarium fuerit determinatum... de quibuſcunque maxime ad fidem pertinentibus, omnia volo ſimpliciter, & indubitabili fide tenere, prompte, & libere confiteri*. Itaque nequidem leviter ſuſpicabatur poſſe in Pontificiis de fide decretis quidpiam latere periculi, atque ab Apoſtolica Sede aliquid proficiſci catholicæ fidei minus congruum. Ægidii Bituricenſis Antiſtitis eadem animo inceſſerat ſententia Roma-

num

num Pontificem in S. Petro Eccleſiæ firmum, fixumque a Chriſto D. conſtitutum fuiſse fundamentum, a quo in Eccleſiam omnem fidei firmitas derivaret, a qua fide proinde deflectere nullo ille⸗ poſset modo: quippe in quæſt. de poteſt. Pontif. locum illum: Tu es Petrus &c. poſtquam interpretatus ita fuiſset: *Quia ſicut in ædificatione materiali eſt unus lapis primarius, & fundamentarius: ſic in Eccleſia debet eſse unus Princeps principalis totius Eccleſiæ fundamentum*; propius in tem noſtram pergit: *Hæc Petri firmitas, ſuper quam fundata erat Eccleſia ... eſt immobilis, & inviolabilis ſtabilitas fidei Chriſtianæ, ſicut inſinuat Chriſtus dicens*: Ego pro te rogavi &c.

Perſpicuis hiſce, ac planis alioqui lucem afferunt non modicam adhuc, quæ Petrus Bertrandus Æduenſis Epiſcopus, ac dein Cardinalis adverſus Petrum Cunerium in Pariſienſi Senatu Procuratorem, atque juriſdictionis Eccleſiaſticæ infenſiſſimum hoſtem ptopugnavit, & quidem coram Philippo VI. Galliarum Rege, uti de hujus geſtis agens Paulus Æmilius eſt auctor. Is igitur, ut fidem jam liberem meam, qua ſum pollicitus me de illo ſermonem facturum, in opuſc. de orig. poteſt. Eccleſ., quod a nonnemine Durando Meldenſi attribuitur, proſtatque in Bibl. PP. tom. 4, hanc primum doctrinam veluti a SS. Patribus acceptam adſtruit q. 2. num. 3: S. Petro, ipſiuſque Succeſſoribus collatas a Chriſto D. claves, ab his deinde aliis Eccleſiæ Antiſtitibus conſignandas: hoc eſt Romanum Pontificem accepiſse poteſtatis ſummam, cujus deinde copia inferioribus Præſulibus fieret: *Inter Chriſtianos*, inquit, *neceſſaria eſt ſpiritualis poteſtas, quam Chriſtus dedit B. Petro, quando ei commiſit regimen Univerſalis Eccleſiæ. Origo hujus poteſtatis fluit a Deo immediate, videlicet a⸗ Chriſto, tradente eam certæ perſonæ, ſcilicet Petro, pro ſe, & ſuis Succeſſoribus, a quibus in alios derivatur*. Poſtea hac ſub poteſtate Chriſtifideles omnes univerſim, & ubique comprehendi ſubjungit, quibus opus, officiumque incumbit Pontifici morem gerendi, pronaſque aures præbendi. *Quum prædictam juriſdictionem habeat Papa ſine limitatione loci, & perſonarum; ideo omnes Chriſtiani, ubicumque ſint, debent ei obedire*. Poſtremo admonet a Chriſto D. collatum S. Petro, ac Romanis Pontificibus

bus eam omnem poteſtatem, quæ Eccleſiæ maxime expediret: *Chriſtus commiſit Petro regimen Eccleſiæ tantum, quantum neceſſarium erat, & expediebat cum regimine Eccleſiæ.* Quæ quidem cujuſmodi eſset Gallicanæ Eccleſiæ ſententia, certe exprimunt, eoque certius, quod non tam propriam, quam totius Eccleſiæ Gallicanæ perſonam indutus hæc expromebat. Confer Jacobi Abbatis Ciſtercienſis in Diœceſi Silvanectenſi, alteriuſque Anonymi tractatus adverſus impugnantes exemptionem Regularium circa tempus Concilii Vienneníis elucubratos, quos ex Codic. Mſs. Bibliot. Vatic. n. 2109, & 4109. deſcribit Raynaldus in append. tom. 15. Annal. ad annum 1312, in quibus Romani Pontificis utrumque privilegium vindicant, bonoque in lumine collocant. Quapropter multo nomine ad hanc uſque ætatem Gallicana Eccleſia laudem illam promeruit, qua pridem S. Innocentius I. S. Victricium Rotomagenſem ob egregium ſtudium ſe, Eccleſiamque ſibi demandatam ad Eccleſiæ Romanæ dogmata, & regulas exigendi, cumulavit verbis illis: *Romanæ Eccleſiæ normam, atque auctoritatem magnopere poſtulaſti*: & qua idem Pontifex ſimile ob ſtudium excepit S. Exuperium Toloſanum ſic ſcribens: *Dilectio tua inſtitutum ſecuta prudentium ad Sedem Apoſtolicam referre maluit, quid deberet de rebus dubiis cuſtodire potius, quam uſurpatione præſumpta, quæ ſibi viderentur, de ſingulis obtinere*: ut pote quæ nullo non tempore facto, dictoque comprobavit, quæ olim ad S. Hormiſdam de Gallicanæ Eccleſiæ inſita ſententia certiorem faciens, ut crederet nempe ne latum unguem ab Apoſtolicæ Sedis eſse aut judicio recedendum, aut juſſioni reſiſtendum, ſcripſerat S. Avitus Vienn. Archiepiſcopus, quæ inter ejus epiſtolas a Sirmondo 87. recenſetur. *Jam ſecurus de totius Galliæ devotione polliceor: omnes veſtram de ſtatu fidei captare ſententiam*: quamque ipſamet propriis expreſſit verbis in epiſt. ad S. Nicolaum I. apud Sirmondum tom. 3. Concil. Gall. pag. 158. *Apoſtolicis documentis, & Pontificalibus decretis multipliciter informamur, ut veſtri Sanctiſſimi Apoſtolatus apicem, Principis Apoſtolorum fide, & nomine conſecratum, quoties Sancta Eccleſia aliqua novitate pulſatur, humiliter adeamus, ibique veri conſilii ſaluberrima inſtituta ſinceriter hauriamus, ubi Chriſtus & ſummum Caput*

no-

noſtrum fundamentum Eccleſiæ poſuit. Ex his quammaxime laudes celebrandi Eccleſiæ Gallicanæ opportunitatem arripuit, vel ipſemet Carolus Fevretus de abuſu lib. 1. cap. 3, excelſam, ad quam evectam Gallicanam Eccleſiam videbat, dignitatem ab indiſſolubili cum Apoſtolica Sede conjunctione auſpicatus, qua factum ait, ut Gallicanæ Romana Eccleſia jugiter intimus veluti ſpiritus ſemper eſset, quo vegetaretur; Caput, a quo regeretur; Centrum, in quo coiret; Sol, ex quo pura fidei lux perpetuo in eam profluereret.

Ex Epiſcopis, Scriptoribus, ac Theologis Eccleſiæ Gallicanæ.

§. II.

PRopoſitum eſt præſenti paragrapho, quod operæ exigit pretium, planum facere præſertim etiam poſt fata Concilii Conſtantienſis, quinimo poſt epocham celeberrimæ declarationis Cleri Gallicani anno 1682., Eccleſiam Gallicanam a veteri ſententia, qua Romano Pontifici ſuprema poteſtas, atque in fidei quæſtionibus infallibile judicium adſcribitur, vel tranſverſum unguem nunquam abſceſſiſſe. Ad hanc veritatem loco ſtatuendam, bonoque in lumine collocandam, pleraqae, eaque invictiſſima utique monumenta ex ſuperior. paragr., atque ex præfatis de Conciliis Conſtant., Baſil. &c. ſuppetunt: pleraque inſuper ſuppeditabunt opera gallice ea epigraphe inſignita: *Tocſins Catholiques*; tum iſta: *Recueil des mandaments des Eveques*; tum illa: *Memoire du Clergè* anno 1716. Pariſ. edit., ex quibus præſertim quam plura, eaque præclariora Gallorum Antiſtitum erga Sedem Apoſtolicam exiſtimationis, ac venerationis cumulatiſſima ſpecimina decerpſimus. Quorum quidem ad provinciam hancce exornandam, vindicandamque Eccleſiæ Gallicanæ de ſuprema Pontificis auctoritate, ac in fide infallibilitate nuperam doctrinam poſt Eminent. Sfondratum in ſua *Gallia vindicata* nuper Clariſſ. Soardus Academiæ Taurinenſis eximius doctor multam partem produxit, elegantique oratione optimo in loco poſuit. Verum quidem eſt, (quod principio nec diſſitendum eſt, nec diſſimulandum,) poſtea quam ab Alliacenſi, Ger-

Gerſonio &c. invecta novitia opinio fuit, eamdem plurimis Gallis, Germanis quinimo, Poloniſque Doctoribus arriſiſſe, adeo ut actutum ambabus ulnis ultro citroque ſint amplexati: abſit attamen, ut eam in opinionem Gallicana Eccleſia conceſſiſſe exiſtimetur. Germanos profecto, Polonoſque non multo poſt ad priſtinam regreſſos fuiſſe ſententiam perſpectum eſt, adeo ut nulla nunc extra Galliam Academia ſit, quæ Pontificem infallibilem inficias eat, aut Concilio Generali inferiorem affirmet. Imo ipſa in Gallia ævo mox elapſo exiguus admodum Theologorum numerus audiebat, quibus Alliacenſis, Gerſonii, &c. opinio alluberet, reliquis avitæ doctrinæ adhæreſcentibus, & dedititiis.

Quid imo, quod ii, qui nuperæ opinioni feciſſe ortum circumferuntur, ejuſmodi dixere, ſcripſere, docuere, quæ homines parum ſibi in ſententia cohærentes, aut ſententiam alternatim variantes prodant? Id alibi, ut reor, ſatis, ſuperque oſtenſum eſt, non erit abs re attamen, ſi rurſus paucis, quoad fieri poterit, quod abunde præſtitum ſuit, ac parce, idipſum attingatur, atque compendifiat. Petrus Alliacenſis Gerſonii Magiſter, præterquam quod Pariſienſis facultatis nomine, ſicuti ſuperiori §. palam eſt factum, ſuoque Clemente VII. coram irreformabile prorſus Romani Pontificis judicium in cauſſis fidei profeſſus eſt, in tract. de Eccleſiæ auctoritate ea ſtatuit, quæ cum Pontificis auctoritate Concilio inferiori ſtare nullo poſſint modo. Statuit enim Univerſæ Eccleſiæ regimen a Chriſto D. ita S. Petro, ejuſque Succeſſoribus commendatum, commiſſumque, ut ad avertendum procul ſchiſmatis periculum omne in Pontifice ceu in Capite poteſtatis Eccleſiaſticæ ſummam conſtituerit, a quo deinde particulæ quædam in Epiſcopos ceteros emanarent. *Quia confuſio*, inquit, *ſequi poterat, ideo Dominus hoc prævidens contulit Petro pro ſe, & ſuis Succeſſoribus auctoritatem diſponendi Miniſtros Eccleſiæ, & determinandi juriſdictionem dicens*: Paſce oves meas: *ideſt ſis Paſtor generalis, ad quem pertineat diſpoſitio, & regimen generale ovium, & ovilis &c. & ita in Petro fuit iſta plenitudo poteſtatis, quam tamen poſtea diviſim aliis dedit, vocans eos in partem ſollicitudinis*. Non niſi igitur nefaria juris, ac rationis inverſione is, qui juriſdictionis ſummam tenet, iis, qui partem dumtaxat acceperunt,

runt, quique etsi omnes in unam conferant, non majorem illa efficient, inferior agetur. Gersonius, qui plus omnibus, ac omnium primus Romani Pontificis de primendis privilegiis adlaboravit, novitiæ tamen opinionis ab se inductæ epocham in Concilii Constantiensis tantummodo tempus conjecit, ita plane in opusc. de potest. Eccles. consid. 12. ajens: *Ante celebrationem hujus sacrosanctæ Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum litterarum magis*, (injuriam plane viris doctissimis infert,) *quam litteratorum ista traditio, ut oppositorum dogmatizator fuisset hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus*. Quin imo etiam post Concilium Constantiense, (quod certum indicium est Concilii Constantiensis decretum sess. 4, & 5. haud fuisse habitum loco dogmatis, aut ad casum indubii Pontificis deductum,) Theologos non destitisse ab extollenda Pontificis auctoritate supra Concilium perhibet his verbis: *Hujus rei*, inquiens, *signum accipe, quia post declarationem, & quod urgentius est, determinationem, & practicationem ejusdem S. Synodi inveniuntur, qui talia passim asserere non paveant*. Quorum simillima repetit in opusc. de excommun., quæ regerere non opus est. Quamquam vero animo ei esset præceptum, persuasumque Pontificiæ longe auctoritate Concilia antecellere, constantissimum attamen, certumque erat Monarchicum esse Ecclesiæ regimen, atque plenitudinem auctoritatis in Pontifice residere: *Plenitudo potestatis*, inquit, *non potest esse de lege ordinata, nisi in unico summo Pontifice; alioquin Ecclesiasticum regimen non esset Monarchicum*. pag. 125, & 126. tom. 1. Quinimo unum alteri privilegium accumulans, a Romano Pontifice certum de fide quemlibet fore faciendum affirmare non dubitavit in serm. de Ascens. Dom. coram Alexandro V. habito: *Ab hac*, ajens inter alia, *Ecclesia Romana fidei certitudo petenda est*. Denique in tract. de statibus Eccles. consid. 13. *Status Episcopalis*, scribit, *habet rationabiliter Monarcham supremum, scilicet Papam, ratione unitatis fidei, & sacramentorum*. Juxta hæc itaque iccirco divina institutione in Ecclesia Episcoporum unus est Monarcha supremus, Pontifex scilicet, a quo de fide quærendum, atque in totam, qua late patet, Ecclesiam potestas exeritur, ideſt, ut si ceteros Episcopos dissentire

invicem, & dissidere contingat, ac in varias, diversasque sententias distrahi, imperio suo, & suo judicio ad unitatem restituat: post hæc autem fieri posse, ut Pontifex Ecclesiam docens a fide deficiat, atque Episcopis in Concilio coadunatis sit ipse inferior, inferat, per me licet, Gersonius, recta tamen, aut ego fallor, non inferet. Gersonium interea gravi reprehensione dignum judicarunt Ruardus Tapperus; Franciscus Victoria; Didacus Payva; Andreas Duvallius; Dominicus Bannez &c.

Gersonio consentanea tradidit Jacobus Almainus in tract. de potest. Eccles. ex loco illo *Pasce Oves meas* S. Petrum, ejusque successores divina institutione docens universæ regendæ Ecclesiæ præfectos, ipsisque mandatam provinciam gradus, dignitatesque Hierarchicas dispensandi, atque omnes potestatis Ecclesiasticæ numeros adimplendi, quibus, quantisque opus afforet ad Ecclesiæ bonum: in eo deinde peccans, secumque met pugnans, quod ejusmodi potestatem effundi a Pontifice in Ecclesiæ corpus in Concilio congregatum prohibeat: qui enim in omnem per Orbem dispersam Ecclesiam potestatem extendit, quippini etiam exerat in congregatam, sed magis ejusdem in Concilio coactæ auctoritate intra orbitam ipse juris coarctetur? Eidem semitæ institit Johannes Major nihil morarum injiciens iis, qui unum penes Pontificem Ecclesiasticæ potestatis summam persistere pugnarent: exinde quinimo pugnare potissimam Theologorum partem Concilio Pontificem auctoritate prævalere non diffitetur de potest. Eccles. cap. 15. *Duo sunt modi*, inquiens, *dicendi, quorum unus tenet Papam esse supra Concilium universale: hunc modum tenuerunt aliqui Cardinalium* (sustinueruntque invictissime in Concilio Constantiensi,) *& tenent communiter Thomistæ*; (cur non subtexere etiam Scotistas, ceteraque scholas?) *& Romæ, ut asseritur, nulli fas est oppositum tueri. Alium modum semper Universitas nostra Parisina a diebus Concilii Constantiensis imitata est*; (ecce tibi evidentissimam novitatis invidiosæ notam;) *sic quod in ea, qui prædictam viam tenuerit, in campo cogitur eam revocare*. Quam a recta argumentandi ratione deflectat, nemo non dispicit: quam autem perperam hanc Academiæ Parisiensi opinionem, agendique rationem appingat, paullo post adparebit. Ab his non discre-

diſcrepat Johannes Pariſienſis eorum alter, quos in partes trahere Richerius, aliique ex numero Pontificiæ auctoritatis hoſtes adaugere ſtudentes, adnixi ſunt. Nam iis haud auſpicatis in tract. de poteſt. Regia, & Papali cap. 3. hæc habet: *In tota Eccleſia eſt unus ſummus Epiſcopus, ſcilicet Romanus, & Petri ſucceſſor; ut ſic Eccleſia militans per ſimilitudinem a triumphante derivetur, ubi unus præſidet toti univerſo.* Quid igitur cauſſæ prohibet, quominus qui militanti præeſt, eadem auctoritate præſtet, quemadmodum qui præeſt triumphanti, ſuper ipſam omnino poteſt? Pergit deinde porrigens, quæ alterum infallibilitatis privilegium confirment. *Poſt corporalem ſubtractionem præſentiæ corporalis Chriſti contingit interdum circa ea, quæ ſunt fidei, quæſtionem moveri, in quibus propter diverſitatem opinionum, vel ſententiarum divideretur Eccleſia, quæ ad ſui unitatem requirit fidei unitatem, niſi per unius ſententiam Eccleſiæ unitas ſervaretur. Hic autem unus Principatum hujuſmodi habens eſt Petrus ſucceſſor Chriſti, non quidem Synodali ordinatione, ſed ex ore Domini, qui Eccleſiæ ſuæ noluit deficere in neceſſariis ad ſalutem, ipſo dicente Johan. ult. ante Aſcenſionem Petro ſingulariter*: Paſce Oves meas & *Lucæ 22. ante Paſſionem*: Et Tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Confer alterum, quæ alibi ex eodem Doctore locum dedimus. Hæc loquebantur, qui amplificandæ Romani Pontificis auctoritati plus æquo ſtuduiſſe accuſari non poſſunt; & loquebantur non ex perveſtigatis Conciliorum, ac Patrum commentariis, quos teſtimoniorum ad Pontificis iſta privilegia confirmanda eſſe cumulatiſſimos ad oculum oſtendimus, ſed ex unius Evangelii liquidis, obviiſque locis, quæ, poſtmodum cur peſſima, ac præpoſtera interpretatione implicarent, quid quæſo cauſſæ fuit? Quæque ſuapte conſectaria profluerent, pro præoccupata opinione perſpicere, ac percipere neſcio, quo demum modo aut noluerint, aut nequiverint.

Accedo nunc propius ad eam, quæ propoſita mihi quæſtio eſt de germana Eccleſiæ Gallicanæ ſententia. Et quidem ſi ad tempus aſcendam, quo diro ſchiſmate affligebatur Eccleſia, Anonymus Monachus Sandionyſianus apud Dacherium tom. 6. Spicilegii acta deſcribens Concilii Pariſienſis a Carolo VI. an-

no 1394. ad ſedandum ſchiſma indicti auctor eſt ad Conventum accitos quidem 150. Antiſtites fuiſſe, adfuiſſe tamen aliis pleriſque ætate, aut morbo præpeditis, Epiſcopos dumtaxat 58, Abbates 10, atque ex utroque Clero viros illuſtres, doctoreſque in utroque jure 47: quibus conſidentibus a Petro Alliacenſi ſermone habito viam ceſſionis Pontificatus præ aliis fuiſſe propoſitam, tanquam quæ Univerſitati Pariſienſi non modo, ſed univerſis Chriſtifidelibus, veluti *brevior*, *lucidior*, & *expeditior*, videbatur eligenda: de ſententia vero interrogatos ſequenti die ſingulos, ac ſingillatim 87. concluſiſſe *per viam ceſſionis eundum*; nec aliam ineundam eſse. Indicium id eſt non obſcurum exiſtimaſſe illos Pontificem ad experiundum in judicio apud Concilium ceu inferiorem adigi nequire. Verum eſt quidem poſtea cum Bononienſi Pariſienſem Academiam in eam abiiſſe ſententiam, (quum nempe fruſtra ceſſiſſet opera impenſa ad ſuadendam, urgendamque ceſſionis viam,) poſſe a Concilio illum de Papali dignitate dejici concluſ. 5. Univerſ. Pariſ., & Bonon. in litt. Card. ad Gregorium XII. anno 1408. apud Dacherium tom. 6. Spicileg.; & apud Labbeum tom. 11. Concil.; ſed adnotanda diligenter ſunt verba, quibus ſententiam cohibent ſuam: *Stante dubio Papatus inextricabili propter dubium facti, & juris*: quem extra caſum, Pontificem ideſt indubium Concilio ſubjugare non præſumebant. Præſumpſerunt id poſtea Academiæ Cracovienſis, Erfordienſis, Vindobonienſis, & Colonienſis in Baſileenſium partes diſtractæ, quarum opinio propterea de Concilii præſtantia ſupra Pontificem ſchiſmati vires adjecerat, ſed harum oppoſitio hujus loci non eſt, quam tom. 1. art. 4. in proleg. expunximus; ſatiuſque habemus heic dimittere ad Spondanum anno 1431. n. 10, ubi deſcribit modum, quo Baſileenſium res ſe ſe tum haberent, quodque Academiarum illarum Doctores peſſimam eam in rem pro ingenio prave affecto opus conferrent.

Ad Eccleſiæ Gallicanæ inveſtigandum intimum ſenſum redeundo, Gerſonii opinionem ceu nuperam, atque ab accepta a majoribus, retentaque ad eam diem traditione immaniter aberrantem, ab ea fuiſſe neglectam demonſtrarunt Petrus ipſe Alliacenſis in allocutione anno 1387. Pariſienſis Academiæ nomine ad Cle-

Clementem VII, de qua jam dictum. Petrus Meldenſis Epiſcopus, qui Caroli VII. Regis, Eccleſiæque Gallicanæ nomine Eugenium IV. anno 1441 die 16. Decemb. hiſce alloquutus legitur apud Raynaldum ad cit. annum n. 9, & ſeqq. Nempe ad excindendum ſchiſma, & ad Pontificiæ auctoritatis exiſtimationem in priſtinum ſplendorem reſtituendam renuntiabat neceſſarium viſum fuiſſe Galliarum Regi, & Epiſcopis, ut Concilium generale in Galliis cogeretur, in quo Pontificis quidem poteſtas loco firmiter ſtabiliretur ſuo, ad obſtruendum tamen ſchiſmaticis os, ac ſimplicium animos ab invidia avocandos, ejuſdem poteſtatis uſus explanaretur, cæteroquin attamen Gallicanam Eccleſiam de Pontificis ſuprema poteſtate ite perſuaſam, eamque cum per invidiam a Concilio Baſileenſi impetitam, tum a Florentino bono in lumine collocatam affirmat: *Princeps noſter eſto*, inquiens, *ut quemadmodum Princeps noſter ex inſtitutione a Chriſto derivata, ita Princeps noſter exiſtas conditione ab ipſo Chriſto huic Principatui impoſita*: expoſita ejuſmodi conditione, quam in uſu poteſtatis recto reponit, tranſiens ad ea, quæ ad poteſtatis ipſius ſummam attingunt, zeloque effuſus adverſus nefaria Baſileenſium attentata pergit: *Ad hanc veſaniam devenerunt, quod ſupremam poteſtatem in uno ſuppoſito conſiſtere denegant, ſed eam in multitudine, quæ cito in diverſa ſcinditur, collocant; & ſic pulcherrimam Monarchiam Eccleſiæ, quæ chriſtianos hucuſque tenuit in unitate fidei, in una profeſſione religionis chriſtianæ, in uno ritu ſacramentorum, in una obſervantia mandatorum, in eiſdem cæremoniis divini cultus, atque pacem, & tranquillitatem aſſeruit, nunc abolere, & ſupprimere contendunt, nobiliſſimam politiam, quæ beatitudinem cæleſtem habet pro fine, ad democratiam, vel ad ariſtocratiam redigentes*. Non æque ſane ſibi perſuaderi quiſpiam patietur hæc a Petro Meldenſi prolata ex propria dumtaxat animi opinione, iſtaque plus æquo propenſiori ad poteſtatis Pontificiæ exaggerationem. Eluunt ejuſmodi ſuſpicionem omnem, proculque propulſant, quæ adhibet argumenta: ſiquidem in ſpeciem egregiam aſſumendo cæleſtem Monarchiam, conferendoque cum eadem Eccleſiaſticam, atque dein recta aſcendendo ab unitate Eccleſiæ, ab unitate fidei, ab unitate legis, ab unitate ſacramentorum,

torum, & ab unitate cultus ad unitatem Capitis divina inſtitutione conſtituti, rectiſſime concludit exinde in eodem Capite jutiſdictionis ſummam, integram, ideſt ſupremam ſive ſupra Concilia poteſtatem in Pontifice ceu ſupremo Principe collocatam. Confirmat id magis ex Concilio Florentino: *Concilium Baſileenſe*, ſubjungens, *veritatem de ſuprema poteſtate in uno extinguere pertentavit: Concilium autem Florentinum hanc veritatem bene lucidavit, ut patet in decreto Græcorum*. Et certe luce clarius eo in decreto Pontificis ſupra Concilium poteſtas extollitur, adeo ut Gallorum nonnulli moroſiores decreto illi detrahere maluerint, quam aliorſum intorqueri poſſe arbitrati ſint. Cæterum ſubjicit deſiderari adhuc, ut a Concilio poteſtatis uſus fuiſſet expoſitus, cujuſmodi defectum ut ſuppleat, reliquum eſſe, ac requiri Concilium alterum: deinde ſibi objiciens rem cum inutilem prorſus, tum aleæ plenam ab ſe obſecrari: *Non ne Romana Curia cum ſuo Capite ad hoc ſufficit? Quis Principum ſuam auctoritatem diſcuſſioni multitudinis committeret?* Reſpondet ſufficere quidem, in præſenti tamen ſchiſmatis caſu Concilio opus eſſe, in quo non de poteſtate ipſa extra dubitationis aleam poſita, ſed de uſu poteſtatis dumtaxat decernatur: *Ad has extremitates evellendas non ſufficit auctoritas Papæ ſine generali Concilio, nempe quoad effectum exoptatum, quamvis valeat quoad poteſtatem*. Addit deinde nihil ex multitudine extimeſcendum, quum non humano juri, ſed divinæ inſtitutioni ejuſdem auctoritas innitatur. *Longe aliud eſt* (a Principatu ſæculari) *de tuo Principatu Eccleſiaſtico, cujus Monarchia non ab homine, ſed de Cælo venit: illam enim teſtantur Evangelia, illam prædicant Sanctorum teſtimonia, illam tenuit hucuſque Univerſalis Eccleſia*. Poſt hæc præclaris hiſce ad diſſerendum de Monarchia adverſus ſchiſma Baſileenſe deſcendens, in rem noſtram proſequitur. *Quid, quæſo, magis poſſet in perpetuitatem ſchiſmatis tendere, quam Monarchiam Eccleſiæ, quæ Chriſtianos tenuit in unitate, tollere, & abolere, quam auctoritatem ſupremam multitudini, quæ cito ſcinditur, tribuere? Quam poteſtatem judicandi ſuperiores inferioribus dare? Et ſic de multis aliis, quæ in practica, & doctrina Baſileenſium concurrunt, quibus ſemel junctis, & ſtantibus non eſt pax in Eccleſia Dei ſtabi-*

ſtabilis. Clara hæc ſunt, & præclara, quæ Pontificis auctoritatem prorſus ſupra Concilium collocent: in eo tamen errabat, quod abuſus in exercenda auctoritate emendari vellet a Concilio, quum ex eo errore Politicos in ſchiſma fere prolapſos fuiſſe Piſani Concilii adverſus Julium II. hiſtoria poſtea oſtenderit.

Extat in veteri Codice Vatic. collectio, cujus meminit Clariſs. Orſius de auctor. Rom. Pontif. lib. 6. cap. 21, teſtimoniorum, quæ ex veteribus Patribus, & Theologis excerpta a tribus Occitaniæ Ordinibus Carolo VII. Galliarum Regi exhibita fuerunt, ut iis perſuaderetur in Eugenii IV. Pontificis Maximi parte, obedientiaque permanere oportere, neque ullo pateretur modo ad Baſileenſium ſchiſmaticorum ſe abripi ſtudia. Eò vero ejuſmodi teſtimonia collineabant, ut commonſtrarent, oculiſque Regis objicerent: Romanum Pontificem penes tanquam ſupremum Eccleſiæ Principem Eccleſiaſticæ juriſdictionis ſummam, & originem perſiſtere: Eccleſiaſticam Monarchiam ejuſmodi eſſe, ut quemadmodum in ceteris principandi generibus contingit, ita in Eccleſiæ regimine ab uno, eoque ſupremo Capite, & principio auctoritas omnis, poteſtaſque in reliquum omne corpus diffunderetur: eam præterea eſſe Romani Pontificis ſupremam, ſive Monarchicam poteſtatem, ut ſub ſe utramque, ſpiritualem videlicet, & temporalem complectatur; pugnantia proinde opinari, dicere, ſcribere, & docere illos quotquot, qui Pontifici quidem velint, nolint, ſupremam in Eccleſiam univerſam auctoritatem attribuunt, quam poſtea alterutrius generis poteſtati ſubjugare geſtiunt: pugnare poſtremo ſecummet, qui Romani Pontificis primas eſſe in Eccleſia partes credunt, ac nihilominus ab ejuſdem ſententia appellatione provocari ad aliud in terris tribunal impune poſſe contendunt. Atque quidem iſta effecere, ut Carolus ejurato Baſileenſium cœtu, qui in dies audacius efferebatur adverſus Eugenium, Eugenio animum ſummiſſe apponeret, Oratoremque dimitteret præfatum Meldenſem Epiſcopum, qui Regis, Regnique Galliarum erga Pontificem enixum ſtudium magis, ac magis aperiret, a quo plane ad eorumdem teſtimoniorum exemplar proloquium ſuum exegiſſe, ac provinciam iſtam expleviſſe modo obſervatum eſt.

Hæc

Hæreo tamen adhuc in veſtibulo, nec dum ad intimum acceſſi adytum, quod ſi demum aperiam, Eccleſiam Gallicanam ecce ad Leonis X. Pontificis M. pedes veniam precibus infimis poſcentem, quod Piſanæ pſeudo-Synodo aliquando adhæſiſſet: pro eadem ſequeſtres accedentes Franciſcum Lugdunenſem, Johannem Arelatenſem, alioſque Gallos Antiſtites ſub jurisjurandi ſacramento polliceri ſe impoſterum in Romani Pontificis fide, ac poteſtate futuros. Qua in fide infracto animo ſtetiſſe paratos cuncta perdere, ac perpeti, quam ab ea deficere, confirmant fidei formulæ, ex quibus in Pontificis jus ſe ſe tranſdiderunt, recolendæ apud Raynaldum ad annum 1514. n. 7, & ſeqq.; quibus profecto magis auſcultandum, quam Petro Corderio pſeudo-Theologo Pariſienſi Pontificiæ auctoritati infenſo, infeſtoque, qui nedum gentilibus ſuis ſchiſma, ſiniſtramque de auctoritate Pontificis afflare exiſtimationem non erubuit, ſed imo ab obedientia Pontificis avertere, proculque abigere Daniæ, & Scotiæ Reges non deſtitit. Synodo itaque ſuperiori loco legitimum haberi debere Pontificem Gallicanæ Eccleſiæ perſuaſum fuerat: quod perſpectum factum eſt amplius a Franciſco Cardinali Turnonio, dum ceterorum Præſulum indutus perſonam in Conventu Melodunenſi anno 1544. ad defendendam, tuendamque dignitatem, auctoritatemque ſummam Apoſtolicæ Sedis egregie ſe comparavit, operamque contulit omnem, laudibus exornatus propterea a Paulo III. in litteris ad ipſum datis eodem anno die 6. Aprilis.

Emicuit attamen eximia hæc de Apoſtolica Sede exiſtimatio Gallicanæ Eccleſiæ inſita, & inteſta in Conventu Epiſcoporum anno 1548. die 29. Septemb. apud Nolium ab Henrico II. Rege indicto, cujus acta ex Angelo Maſſarello in diar. Concil. Trident., & ex Cod. Mſs. Bibl. cum Vatic. n. 3229, tum Barber. n. 2677, deſcripta exhibet Raynaldus ad annum 1548. n. 73, & ſeqq. Eo in Conventu quum in quæſtionem veniſſet Pontificia poteſtas, quove demum loco foret ſtatuenda quum diſputari cœpiſſet, quamplures doctrina præſtantiores Antiſtites in hanc ultro citroque ſententiam conceſſerunt: S. Petrum præ ceteris a Chriſto D. fuiſſe conſtitutum Eccleſiæ fundamentum, & petram: peculiarem ei poteſtatem collatam alligandi, & abſolvendi; commiſ-

miſſique gregis curam gerendi: ſicut unum in una Dei Eccleſia Corpus eſt, unus Spiritus, unus Dominus, una fides, unus Deus, ita unum Petrum eſse, unum Pontificem: eodem Spiritu, quo ſe affuturum Concilio Chriſtus promiſit, eodem pariter Spiritu Petro adeſse: & ſicuti uno eodemque Spiritu Petro conjuncti erant Apoſtoli, ita Pontifici ceu Capiti conjungi eodem uno ſpiritu ceu corpus Eccleſiam. Inepte proinde quæri an Pontificis auctoritas ſit Concilii auctoritate potior: *Diſſentientium enim*, inquiebant, *partium eſt iſtiuſmodi dijudicatio, & pugnantium inter ſe; non unius, ejuſdemque & Dei, & Domini ſpiritu, opinionum, & voluntatum, ſi forte diſſimiles eſſent, ac diverſi invicem. Summa Eccleſiæ conciliatio non patitur hoc Eccleſiæ vere diſſidium ... Illa ergo & Pontificis Summi, & Concilii auctoritas una, atque eadem eſt, ac veterum Pontificum, veterum Conciliorum nec diſſimilis, nec diſpar.* Ex his exurgit, quod eorum ſententia, ſumma una, eademque ſit Pontificis, Conciliique poteſtas. Qua vero ratione id fieri queat, ſi quæras, non alia plane, ut inſinuant, quam ex conjunctione Concilii cum Pontifice tanquam corporis cum capite; qua nempe fit, ut quæ in capite permanet, in corpus promanet. Igitur quemadmodum corpus quoad influxum coaptari capiti oportet, ita plane Concilium Pontifici. Id autem quid tandem eſt, quam Concilio a Pontifice, ut contendimus, poteſtatis, cujus ipſe plenus eſt, copiam fieri? Concilio ceu corpori Pontificem tanquam caput ſupereminere, & præſtare, & Concilio ceu inferiori Pontificem influxum præbere; ſive a Pontifice tanquam ſuperiore poteſtatis particulam Concilium accipere; ab illoque præciſum omnem poteſtatem amittere?

Obvia hæc, opinor, nihilque obſcura ſunt, quam quæ obduci fuco, aut obtorqueri fallaciis queant; atque ſi cum iis, quæ articulo ſuper. ex Gallicanæ Eccleſiæ Conciliis, & Comitiis allata fuerunt, conferantur, adpatebit liquido invitam prorſus illorum eſse interpretationem, qui iſta tandem eó trahunt, ut dicta accipi velint ita deberé Pontificis auctoritati Eccleſiæ accumulari auctoritatem, itaque ex utraque unam coaleſcere, ut ex Eccleſiæ acceſſione decreta Pontificum demum obtineant, ac in fidei dogmata evadant. In gratiam tamen noſtræ, quam germanam

existimo, interpretationis jungere juvat, quæ Parisiensis sive suptema Curia, sive Facultas Theologica, quas sive intimum sensum Gallicanæ Ecclesiæ non attigisse, sive erga Pontifices Romanos assentationis vitio laborasse nemo suspicabitur, de Pontificiæ potestatis præstantia, atque in fidei quæstionibus infallibili judicio, nullo non tempore tradiderunt. Atque quidem antehac Parisiensis Senatus per Johannem Lozellier Curiæ inquisitionum Præsidem Ludovicum XI. alloquutus apud Petrum ipsum Puteanum, & Antonium Charlasium lib. 10. cap. 11. hisce legitur: *Protestatur Curia ob quæcumque infra dicenda, velle se nullo modo excellentiæ, sanctitati, dignitati, honori, & auctoritati N.S.P. Papæ, Sanctæque Sedis Apostolicæ derogare: quin imo ei honorem, reverentiam, & obedientiam, quam omnes bene morati Christifideles Supremo Ecclesiæ Pastori præstare tenentur, sicut veros Ecclesiæ filios reddere, & exhibere volentes. Protestatur insuper, si quid dictum ab se fuerit, factumque, quod correctione egeat, istud totum velle se omnino Ecclesiæ Sanctæ Apostolicæ Romanæ determinationi submittere, quæ errare non potest juxta* Can. A recta 24. q. 1. Sed præstat accipere, quæ paucis, apertissimis tamen, prodidit D. Agueſsæus in Parisiensi Senatu. Vix enim fama deferente a Romano Pontifice librum *Des Maximes des Saints* damnatum fuisse intellexerat, ut de lato Pontificio decreto publico in cœtu sententiam proferens apud Lafiteum hist. Const. *Unigenitus* lib. 2. ad annum 1715, *Nos*, ait, *adhæremus huic doctrinæ ita illibatæ, quam Caput Ecccleſiæ, Successor S. Petri, Vicarius Jesu Christi, & Pater communis fidelium suo decreto confirmavit.* Supremo scilicet, quo emisso procul absit erroris periculum omne, utpote quod ab eo profectum, qui nec falli, nec fallere ullo modo potest. Descivit, non diffiteor, ab antiqua doctrina plurimum Curia Parisiensis, ut vel unum Lafiteum legenti liquet: sed in rebus ad religionem attinentibus, non laicorum hominum attendendam esse sententiam; sed & illis stare adversam Episcoporum nemo jam nescit.

Ad Parisiensem Academiam quod attingit, quamquam & ipsa ab avita doctrina non nihil devexiori sub ævo deflexerit, uti paullo post dicetur, quæ tamen cum Gallicanæ Ecclesiæ communis,

nis, tum Facultatis propria ſententia eſset, ſæpiſſime expreſſit, & explicuit. Paullo ſuperius plurima monumenta attulimus, quæ Facultatis Pariſienſis fidem omnino liberent, quibus nunc pleraque alia, prout ratio temporis poſcit, ad eamdem confirmandam fidem præſtat adnectere. In Cenſura adverſus errores Lutheri, & Calvini adornata a Pariſienſi etiam Senatu accepta ſanctione anno 1548. eodem dein in Senatu relecta, recepta, relataque in acta, ſupremo loco Pontificem collocavit his verbis: *Certum eſt unum eſse jure divino ſummum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur.* In Cenſura an. 1554. edita adverſus recens exortum, approbatumque Soc. J. Inſtitutum ſententiam ſuam occaſione Conſtitutionum Pauli III, & Julii III. intra orbitam continens, atque ad Pontificum obedientiam componens, ad omnem præconceptæ ſiniſtræ opinionis de Pontificiæ poteſtati gradibus, & confinibus ab Academia circumſcriptis eluendam ſuſpicionem, unanimi conſenſione, communique voto pronunciavit, & proteſtationem in hæc verba emiſit: *Omnes, & ſinguli Magiſtri &c. ut obedientiæ filii Romanum Pontificem, ut Summum, & Univerſalem Chriſti Jeſu Vicarium, & Univerſalem Eccleſiæ Paſtorem, cui plenitudo poteſtatis a Chriſto data ſit, cui omnes utriuſque ſexus obedire, cujus decreta venerari, & quiſque tueri, & obſervare teneatur, ut ſemper agnoverunt, & confeſſi ſunt, ita nunc quoque ſincere, fideliter, & libenter agnoſcunt, & confitentur.* Ecce dilucide, ac diſerte heic expoſita, & expreſſa de Pontificis auctoritate præconia illa, a quibus abſtinendum in Tridentino Concilio Gallorum moroſiores nonnulli contenderant, ideo quia illis ſupra Concilium elatam Pontificis auctoritatem cernebant. Ad hæc in Cenſura anno 1617. contra M. Antonium de Dominis elucubrata propoſitioni, qua ille profligatiſſimus affirmabat Romanam Eccleſiam jure divino, ſive divina inſtitutione in Eccleſias ceteras auctoritate non eſſe præditam, hæreſis, ac ſchiſmatis infamiam appinxit. Decretum adjungendum deſcriptum a Mauclero par. 4. lib. 8. cap. 6, quo ſacra Facultas ſtatuit: *Hierarchiæ Eccleſiaſticæ poteſtas divino jure Monarchica eſt, eaque Papalis, cui quilibet Fidelium ſubeſſe dignoſcitur.* Præterea anno 1657. extempló Prolytam quemdam

ad revocandum adegit, quod in æstu disputationis contra dignitatem, Primatum, summamque Pontificis auctoritatem eidem exciderat: & anno 1659. decreto unanimi Doctorum consensu exornato syllabatim instauravit, quam anno 1554. declarationem ediderat. Neminem latent turbæ illæ, quas in Parisiensi Academia tum libro suo de Eccles., & polit. potest., quo Ecclesiasticam Monarchiam evertebat, Richerius, tum illa propositione, qua *Ad solum Pontificem pertinere articulos fidei definire* affirmabat, Strigoniensis Archiepiscopus, excitarunt. At ille quidem, qui Apostolicæ Sedi auctoritatis plurimum detraxerat, ab accessu Conventuum Academiæ abstinere, atque elucubrationes suas devovere, execrarique adactus fuit: sed is tom. 1. in proleg. art. 1. multum jam sermonem subiit: hic vero, utpote qui Pontifici plus æquo tribuisse videbatur, quamvis censura fuisset perstrictus a Facultate, quinimo censuræ hujusmodi Regia auctoritas robur adjecisset, ex Facultatis Doctoribus plurimos expertus patronos est, qui adversa fronte censuræ contradixerunt, adeoque ut exilium maluerint perferre, quam propositioni illi dicam appingere, præfatæque censuræ syngrapham apponere.

Ejus, quæ Ecclesiæ Gallicanæ esset devexiore adhuc sub ætate, vera, intimaque, sententiæ interpretes, & testes idonei, equinam utique liquidi magis, locupletesque? haberi debent homines aut doctrina, aut Ecclesiastica dignitate conspicui, ac celebrati: ab iis autem modo accipere interest, quæ de Pontificio Primatu, eidemque adnexis prærogativis ex præconcepta animo, defixaque opinione protulerunt. Robertus Cenalis Episcopus Abrincensis lib. 2. de oblata ab hæret. condit. pag. 42. *Pontificis Monarchia*, scribit, *ad hoc ut doctrinæ consensus retineatur, non solum utilis, sed etiam necessaria, imo & a Christo instituta, & ab omnibus omnium ætatum Doctoribus asserta est*. Quæ sententia æquis efferri solet verbis, quum dicitur a Christo D. Ecclesiæ unitati ea ratione optime fuisse consultum, dum unus fuit constitutus Ecclesiæ Princeps Romanus Pontifex, cujus dicto obaudire omnes deberent. Quod non aliud est, quam Pontifici obaudiendo procul abesse periculum aberrandi. Explicitius, illustriusque idipsum expressit Gilbertus Genebrardus lib. 3. de Trin. pag. 402.

apud

apud Thomam ex Charmes in proleg. diſſert. 5. cap. 4. q. 1. *Eccleſia*, inquiens, *ſupra Petrum fundata eſt, unus Epiſcopus in Catholica Eccleſia, a quo ceteri pendere debeant, & Romana Eccleſia ab omnibus aliis Eccleſiis pro Matrice, & Radice Catholicæ Eccleſiæ eſt agnoſcenda*. Vim nempe unitatis in Vertice, Centro, Capite, Fundamento, & Faſtigio, ideſt Romano Pontifice juxta Patrum doctrinam collocatam docet, ideoque infert a Pontifice Epiſcopos omnes pendere oportere. Excipientur ne vero Epiſcopi in Concilio coacti, aut dum ab eo dicta tenent, ab errore tuti non erunt? Sed hanc dubitationem omnino amolitur Nicolaus Coeffetellus Ord. Præd., doctor Pariſienſis, ac dein Maſſilienſis Epiſcopus, qui in tract. de Monarch. Eccleſ. adverſus M. Antonium de Domin. par. 5. cap. 12. lib. 1. in fide infallibilem Pontificem abſolute adſtruit ex Lucæ 22: *Nam*, inquit, *uni ei in perſona Petri dictum eſt*: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Sexcenta horum ſimillima, quæ de infallibilitate, ſupremaque Pontificis auctoritate perſequitur adverſus Jacobum Angliæ Regem, Duplexium Mornæum, & M. Antonium, contra hos pariter in aciem produxit Davydius Perronius, quem adire etiam præſtat in orat. ad tertium Ordinem anno 1615, quæ extat tom. 5. collect. actor. Cleri Gallic. Gabrielis Albaſpinæi Aurelianenſis Antiſtitis inſignem locum ex adnot. ad lib. Tertulliani de pudicit. cap. 1. ibidem recolere juvat, ubi de Tertulliano agentes recenſuimus artic. 8. ſub initium §. 1. Sed & eumdem confer in adnot. ad S. Optatum lib. 2. adverſ. Parmenianum.

Petrus de Marca Toloſanus primum, ac dein Pariſienſis Archiepiſcopus in diſſert. gallice adornata de infallibilitate Papæ, quam ab ore dictantis, ac paullo ante, quam fato cederet ſuo, ſe excepiſſe refert fide dignus hacce in re certe ejus diſcipulus Stephanus Baluzius in vita præfati Præſulis operi de Concordia præfixa, Pontificem infallibilem propria ex ſententia docuit non modo, ſed eamdem ſententiam de Pontifice falli, & fallere neſcio ſua ætate propugnatam ab Academia Pariſienſi, aliiſque univerſim affirmat. Præterea lib. 1. Concord. cap. 11. Pontificem a nemine proculdubio, neu a Concilio generali in jus vocari poſſe, ac experiri in judicio, niſi a fide deflexerit, ex Synodo Romana ſub S. Sym-

S. Symmacho, necnon ex S. Innocentio I. docet, & demonſtrat: & lib. 5. cap. 8. liquidis hiſce verbis conficit, & confirmat: *In aſſerenda veritate Romanæ Sedis Apoſtolicæ Antiſtes primam, & maximam accepit poteſtatem; nec aliud contra veritatem, ſed pro veritate plus ceteris Conſacerdotibus poteſt, ut loquar cum Facundo Hermianenſi.* De eodem Pariſienſi Antiſtite ſcribit Antonius Charlaſius in tract. de libert. Eccleſiæ Gallic. lib. 10. cap. 10: *Errori non eſse obnoxium Papæ in fidei quæſtionibus judicium ita defendit, ut opinionem contrariam antiquorum doctorum Univerſitatis Pariſienſis* (Alliacenſem, Gerſonium, Almainum, & Majorem intelligebat) *ab Eccleſia tolerari tantum aſſeruerit.* Subjungens, quod paullo ſuperius ex Baluzio indicatum jam eſt, Academiarum Pariſienſis, aliarumque tum temporis alioqui Doctores pro infallibilitate Pontificis ſtare, & decertare. Aut ego fallor, aut nunc poſtquam ab Alexandro VIII. decreto lato anno 1690. die 20. Decembris inter 31. propoſitiones confixas, ea pariter ordine 29. cenſura perſtricta fuit, qua dicebatur: *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate*, eam tolerari ab Eccleſia opinionem non exiſtimaſſet. Utrique huic prærogativæ Pontificis clarum, & præclarum perhibuit teſtimonium Illuſt. Antonius Goddæus in epiſt. ad Alexandrum VII. Venciæ die 9. Auguſti anno 1661. data, de Sede Apoſtolica, ajens, quod *Non ſolum unitatis centrum eſt, ſed ad quam in rebus dubiis velut ad veritatis oraculum, qui non vult errare, confugere debeat. Nam, ut verbis Cæſarii Arelatenſis utar, ſicut a perſona B. Petri Epiſcopatus ſumit initium, ita neceſse eſt, ut diſciplinis competentibus Sanctitas veſtra ſingulis Eccleſiis, quid agere debeant, evidenter oſtendat.* Quæ, ſi bene teneo, præferunt hinc quidem Pontificem dum Eccleſiæ de rebus fidei dicit, falli, & fallere prorſus neſcium, inferunt vero inde Eccleſiæ onus incumbere dicenti Pontifici, abſque ullo periculo erroris, obaudiendi, & obediendi.

Ad illuſtres alios ejuſdem Eccleſiæ Doctores digrediatur nunc ſermo noſter; quos quidem omnes complecti oratione non præſtat, nec ſi vellem, poſſem. Eorum multam partem jam attigi,

gi, ac præcipua loca prælibavi, ideſt Claudii de Seyſſel; Franciſci Rupifucaldi; Gabrielis Martini; Thomæ Jacomelli; Franciſci Fevardentii; Franciſci Combefiſii; Johannis Baptiſtæ Gonetti; Cardinalis Richeliæi; Jacobi Vernantii; Joberti Baraultii; Henrici Spondani; Michaelis a Caſtrofranco; Dionyſii de Rives; Johannis Baptiſtæ Abrincenſis; Ivonis Pariſienſis; Silveſtri Lavallenſis; Hyacinthi Calvet; Michaelis Lequiennii; Johannis de Jeſt; Theophili Raynaudi; Dominici a Sſma Trinitate &c., quorum nunc in cenſum referendi alii doctrinæ laude iis haud inferiores. Leonardus Coquæus Ord. S. Auguſtini, doctor Pariſienſis in Antimornæo tom. 1. pag. 83. poſtquam hæreticis infamiam exprobraſſet, qua ægre ferrent a catholicis Concilio Pontificis auctoritatem anteponi, *Quomodo*, inquiens, *ægre ferunt nos Romanum Pontificem Conciliis ſuperiorem aſſerere*; ſubjungit Catholicorum ſententia ſive Concilia legitime congregata, (ideſt inter alia Pontificis conſenſu accedente) ſive Pontifices ſe ſolos in definiendis rebus ad fidem pertinentibus errare non poſſe. Quod tom. 2. pag. 237. confirmans: *Quum ſedeat*, ait, *in Cathedra Petri, pro quo Dominus rogavit, ut non deficeret fides ejus, & ut confirmaret Fratres ſuos, non ſinet eum ex illa Cathedra aliquem errorem loco fidei ſalutiferæ obtrudere fidelibus credendum*. Nec diſpar ibat Ordin. S. Auguſtini Doctor alter, ac in Toloſana Academia Profeſsor Johannes Puteanus. Nam in 2.2. S. Thomæ q. 1. art. 6. dubit. 2. concluſionem hanc 3. conſtituit: *Solius Pontificis Maximi eſt res de fide Catholica definire, & eaſdem certo, & indubitanter proponere credendas*: quam poſtquam S. Scripturæ, SS. Patrum, ac Doctorum teſtimoniis comprobaſſet, generalis Concilii de fide definitiones ab errore tutas, immuneſque ex conjunctione cum Pontifice deducit, nempe ex adſiſtentia Spiritus S. Pontifici promiſſa, ex quo dein in Epiſcopos derivet, adeo ut abſque Pontifice vel adſiſtente, vel adnuente Concilium ea ab errore immunitate careat: *Si tamen*, ſubjungit, *fuerint congregati totius Orbis Epiſcopi abſente Pontifice Maximo, & ejus Legatis, Epiſcopi ſubjiciuntur erroribus*.

Quid autem quod Johannes Raguſæus Ord. Præd., & doctor Pariſienſ. orat. de communione ſub utraque ſpecie apud Caniſium tom. 3.,

tom. 3. antiq. lect., & Harduinum tom. 8. Concil. pag. 1655. vel in Concilio Basileensi Romanum Pontificem ab erroris periculo absolutum omnino pronunciavit, ex S. Augustino lib. de cura pro mortuis; ex Alberto Magno in Lucæ 22; ex Nicolao Gorrano in 16. Matthæi; ex S. Innocentio I. epist. 26; ex S. Hieronymo, seu verius Pelagio in confessione fidei; ex S. Bernardo epist. ad Canon. Lugdun.; ex S. Thoma in præfat. ad Urbanum IV; ex S. Ambrosio in 1. ad Timoth. 3. loca producens, quæ retexere modo piget? In eadem ingressus vestigia Johannes a Celaja doctor Paris. in 3. dist. 25. q. 4. concl. 5, disputationem suam ex doctrina SS. Patrum instituens, *Romanæ*, inquit, *Sedis judicium in his, quæ fidei sunt, & ad humanam salutem necessaria, errare nequit*. Probat id autem ex pollicitationibus a Christo D. S. Petro factis Lucæ 22. verbis illis: *Rogavi pro te* &c.; progressusque exinde ad eorum præoccupandum responsum, qui præfatum locum non de Pontifice, sed de Ecclesiæ universali indeficientiæ privilegio collato accipiendum pugnant, de Pontifice accipi debere ex Patrum interpretatione conficit: *Idcirco*, inquiens, *D. Cyrillus, & D. Chrysostomus, & D. Leo, & B. Agatho, & D. Bernardus, & Anselmus, & Albertus Magnus, & D. Thomas glossant præfatam auctoritatem de Ecclesia Romana, ut distinguitur ab aliis Ecclesiis*. Quæ horum fuit, fuisse pariter veterum Gallicanæ Ecclesiæ Doctorum propriam sententiam, a qua nonnisi devexiori ætate nonnulli novitatum cupidi deflexerint, atque quidem præfato loco Lucæ 22, junctæque Patrum interpretationi præmem. innixam, auctor est liquidus, locupletesque Andreas Duvallius in tract. de suprema Rom. Pontif. potest. *Velint, nolint*, ait ibidem, *adversarii, liquido constat veteres Ecclesiæ Gallicanæ Proceres hanc in Summis Pontificibus Petri successoribus infallibilitatem semper agnovisse, Christique D. orationem in Petro non stetisse, sed ad ejus Successores certissime transiisse, eosque, qui hanc veritatem impugnare conati sunt, a 200, aut circiter annis, quibus in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, cæpisse*.

Nec disparem alteram dedisse caussam, cur Almainus tritæ ab Alliacensi, & Gersonio tempore schismatis institerit, simultates scilicet, quæ Julium II. inter, & Ludovicum XII. intercesserant.

ſerant . Cæterum exemplo Celajæ Alliacenſi, Gerſonio, Almaino, & Majori objicit SS.Thomam, & Bonaventuram, nec non Hervæum Natalem, Henricum Gandavenſem, Johannem ipſum a Celaja, imo Pariſienſes Doctores in Cenſura adverſus Monteſſonium: exindeque animum capiens injuriæ, calumniæque Vigorium coarguendi, iccirco quod ipſum velut ſcholæ Pariſienſis deſertorem traducere non erubuiſset. Quod obſervavit Duvallius, appoſite adnotarunt Ruardus Tapperus in tract. 3. theolog., & Dominicus Bannez in 2 2. q. 1. art. 10, imo Maimburgus loco infra allegando, nimirum nonniſi a tempore Concilii Conſtantienſis invectam nuperam de Pontifice infra Concilium pote, ac in fide fallibili opinionem, atque oppoſitæ quidem jugiter inhæſiſſe cum Pariſienſem, tum ceteras per Orbem Catholicas Academias. Quæ demum ſibi accepta, probataque foret opinio, par. 1. q. 7. aperiens Duvallius, poſtquam dixiſset opinionem, quæ Pontifici Concilium præfert, temeritatis nota vacare quidem, (hæc ſcribebat ante decretum Alexandri VIII. anno 1690. die 20. Decembris,) turbis tamen, & diſſidiis latiſſimam aperire, ſternereque viam, ſubnectit: *Opinio, quæ Romæ tenetur, vacat omni temeritate, quum totus Orbis, exceptis pauculis doctoribus, eam amplectatur; & præterea rationibus validiſſimis cum ex S. Scriptura, Conciliis, & Patribus, tum ex principiis Theologicis petitis confirmatur.* Quin par. 4. q. 7. *Nemo*, ſuperadjicit, *nunc eſt in Eccleſia, qui ita pro certo ſentiat, præter Vigorium, & Richerium, quorum ſi vera eſſet ſententia, totus fere Orbis Chriſtianus, qui contrarium ſentit, in fide turpiter erraret.* Hæc de Pontificis ſupra Concilium præſtantia, de infallibilitate autem ſic proſequitur q. 11, poſtquam nempe part. 2. pro eadem adverſus Vigorium, & Richerium acerrime decertaſſet: *Statuenda nobis eſt hæc concluſio, etiamſi de fide non videatur, ſaltem non ita evidenter conſtet Summum Pontificem ſeorſum a Concilio privilegio infallibilitatis, licet agat ut Pontifex, gaudere, tamen abſolute certum eſt, & indubitatum.*

Non unus Duvallius Pontificem in decidendis fidei controverſiis extra periculum erroris poſitum, eamque communem eſſe ſcholarum, nec Pariſienſi excepta, perſuaſionem affirmavit, idipſum

affirmavit Michael Mauclerus doctor Sorbonicus de Monarch. divin., Eccleſ., & ſæcul. Chriſt. lib. 4. part. 2. cap. 4, & ſeqq. dicens: *Hæc illa communis S. Sapientiæ Profeſſorum, quæ docetur in ſcholis, aſſertio, diſceptationum, cauſarumque de fide curſum, motumque Romani Pontificis in Cathedra Petri ſedentis conſopitum judicio finiri*. Affirmavit Vincentius Contenſonus Theolog. mentis, & cordis lib. 5. diſſert. præamb. cap. 2. *Ab hac doctrina*, quam ibidem tradit, inquiens, *nunquam receſſit Eccleſia Gallicana, ſive vetus, ſive moderna*. Apud eumdem affirmavit Ludovicus Halè doctor Pariſien. in tract. ms. de Eccleſia his verbis: *Sicut unicum in Terra ſancta templum Dominus eſſe voluit, ut omnes in unum Iſraelitæ convenirent, nullumque inter eos ſchiſma oriretur, ut patet Deuter. 12, 4, ſic Sedes Romana in medio Eccleſiæ conſtituta eſt veluti ſignum conſpicuum, & aſpectabile Nationum omnium oculis ſubjectum, ad quod reſpicientes Eccleſiæ omnes, & ſingulæ in unitate fluerent, & ſeſe adverſus omnes hæreſes, & ſchiſmata incolumes conſervarent*. Affirmarunt, atque quidem Pontificem Concilio auctoritate præſtare Johannes de Selva in Senatu Pariſ. Præſes in tract. de benef. par. 3. q. 8. n. 32: *Papa*, inquiens, *præfertur toti Concilio*, in fide vero infallibilem, atque a periculo erroris prorſus tutum Johannes Dartis Pariſ. doctor in tract. de benef. ſect. 1. cap. 3: *Propter illam orationem Chriſti*, ſcribens, Lucæ 22, *ſeu illa verba omnes colligunt Eccleſiam Romanam non poſſe errare*. Confirmavit denique Illuſtriſs. Franciſcus Gondæus Archiep. ſcopus Pariſienſis mandato paſtor. anno 1666, ubi docuit: *Vi illius pollicitationis Petro factæ*: Rogavi pro te &c. *Veritatis doctrinam in Cathedra unitatis illibatam ſemper extitiſſe*. Confer Theophilum Raynaudum de bicip. Eccleſiæ Capite; Ludovicum Bail in appar. ad Concilia q. 43, & ſeq.; Johannem Fabrum in L. 1. Cod. de ſum. Trinit., & fide cathol. n. 10, & ſeqq.; Petrum Rebuffum in concord. tit. de mandatis Apoſt.; Antonium Dandinum Altaſerram in not. ad Anaſtaſium; Comment. in decret. Innocentii III, & in defenſ. juriſd. Eccleſ. adverſ. Fevretum; alioſque paſſim, quos ad unum omnes perſequi nec vacat, nec præſtat; opinioniſque adverſæ patronos aliorum præterea Gallorum teſtimoniis onerare jam piget.

Ut

Ut conferam me modo ad celeberrimam epocham, ſub qua nupera invecta opinio eſt, nempe ad declarationem Cleri Gallicani in Comitiis anno 1682. de poteſt. Eccleſ., juvat imprimis eadem met exſcribere, ac exhibere, quæ iidem ipſi Præſules initio epiſtolæ, quam deſcribit Eminent. Cardin. Sfondratus in Gallia Vindic. diſſert. 1. §. 8, ad V. Innocentium XI. inſcripta, edixerunt. *Quantum olim a Majoribus noſtris Apoſtolicæ Sedi delatum eſt, tantum nos veſtræ Sanctitati debere ſolemniter profitemur.* At ſatis, ſuperque, aut ego fallor, demonſtratum eſt a Majoribus Gallicanæ Eccleſiæ Doctoribus, & Præſulibus Romano Pontifici utrumque privilegium ſupremæ poteſtatis, atque in fide infallibilitatis fuiſſe ultrocitroque delatum. Adeſdum, quæque Antiſtites iidem ex iiſdem Comitiis anni 1682. in epiſt. ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos univerſi Galliarum Regni dederunt, accipere non deſpicias: *Fidenter*, ſcribunt, *cum B. Cypriano pronunciamus eum, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia non eſſe*: & paullo poſt de Innocentio XI. Pontifice M. pergunt: *Quem non modo Eccleſiæ Petram, ſed etiam tanquam fidelium, atque in omnibus exemplum bonorum operum debemus jure merito venerari*. Quæſo te, cohærent ne iſta cum declaratione illa, ſi de puris, putiſque verbis declarationis vitilitigare, digladiarique velis? ut velis per me licet, malim ego putare eos ſibimet æquales non ſtetiſſe, atque aut ad fallendum, faciendumque fucum, ſi ita loqui licet, quod una deſtruxerant manu altera ædificare videri volebant; aut, ut autumo veriſimilius, quod ex præpoſtera, præcipitique agendi ratione vix, ac ne quidem vix ſtatuerant, ad antiquam a Majoribus acceptam redintegrati traditionem actutum ſubruere curarunt. Sed de hoc argumento paullo poſt. Auſpicio ſuo nunc facit, ut poſterius ipſi potius affricetur conſilium, Clerus Gallicanus, qui in encyclicis e Comitiis anno 1714. conſcriptis de Pontifice fidelium Doctore a ChriſtoD. conſtituto egregiam hanc explicuit ſententiam: *Datum eſt Petro, & ipſius Succeſſoribus, ut Fratres ſuos in his maximi momenti caſibus* (fidei nempe, morumque) *corroborent*. Quam ſubinde ex Lucæ 22. *Rogavi pro te &c.* confirmat. Confirmari vero in fide Chriſtifideles a Pontifice

rite non posse, nisi ipse in fide ita firmus sit, & fixus, ut quominus falli, & fallere possit, absit procul omne periculum, sæpius dictum accepisti, ut dicere denuo non subeat. Nunc quæ posthac singularibus Præsulibus insederit sententia, præstat inquirere.

Atque quidem S. Petrum non modo, sed etiam Petri Successores Romanos Pontifices a Christo D. constitutos fuisse Ecclesiæ, fideique catholicæ *Petram*, & *Fundamentum*; ideoque locum illum: *Tu es Petrus &c.* ipsi nedum, sed & illis fore aptandum: præterea verba illa: *Rogavi pro te &c.* de Petro quidem, sed perinde quoque de Romanis Pontificibus accipienda fore; ideoque utroque infallibilitatis, potestatisque omnino potissimæ, omnique superiori fuisse insignitos dixere, scripsere, docuere Illustris. dignitate, ac doctrina Clariss. D. Franciscus Harlæus Rotomagensis primum, ac dein Parisiensis Archiepiscopus in Apologia pro Catholicis ad Jacobum Britanniæ Regem adornata, qua postquam lib. 2. capp. 1, & 2. propria fecisset præconia clara, & præclara, quibus a Patribus Concilii Ephesini, & Chalcedonensis, atque a S. Petro Chrysologo Pontifex Romanus celebratus est; nec non S. Agathonis de Pontifice ab erroris periculo immuni aseverantissimum produxisset testimonium in epist. ad Episcopos Synodi VI. eadem in Synodo act. 4. perlecta, exindeque intulisset Romanum Pontificem in Ecclesia audivisse jugiter nomine ejusmodi illustri, quod esset *Custos Fidei*, *Fidei violatæ Vindex*, *Fidei totius Caput*, atque ubi de fide agitatur, ab eo veritatem exquirendam, cap. 12. in hæc effatur: *Cui non patet fidei ostium, Romanis Clavibus aperiendum, a Romanoque Pontifice patefaciendum esse?* D. Ludovicus Abelly Ruthenensis Episcopus iisdem pariter insistens vestigiis in tract. de obed. Rom. Pontif. debita ex prælaudato Lucæ 22. loco sic habet: *Ex hac Evangelica Christi sententia* Ego rogavi pro te &c. *Ecclesia concluſit ad S. Petrum, & ad Petri Successores spectare omnes fidei catholicæ veritates certo definire, ac omnes errores fidei adversos reprobare, ac proscribere.* Argumentum istud ex eodem S. Lucæ loco par. 1. Medullæ Theolog. cap. 4. sect. 4. §. 4. iterum versans, exagitansque: *Ex quo*, infert, *sequitur ad illum* (Pontificem) *pertinere de rebus ad fi-*

dem

dem, & religionem ſpectantibus juridice cognoſcere, majoreſque cauſſas, quales ſunt fidei, ac religionis, dijudicare; hæreſes emergentes damnare; veritates fide divina credendas definire; ipſique omnes ubique terrarum fideles in his, quæ ad fidem, & religionem ſpectant, ſubeſſe debere, ac vocem illius tanquam ſupremi Paſtoris auſcultare. Quæ dein confirmat doctrina S. Bernardi in epiſt. 160. ad Innocentium II; & adjuvat exemplis cum Victricii Rotomagenſis, & Exuperii Toloſani, qui S. Innocentium I. ſuper Vigilantii erroribus; tum Aviti Alcimi Viennenſis Archiepiſcopi, qui S. Hormiſdam ſuper erroribus Græcorum conſuluerant.

Neminem fugit, ſicuti præferunt, ſi tamen veritati innituntur, qua de re paullo infra, libri præclaro ipſius nomine, eaque epigraphe *Defenſio declarationis* &c. inſigniti, qua animi contentione prælaudato utroque privilegio Romanum Pontificem exſpoliare ſit enixus Jacobus Benignus Boſſuetius multo nomine illuſtris. At, ſi ſuperis placet, ſi non paſſim ſemper, aliquando ſaltem, atque dum liberos haberet affectus, ut S. Athanaſii utar verbis, Pontificibus æquum ſe præbuiſſe, ſine paulliſper, ut ſuadeam, & perſuadeam. Is itaque in orat. ad Cleri cœtum ejuſdem an. 1682. habita hæc non tam ex propria, quam ex pervulgata in Gallicana Eccleſia perſuaſione exprompſit: *Nec quiſquam dicat, vel cogitet hoc Petri miniſterium,* (quo defungitur ſcilicet tanquam Fidei Petra, Eccleſiæque Fundamentum, in fide confirmandi Chriſtifideles) *cum ipſo fuiſſe finitum. Æterni ædificii æternum eſſe fundamentum oportet. In ſuis Succeſſoribus Petrus vivet, & in Cathedra ſua ſemper loquetur. Petrus manet in ſuis Succeſſoribus fundamentum Fidelium: hoc Chriſtus ipſe dixit* &c. Porro hiſce ex Boſſuetio laudatis verbis in Monito 2. ad ſuæ Diœceſis Refractarios, hancque interpretationem aptans Illuſtriſs. Languetius Archiepiſcopus Senonenſis: *Ita loquebatur*, ſubjungebat, *egregius ille vir, & divinam Cathedræ Petri perpetuitatem ipſis Chriſti verbis ſtabilitam demonſtrando vobis annuntiabat, qui contra illam rebellatis; vos non alterata ejus ſoliditate, nec ejus duratione uſpiam interrupta exceſſuros, docebat vobis abeuntibus æternam illam Eccleſiam nullas in fide ſua vices eſſe experturam.* Eodem loci Boſſuetium etiam deſcripſit D. de S. Albin Archiepiſcopus

Came-

Cameracenſis in docum. paſtor. anno 1739; eamdemque doctrinam, quam nec præteriiſse Græcos idem Boſsuetius perhibuerat, omnium retro ætatum in Eccleſia doctrinam extitiſse in docum. paſtor. anno 1732. quod fuſo calamo a nobis ſuo fuit declaratum loco.

Ex eiſdem Matth. 16, & Lucæ 22. liquidis locis eumdem ſenſum eruit D. Franciſcus Fenellonius de Salignac celeberrimus Archiepiſcopus Cameracenſis. In docum. paſtor. pro receptione Conſtit. *Vineam Domini* anno 1706. evulgato: *Sine dubio*, ait, *Petri fides in ejus Cathedra ad docendas Nationes defeciſſet, ſi verum eſset*, (ſicuti Janſeniſtæ obganniebant, & obloquebantur,) *quod ea Pelagianam propoſitionem, tanquam fidei regulam, tot ſolemnibus decretis* (SS. Innocentii, & Zoſimi) *omnibus Eccleſiis propinaſſet*. In mandato vero paſtor. anno 1714. pro acceptatione Conſtit. *Unigenitus*: *Scimus*, inquit, *Cathedram Petri illam eſse Petram, ſupra quam fundata eſt Eccleſia*. Quæ dicta ab ſe debere accipi de Pontificis infallibilitate demum indicat, dum ex formula fidei Orientalibus olim a S. Hormiſda præſcripta dicta ſua confirmat. Illuſtrius tamen, ac luculentius id argumenti proſequitur in epiſt. ad Queſnellum, qua ſic ſcribit: *Hic Chriſtus Petri fidem in ſua Sede nunquam defecturam promiſit; atque ex ea Petrum ſuos fratres in æternum confirmaturum: illic Pontificiæ Bullæ denuntiator* (alludit ad libellum, cui titulus: *Denuntiatio Bullæ* Vineam Domini *facta univerſæ Eccleſiæ*; cujus auctor, ſi auctori Bibliot. Janſen. credas, eſt D. de Withe Doctor Lovanienſis; in eoque inter perverſa cetera Clementem XI. Pontificem M. ea Conſtitutione Pelagianam hæreſim recoquere impudentiſſime effutit; quam propterea Conſtitutionem ceu gratiæ divinæ inimicam, tyrannicam, atque in S. Iprenſem Epiſcopum [Janſenium] calumniarum refertiſſimam odio habendam a bonis omnibus profligatiſſimus ſycophanta deprædicare non erubuit, & deprecari;) *Denuntiator*, inquam, *ex adverſo propugnat Pelagii iniquitatem a Chriſti Vicariis ætate noſtra ſuſcitari, atque Petrum non modo fratres ſuos in pura fide non confirmare, ſed etiam eos in impietatem contra gratiam trahere*. Quo quidem nihil poteſt aut excogitari impius, aut enuntiari impudentius. Inſerta epiſtola iſthæc legitur

gitur relationi juſsu Cleri Gallicani editæ, eidemque in Comitiis anno 1700. probata.

Fleurius Claudius plurimis operibus celebris, quem plane, niſi valde hoſpes in ejus hiſtoria, cauſari poteſt nemo amplificandis, exaggerandiſque Pontificum Romanorum prærogativis plus æquo incubuiſse, ſtuduiſseque, attamen lib. 6. hiſt. Eccleſ. de S. Gregorii VII. agendi ratione diſserens, atque quidem de ipſius perperam afficto nomini Dictatu, quod opus S. Gregorii genuinum fuiſſe fœtum ille autumabat, Articulos 17. eo in opere comprehenſos ita veritati innixos affirmat, ut iis nihil ferme verius reputet: idcirco 1., quod Eccleſia Romana jure divino proculdubio ſit inſtituta: 2, quod Apoſtolicæ Sedis Legati honoris gradu Epiſcopis etiam in Concilio generali congregatis præcellant: 3, quod ad eamdem majores, gravioreſque religionis cauſſæ juxta Canones ſint deferendæ: 4, quod eadem Eccleſia nullo unquam errore fœdata fuerit; eidemque de fide enuntianti adhærendi, adquieſcendique ceteris Eccleſiis neceſſitas, onuſque omnino incumbat. Hæc ex proprio ſenſu proferebat. Quid vero hacce eadem in re perinde aliis placeret, eſſetque perſuaſum expromens, & perſtringens in ſerm. 9. de libert. Eccleſ. Gallic., poſtquam dixiſſet noſtram de Pontificis ſuprema, Conciliumque ſupra poteſtate, eodemque in fide falli, & fallere neſcio, in Italia, Hiſpania, Germaniaque, quibus in Regnis prævalent Regulares, (quorum plane magno accedit honori,) tenere, & obtinere ſententiam, *In Gallia*, ſubjungit, *vix reperire erit Religioſum hominem, qui Romani Pontificis in fide infallibilitatem inficias eat. Quid ajo Regulares? Quinimo Eccleſiaſticorum quoque Collegia, quamvis Epiſcoporum juriſdictioni ſubjecta, eam in ſententiam de Pontificis Romani infallibilitate, uti eam, quæ pietati conformior eſt, pronius inflectuntur.* Paucis interjectis pergit ſubinde de noſtra ſubtexens: *Antiqua ſententia apud Doctores integra, ſacrataque manet illos, qui moribus, vitæque genere præ aliis, qui in novitiam opinionem conceſſerunt, magis magiſque exornati ſunt, enitentque; a quibus contra profanas novitates jugiter pro viribus pugnatum eſt. Quibus vero hujuſce generis novæ opiniones placuere, ii frequentius fuere Juriſperiti, aut profani Politici, aut liberioris etiam diſci-*

disciplinæ, laxioriſque vitæ generis. E quibus quidem illud noſtram in rem argumentum reponere appoſite eſt, quod jampridem S. Bernardus in epiſt. 388, nunc 348. egregie verſaverat: *In omni*, inquiens, *ſiquidem negotio validiſſimum argumentum eſt ad faciendam rei dubiæ fidem, id ſemper eſſe melius, quod placeat bonis, malis vero diſpliceat*. Age vero ad Gallicanos Antiſtites convertatur oratio.

Ex his doctrina, officio, dignitateque illuſtriſs. Carolus Duplexius de Argentré ſocius olim Sorbonicus, ac tandem Epiſcopus Tutellenſis, non uno in loco hanc liquido tradit doctrinam, & quidem ex prælaudatis SS. Matth., & Lucæ locis hauſtam, deſcriptamque. In tract. de locis Theolog. cap. 7. relatis verbis illis: *Rogavi pro te* &c. hæc attexit: *Mihi videtur ex promiſſis Chriſti contingere non poſſe, ut Romanus Pontifex in fide pertinaciter erret*. Quinimo ex Pontificia inferens Eccleſiæ infallibilitatem, quatenus Pontifici veluti fundamento ſuperſtructa fuit, *Univerſæ Eccleſiæ*, inquit, *firmitas immobilis maxime pendet ab immobili Sedis Romanæ firmitate*. Deſcriptis dein verbis illis: *Tu es Petrus &c.* exinde pariter eximie Pontificiæ inerrantiæ privilegium ſubinfert: *Manifeſtum eſt*, ibidem inquiens, *hæc verba a Chriſto dicta fuiſſe de perſona Petri, quem præcipuum Eccleſiæ ſuæ fundamentum, & unitatis Eccleſiæ quaſi centrum eſſe volebat, ut perpetua Eccleſiæ traditione conſtat, ſexcentiſque veterum teſtimoniis, qui diſertis verbis aſſeruerunt Petrum, ipſiuſque Succeſſores in Romana Sede hanc eſſe Petram firmiſſimam, ſuper quam Chriſtus Eccleſiam ſuam fundavit*. Quam pariter ſententiam hiſce aliis effert verbis in epiſt. paſtor. anno 1725: *Portas inferi*, ſcribens, *juxta Chriſti diſpoſitionem nunquam fore prævalituras nec adverſus Eccleſiam Catholicam, nec adverſus Primariam ſui ſupremi Vicarii Sedem*. Cui ſcilicet eadem Catholica Eccleſia ſubnixa eſt. Horum ſimillima multa ex iiſdem Evangelii textibus expreſſa tradiderunt in ſuis mandatis paſtoral. pro acceptatione Conſtit. *Unigenitus*, quæ referuntur tom. 8. hiſtoriæ Caſus conſcientiæ gallice editæ, D. de Villeroi Archiepiſcopus Lugdunenſis anno 1718, D. de Caſtellane Epiſcopus Forojulienſis an. 1715. ajens inter alia: *Viſibili ſane Eccleſiæ Capiti dictum fuit*: Tu es

Pe-

Petrus &c.; D. Joſephus de Magrigni Ord. Cappucc. Epiſcopus Graſsenſis anno 1718; nec non in epiſtolis polemicis anno 1715. Lugduni editis; D. de Rabutin de Buſſi Epiſcopus Lucionenſis anno 1730, *Cathedra*, ibidem inquiens, *Petri eſt baſis, & fundamentum Eccleſiæ*; D. de Belſunce Epiſcopus Maſſilienſis anno 1733. ubi *Sempiterna*, ſcribit, *erit veritas, quod Eccleſia Chriſti fundata eſt ſuper Petrum, tanquam fundamentum inconcuſſum, & ipſius Succeſſores*; Epiſcopi Tullenſis anno 1714; Nivernenſis anno 1718; Vivienſis eodem anno; Lectorenſis an. 1723, ubi hæc habet: *Sancta Sedes Petra illa immutabilis eſt, quæ conterit quidquid mendacio, aut vanitate lucet*; Bajonenſis an. 1729. auctor accedens *Catholicos omnes ita ſentire debere*; D. Lafitens Epiſcopus Siſtaricenſis in hiſt. Conſt. *Unigenitus*, & apud ipſum ad annum 2735. D. de la Fare Epiſcopus Laudunenſis anno 1730, qui infracto animo frequens cum adverſa fronte contra ſupremam Pariſienſem Curiam, tum adverſum Refractarios nonnullos Præſules ſtetit, & pugnavit; Epiſcopus Andegavenſis in ſerm. Synodico anno 1721. palam, coramque pronuncians: *Qui Clementis XI. auctoritati refragari non verebantur, contra firmam Petram conſpirant, & inconcuſſam ejus ſoliditatem concutere nituntur*. Nihil vero in his, ut vides, intertextum eſt, quod opinionem de requiſito Eccleſiæ aſsenſu redoleat, ex quo adverſæ opinionis patroni anſam arripere poſſint ejuſmodi teſtimonia eludendi, aut elevandi.

Finirem nunquam, ſi quæcumque Gallicani Antiſtites in documentis ſuis paſtoralibus de Apoſtolicæ Sedis divinis prærogativis Diœceſanos ſuos docuerunt, oratione complecti vellem. Haberi hactenus allata ſatis ſuperque poſsent, niſi adhuc nonnulla ſuppeterent, quæ nullo prætermitti modo debent. In his Cardinalis de Mailly Archiepiſcopus Remenſis in mandato paſtor. anno 1718. Pontificem alloquens: *Tibi*, inquit, *innituntur Eccleſiæ columnæ*: & poſt pauca: *Chriſtus*, attexit, *Sedem Apoſtolicam inſtituit fixum, & immobile fundamentum*. Cardinalis de Biſsy in docum. paſtor. contra appellantes a Conſtit. *Unigenitus* anno 1728. Concilii VIII. teſtimonio uſurpato abſolutiſſime declaravit: *In Sede Apoſtolica integram inveniri chriſtianæ Religio-*

nis integritatem: & in mand. paſtor. an. 1722. eadem de cauſsa promulgato S.Hormiſdæ verba in formula fidei Græcis olim præſcripta faciens propria: *Quia*, inquit, *non poteſt D. N. J. Chriſti prætermitti ſententia dicentis*: Tu es Petrus &c. *Hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica immaculata eſt ſemper catholica ſervata religio, & ſancta celebrata doctrina*. Cui apprime concinunt Cardinales de Janſon Arelatenſis, & de Tencin. Ebredunenſis Archiepiſcopi; de Fenelon; De la Fare, aliique mox laudati. Quibus adnectendi, qui iisdem Chriſti pollicitationibus innixi S. Petro nedum, ſed & Romano Pontifici ejus ex aſse Succeſsori pariter a Chriſto datum perhibent, ne a fide unquam deflectat, ſed in fide imo fideles omnes confirmet, D. de Colongue Aptenſis Antiſtes in docum. paſtor. anno 1717, quo ſic Queſnelliſtas perſtringit: *Si Eccleſia Romæ fundata errori ſuccubuit, ut Refractarii Conſtitutionis* Unigenitus *contendunt, quid ergo evaſerunt, quas Chriſtus ipſi fecit, promiſſiones, ſe nimirum ipſi ſemper adfuturum, ac portas inferi adverſus eam non prævalituras?* Ad hæc advertit ex S. Nicolao I. in epiſt.8. ad Michaelem Imperat., Romanæ Eccleſiæ a Chriſto D. tria privilegia fuiſse collata: quod ea Unitatis Eccleſiaſticæ centrum ſit, & Eccleſiarum omnium Mater: quod a fide nunquam defecerit, neque ſit defectura: quod ſupremo jure, ſive appellatione Eccleſiaſticæ cauſsæ ad eam deferri debeant. Quæ omnia tandem confirmat teſtimoniis Cleri Gallicani in epiſt. ad Innocentium X; Petri de Marca de Concord. lib. 5. cap. 8; D. de Fleuri hiſt. Eccleſ. lib. 6; & Facultatis Pariſienſis, de quibus ſuperius dictum eſt. D. de Languet Archiepiſcopus Senonenſis in docum. paſtor. anno 1731. horum habet ſimillima: *Jeſu Chriſti*, ibidem inquiens, *promiſſiones Petro, & ipſius Succeſſoribus factæ ſunt*. In adnotationibus vero ad docum. Cardinalis Noallii hæc Bajodocenſis Epiſcopi verba expendens: *Pro fide ſolius Petri Chriſtus oravit, ut illa in Petri Succeſſoribus non deficiat*: adjungit ab eo ſpeciali Chriſti auxilio, quo fit, ut fides ejus defectura nunquam ſit, non excludi Concilia œcumenica, (modo eis Pontificis non deſit aſſenſus,) ſed ceteras peculiares dumtaxat Eccleſias, quarum nulla aut Primatum Eccleſiæ, aut ſpeciale illud auxilium

Pe-

Petro ſoli promiſſum ſibi ullo modo vindicare poteſt. *Abſit autem*, ſubdit, *ut Galli Theologi hunc Primatum, atque hoc ſpeciale Chriſti auxilium Petri Eccleſiæ unquam inficientur*. Denique in epiſt. ad Epiſcopum Bolonienſem anno 1720. data graviſſimo errori Queſnelli partiariis vertit, quod tam perverſe, quam falſo obtruderent Chriſti oraculo non officere, quominus Romanus Pontifex errorem definire ſolemniter poſſit.

Quæ hactenus allata ſunt, adeo egregie exornavit, amplificavit, corroboravit Albertus Auguſtæ Salaſſorum Epiſcopus, ut negari ei aures nequeant. Enim vero a Diœceſis ſuæ hominibus de ſana doctrina ſollicitis obſecratus, ut ſibi adverſus graſſantes Janſenii errores pro Romano Pontifice argumenta ſuppeditaret, in encyclica ad ipſos exarata Pontificis cum ſupremam in Eccleſia poteſtatem, tum in fide infallibilitatem, tam SS. Patrum, quam aliorum Doctorum auctoritate adſtruit, & loco collocat. Imo argumentum ut numeris abſolveret ſuis, Janſenii teſtimonium adhibet, atque in medium adfert, qui in cap. 21. Johan. ſic inquit: *Quod officium* (paſcendi Eccleſiam in Petro) *quum ſit ordinarium, ac tandiu neceſſarium, quandiu erit Ovile, profecto iiſdem iſtis verbis* (Paſce oves meas) *eamdem poteſtatem omnibus Petri legitimis Succeſſoribus* (Chriſtus D.) *tribuit*. In Lucæ 22. etiam hæc habet. *Quia confirmare Fratres, quod ſequitur ad officium Paſtoris, pertinet, & proinde perpetuum eſſe debet; hinc juxta ſenſum antiquorum impetravit ei & aliud privilegium ad Succeſſores propagandum, ut videlicet tanquam Caput Eccleſiæ nunquam nec ipſe, nec Succeſſores ejus in docenda vera fide deficerent, juxta illud Leonis ſerm. 3. de aſſum. ſua*: In Petro omnium fortitudo munitur; *& Bernardi epiſt. 190. ad Innocentium*: Dignum arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Ita Janſenius, qui paullo ante obſervaverat ex S. Auguſtino lib. de correp., & grat. in fide infallibilitatem a Chriſto D. impetratam non fuiſſe, niſi liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimamque perſeverandi in fide voluntatem: *Quando rogavit*, ait S. Auguſtinus cap. 8, *ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, & perſeverantiſſimam voluntatem*. Similia ſcripſit poſtea

Queſnellus, de quo paullo poſt. Ex his itaque, pleriſque aliis horum ſimillimis liquido adparet, quam vere, tam approbe in ſuo Docum. paſtor. anno 1718. pronunciaſſe Epiſcopum Engoliſmenſem: Collegas ſuos Pontificiae infallibilitatis doctrinam auctoritate ſua comprobaſſe, eorumque potiorem partem adjungere, & adſerere doctrinam eamdem communem eſſe Epiſcopis, atque Academiis Italiæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Hungariæ, Poloniæ, Belgii, Illyrici, Helvetiae &c.: quibus ex Gallis, præter hactenus memoratos, jungendi Illuſtriſs. Petrus Franciſcus Lafitæus in hiſt. Conſtit. *Unigenitus*; nec non in refutat. Anecdotor. ſuper Conſtit. *Unigenitus*, operis nempe 2. volum., quo a Queſnellianis compendioſiebat hiſtor. reflexion. moral., & Conſtit. *Unigenitus*; Jacobus Ozonamus, cui in ore id erat: Res theologicas diſcutere ad Pariſienſem quidem Facultatem pertinere, decretorie vero definire, ac dirimere ad Pontificem; Eleonorus Langerinus, qui in lib. adverſus Maſium Codaniæ Proſeuchæ Proteſtantium Miniſtrum in Eccleſia Romana dogmata orthodoxa variaſſe nunquam dilucide oſtendit; Petrus Coutantius par. 1. in præfat. ad epiſt. Rom. Pontif.; Franciſcus Diroiſius, a quo adverſus Queſnellianos Formularii Alexandrini defenſio frequens adornata eſt; præterquam quod adverſus falſas Sectas, & Atheiſmum Religionem chriſtianam tract. edito egregie defendit; Paulus a Lugduno Ord. Capp. in Anti-Hexaplis, quibus Hexaplorum auctorem, Queſnellique vindicem profligat; Thomam ex Charmes noſtri etiam Ordin. in proleg. diſſer. 5. cap. 3. q. 3. art. 1., & cap. 4 q. 1, & 2, aliique in noſtram proni, propenſique ſententiam.

Quid tandem, quod Maimburgus ipſe in hiſt. magni 6. ſchiſmatis Occident. lib. 5. pag. 439., aut 280. edit. 2. Pariſienſ. auctor eſt, ac ſane hac in re fidei haud dubiæ, ſuſpectæque, ab annis nongentis Eccleſiæ Gallicanæ hanc jugiter hæſiſſe perſuaſionem, quod hæreſis excepto caſu, Pontifex Romanus a nullo homine, nulloque Concilio, ſed a ſolo Deo judicari, deponique poſſit? Quod ſi poſtea in tract. Gallico *De l'etabliſſement de l'Egliſe* capp. 13., & ſeq. in oppoſitam manibus, pedibuſque deſcendit opinionem, nihil mirari ſubeat, ſiquidem ſubleſtæ fidei

fidei hominibus familiare eſt, ac frequentatum ſibi æquales haud ſtare, nec cohærere in ſententia. Quipote? Queſnellus ita quoque vir etſi, ut norunt omnes, ac ſi quis unquam, Summis Pontificibus infenſus, infeſtuſque, in opere Gallico tamen, cui titulum fecit: *Tradition de l' Egliſe Romaine*, latine redditus ſic loquitur: *Traditio, qua de rebus fidei dijudicari debet, tribunal obtinet ſuum in cunctis Catholicis Ecclesiis... Hujuſce tamen tribunalis auctoritas illuſtrius, luculentius, & certius præ ceteris Apoſtolicis Eccleſiis, in Romana Ecclesia emicat; quum in ea Sanctæ Sedis Primatus a Deo conſtitutus ſit, Ecclesiis omnibus eadem præemineat, ſupremum Epiſcoporum Caput in ea resideat, eamque Apoſtolorum Principes doctrina, prædicatione, & ſanguine inſtituerint. Quamobrem jugiter Romanæ Ecclesiæ traditio ceterarum omnium traditioni eſt antelata; quatenus dogmata, quibus Apoſtolorum Principes Orientis Ecclesias imbuerunt, apud Romanam depoſuerunt Ecclesiam, exinde in Occidentem omnem dimananda: atque quidem abſque dubio iiſdem fidei fundamentis ſuperſtructa eſt Domus Dei.* Paucis interjectis ita pergit. *Temporis ſucceſſu, quum Pelagius, Cœleſtiuſque adverſus Apoſtolicam doctrinam errores diſſeminaſſent, Africani Antiſtites poſtquam illos in duobus Conciliis Provinciarum Carthaginensis, & Numidiæ damnaſſent, ad S. Petri Succeſſorem ſynodica geſtorum relatione miſſa rogarunt, ut ab ſe prolatum judicium Apoſtolicæ Sedis auctoritas comprobaret, atque ut traditione Africanæ Ecclesiæ cum Ecclesiæ Romanæ traditione collata, innoteſceret: utrum rivulus in Africanam Ecclesiam diffluens ex eodem capite proflueret, ex quo plena fluenta in Romanam dimanant Ecclesiam, ut loquitur S. Auguſtinus in epiſt. ad Innocentium I. verbis illis:* Utrum noſter rivulus licet exiguus ex eodem, quo etiam Tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a Te probari volumus. Hæc Queſnellus: ex quibus liquido adparet eam veritati ineſſe vim, ut vel ab inimicis etiam invitis teſtimonium extorqueat, ut exinde inexcuſabiles evadant, ſi agnitæ veritati manus dare victas denegent non modo, ſed ex malitia terga vertere malint. Quod in Queſnello contigiſſe conſpicitur, a quo nihil minoris ſunt factæ, quam Apoſtolicæ Sedis definitiones, quas

arta-

attamen maximi faciendas esse modo ultro citroque confessus est.

Ad hæc, quæ hactenus allata sunt, quid ajunt opinionis adversæ patroni, quos aliorum præterea Gallorum testimoniis oppugnare jam piget? Opponunt 1, atque quidem prætermissis Antistibus illis, puta Cardinali Noallio, Petro de la Brove Mirapicensi, Carolo Colberto Monspessulano, de Langlet Bolonienſi, de Soanen Sanitiensi, aliisque perpaucis, inter quos de Herveau Turonensis Archiepiscopus; de Bethune Virdunensis; de Chaste Laudunensis; Desmaretz Maclovienſis; Drevillet Bajonensis; de Caylus Autisiodorensis; Gaston de Noailles Catalanensis, aliique nonnulli, e quibus 8. quidem Clementinæ Constitutioni *Unigenitus* obluctari palam non erubuerunt, aliique 7. amplecti dumtaxat detrectaverunt, uti legere est apud Illustriss. Lasiteum hist. Constit. *Unigenitus* lib. 1, & 2: quibus aut ex interceſſione adversus Clementinam Constitutionem *Unigenitus*, aut ex interposita ab eadem Constitutione ad Concilium appellatione nihil laudis, multum imo labis adhæsit, opponunt, inquam, Illustriss. toto Orbi multo nomine celebris Jacobi Benigni Bossuetii Meldensis olim Episcopi auctoritatem, doctrinamque, quam tradit duobus voluminibus sub hoc titulo: *Defensio declarationis Cleri Gallicani de potestate Ecclesiastica anno* 1682. adornatis, ubi totus in id intenta mentis acie incumbit, ut præfatas quatuor propositiones a Clero Gallicano in Comitiis præmemorati anni procusas omni argumentorum genere, quod plane virum doctissimum non præterierat, defendat, & propugnet; quamque propugnat, opinionem Academiæ Parisiensis, Gallicanæque Ecclesiæ doctrinam esse defendit. Bossuetio demum adjungunt Illustriss. Gilbertum de Choyseul du Plessis Praslain Episcopum Tornacensem in epist. ad doctiss. Martinum Steyaertium Academiæ Lovanienſis Professorem, qua occasione arrepta litterariæ concertationis eum inter, & Anonymum Gallum exagitatæ, exortæque ex occasione ejaculatæ censuræ in Dominum de Withe, cum hunc, tum Gallum Anonymum ut defenderet, id inivit consilii, ut eorum causſam propriam faceret, oppugnatamque ab iisdem Pontificis cum supra Concilia potestatem, tum in fide infabillitatem pro virili parte ipse pariter oppugnaret.

℟. 1. Etſi daretur præfatum opus ſub Boſſuetii nomine vulgatum ipſius revera genuinum, germanumque eſſe fœtum, nihil exinde mihi veſtigia Clariſſimorum virorum, qui contra calamos exacuere non ſunt veriti, ſectanti morarum injici, quo a Romani Pontificis vindicandis privilegiis, undique ex verbo Dei ſcripto, traditoque, atque ex Eccleſiarum, ac præſertim Gallicanæ doctrina accerſitis argumentis, arcerer, nihil enim in ipſum auctorem inquirendo producta paſſim ex Boſſuetio momenta, viribus, quibus potui, exertis propulſavi, atque quidem loca, quibus appoſite id præſtiti, index, qui ad calcem operis proſtat, ſatis oſtendit: ſacratiorem rem me acturum arbitratus, ſi Pontificis Maximi potius, quam privati Epiſcopi auctoritati, dignitatique conſulerem. Quamquam vel præſtantiſſimum virum maximi pro meritis faciam, ſummoque in pretio ut ipſius opera habeantur, (ſi hoc unum, quo de agitur, excipias) auctor certe ſim. Præterea etſi parens hujuſce operis Boſſuetius eſſet agnoſcendus, ex hoc tamen opere germanam Boſſuetii doctrinam, ſententiamque non eſse æſtimandam arbitror ſane: quandoquidem opus eſt infauſto, turbatoque tempore, quo Romanam Curiam inter, & Gallicanam Aulam Regaliæ occaſione diſſidia efferveſcebant, inſtructum, elucubratumque; atque quidem (verbo abſit injuria) ab homine Delphini præceptore, Aulæque Regiæ optime accepto, qui imo nonniſi Aulæ Regiæ iteratis juſſionibus, uti teſtatur Trecenſis Epiſcopus infra laudandus, adactus huicce operi manum vel nolens admovit. Poſtremo opus hocce publicam lucem ut adſpiceret, noluit auctor. Quamvis enim Boſsuetius ultimo fato functus ſit anno 1704, opus vero confectum ante V. Innocentii XI. obitum, ideſt ante annum 1688, ut ex operis concluſione conſtat; nihilominus nonniſi 26. annis ab obitu Boſsuetii Typis, & iis quidem extraneis, Luxemburgi, & Baſileæ demandatum eſt. Quod argumento eſt voluiſse auctorem, ut opus tenebris, atque oblivioni conſepultum iret; ac propterea ex ipſo nemo prudens genuinam Boſsuetii, ideſt tanti viri, tamque de Romana Eccleſia meriti, de Pontificia poteſtate, atque infallibilitate opinionem expiſcetur.

℟. ad 2. Momenta, & quidem minime ſpernenda, ſuppete-

re,

re, quibus cordato cuique ſuaderi videtur opus iſtud Boſſuetio abjudicandum fore: quæ jampridem collecta a doctiſſimo Soardo, ſi iis, quibus hujuſce præclarum opus præſto non ſit, obiter hic indicavero, propterea id vitio mihi verti nolim, quaſi agam actum: ſi iis vero quiſpiam æquam nolit aurem præbere, per me licet, non præbeat. Itaque id ſuadetur 1. ex eo, quod ut mox dicebamus, opus iſtud nonniſi 26. poſt Boſſuetii fata annis publici juris factum ſit, Typiſque non Galliæ, ſed Luxemburgi, & Baſileæ anno 1730. evulgatum, uti vel ex epigraphe conſtat. 2. Ex eo quod Anonymus auctor, a quo opus ſub Boſſuetii nomine editum eſt, ajat quidem ſe ſummo ſtudio ad fidem autographi codicis exactum opus ab ſe evulgari: at codicem illum autographum apud quem extet, a quove alio inſpectus ſit, adeoque fidem liberet ſuam, non ait. 3. Ex eo quod eidem Boſſuetio alia opuſcula ſuppoſita ſint, quæ ſane ipſius germanum non eſſe fœtum, indubium eſt: cujuſmodi (ut nihil interea dicam de *Meditationibus in Evangelia* vol. 4. edit. anni 1731; nec non de Tractatu *Elevationum in Deum* vol. 2. edit. anni 1727, quæ plane opera Boſſuetio abjudicarunt Auctores Ephemer. Trivult. ad annum 1731, & 1732; quandoquidem inſtruct. paſtor. anno 1733, & 1734. ceu legitimum fœtum Patruo reſtituit Boſſuetius Trecenſis Antiſtes,) eſt opus gallice inſcriptum: *Juſtification des reflexions morales du Pere Queſnel*: quod opus ab Auctore libri gallice inſcripti: *Memoire donné en 1719. ſous les noms des Meſſegneurs les Eveques de Mirepoix, de Senez, de Montpelier, e de Boulogne* (quatuor nempe appellantium a Conſtitutione *Unigenitus*) par. 2. art. 9, quemque librum refellit D. Languetius Archiepiſcopus Senonenſis in 5. docum. paſtor. par. 2, quod opus, inquam, non ſolum ad fidem autographi ſummo ſtudio recenſitum refertur, ſed imo præſidentiſſime affirmatur primigenium ejuſdem codicem apud Boſſuetium Trecenſem Epiſcopum extare, eumdemque a quodam Gallo Epiſcopo inſpectum.

Ad hæc autem Boſſuetius alter Trecenſis Epiſcopus, atque Meldenſis nepos in inſtruct. paſtor. anno 1729. die 30. Septembris teſtatur quidem a Boſſuetio patruo ſuo Ludovici XIV. juſſu opus elaboratum, ejuſdemque Mſ. exemplar ab ſe Ludovico Regi contra-

traditum. Non amplius igitur extat apud ipſum Trecenſem Epiſcopum: at neque in Bibliotheca Regia extare teſtatur Dominus Targni: imo nec ullum haberi veſtigium, quod aliquando in Regia Bibliotheca extiterit Dominus Salier ejuſdem Bibliothecæ Præfectus; & D. Carpentier Bibliothecarius a Soardo expoſtulati reſponderunt. In Regia Bibliotheca unum equidem operis exemplar ſervatur, non eſt tamen autographum illud, cujus ab ſe in Regias conſignati manus meminit Trecenſis Epiſcopus: exemplaris enim iſtius initio extat manu propria exarata declaratio D. Targnii Regiæ Bibliothecæ Præfecti, cujus declarationis ecce tibi excerptum. Declarat itaque D. Targnius ab ſe anno 1724. die 10. Martii a Cardinali Fleurio receptum opus latinum Mſ. Boſſuetii Meldenſis inſcriptum *Defenſio declarat. Cleri Gallicani de poteſtate Eccleſiaſtica* in ea Bibliotheca ſervandum, neminique communicandum, ut exſcriberetur. Se a Cardinalibus Fleurio, & de Rohan expoſtulatum anno 1728. die 15. Decembris petiiſſe a D. de Agueſſeau magno Regni Cancellario ſibi operis Boſſuetii copiam fieri, ut ex eo exemplar latinum in Regia bibliotheca ſervatum, ignota manu exaratum, & multis refertum mendis, quod inter chartas D. Abbatis Fleurii regii confeſſarii poſt ipſius obitum repertum a D. Cardinali Fleurio in Regia bibliotheca reponendum, ſervandumque receperat, corrigeretur, & emendaretur. Sibi vero, ſubdit, reſponſum a magno Cancellario præfati operis apographum apud ſe minime extare: illud equidem ab ſe lectum in exemplari D. Abbatis Fleurii, atque ab eodem nonnullis in locis punctis adnotatum ſe obſervaſſe; adjectum imo ab eodem magno Cancellario exemplar illud a præfato Abbate Fleurio dono ſibi legatum, quod tamen adipiſci ipſe neglexiſſet. Ad hæc declarat præcitatus D. Targnius obſervatu digna ſe a prælaudato Domino de Agueſſeau accepiſſe: videlicet opus illud a Boſſuetio Meldenſi reviſum, multiſque in locis emendatum ab ipſo parente ad operis calcem quædam adjecta, quibus opus Ludovico XIV. nuncupabatur, quibuſque Rege coram a Boſſuetio ipſo perlectis Rex ipſe adeo commotus fuerit, ut vel in lacrymas profluxerit: exemplar vero Regi exhibitum poſt ejus fata juris factum Ducis Aurelianenſis: inſpectum etiam a Cardinali du Bois,

apud ipſum attamen non proſtare: autographum, & quidem emendatum Mſ. extare apud Boſſuetium Trecenſem Epiſcopum, ſe ab eodem Cancellario accepiſſe ſubnectit, eique ita correcto, & aucto ſtandum, non vero exemplari in Bibliotheca Regia aſſervato, atque a Boſſuetii primigenio plane diverſo. Hactenus Domini Targnii declaratio. Ex qua intelligere facile eſt, quæ fides ſit adhibenda vulgato Boſſuetii operi, quandoquidem penitus ignoratur, ubi degat, aut deliteſcat autographus Boſſuetii codex, qui a Domino de Agueſſeau apud Trecenſem Epiſcopum extare dicitur, a Trecenſi autem dicitur Ludovico Regi contraditus.

Suadetur 3. ex ſcribendi ratione ab auctore vulgatæ defenſionis adhibita: ſiquidem ſcribit inter alios, qui Comitiis an. 1682. adfuerunt, Præſules doctrinæ, eloquentiæque laude conſpicuos enituiſſe cum Tornacenſem, tum Meldenſem: auditos ab ſe cœtus illius celeberrimi Epiſcopos, atque inſigniora ab illis dicta ab ſe diligenter collecta. Ad hæc par. 1. lib. 3. cap. 12. Boſſuetii Catechiſmum laudibus celebrat, & elogia cumulat, quibus Catechiſmus ille eſt celebratus: Boſſuetium ipſum *Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi*, item Delphini præceptoris titulis exornat non modo, ſed etiam *Doctiſſimum*, & cap. 13. unum e gravioribus Theologis, ac Doctoribus nuncupat. Putas ne vero Boſſuetium Chriſtianæ modeſtiæ cultorem eximium, adeoque ſui oblitum, doctrinæ, eloquentiæ, aliiſque ejuſmodi nominibus ſe conſpicuum, atque quidem inter reliquos Galliarum Antiſtites, & Doctores ſcripſiſſe, & dixiſſe? Conjecturas ejuſmodi nonnullis aliis, nec contemnendis ſane confirmat vir doctiſs. Johannes Antonius Blanchus, ex quibus quidem æqui, bonique æſtimator perſuaderi ſibi ſatis nunquam poſſit, quod Boſſuetio ex calamo, multoque minus ex animo id opus exciderit, ex quo, gravius ne dicam, multum ſe fore ſermonis ſubiturum, nec levem nomini ſuo creandam invidiam præſentire facile poterat.

Accedit ad hæc, quod quamplurima hocce in opere defenſ. a Boſſuetii ſententia, germaniſque ipſius placitis aliena prorſus leguntur, & adverſa. Enim vero 1. germanus Boſſuetius in ſerm. habito ad eumdem Cœtum anno 1682. pronunciavit, unum, vel alte-

alterum e Romanis Pontificibus dumtaxat fuiſſe, qui contra ſuis Prædeceſſoribus ſacratum morem per vim, aut per circumventionem non ſatis firmiter propugnaverint, nec ſatis liquido fidei dogmata explicaverint: prætenſus vero Boſſuetius lib. 14. cap. 33, & ſeq. retexere aggreſsus Romanorum Pontificum catalogum, qui in fide turpiter lapſi ſint, adnumerat Liberium, quem Arianæ hæreſos inſimulat: Zoſimum, quem Cœleſtii, & Pelagii erroribus faviſſe contendit: Hormiſdam, quem, quaſi Catholicam propoſitionem a Schytis Monachis adſertam, *Unus de Trinitate paſſus*, proſcripſiſſet, redarguit: Joannem VII, quem quia tomum continentem Canones Synodi Quiniſextæ, ſive Trullanæ, a qua Synodo plerique ritus Romanæ Eccleſiæ, præſertim Cœlibatus lex Presbyteris, & Diaconis indicta, damnabantur, a Juſtiniano Imperatore ad ſe miſsum non emendavit, ſed imo ad Imperatorem remiſit, erroris criminatur: Honorium, cui Monotheliſmi labem adhæſiſſe aſserit: Gregorium II., quem, quaſi docuerit Matrimonium infirmitatis cauſsa diſsolvi poſſe, perſtringit. Stephanum II, quem ſuggillat, quaſi docuerit dimiſsa uxore poſſe aliam duci, atque validum eſſe Baptiſmum in vino collatum: Nicolaum II, cui ſcribenti valere Baptiſmum in Chriſti nomine collatum, erroris notam appingit: Sergium III, quem ordinatos a Formoſo, vel ab Epiſcopis, quos ordinaſset Formoſus, aut abjeciſſe, aut iterato ordinaſſe: eaque imperaſſe, quae per 20. annos in Italia, & Romana Eccleſia Sacerdotium, & Sacramenta, ipſam imo Chriſtianam rempublicam extinguerent, ſcribit: Gregorium VII, a quo contra Dei verbum ſcriptum, & traditum in Regum jura intentatum ait: Bonifacium VIII, quem in decretali *Unam Sanctam* Scripturas a vero ſenſu traditione accepto aperte detorſiſſe, nec non intollerabilia pleraque ad infirmandam potius fidem congeſſiſſe aſserit, eaque de re eumdem carpit: Paſchalem II, cui geminam criminis, erroriſque perſonam imponit, iccirco quia contra Spiritum Sanctum, & Canonicam Inſtitutionem privilegium Inveſtiturarum Henrico V. Imperatori conceſsit: Alexandrum III, quem quod ex Traditione, & Scriptura Sacra verbis illis videlicet: *In ore duorum, vel trium teſtium &c.* teſtamenta coram duobus, aut tribus teſtibus conſcripta valida declaraverit,

vellicat : Innocentium III, cui ceu Monachis Ciſtercienſibus ſcripſerit Confeſſionem ſacrilegam a Confeſsario pandi debere, & poſse, ſuccenſet : Cœleſtinum III, cui vertit crimini, quod Matrimonii vinculum inter Chriſtianos ſuperveniente alterius conjugis hæreſi ſolverit cap. *Laudabiliter* de Converſione Infidelium, ut proinde Decretalem illam reprobaverit Innocentius III. cap. *Quanto te novimus* de Divortio: Nicolaum III,& Johannem XXII, quibus quaſi adverſa, & quæ uni perfecta, & ſancta, alteri hæretica, & injuſta viſa fuiſsent, edixerint, exprobrat. Ab Johanne imo falſa de viſione beatifica prædicata, & credita pronunciat. Quæſo vero cohæret ne Boſsuetius defenſor cum Boſsuetio ſerm. cit. ajente ab uno dumtaxat, vel altero Romano Pontifice fidei doctrinam minus apte, minuſve aperte declaratam, aut defenſam?

Poſthæc verus Boſſuetius in ſerm. præfato docuit S. Petrum verbis illis *Tu es Petrus &c.* a Chriſto conſtitutum fuiſſe Eccleſiæ fundamentum. Boſſuetius vero defenſor lib. 15. in ſummario cap. 1. verba illa ad hunc ſenſum detorquet, ut non Petri perſona, ſed fides, quam confeſſus eſt, aut officium prædicandæ ſcilicet fidei conſtitutum fundamentum Eccleſiæ fuerit. Verus Boſſuetius in allegato ſermone Petrum a Paulo reprehenſum non de violata fide, ſed de agendi ratione, adeoque ab illo non in re fidei, ſed in re diſciplinæ peccatum pronunciat : at ſuppoſititius Boſſuetius lib. 14. cap. 48. Petrum in eo peccaſſe, quod ad Evangelii veritatem pertineret, ſcribit, quodque a fide averſos feciſſet Gentiles. Germanus Boſſuetius in inſtruct. paſtor. *Super promiſſiones Eccleſiæ* cap. 104. Jurio Calviniſtæ exprobrat, quod Liberii lapſum quidem objeciſſet, Liberii vero reditum ad officium taceret : vindicando etiam Liberio veterum teſtimonia colligit : at Boſſuetius defenſor totus eſt, ut Liberium in lapſu circa fidem confirmet. Verus Boſſuetius, ut ſuo loco dicemus, refricanda non eſſe infauſta Bonifacium VIII. inter, & Philippum Pulchrum diſſidia, deſideravit, dixitque ; at fictus Boſſuetius lib. 7. tribus integris capitibus, nimirum 23, 24, & 25, in eiſdem diſſidiis exagitandis defudat, iratumque adeo, nigrumque calamum in Pontificem acuit, ut id catholicum Scriptorem dedeceat quam maxime. Mitto Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum interpre-

terpretationes detortas, mutilationes, invidioſas notas, aliaque ejus generis, quæ in Boſſuetio defenſ. declar. data opera, modeſte tamen, refutarunt Clariſſ. Roncalia, Platina, Orſius, quæ vero Boſsuetio, ideſt viro tam gravi, tam pio, tam docto adſcribere nefas reputaverim.

Suadetur 4. ex eo, quod Auctor vulgatæ defenſ. declar. ſibi certe non conſtet, ſecummet conflictetur, atque andabatarum more, velut ajunt, certamen contra ſe ineat. Enim vero totus eſt ut evincat unam eſse univerſalem Eccleſiam, quæ falli, & fallere omnino ſit neſcia: Pontificem vero Romanum etiam cum Concilio particulari, etiam cum Cardinalium Collegio, etiam cum Clero Romano de fide periclitari poſse, quinimo ipſammet Sedem Apoſtolicam a fide deficere poſse: at vero ſparſim in opere, ſcribit Eccleſiam univerſalem non modo, ſed vel Romanam particularem Eccleſiam, atque Apoſtolicam præſertim Sedem indeficientem in fide eſse: ita namque lib. 15. cap. 4. ex verbis illis: *Rogavi pro te &c.* nunquam fidei jacturam paſsuram fore vel Petri perſonam, vel Apoſtolicam Sedem, vel Romanam Eccleſiam arguit. Cap. 6. Romanam Eccleſiam, atque Apoſtolicam Sedem in fide immotam eſse docet: *Quæ proinde Cathedra Romana ſi concidere poſset*, inquit, *fieretque jam Cathedra non veritatis, ſed erroris, Eccleſia ipſa Catholica non haberet ſocietatis vinculum, jamque ſchiſmatica, ac diſſipata eſset, quod non eſt poſſibile.* Cap. 7. ſic infert: *Omnes ergo Eccleſiæ ſubſignata formula profitebantur Romanam fidem Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ Romanæ fidem integra, & perfecta ſoliditate conſtare, ac ne unquam deficiat certa Domini pollicitatione firmatam.* Cap. 10. relatis S. Leonis IX., & S. Gregorii VII. locis, ſcilicet ex illis verbis *Rogavi pro te &c.* ſubinferentibus: *Romanæ Eccleſiæ fides nunquam defecit, nunquam deficiet*: ſubnectit: *Quid contra nos? qui quidem tanto conatu id agimus, ne illa Petri Sedes a vera unquam fide avellenda credatur; quodque nos quoque credimus, omnique ope aſſerimus.* Cap. 12. Alliacenſem laudat, quod in legatione ad Clementem VII. peroraverit illis verbis: *Firmiſſime tenemus, & nullatenus dubitamus, quod Sancta Sedes Apoſtolica eſt illa Cathedra Petri ..... de qua in perſona Petri in ea ſedentis dictum eſt*: Rogavi

pro

pro te &c. *& Sedes Apoſtolica ſemper immaculata permanſit, & in futuro permanebit.* Cap. 13. Gerſonium laudibus proſequitur, quod coram Alexandro V. prædicaverit in hæc verba: *Latinitas* (ideſt Latina Eccleſia) *Sedem habet Petri, pro cujus fide, ne deficeret, ſpecialiter oravit ille, qui in omnibus exauditus eſt pro ſua reverentia.* Cap. 15. S. Bernardi celebrem locum jam a nobis laudatum in epiſt. ad Innocentium II. profert. Cap. 16. ex *D. Thomæ dictis*, ait, *conſtitit, quod illa non defectura fides Petri ſit ipſa univerſalis Eccleſia, aut certe peculiaris Eccleſiæ Romanæ fides.* Cap. 17. deſcribit demum, quæ Epiſcopi Gallicani an. 1653. ad Innocentium X. ſcripſere, quæque nos ſuperiori §. exhibuimus: ea vero omnia cap. 35. compendifacit. Sane hiſce in locis ab Sede Apoſtolica Romanos Pontifices auctor diſtinguit; ſed quam perperam id faciat, alibi ſatis oſtendimus. Ex iis ergo illud plane exſurgit opus præfatum pro germano Boſſuetii fœtu habendum non fore, ut qui longe abfuit quam maxime ab eo ſcribendi genere, ſcribendi ſcilicet pugnantia.

Poſtremo audiendus Eminent. Cardinalis de Tencin Archiepiſcopus Lugdunenſis in documento paſtorali adverſus inſtructionem paſtoralem Epiſcopi Monſpeſſulani de miraculis, ubi hæc habet in rem noſtram: *Monſpeſſulanenſis Antiſtes ea contra Nos profert poſthuma Boſſuetii opera, quorum utique nec erit unquam, nec eſſe poterit tanta auctoritas, quantam in famoſis illis operibus ab ipſo auctore publicæ luci, ac utilitati conſecratis agnoſcimus. Cariorem ſui memoriam reliquit nobis Magnus Meldenſium Præſul, quam ut ea veneremur ſcripta, in eum finem, uti videtur, fabricata, ut Boſſuetium cum Boſſuetio male committerent. Quæ quidem ſi illum auctorem, & parentem vere habeant, jure, meritoque judicare poſſumus ejus illa generis Boſſuetio ipſi viſa fuiſſe, quæ publicam adſpicere lucem non mererentur.* Atque hactenus de 1. argumento. Quo quidem agere non aliud intendimus, niſi magni Boſſuetii doctrinæ conſulere, & nomini. Certe ejuſmodi Soardi conjecturas, aut ſaltem aliquas Platinæ, Lucino, Blanco, Orſio, aliiſque viris doctiſſimis arriſiſſe novi; ſi qui ſint, quos utique non deeſſe intelligo, uti Serrjus, qui deſpicatui habeant, quique opus vel in dubium verteret, deridendum ſuſci-

ſuſcipiant, ii quod 1. loco repoſitum eſt, habeant reſponſum.

Quod ad Antiſtitem Tornacenſem tandem attinet, quem profecto quis æqua, patientique aure excipiat cum temere ſuggillantem S. Gregorium VII, tanquam qui adverſus apertiſſimum S. Scripturæ ſenſum, atque unanimem SS. Patrum traditionem auctoritatem ſuam extulerit, ultraque terminos æqui, juſtique extenderit; tum audacter traducentem Auctores ad unum omnes ſive Canoniſtas, ſive Theologos noſtram tradentes doctrinam, tanquam qui doctrinam hancce non ex puriſcribus S. Scripturæ, & Traditionis fontibus propinarint, ſed ex præconcepta opinione, aut præpoſtera aſſentandi cupidine profuderint; quæ quam falſo, tam per injuriam proferri hactenus dicta liquido demonſtrant? præterquam quod ea in epiſtola ad Steyaertium nihil regerit, quod jam pridem a Richerio, Launojo, Maimburgo, (cum quibus profecto rem habere communem, propriamque facere cauſsam, ac patrocinium velle ſuſcipere D. de Withe, viri nempe Eccleſiaſtici, qui epulas inter, & pocula, coramque laicis illiteratis, nec ſatis bene moratis dicteria adverſus venerandam Pontificum dignitatem profundere non erubuit, uti Præſulem doctrina præterea dignitate nedum illuſtrem decebat, ſummopere pudere illum debuiſſet), a Dupino, & Boſſuetio, aliiſque eis in opinione æqualibus repoſitum ſæpius, & affatim non fuerit refutatum; quum egregiis eam in epiſtolam obſervationibus adornatis objecta ab eo omnia elevaverit ita, & eliſerit vir doctiſs. Antonius Charlaſius, ut vim roboris nullam reliquerit, non eſt, cur demuo iis repellendis operam ludam. Id unum obſervare obiter juvat ex aſſertione Pontificii Primatus, in quam Epiſcopus Tornacenſis ultro citroque concedit, recte & ad rem intuliſse Charlaſium inficiari nullatenus poſſe Pontificem perinde ſupra Concilium ſtare, atque in fide prorſus infallibilem eſse. Etenim ſi Pontifex in Eccleſia Primas eſt, ejuſdem eſt de cauſſis ad Eccleſiam univerſam attingentibus dignoſcere, & dijudicare; dijudicanti vero Eccleſia univerſa obaudire debet. Si ita res eſt, ſicuti eſse revera ille non inficiatur, quibusnam Pontifex erit inferior, equis Pontificis Judex, qui ipſum informet, quumque opus afforet, errantem corrigat, emendetque? Epiſcopi, inquit, Eccleſiam in Concili-

cilio coadunati exhibentes, ſive univerſim in unam, eamdemque ſententiam coaleſcentes. At Epiſcopi ubique ad unum omnes Pontifici morem gerere debent, non ei jus dicere? Ita ſane, ſubtexit, ſingulatim Pontifici ſubſunt, collectim præſunt, quomodo ſinguli Cives Magiſtratui ſubjacent, ſimul convenientes præſtant. Auguſte id utique ubi Civium univerſitas Magiſtratui auctoritatem concredidit: quid autem ſi auctoritatem non ab Epiſcopis ſive ſimul, multoque minus ſeorſum, ſed ab uno Chriſto cunctorum ſupremo Domino accepit Pontifex? Quis hunc, quæſo te, Epiſcoporum cœtui ſupponat, niſi idem Chriſtus Dominus omnium ſupremus? At, amabo te, ubi nam Chriſtus D. Pontificem, vices ſuas gerentem in terris Epiſcoporum cœtui ſubjugavit? Ad decretoria hæc Antiſtite Tornacenſi haud diffitente Concilium abſque Pontifice legitimo nec cogi, nec celebrari licet: nec Concilio licet de legitimo Pontifice jus dicere: nec imo judicium a Concilio latum tenet, & obtinet, valet, & prævalet, niſi Pontificis vel præcedat, vel accedat ſenſus, vel aſſenſus: ſi igitur, ſicut ipſe ſupponit, accidat Pontificem in averſam ab ea, quæ Epiſcopis alluber, ſententiam abire, quid tum? Perſtabit a capite divulſum corpus? Præ iis, qui Pontificem uti Caput ſuſpiciunt, cuique parere tenentur, pronius non ne eſt Pontifici adhærere, ejuſque placito adquieſcere? Quid enim? Epiſcopos dum invicem diſſentiunt, quid inquio diſſentiunt, dum errant, ſicut erraſſe vel in Concilio collectos explorata res eſt, ſive ad ſententiam componere, ſive ab errore revocare Pontificis eſt procul dubio, quo plane præmonente ita jugiter Eccleſia ab errore evaſit tuta, & incolumis. Quid itaque cauſsæ eſt, cur præ Epiſcopis a Pontifice diſſidentibus Pontifici, ideſt Capiti potius, quam corpori acephalo non ſit auſcultandum? Siquidem ei auſcultando, cui confirmandi chriſtifideles in fide a Chriſto D. datum eſt, hac ratione hactenus retentam in Eccleſia rectam fidem res adeo in confeſso eſt, ut expoſitione non egeat.

Opponunt 2. Sacræ Pariſienſis Facultatis auctoritatem, & doctrinam: nam noſtræ adverſam opinionem tenuiſse, & legiſſe ejuſdem Facultatis Doctores Petrum de Alliaco; Johannem Gerſonium; Jacobum Almajnum; Philippum Abbatem Sandionyſianum;

num; Hadrianum Galterum; Jodocum Clicthoveum; Claudium Conſsordium; Simonem Vigorium; Claudium Sancteſium; Renatum Benedictum a Natali hiſt. Eccleſ. ad Sæcul. XV., & XVI. diſsert. 4. art. 6. laudatos liquet; eorumque veſtigiis inhærente ab eadem ſacra Pariſienſi Facultate teneri, & legi teſtantur Franciſcus Victoria in relectione de poteſtate Concilii, & Papæ; Thomas Campegius lib. de poteſt. Papæ cap. 24, & Martinus Navarrus de pœnitentia diſt. 5. Exinde vero liquido adparet 1., quod in Cenſura lata in Johannem de Monteſsono anno 1387. in cauſsis fidei a Summo Pontifice appellari ad Concilium poſse affirmavit. 2. Quod in Cenſura anno 1429. lata in Johannem Sarrazinum in certis caſibus Summo Pontifice Eccleſiam poteſtate præſtare docuit; quam doctrinam confirmavit anno 1432. in Cenſura lata in Nicolaum Quadrigarii Ord. S. Auguſt.; anno 1470. in Cenſura lata in Johannem Munerii Ord. Prædic.; & anno 1481. in Cenſura lata in Johannem de Angelis Ord. Minorum. 3. Quod Conciliorum Conſtant., & Baſileenſis decreta de Concilii ſupra Papam poteſtate ultro citroque amplexata ſit, annoque 1497. a Carolo VIII. Rege conſulta de habendo generali Concilio reſpondit, quod Summus Pontifex Alexander VI. juxta Concilii Conſtantienſis decretum teneretur Concilium congregare; atque anno 1505. ejuſdem Concilii, non ſecus ac Baſileenſis, decretis innixa ab eodem Alexandro VI. certam pecuniarum collectam præcipiente ad futurum Concilium appellationem interjecit. 4. Quod anno 1512. quum ad Facultatem librum Cajetani de comparatione Papæ, & Concilii miſiſset examinatum Ludovicus XII, ſuo, & Facultatis nomine librum illum confutarunt Jacobus Almajnus, & Johannes Major Facultatis doctrinam ajentes, quod Pontifice potior Concilii poteſtas ſit. 5. Quod anno 1611. quum Pariſiis apud Prædicatores inter propoſitiones publicæ concertationi exhibitas ea quoque expoſita fuiſset de Pontificis ſupra Concilium poteſtate, atque in fide indeficientia, ſuo, & ſacræ Facultatis nomine interceſſit Richerius Syndicus. 6. Quod in Cenſura anno 1641. lata in Ludovicum Cellotium Conciliorum generalium convocationem quandoque neceſſariam dixit; atque anno 1656. Franciſcum Guillonium ad hanc propugnandam Theſim: *Eccleſia jure divino Monarchia eſt, tametſi*

caſtra deſcendit, niſi victoriam referret. Ea de re egregium Sorbonæ pro Religione ſtudium, ob egregios, quos in bonum Religionis genuit athletas, ob egregiam, quam contra Religionis hoſtes navavit operam, frequentes fuere Romani Pontifices in ea præconiis cohoneſtanda, ac privilegiis cumulanda. Verumtamen ea, quam aliquando tenuit, agendi ratio, quæque objecti argumenti eſt robur, id a nobis etſi nolentibus extorquet, ut eamdem & ſuos manes paſsam fuiſse planum faciamus: quod quia invite facimus, omnem verbo procul eſse injuriam volumus, neque invidia id fieri conteſtamur. Eſto ergo ex ejus gremio viri prodierint ſapientia, & ſanctitate conſpicui: prodiere & viri erroribus, moribuſque conſpurcati quam maxime. Pro veris dogmatibus, pro vera Religione eſto eadem ſæpiſſime cum laude dimicaverit: at aliquando, neque infrequenter in pravas opiniones ſe abripi permiſit, atque ſe agi in tranſverſum a recta ſententia paſsa eſt. Semel, iterumque ejus in præconia Pontifices Summi proruperint: ſed & iterato, qua ſe in querelas effudere, qua minas intentarunt, qua pœnas intorſerunt. E tumulo revocare nolim veteres illos multo nomine infames, quos e ſinu ſuo ejectos cum ſuis erroribus execrata jamdudum, conſepultos etiam num, oblivionique traditos Sorbona ipſa deſiderat. Utinam ſicut vetuſtos illos odio habuit, ita nuperos alios e ſinu ſuo erumpentes, ne in caſtra Janſenii concederent, cohibere ei datum fuiſſet! Argumento ii uno ſint tum Magiſtri illi ſupra ſeptuaginta, qui quum anno 1656. ſecunda Arnaldi epiſtola ad Sorbonæ tribunal delata nigro carbone notata fuiſset, ejuſdem patrocinium ſuſcipere non erubuere, ut narrat Montaltus, ſive Nicolius Arnaldi Apologiſta: tum quoque quadraginta illi Doctores, qui anno 1702. die 20. Julii celeberrimo Conſcientiæ caſui, quo Janſeniſmus purus, putuſque confovebatur, & confirmabatur; cujuſque fuerat auctor Perrierius nepos Paſchalis, editor autem Thierrius, teſte Lafitæo lib. 1. ad annum 1701, Queſnelliana pece uterque infectus, ſyngraphamadjecere ſuam, e quibus præcipui audivere Hideux, Bourret, Dupinus, Pinſonat, Jollain, De Lau, Deſprez, Herlau, Feu, Auquetil, Soullet, Camet, Alexander, de Lamac, de Longueil, de Bourges, Petitpied &c.,

qui tamen, poſtremo Petitpied dempto, factum improbantes ſubſcriptionem revocarunt; quamvis, ſi fides foret adhibenda Auctori hiſt. Caſus Conſc. tom. 1. pag. 133, & 255, fuco plena revocatio fuerit illa, quibuſque ſubinde 17. alios Doctores acceſſiſe, imo alios pluſquam 100. idem narrat auctor tom. 2. pag. 112. ab ejuſmodi ſubſcriptione deterritos iccirco dumtaxat ajens, ne in exilium amandarentur.

Sorbonæ abſit, ut plurimis nominibus debitam, præclariſque facinoribus partam laudem detractam velim: eam imo gemina laude dignam prædico, quod frequentiſſime a Pontificibus, Conciliis, Epiſcopis, Curiis, Populiſque conſulta optima reſponſa protulerit, utiliſſimaſque cenſuras procuderit: cujuſmodi fuere, quibus Lutherum, Eraſmum, Spalatenſem, Richerium, Santarellum, Arnaldum, Seguenotum, Voiſſini miſsale, Montenſem verſionem, celebrem Conſcientiæ caſum &c. inuſſit. At ei crimini vertitur, quod aliquando in opiniones abierit, vel qui abirent, Magiſtros aluerit, Rationi, Regno, Religioſis cœtibus, Reipublicæque chriſtianæ adverſas; ut fidem faciunt refertæ ejuſmodi exemplorum hiſtoriæ fœderis edit. anni 1606, DD. de Thou, de Mezeray, de Avila, de Lazeure, P. Danielis, Egaſſii Bullæi imo, necnon P. Piccinardus de approbat. Doctr. S. Thom. lib. 1. cap. 1, & ſeqq., quas ego malim ſilentio obvolvi, quam aliquid per me probri ſacræ Pariſienſi Facultati obvenire. Quamquam id nullo prætermitti modo poteſt, quod poſtquam datam Conſtitutioni *Unigenitus* ſubſcriptionem facti pœnitens revocaſset edito libello ſub hac epigraphe: *Relationes deliberationum Facultatis Theologicæ Pariſienſis circa prætenſum decretum* die 5. Martii anno 1714. eamdem Conſtitutionem diris cunctis proſcidit, veluti quæ cùm morum diſciplina, fideique dogmatibus pugnaret. Cui ſane adornando operi Sorbonæ calamum accommodaſſe ſuum Habertum, Paſtellum, Hydeux, Dupinum, & Jollain narrat Auctor *Tocſins Catoliques* in libello parænetico de Sorbonæ lapſibus: ſubnectens DD. Witaſſium, de Berthe, Ravechet, & Tonnelier eidem operi elucubrando, quo ſcilicet Conſtitutio *Unigenitus* exploderetur, præfectos: præterea a DD. de Aſfeld, & Bidel eo adductam ſacram Facultatem, ut ſe Conſtitutioni *Unigenitus*

nitus nunquam adhæſiſſe ediceret. Quin imo eò progreſſos audaciæ fuiſſe Facultatis Doctores non nullos refert Lafitæus lib. 3, tum ut Conſtitutionem *Unigenitus* diris cunctis laceſſerent, tanquam quæ morum licentiam induxiſset, multique erroris labem redoleret; jactarentque propterea a Facultate Pariſienſi nunquam receptam fuiſſe, etſi fuiſſet in tabulas regeſta, nempe doctrinam, qua vituperabatur Religio, Hierarchia ſubvertebatur, peſſumdabantur Gallicanæ Eccleſiæ libertates, juraque Regni, & Epiſcoporum infringebantur: tum ut defendere, ac laudibus excipere imo non erubeſcerent *Hexapla*, & *Teſtimonium veritatis*, libros ſcilicet errorum refertiſſimos, cujus poſterioris principia Proteſtantium propria affirmavit Baſnagius, quibus propterea Gallicanus Clerus in Comitiis anni 1715. publicam infamiæ dicam conſcribere e re ſua duxerat. Quamquam Hexaplorum Auctor in præfat. pag. 73, & ſeq. affirmare alioqui non dubitaverit ab Academia Pariſienſi Conſtitutionem *Unigenitus* die 10. Martii anno 1714. numeratis votis ſive ſuffragiis 525. ultro citroque fuiſſe receptam. Quid amplius, quod anno 1719. die 19. Jan. decreto edito, uti legere eſt apud Lafitæum lib. 5, eo devenit audaciæ ſummæ, ut Academiæ Cadomenſis appellationem ad Concilium approbaret non modo, ſed cenſuram etiam, qua opinioni de infallibilitate Pontificis nigra erroris nota infligebatur, ſuas in tabulas regerere, calculo probare ſuo, ſuamque facere, ac propriam Facultas Pariſienſis non detrectaret? Quid tandem, ſi ad anteriorem paullulum ætatem referimus pedem, quod quamvis Paulus V. litteris brevibus ad Angliæ Catholicos bis datis anno 1606. die 23. Septemb., & anno 1607. die 23. Octob. juramenti formulam, quæ ab eis exigebatur, fuiſſet execratus, defendere tamen decreto edito anno 1680. die 19. Auguſti Doctores 56. auſi ſunt? Quid ergo mirum, ſi modo in eadem Facultate ſint, qui propugnent Pontificem ſupra Concilium non eſſe potem, ipſumque minime infallibilem nullo accedente Eccleſiæ aſſenſu?

Sed ea propter præpoſteram docendi, ſive agendi rationem, qua ſe abripi quandoque Pariſienſis Facultas patiebatur, ut emendarent, atque ad rectum callem revocarent, a principio, videlicet ſæculo XII. exeunte, vel XIII. ineunte, quo ejuſdem Facultatis

tis facta fundamenta Auctor est Dupinus in sua Bibliotheca; & deinceps Romani Pontifices, monita, præcepta, minas, pœnasque adhibuere. Animadversionibus parco, quas adducere præsto alioquin esset ex Innocentio IV., Alexandro IV., Bonifacio VIII., Joanne XXII., Martino V., Clemente VI., & Julio III.; siquidem in litteris Gregorio XIII. nuncupatis Parisienses Doctores a Summis Pontificibus sæpe in Facultatem suam animadversum ultro, citroque fassi sunt. Unum commemorabo Clementem XI, qui Constitutione incip: *Circumspecta Romanorum Pontificum providentia*, quod Constitutionem *Unigenitus* recipere renuisset, sive receptam respuisset, Facultatem Parisiensem privilegiis omnibus, jure præsertim ad Doctoris infulas provehendi, spoliatam voluit. Eadem de re, quod Richerismum foveret sinu suo, ac seditionibus adversus Apostolicam Sedem sæpius Academiam dedisset locum, permoleste ferens Duvalius aliquando protulit: Religioni fore consultius, si non extaret Sorbona: & Cardinalis Perronius in serm. habito ad Reginam Regentem coram Episcopis Parisiensi, & Andegavensi Sorbonam dixit velle se omnibus immiscere, eamque ferme semper in deteriorem partem descendere.

Quas non olim in Regno turbas, & contra Religionem tumultus excitarunt adversus Regum jura Parisienses nonnulli Magistri sub temporibus S. Ludovici, Philippi Audacis, Caroli V, Philippi Pulchri, Ludovici XII, Henrici II? adeo ut Reginaldus de Alliaco Caroli V. Procurator Generalis ad Pontificem interponere appellationem coactus fuerit, ut Regni, Religionisque imo jura cum a violentiis, quas exercebant Rector, & Decanus Facultatis, tum a conviciis, quibus Hermandus Doctor theologus Rege coram Pontificem prosciderat, integra, atque intemerata essent, efficeret: ut Ludovicus XII. consultissimis edictis cohibere effrenem Parisiensium quamplurium Doctorum licentiam, effrontemque detrahendi libidinem compescere compulsus sit: ut Henricus II. Alienigenas Scholarum auditores Parisiis pellere, Collegiorum januas serotinis horis claudi, Magistros certis legibus obstringere sapientissimis sacris jussionibus fuerit adactus. Ut Erasmus ad Franciscum I, quem veluti hæresis fautorem Noelis

Beda

Beda Facultatis Syndicus præfracta fronte traduxerat, ſcribens, admonuerit, ſitque adhortatus, ut Syndici, aliorumque Sorbonicorum audaciæ præſto occurreret, modumque audendi cohiberet, fore alioquin facile, ut Academia celebris adeo latronum ſpelunca (ejus ſunt verba) evaderet: ut Dux Aurelianenſis Regni adminiſtrator veritus ne a turbis, quæ contra Conſtitutionem *Unigenitus* excitatæ in Sorbona fuerant, aliis pro ea pugnantibus, & repugnantibus aliis, Regni pax peſſumiret, ne in Sorbona de eadem Conſtitutione inſtituererur ſermo conſultum juſſerit. Idem quod de Pariſienſi, pariter de Nannetenſi, & Remenſi Academiis judicium eſto, quæ prælaudatæ Conſtitutioni *Unigenitus* pravo Sorbonæ exemplo perductæ refragatæ ſunt. Sed invidiæ plena ſunt iſta, a quibus proinde abſtinendum, eoque magis, quod abunde demum maculam omnem Academia Pariſienſis abſterſerit, quam ſibi ex denegato Conſtitutioni Clementinæ *Unigenitus* aſſenſu contraxerat, dum 15. Decemb. anno 1729. decreto edito, appellatione, quam anno 1717. interjecerat, retractata, & reſciſa, ſe ſincera, ac ſubmiſſa animi devotione eidem Conſtitutioni adquieſcere, & ambabus ulnis amplexari declaravit non modo, ſed imo pro ejus defenſione adverſus Poteſtates laicas decertare obnixe nec dubitavit, nec deſtitit: quamobrem nec levem gloriam ſibi comparavit, laudemque a bonis omnibus promeruit.

§. 2. Quæ quamque proba de Romani Pontificis infallibilitate, & poteſtate ſacræ Facultatis fuerit ſententia, palam fecimus paullo ſupra: quamvis eam, quæ nunc ei arriſiſſet, non moraremur, ſatis eſſet meminiſſe eorum, quæ Gregorio XIII. ſcripſerat jampridem quidam Doctor Sorbonicus; ſcilicet poſtquam dixiſſet a viris qua doctrina, qua dignitate conſpicuis Sorbonæ ſententias, cenſuraſque parvipendi, quin imo a Pontificibus ipſius Prædeceſſoribus non ſemel Sorbonæ agendi, docendique rationem improbatam, ſæpiuſque cum monitis, tum minis curatum, ut adamuſſim rediret, ſubnectit: Academiam Sedi Apoſtolicæ indivulſe jugiter adhæſiſſe, ſummopere illius obſequio, & obedientiæ ſtuduiſſe; atque ut aberrantes omnes illis adſciſceret, ſemper curis omnibus adnixam. Et quæ Petrus Hardivilliers Facultatis Rector

anno

anno 1611. ſermone habito coram ſupremo Senatu Pariſienſi, quo Sorbonam ab adverſariorum obtrectationibus, & objectis vindicandam ſuſceperat, pronunciavit, ſcilicet non aliud potius ejus rei gratia depromſit, adhibuitque argumentum, quam petitum a Facultatis firma Apoſtolicæ Sedi adhæſione, ita illos alloquens: *Quaſi alibi, quam in Caſtris Sorbonicis ſtet Legio illa fulminans, non Aurelii Imperatoris, ſed Romani Pontificis: quaſi alii ſint, quam Sorbonici, qui in illa munitiſſima divi Apoſtolorum Principis navi regenda potiſſimum laborent.* Quæ quoque ſua fuerit tempeſtate Facultatis Pariſienſis de Romano Pontifice doctrina explicat Duvalius de ſuprem. Pontif. poteſtate par. 2. q. 1. his verbis: *Scio quidem in re Pontificia Alliacenſem, Gerſonium, & Almainum non eſſe tantæ auctoritatis, quia tempore Schiſmatum floruerunt, & ſcripſerunt: duo priores, quando tres ſe pro Pontificibus gerebant; poſtremus vero Almainus tempore Julii II, & Conciliabuli Turonenſis, quo Gallia ſub Ludovico XII. a Sede Apoſtolica defecerat.* Almaino adjicere eſt Johannem Majorem eidem coævum. Idem iterum in elencho libelli de Eccleſ., & polit. poteſtate pag. 9. hæc habet: *Ex quo ſatis cuivis conſtare poteſt* (Richerium) *nondum abjeciſſe erroneam illam opinionem, quam in Scholam Dominicanorum Pariſienſium coram Illuſtriſſimo Cardinali Perronio nuper impudentiſſime profeſſus eſt*: De fide eſt Concilium eſſe ſupra Papam: *cujus falſitas a magno illo Cardinali validis rationibus in ampliſſimis Comitiis demonſtrata eſt: etſi enim Pariſienſis Academia ſtet a partibus Conciliorum generalium, non tamen propterea in unitatem cum ceteris Academiis deſcendit, neque earum Doctores pro deviis a fide habet, aut unquam habuit. Poſtea etſi Academia Pariſienſis infallibilitatem in decernendo ad Concilium generale ſolum referat, ab eo tamen nunquam abeſſe debet Pontifex. Denique etſi Pariſienſes ad Concilium generale ultimam fidei analyſim referant, non tamen propterea poteſtatem de fide decernendi Pontifici unquam ademerunt, & merito.* Vides igitur a Duvalio novæ doctrinæ in Sorbonam invectæ epocham repeti a Gerſonij ætate, ſeu Concilii Conſtantienſis æra: ideoque ab avita doctrina Academiam receſſiſſe, imo non ſatis in doctrina nova Academiam ſibi cohærere, æqualemque eſſe, quandoquidem Pon-

ti-

tifici de fide definienti Christifideles omnes ad obsequendum teneri, non tenere vero Concilii etsi generalis de rebus fidei definitiones, si in illo Pontificis præsentia desideretur, docet. Dum autem audis Duvalii librum, intelligito illum, illiusque elenchum a Doctoribus Parisiensibus commendatum, probatumque iccirco, ut publicam lucem aspiceret: *Ad summam*, ut inquiunt, *cum Capite visibili Romano Pontifice unionem arctissime retinendam, cui aliter Schismaticorum mala mens, maluſque animus male, & seditiose consultum vellet.*

Censuras in objectione commemoratas non moror, quippe vel per invidiam, & seditionem editæ sunt; vel alieno plane a nostra causa sensu elaboratæ; vel superioris potestatis jussu sunt revocatæ. Ita lata in Iohannem Sarrazinum, & in Iohannem de Monteſſono intelligenda est de tempore Schismatis, aut Pontificis dubii, aut hæretici, eoque nomine, quod Episcopis jus de fide pronunciandi adimeret. Ita lata in Nicolaum Quadrigarii, Johannem Munerij, & Johannem Angeli ex pessimo Decretorum Concilii Constantiensis, & Basileensis intellectu prodiit; neque enim censura notari meretur propositio, qua soli Pontifici immediate a Christo collata jurisdictio in ceteros Episcopos derivanda adstruitur. Ita ex cohorta eorumdem Decretorum interpretatione obligatio Alexandro VI. imposita congregandi Concilium atque impudentissime ab eo interposita ad Concilium congregandum appellatio. Ita lata in librum Cajetani censura assentationis vitio datur, a viris autem Doctis habetur despicatui, eique vicem rependit Duvalius, a quo Alliacensis, Gersonius, Almainus, Major, Vigorius, & Richerius ceteris Sorbonicis ea in censura præeuntes exsufflati sunt. Ita Richerio in hominem de Pontificis privilegiis recta disputantem insurgenti, & obloquenti obstitisse, ejusque impudentiæ digna rependisse doctissimum Perronium auctor est Duvalius paullo supra commemoratus. Ita latæ in Cellotium, & Guillonium ne volam quidem causæ nostræ nocent; nam & Concilia in casu saltem Schismatis necessaria dicimus, & si Episcoporum jura immediate esse a Deo daremus, nihil exinde Pontificis privilegiis adversum extunderetur. Ita celebres illi articuli ad Aulæ gratiam aucupandam, Apostolicæ vero Sedi

contumeliam, injuriamque faciendam, iccirco quod per tumultum, perque temeritatem adornati ſint, contemptui habentur. Sed & peſſime illis ceſſit, nam a Pontifice Alexandro VIII. ſunt proſcripti, atque jubentibus Innocentio XII, eodemque Alexandro revocati, ut paullo infra palam fiet. Mirari autem ſubit hominum audaciſſimam confidentiam, qui in cauſsam ſuam latas in Vernantium, & Guimenium Cenſuras advocant: quandoquidem illas Alexander VII. Pontifex Maximus, qua litteris *6.* Aprilis anno *1664.* ad Regem exaratis, qua Conſtitutione anno *1665.* Romæ evulgata ceu temerarias, & ſcandaloſas damnavit, defendique ſub anathematis pœna prohibuit. Mirari vero eſt magis, quod Alexandri Conſtitutio nihili habita ſit, ac Boſsuetium par. 2. lib. 10. cap. 27. ſcribere non puduerit in hæc verba: *Itaque Cenſuræ ſuæ* (in Vernantium, & Guimenium) *apud nos loco ſteterunt: Bulla annumerata iis, quæ ignota, ac nulla nihil ad nos pertinerent*. At mirum non eſt, quod qui Pontificis privilegiis detrahunt, Pontifici pariter obedientiam denegent, peſſime agant, qui prave opinantur; atque in tranſverſum abeant, qui a veritate abſcedunt. Ita denique lata in Epiſcopum Strigonienſem eatenus laudanda, quatenus in ea propoſitionem præſtrinxit, qua ex parte, prout accipiebatur, Epiſcopis etiam in Concilio congregatis judicandi de fidei controverſiis auctoritatem adimeret: quo plane ſenſu propoſitionem nigro theta dignam nos dicimus. Hæc levi calamo attigimus, quæ lato ſermone par. 2. Vindiciar. proſequemur.

Opponunt 3. Eccleſiæ Gallicanæ doctrinam de Pontificis ſuprema poteſtate, & infallibilitate opinioni eſſe plane oppoſitam. Cenſet enim, & docet Epiſcopos in cauſſis fidei Judicum officio defungi, eorumque juriſdictionem a Chriſto immediate defluere; non ſimplices Romani Pontificis eſse conſiliarios, eorumdemque Conſtitutionum executores: non enim eis conſueſcit abſque prævio examine calculum adjicere ſuum; neque a Pontifice juriſdictionis Epiſcopos participes fieri autumat. Conſtat id 1. ex declaratione Cleri Gallicani anno 1655. edita, libroque deſcripta, cui titulus: *Relation des deliberations du Clergé.* Epiſcopi enim illi iidem triginta, qui Cleri univerſi nomine Innocentio X. ob damnatas quinque Janſenii propoſitiones gratulatorias dederant litteras,

teras, in litteris ad Epiſcopos exaratis diſerte declarant ad Epiſcoporum neceſsariam, atque eſsentialem dignitatem pertinere, ut de fidei quæſtionibus primam ferant ſententiam, & ne id facerent Epiſcopos, qui Papam conſuluerant, animorum diſsenſionibus fuiſse prohibitos: addentes Epiſcopos congregatos, ut deliberarent quid in hoc negotio facto opus eſset, uno ſpiritu, uno corde, uno ore ita conſenſiſſe ad recipiendum illius (Innocentii Conſtitutionem) judicium, cui per unitatem chriſtiani Epiſcopatus hierarchica ſubordinatione colligati eſsent; ut merito crediderint propoſitionum condemnationem una cum eo ab ſe quoque eſse prolatam, ac pronunciatam. Sic ſe Epiſcopi Conjudices, & condecernentes declarárunt: neque Pontificem falli, & fallere eſse neſcium, niſi Epiſcoporum conſenſus accederet. Idem declaratum anno 1656. a Clero Gallicano in litteris, quas Cleri nomine tum ad Alexandrum VII, tum ad Regem, tum ad Epiſcopos ceteros Præſules numero 40. nuncuparunt, extantque in ſupra laudato libello deliberationum Cleri Gallicani. Eadem doctrina liquido, & luculenter expoſita ab Epiſcopis anno 1655. congregatis, qui poſtquam Johannem Bagotium purgantem ſe, profitentemque Epiſcopos immediate a Chriſto juriſdictionem accipere audiviſsent, litteris encyclicis de more ad Epiſcopos inſcriptis declararunt Epiſcopos a Chriſto habere poteſtatem, quamvis eam exercere ſub Pontifice debeant.

Clarius id conſtat 2. ex celeberrima declaratione Cleri Gallicani in Comitiis anni 1682. adornata, & quatuor articulis expoſita; quorum 1. declaratur Romano Pontifici nullam a Chriſto Domino in Regum temporalia factam poteſtatem fuiſſe. 2. Romanum Pontificem juxta decreta Concilii Conſtantienſis ſeſſ. 4, & 5. ſupra generale Concilium potem non eſſe, eoque præſtantiorem. 3. Pontificiæ poteſtatis uſum cancellis ſacrorum Canonum coarctari: nec valere illam ultra, aut contra Gallicanæ Eccleſiæ regulas, mores, & inſtituta, quibus nominibus ejuſdem Eccleſiæ libertates efferuntur. 4. Præcipuas Summi Pontificis in fidei quæſtionibus eſſe quidem partes, non tamen irreformabile ejus eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit. Quibus articulis ſic expoſitis Epiſcopi numero 34, aliique Eccleſiaſtici nu-

mero 38. ſyngraphum appoſuerunt ſuam. Ludovicus autem Rex ſacræ juſſionis, qua in totum, quo late patet, Regnum illos evulgari, doceri, & obſervari edixit die 2. Martii ejuſdem anni 1682. robur adjecit: jubens ideſt, ut hæ propoſitiones in univerſa Ditione, ac Provinciis, atque Academiis Regnorum ſuorum defenderentur; neque quiſquam gradum aliquem litterarum in Theologia, aut jure Canonico adipiſceretur, niſi jurisjurandi ſacramento prius ſe ad eorumdem defenſionem religioſe obſtrinxiſſet.

℟. 1. Quod vel ipſi partium noſtrarum parroni, atque Pontificiorum privilegiorum aſſertores, & propugnatores acerrimi, & præcipui Cardinales de Turrecremata, Bellarminus, & Sfondratus; Canus, etiam, & Orſius, ut de aliis taceam, Epiſcopos in fidei quæſtionibus Judices eſſe profitentur, & data opera probant. At ipſos nequidem in Conciliis Judices eſſe infallibiles, niſi Romani Pontificis judicium anteiverit, aut acceſſerit, a quo in Epiſcopos plenitudinis poteſtatis partem derivare par. 2. Vindiciar. demonſtrabitur. Judicis igitur miniſterio, & munere funguntur Epiſcopi, poteſtative pronunciando quæſtionem quampiam ſacræ Scripturæ, ac Traditioni eſse conſonam, ideoque fide divina eſſe credendam, quæ pronunciatio plane duobus fieri modis poteſt; ut de altero nunc taceam, qui æquivalens dici ſolet, fitque ex tacito, aut expreſſo, ſed ſingillatim, cunctorum tamen unanimi Epiſcoporum conſenſu, contra quem non pugnet Pontifex. 1. Modo antequam de ea quæſtione ab Eccleſia, ideſt a Pontifice, vel a Concilio œcumenico fuerit pronunciatum: atque pronunciatio ejuſmodi abſque prævio, diligentique examine non fit, neque eſt infallibilis. 2. Modo poſtquam Concilium generale, vel Pontifex pronunciarunt: atque iſthæc pronunciatio etſi fieri poſſit, fiatque poſt collatum judicium iſtud prolatum cum S. Scriptura, & Traditione, eaque ratione judicium dici poſſit, quod ſit pronunciatum ab Epiſcopis juredicundi potientibus; revera tamen huic judicio neceſsarium non eſt prævium examen, multominus illud patitur examen, quo ſuſpenſus, ac interea cunctabundus maneat aſsenſus: uno verbo: judicium eſt ejus generis, cujus extitere illa, quæ poſteriores Pontifices, ac poſteriora Concilia de iis rebus, de quibus jam prolatum judicium

fue-

fuerat a prioribus Conciliis, & Pontificibus, quæque plane in dubium revocare ingens piaculum esset, iterum protulere.

Itaque Gallicanæ Ecclesiæ, ut ex actis Verbalibus Cleri Gallicani anno 1653, 1699, 1705, 1713, aliisque laudatis liquet, solemne fuit Romanorum Pontificum de fide Constitutionibus statim absque cunctatione, & absque examine, & antequam nosset, aut noscere valerent easdem Constitutiones majori Episcoporum parti fuisse probatas, acceptasque, ultro citroque assensum suum adjicere, & adhærere, quam plane adhæsionem judicium iccirco dicimus, quod præstita sit ab Episcopis jurisdictione insignitis; cuique judicio adhæsionis, si quando examen præcesserit, id non indigitat in antecessum ab Episcopis dubitatum de Pontificiæ Constitutionis veritate; sed dumtaxat indicio est adhæsionem illam absque cognitione, atque cum Dei verbo scripto, & tradito collatione præstitam nequaquam fuisse. Ergo tum etiam Judicis funguntur officio Episcopi, quum vel absque prævio examine, quod sane necessarium non est, vel etiam adhibita collatione cum Scriptura, & Traditione, non ut exinde veritas eliquescat, de qua antea dubitaretur, sed ut jam definita magis eluceſcat, firmisque adnixa rationibus fidelibus populis magis in palam fiat, & facilius adducantur ad assensum præstandum. Quia tamen ea, quæ ita conferuntur, dubitationi supponantur, Romanorum Pontificum decretis adhærent, idest judicium suum jungunt, seu interius judicant Episcopi decretis illis obediendum esse. Rem omnem uno verbo, aut altero complexus est Conventus Episcoporum Provinciæ Remensis anno 1699. in caussa damnationis libri *Des Maximes des Saints*. *Certum est*, inquiens, *juxta omnium sæculorum traditionem consensum Episcoporum primæ Sedis judicio simul esse actum obedientiæ erga sanctam Sedem, & actum auctoritatis, & judicii sub principali ejusdem S. Sedis auctoritate*.

R. 2. Quænam fuerit, sitque germana Ecclesiæ Gallicanæ doctrina de Romani Pontificis prærogativis satis superque liquere ex dictis superioribus §§, neque ullo modo dimetiendam ex præfata declaratione anni 1682, quam contradicere palam vel doctrinæ Episcoporum Galliæ expressæ, qua in Conventu Melodunensi

dunenſi anni 1579. tit. 1. Conſtit., inque Comitiis Pariſienſ. anni 1626. in monitis ad Antiſtites Regni artic. 137. obſervat Antonius Charlaſius in præfat. tom. 1. de libert. Eccleſ. Gallic.; qua in litteris ab Epiſcopis Gallicanis mox 85, & mox 30. inſcriptis ad Innocentium X. anno 1653. animadvertit Cardinalis de Aguirre in defenſione Cathedræ S. Petri diſput. 2. ſect. 1, & ſeq. Itaque ex præcitata declaratione non expiſcandam fore Eccleſiæ Gallicanæ doctrinam ex eo ſuadetur 1, quod eam accurate conferenti cum aliis doctrinæ capitibus ab eadem Eccleſia editis, pugnare cum eiſdem conſtet. 2. Quod ea declaratio iis concepta, & nata temporum nebulis ſit, quibus Romanam Curiam inter, & Gallicanam Aulam de jure, & extenſione Regaliæ acerrimæ vigebant altercationes, & ſimultates acerbæ, ut conſtat ex epiſt. 1. ad V. Innocentium XI. e Conventu Pariſienſi anno 1682. menſe Februarii inſcripta, quam refert Eminent. Sfondratus in *Gallia Vindicata* diſſert. 1. §. 8. Quare multis modis peccatum iis in Comitiis, præjudicio, præcipitatione, partium ſtudio, aſſentatione, ac forte etiam (verbo abſit injuria) vindicta, ut obſervavit Antonius Charlaſius tract. de libertat. Gallicanæ Eccleſiæ lib. 3. cap. 13. & ut ſcribit prælaudatus Cardinalis de Aguirre in defenſ. Cathedræ S. Petri diſput. 1. tract. 2. ſect. 2. præfatæ quatuor propoſitiones in Comitiis anni 1682. *Non a Concilio, aut matura conſultatione prolatæ ſunt, ſed ſubita quadam animi commotione . . . occaſione gravis diſſidii inter Innocentium XI, & Regem Chriſtianiſſimum.* 3. Quod eamdem declarationem a Clero Gallicano eo in Conventu extorſerint graves incuſſi metus. Ita ingenue Innocentio XI. confeſſi ſunt iidem met Epiſcopi data ad eumdem epiſtola menſe Februarii anno 1682, qua ſic loquuntur: *Quam conſecrandi fecimus Apoſtolicæ Sedi canonicæ obedientiæ profeſſionem, ea nos impellit, quæ Pariſiis juſſu Regio congregati geſſimus, ad Apoſtolatum veſtrum referamus, graveſque metus noſtros paternum in ſinum effundamus.* Unde illis reſcribens V. Innocentius, *Metu ſuaſore* inquit, *nunquam Sacerdotes Dei eſſe ſolent in ardua, & excelſa pro Religione, & Eccleſiaſtica libertate vel aggrediendo fortes, vel perficiendo conſtantes.* 4. Quod eadem declaratio, ut quæ metu extorta fuiſset ea, qua par erat, modeſtia, ingenue

ta-

tamen, religioſe, ex animo dolore affecto ab iiſdem Epiſcopis, a quibus fuerat elucubrata, reſciſsa fuerit: ita enim in epiſt. ad Innocentium XII, quam legere eſt apud Eminent. Sfondratum in Regali ſacerdotio lib. 4. §. 5, & Gravezonium tom. 8. hiſtor. Eccleſ. conſcripſere: *Quum in hac tandem exultantis Eccleſiæ felicitate ingentes Chriſtiani omnes æternæ providentiæ Sanctitatis veſtræ fructus percipiant, facilemque in ſinum Clementiæ veſtræ aditum experiantur, nihil accidere moleſtius nobis potuit, quam quod eo nunc loco res noſtræ ſint, ut aditus in gratiam Sanctitatis veſtræ nobis hactenus intercluſus videatur. Cujus quidem rei, quum eam fuiſſe rationem percepérimus, quod nos Cleri Gallicani Comitiis anno 1682. Pariſiis habitis interfuerimus: idcirco ad pedes Beatitudinis veſtræ provoluti profitemur, & declaramus nos vehementer quidem, & ſupra id, quod dici poteſt, ex corde dolere de rebus geſtis in Comitiis prædictis, quæ Sanctitati veſtræ, ejuſque Prædeceſſoribus ſummopere diſplicuerunt, ac proinde quidquid in eiſdem Comitiis circa Eccleſiaſticam poteſtatem, & Pontificiam auctoritatem decretum cenſeri potuit, pro non decreto habemus, & habendum eſſe declaramus.* Atque quidem hæc ipſa, quod Epiſcopis fuiſset adempta libertas, in cauſsa fuere cur multo ex capite adverſus cœtum illum Pariſienſem interceſserit Vicarius Generalis Diœceſis Apamienſis, ut eſt apud Charlaſium loco paullo ſuperius indicato.

Eſt & aliud, graviuſque utique, quod Cœtum illum illegitimum comprobet, editamque exinde declarationem Eccleſiæ Gallicanæ tribuendam non eſſe evincat. Nempe Præſules dumtaxat, qui iis Comitiis interfuerunt, eam declarationem adornarunt abſentium, quorum amplior numerus, deſideratus aſsenſus eſt: quibus nihilominus nec mandantibus, nec demandantibus vicem, quæ plane ad rem adeo difficilem, arduamque, expreſſa requirebatur, nec deinde ratihabentibus, juris nefaria inverſione, ex timore, ex impetu, ex temeritate ea declaratio edita eſt. Longe leve tamen momentum hoc haberi debet in comparatione illius, quod ſtatim indico, prætergreſſos nempe Præſules Gallicanos propriæ poteſtatis limites, immaniterque extra omnem Eccleſiaſtici juris orbitam excurriſſe; ideoque ex iſtius attentati capite illici-

licitam, atque illegitimam ejuſmodi declarationem omnino evaſiſſe. Enim vero res erat, & verſabatur inter majores, aut imo maximas cauſsas computanda: agebatur ſiquidem de poteſtate Eccleſiaſtica, non quidem Epiſcoporum, ſed Romani Pontificis, ſed Concilii œcumenici, ſed Eccleſiæ univerſalis: rem conditionis iſtius, & generis, tam arduam, tam gravem ad Apoſtolicam Sedem, aut ad Concilium generale ex Apoſtolicæ Sedis aſſenſu dignoſcere, ac dijudicare procul dubio attinebat. Quorſum itaque Gallicanos Antiſtites iſtiuſmodi jus ſibi arrogare, niſi ita attentando notum facere rem ab ſe factam perperam, præcipitanter, præpoſtere, quæ nulla ratione in rectum reduci tramitem queat, nulloque modo tenere, quum omni prorſus robore careat? Ad horum denique cumulum facit, & confert, quod horum omnium plane conſcius factus, omnique ex parte concidere probe habens perſpectum Ludovicus XIV. Galliarum Rex, ad Innocentium XII. Pontificem M. die 24. Septemb. anno 1693. pariter inſcripta gallice epiſtola ab ſe juſsum, ut nullius amplius eſset roboris edictum, quo eam Cleri Gallicani declarationem ubique doceri, & defendi præceperat, ſignificaverit. En Regis verba: *E parce que je tache de lui temoigner par les preuves les plus fortes, dont je ſuis capable, que je ſuis bien aiſe de faire ſcavoir a votre Saintete, que je ai donnè les ordres neceſſaires, affin ques les affaires contenus dan mon edit du 2. Mars 1682. concernant la declaration faite par le Clergè du Rojaume, à quoi les conjoinctures d' allors m' avojent oblige, n' avojent point de ſuite.* Legitur ad calcem appendicis 2. operis Anonymi de Romani Pontificis privilegiis diſsertat. dupl. cum dupl. append.; apud Sfondratum in Regali Sacerdotio; & apud Berninum tom. 4. hiſtor. hæreſ. ad Sæc. XVII. cap. 10.

Ut ut iſta eſsent, nullius ſane roboris eam Gallicani Cleri declarationem eſse habendam exinde hauritur 1. quod V. Innocentius XI., quum primum certior eſset factus rerum in præfatis Comitiis anni 1682. geſtarum, atque præcitatæ declarationis editæ accepit exemplar, confeſtim die 11. Aprilis ejuſdem anni 1682. brevibus, ut ajunt, ad Galliarum Epiſcopos reſcriptis literis, quæ in dictis Comitiis acta fuerant, & declarata improbavit, reſcidit,

ſcidit, proſcripſit, atque irrita perpetuo, & inania pronunciavit. Ita teſtatur Alexander VIII. in Conſtitutione mox laudanda. 2. Quod Alexander VIII. cum die 20. Decembris 1690. decreto edito 31. propoſitiones proſcripſit, inter quas iſtam numero 29, quæ ſic effertur: *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate*: tum die 4. Auguſti an. eodem 1690. Conſtitutione evulgata, quæ incipit: *Inter multiplices Paſtoralis officii noſtri curas*, quamque Berninus loco cit. cap. 9. deſcribit, tam geſta omnia in negotio Regaliæ a Clero Gallicano in Comitiis anni 1682, quam præfatam declarationem de poteſtate Eccleſiaſtica, atque quatuor in ea contentas propoſitiones, unaque epiſtolas, decreta, edicta in earum confirmationem edita invalida, inania, irrita, & viribus omnino vacua dixit, & declaravit, eoque nomine delevit. Poſtremo propediem moriturus Pontifex prælaudatus litteris ad Ludovicum XIV. Regem anno 1691. die 30. Januarii inſcriptis, quas citato loco exhibet Berninus, ſic ait: *Quum in ſummopere metuendo mortalis hujus vitæ confinio conſtituti, de reddenda Judici diſtricto, & pulſanti demandatæ Nobis in Eccleſia Dei ſupremæ adminiſtrationis ratione ſerio cogitemus, noſtrarum eſſe partium omnino duximus, irrita, atque inania declarare omnia, quæ aliquot ab hinc annis in iſto Regno tuo, ſive adverſus Eccleſiarum ejuſdem Regni, perſonarumque, & locorum Eccleſiaſticorum jura, ſive alias adverſus Romani Pontificis, Apoſtolicæ Sedis, Eccleſiæque univerſæ auctoritatem acta, geſta, & reſpective pronunciata fuerunt, quæque inde quomodocumque ſecuta, & ſecutura ſunt, ſicuti ex Brevi hac ſuper re edito manifeſte apparet. Quia vero nullis concluditur finibus charitas, qua Majeſtatem tuam complexi ſemper fuimus, & complectimur, ſuſceptam a Nobis per quam neceſſariam ejuſmodi deliberationem hiſce tibi ſignificamus effuſo cum paterni cordis affectu: etiam atque etiam a te flagitantes, ut ipſam æqui bonique habeas, ac ab univerſis prædicti Regni tui Ordinibus fideliter ſervari cures. Sane ubi id præſtes, quemadmodum a Filio ſuo primogenito præfata Sedes, & Eccleſia jure merito expectant, conſtantem tibi ab illo,*

per quem Reges regnant, ſecundorum eventuum fauſtitatem polliceri procul dubio poteris. Æqui bonique plane habitas cum ab optimo Rege, tum ab Epiſcopis Gallicanis, tam Alexandri Conſtitutionem, quam ejuſdem epiſtolam demonſtravit eventus. Quippe exaratis ad Innocentium XII. Alexandri Succeſſorem viritim abs Rege, & ab Epiſcopis epiſtolis ſe nova retractata ad veterem, ac veram rediiſſe ſententiam multis ſignificatum eſt, ut ſupra dictum eſt.

In hæc eadem Deceſſorum veſtigia ingreſsus Innocentius XII, non niſi poſtquam a Rege, & Epiſcopis Gallicanis præfatæ declarationi valedictum intellexit, eorumdem Epiſcoporum nominationi ad vacantes Eccleſias a Rege factæ aſsenſum ſuum adhibuit: ex præfatis igitur epiſtolis perſpectum quum habuiſset eos a præcitata declaratione deceſſiſse, eamque ex animo reſcidiſse, conſenſit tandem, ut qua in Eccleſia honoris loco cohoneſtarentur, qua ad majorem conſcenderent. Hinc in allocutione die 26. Octobris anno 1693. ad Sacrum Cardinalium cœtum habita ſic inter alia præfatus eſt Pontifex: *Vacantibus .... Regni Galliarum Eccleſiis illos ex iis, quos Cariſſimus in Chriſto Filius noſter Ludovicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus Nobis ad eas nominavit, Prædeceſſorum noſtrorum* (Inno. entii XI, & Alexandri VIII.) *veſtigiis inhærentes præficere hactenus recuſavimus, qui ſatis notis Cleri Gallicani Comitiis anno 1682. Pariſiis habitis interfuerant; atque inibi geſtis jam pridem ab hac S. Sede reprobatis, aſſenſum præſtiterant. Verum quum ipſi noviſſime datis ad Nos litteris ſe de geſtis hujuſmodi vehementer quidem, & ſupra id quod dici poteſt, ex corde dolere ſignificaverint, ac quæcumque in præfatis Comitiis ſive circa Eccleſiaſticam poteſtatem, & Pontificiam auctoritatem Decreta, ſive in præjudicium jurium earumdam Eccleſiarum deliberata pro non decretis, nec deliberatis habere, & habenda eſſe declaraverint; ſerio inſuper ſpondentes ſe impoſterum geſturos, ut nihil penitus de vera eorum erga hanc Sanctam Sedem obedientia, ac debito pro juribus ipſarum Eccleſiarum defendendis zelo Nobis deſiderandum ſuperſit, Apoſtolica illos benignitate complecti, nec diutius a Paſtorali officio arcere conſtituimus .... quum præſertim ipſe met Rex ſuis ad Nos litteris certiores reddiderit, ſe*

ſe nuperrime Regium illud edictum, quo in Comitiis prædictis edita de poteſtate Eccleſiaſtica declaratio firmabatur, ita haberi juſſiſſe, ut neminem ad illius obſervantiam teneri perſpectum omnibus ſit, ac exploratum. Cetera, quæ ſequuntur, legere eſt apud Berninum tom. 4. hiſtor. hæreſ. ad ſæcul. XVII. cap. 10. Sed & idem Pontifex in litteris, quibus Epiſcopi, aliique Eccleſiaſtici viri, qui Comitiis anni 1682. interfuerant, Eccleſiis poſt præficerentur, id maximopere cautum voluit, ut de geſtis, & declaratis eo in cœtu ex corde in anteceſſum dolerent, aſſenſumque geſtis illis, & declaratis adhibitum revocarent. En Pontificiarum litterarum verba. *Quum in noſtro ſecreto Conciſtorio hoc mane habito, poſtquam nimirum tuis ad Nos datis litteris te de his, quæ in Comitiis Cleri Gallicani, quibus interfuiſti, anno 1682. celebratis minus recte geſta fuerunt, ex corde dolere ſignificaveras, Nobiſque, & huic S. Sedi deſuper ſatisfeceras... Eccleſiæ NN. te præfecerimus &c.* Ex quibus palam fit quam perperam, falſoque Gaſpar Andoul in tract. de origine Regaliæ gallice elucubrato anno 1708. Pariſiis edito, Romæque die 25. Septembris ejuſdem anni confixo ſcripturierit: Innocentium XI. id enixum, quo Rex modis omnibus eo adduceretur, ut declarationem anni 1673. de extenſione ad Regnum univerſum Regaliæ editam aboleret: atque poſt fata ipſius Pontificis ejuſdem Regaliæ jus a Pontificibus Succeſſoribus agnitum fuiſſe, & adſertum; ideoque eo jure Regem juſte, pacificeque ire potitum.

Cedo tandem a laudata Cleri Gallicani declaratione Pontificis privilegia nihil lædi, nihil laceſſiri, nec niſi ſecum met decertare. demonſtro. Ait 4. Articulus: in fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, ejuſque decreta ad omnes, & ſingulas Eccleſias pertinere: nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit. Peto 1. quum dicitur Pontificis in fidei quæſtionibus præcipuas eſſe, ſive primas partes, nonne ſignificat id plane Pontificem Concilio ſupereminere? Quod ſi perneget quis, imo privato Epiſcoporum judicio examinanda Pontificis judicia ſubjiciat, profecto ludit, & Pontifici illudit, dum ſubdit ea judicia ad ſingulas Eccleſias pertinere, quando ipſa explodere poſſet quilibet Epiſcopus: ſecum quoque pugnat, pugnat-

que articuli 1. pars cum ſecunda, quandoquidem ſubjungitur: nec tamen irreformabile eſse ejus judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſserit: nam ſenſus eſt Pontificis judicia ad Eccleſiam pertinere, ideſt ab Eccleſia recipienda eſse, nec ei licere, aut liberum eſse, quominus illa recipiat: e contra vero tunc demum, ac dumtaxat Pontificis judicia valere, quum illa Eccleſia receperit, ideſt quum diligenti præhabito examine aſsenſum ſuum adhibuerit. Sed neque tunc Pontificis præcipuæ erunt partes, ſed æque eas tenebit Epiſcopus quilibet, qui prius de aſsenſione ſua deliberaturus ſit, & a quo demum ſi fidei articulus proponatur, iſque ab Eccleſia probetur, ac recipiatur, certo certius eſt, quod in fidei articulum evadet. Quocirca his, aliiſque ex capitibus, quorum jam multa obiter attacta ſunt, declarationem iſtam exagitandam, vexandamque adorſi viri doctiſſimi, undequaque concidere demonſtrarunt. Inter quos, ſi noſcere, qui celebriores haberi debeant, in voto, & deſiderio tibi ſit, ſunt ii Cardinalis Sfondratus; Antoninus Diana; Thomas Roccabertus; Auguſtinus Reding; Nicolaus Cevoli; Tyrſus Gonzales; Nicolaus Duboiſius; Antonius Charlaſius; Franciſcus Denghien; Dominicus a Sanctiſſima Trinitate; Matthæus Petitdidierus; Auguſtinus Matthæuccius; Platina; Lucinius; Roncalia; Manſius; Orſius; Blanchus; Doctores Lovanienſes præſertim, atque præ his doctiſſ. Martinus Steyaertius, ut propterea non eſſet, cur Huygens Gummarus Lovanienſis pariter doctor adverſus præfatos 4. Articulos Cleri Gallic. anni 1682. etſi exſtimulatus calamum diſtringere detrectaret, maletque vir moroſior Romanæ Curiæ ſuſpicionem, invidiamque ſubire.

Porro huc faciunt, congruuntque, quæ olim Auctor tractatus *De unitate, & viſibilitate Eccleſiæ* Baſnagio attributi Cardinali Noallio, ejuſque Symmiſtis Conſtitutioni *Unigenitus* obviam euntibus objectabat: ſcilicet eos eodem in luto hærere, quo Lutherani Leonis X. Conſtitutioni difficultates opponentes, quominus illi morem gererent: Clemenris Conſtitutionem qui oppugnarent, id agere, idque audire, quod in Eccleſia Romana agit, auditque, qui unitatis, fidei, obedientiæ, charitatiſque vinculum diffringit, atque Pontifici ſupremam poteſtatem, Primatum,

matum, infallibilitatem, præcipuaſque in fidei cauſſis partes denegat: piaculo deputari examinis depoſtulationem, antequam de Pontificis decretis deliberetur: ab ipſo Janſeniſtas inter Duce Nicolio difficultates, quibus examen hujuſmodi eſset obnoxium, Proteſtantibus objectatas fuiſse olim, illoque modo illorum feciſse ſatis objectationibus; oportere igitur Janſeniſtis ut probatum iret, quod Nicolio placuiſset: ab exiguo admodum Epiſcoporum numero Conſtitutioni obviam euntium veritatis, ac fidei teſtimonium quærere, ac repetere, eumque a ſtudio partium alienum, nullo ambitionis æſtu, aut Regiæ aſsentationis vitio affectum, nulloque mentis errore, aut animi ſententia obductum, obduratumque venditare idem eſse, atque veritatis, & fidei teſtimonium conjecturis fidere, & vanis phantaſmatibus fulciri. Uno verbo Baſnagius id agit, ut demonſtret non alia ad profligandam Conſtitutionem *Unigenitus* principia aſſumi a Proteſtantibus, quam quæ aſſumpſerint Queſnellus, Noallius, eorumque aſſentatores: a Queſnello vero, a Noallio, aliiſque Conſtitutionis *Unigenitus* refractariis principia adhiberi, quæ illos in Proteſtantium partes deſcendiſſe demonſtrent: videlicet Conſtitutioni *Unigenitus* non obſiſtere illos, niſi Pontificis infallibilitati, & ſupremæ poteſtati bellum inferant, neque hiſce privilegiis, niſi Primatui quoque obluctentur.

Peto 2, quum ait præfatus 4. Articulus Summi Pontificis judicium in fidei quæſtionibus non eſſe irreformabile, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit, quale judicium requirit? Privatum ne, & ſimplex; an publicum, & ſolemne? Id non explicat Clerus: ſed ſubtexit: niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit. At cujus nam, amabo, Eccleſiæ? Univerſalis, & catholicæ ne, an Romanæ tantum, & particularis; an etiam Gallicanæ, aut alterius Provinciæ cujuslibet? Neque id, ut oportuiſſet, explicandum duxit, imo detrectavit: nam uti refert Tournellius de Eccleſia tom. 2. q. 5. art. 3, quamvis Illuſtriſſ. Gilbertus de Choyſeul Dupleſſis-Pralin Epiſcopus Tornacenſis, de quo paullo ſuperius, ut præfatis verbis adderetur vox *Univerſalis* efflagitaſſet, id tamen minime impetravit. Igitur ſi Clerus eo articulo 4. uni Eccleſiæ univerſali inerrantiæ privilegium adſerere vo-

voluiſſet, illudque penitus abjudicare Pontifici, vocem illam *Univerſalis* ſane attexuiſſet, neque adeo, neu adderetur, interceſſiſſet. Quamobrem quamplures in Theologia, & jure Canonico Doctores Pariſienſes in conſultatione publica toti Eccleſiæ Gallicanæ anno 1718. facta ſignificarunt declaratione Cœtus anni 1682. infallibilitati Sedis Romanæ, ſeu Eccleſiæ Romæ conſtitutæ nihil fuiſſe detractum: declaratum quidem ajunt ab eo Conventu, quod Pontifex non ſit infallibilis; non etiam quod Eccleſia inter Romanæ Urbis Mœnia conſtituta errori ſit obnoxia; quin imo, pergunt, Boſſuetius Cœtus illius magna pars coram, & conſtanter Romanæ Eccleſiæ indeficentiam defendit, videlicet in ſermone habito ad eumdem Cœtum. Præterea ab eodem Clero dictum quidem: niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit; at minime explicatum eſt, utrum illa conditio neceſſaria eſſet, an libera, ſeu utrum Eccleſiæ liberum ſit Romani Pontificis judicio conſentire, an neceſſarium, ut animadvertit Auctor operis inſcripti: *Memoire ſur la maniere, dont les Eveques doivent recevoir la Conſtitution Unigenitus* anno 1714, ubi ſane contendit ineluctabilem Epiſcopis neceſſitatem incumbere ſolemnibus, ſive, ut ajunt, ex Cathedra pronunciatis Romani Pontificis judiciis conſentiendi. Atque hactenus de hac oppoſitione graviſſima quidem, ſed cui, ni fallor, plene ſatis factum arbitror.

Opponunt 4. Academiæ Pariſienſis, Gallicanique Cleri doctrinam de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ejuſmodi eſſe, ut eadem cum Pontificis ſupra Concilium poteſtate, atque in fide infallibilitate ſalva, & integra ſtare nequeat, contra imo conſpiret, & apertiſſime potius iis privilegiis adverſetur. Ita ſacra Pariſienſis Facultas in Cenſura lata adverſus Vernantii librum propoſitionem, qua ille affirmabat Pontificis judicia neque examini, neque appellationi eſſe ſubjecta, ſuggillavit tamquam quæ ſacræ Concilii auctoritati detraheret; ac germanis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus eſſet adverſa. Eadem de re, quod Gallicanæ Eccleſiæ libertatibus adverſa docuiſſet, Guimenii librum eadem Facultas nigro calculo perſtrinxit, atque Alexandri VII. Conſtitutionem, quod eiſdem legitimis Gallicanæ Eccleſiæ libertatibus obviam iret, abſque piaculo non acceptari poſſe, roboreque apud Gallos

los omnino carere declaravit. Atque ita ex ſententia Facultatis Pariſienſis, & Cleri Gallicani adverſus Petrum de Marca, & Antonium Charlaſium contendit præ aliis Illuſtriſſ. Boſſuetius defenſ. declar. p. 2. lib. 11. cap. 15.

R. 1. Cum doctiſſimis Charlaſio, Petitdidiero, Soardo, aliiſque hoc de argumento præclare agentibus Gallicanæ Eccleſiæ libertates bifariam conſiderari, ut aliæ nempe ſint, quas ſacras, & legitimas habendas eſſe jure jubent, & conſentiunt optimi ex Gallis tractatores: aliæ autem, quæ libertatis potius abuſus, Eccleſiæ Gallicanæ ſervitutes, & ſanctioris diſciplinæ corruptelæ habendæ ſint. Cujuſmodi genus poſterioris libertates ſub priori, ac legitimo comprehendere nefaria temeritate tentaſſe Puteanum ſcite obſervavit Illuſtriſs. Franciſcus Boſquetus Epiſcopus Monspeſſulanus in epiſt. ad Stephanum Baluzium præfixa lib. de concordia Petri de Marca. Primi generis libertates, ſeu verius Gallicanæ Eccleſiæ peculiares leges, ac conſuetudines, aut legitima poteſtate invectæ, ac præſertim ſi Pontificum Romanorum aut poteſtas, aut pactum intervenerit, ſtudioſe, religioſeque conſervandæ ſunt ſane, jubentibus vel ipſis Conciliis Nicæno can. 6, & 7; Epheſino can. 8; Chalcedonenſi act. 15; Pontificibus Maximis SS. Leone I. epiſt. 52; Gregorio Magno lib. 1. epiſt. 75; & lib. 2. epiſt. 37, & 39; Nicolao I. in cap. *Scit Sancta* 3. diſt. 12; Leone IX. ibidem laudato; & SS. Patribus Baſilio epiſt. 181, & 197; Hieronymo epiſt. 28, nunc 52; Ambroſio apud S. Auguſtinum epiſt. 54, alias 118; & Auguſtino epiſt. 86. Adeundus Gratianus diſt. 11. De libertatibus ſecundi generis ſcripſere equidem, & copioſe quamplures Petrus, & Jacobus Puteanus; Petrus, & Franciſcus Pithæus; Jacobus Capellus; Natalis Brularius; Johannes Tilletus; Renatus Choppinus; Glaudius Fauchetius; Antonius Hotmannus; Guido Coquilæus; Jacobus Leſchaſerius; & Benignus Milletotius; quorum tractatus duobus voluminibus in folio comprehenduntur, quæ anno 1639. Pariſiis abſque auctoris nomine publicam adſpexere lucem ſub hoc titulo: *Traitès des droits, e libertès de l' Egliſe Gallicane: Et Preuves des libertès de l'Egliſe Gallicane*. Peſſime exceptum opus fuit, vix quippe in lucem prodiit, ut agente Cardinali Rupefocal-

caltio, & Clero Gallicano Parisiis in Comitiis coacto diris cunctis devotum opus fuit, tamquam noxium, nefarium, schismaticum, impium, hæreticum passim, Verbo Dei contrarium, Hierarchiæ Ecclesiasticæ, disciplinæ sacramentorum, & sacrorum rituum everſivum, Sanctæ Sedi Apostolicæ, Galliarum Regi, Dei Sacerdotibus, Ecclesiastico Ordini, ipsique Gallicanæ Ecclesiæ injuriosum, scandalis, mendaciis, periculisque plenum. Accessit etiam Regii Consistorii decretum, Regisque edictum, quo proscriptum opus fuit, & publico commercio interdictum. Legendi, qui in præfatum opus calamum exacuere, viri doctissimi Petrus de Marca de Concord. Sacerd., & Imper. lib. 1. cap. 15; Thomassinus dissert. 18. num. 114; Charlasius tract. de libert. Eccles. Gall. lib. 1. cap. 1, & lib. 4. per totum; Langletius du Fresnois in præfat. historiæ, quam præmisit commentario Puteani de libertatibus Gallicanis; Tournellius de Ecclesia tom. 2; Petrus Collet Congreg. Missionis Presbyter Tournellii continuator tract. de legibus cap. 5. art. 2. sect. 5; Petitdidierus in appendice tractatus de infallib., & auctor. Rom. Pontificis, aliique. Auctor tunc ignotus se prodidit (proh impudentiam!) in secunda adornata editione nihilo emendata sub nomine Petri Puteani. Præfato operi Gallis bene moratis, optimeque consultis, atque Ecclesiæ Gallicanæ adeo exoso, & exitioso adnumerandi Fevretus; Rousselus; Salgadus Hispanus, aliique pauci Forensium potius, quam Ecclesiasticarum rerum periti, qui apud bonos omnes, æquique æstimatores male audiunt: adeo ut Fleurius ipse serm. 9. in hist. Eccles., quo de libertatibus Gallicanæ Ecclesiæ data opera disputat, de recentioribus hujusmodi Gallicanarum libertatum corruptoribus potius, quam defensoribus, & de corruptelis, ac servitutibus potius, quam usibus, & libertatibus Gallicanis acerbissime conqueratur: illó imo progressus, in quo castigandus putatur, ut bona fide fatendum affirmet variimodi Galliæ usus cum recta, consultaque ratione nullo conciliari modo posse, tam enim immaniter ab ea exulant.

℟. 2. Cum prælaudatis viris Doctissimis Gallos Scriptores non convenire inter se de loco, quo demum Gallicanæ libertates sint constituendæ. Choppinus lib. 1. de sacra politia tit. 1. eas constituit

ſtituit in obſervantia veterum Canonum. At quis inficias veteres Canones eat? Verum apud Gallos omnimode veteres Canones non vigere, ac in veterem, abolitumque abiiſſe uſum mox oſtendemus. Coquilæus in inſtit. ad jus Gallorum tit. de jure Reg. eas eſſe Gallicanæ Eccleſiæ libertates exiſtimat, ut Canonibus quidem antiquis adhæreatur, non admittantur etiam Pontificum Conſtitutiones a 400. annis editæ paucis exceptis. At quis indiſcriminatim Pontificum Conſtitutiones peſſum dare audeat, quæ annos 400. anteceſſerint? Juſtellus in epiſt. ad Leſchaſſerium initio tomi *Canonum univerſæ Eccleſiæ* eas collocat in 4. prioribus Conciliis œcumenicis, ac proinde quæ contra illa Pontifices aggrediantur, præcipuas appellationibus illis cauſſas præbere, quæ velut ab abuſu interponuntur; quam ſuam opinionem Juſtellus a Cardinali Lotharingo in Concilio Tridentino propugnatam fuiſſe, quam præſidenter, tam falſo affirmat. At quis, amabo, neget jus commune eſſe ſervandum? Quis neſciat apud Gallos uſu jam non amplius venire omnes veterum Conciliorum Canones? Paullo poſt a Gallis circa veteres Canones diſpenſationes a Pontificibus poſtulari, & impetrari oſtendemus. Pithæus libertates hujuſmodi collocat in libertate Laicæ poteſtatis in Eccleſiam. At quis patienter tam nefarium ferat aſſertum; quo ſuſque deque, divino cæteroquin juri innixa fertur libertas Eccleſiaſtica, Eccleſiæ quin imo leges flocci, naucique fiunt? Petrus de Marca lib. 3. de Concordia cap. 1. libertatem Gallicanam vocat antiqui juris communis uſum. Eidem cohæret Carolus Fevretus in tract. de abuſu lib. 1. cap. 4. Johannes Doviatius in ſynopſi hiſtoriæ juris Pontificii ad calcem ſylloges operis ad jus ſacrum conjicit, in vetera Eccleſiæ inſtituta; quibus tenacius Galli adhæſerint. Veſtigiis iiſdem inhæret Johannes Gerbaſius in tract. de cauſ. Major. art. 2. apud Charlaſium. Illuſtriſs. Carolus Mauritius Letellerius Archiepiſc. Remenſis in proteſtatione facta anno 1678. contra Epiſcopatus Cameracenſis erectionem ad Archidiœceſis dignitatem perſuaſum habuit Gallicanæ libertatis unicum, & inconcuſſum fundamentum eſſe vetera quatuor generalia Concilia. Idem fundamentum Gallicanæ libertatis ſacris Canonibus, & SS. Patrum traditioni inniti declaravit Clerus Gallicanus in Co-

mitiis anno 1682. Thomaſſinus loco ſupra cit.; de Belſunce Epiſcopus Maſſilienſis in docum. paſtor. de libert. Gall., aliique Gallicanas libertates in diſciplinæ ſolius libero uſu conſiſtere docent. Johannes Pontas; Ludovicus Habert in tract. de legibus cap. 11; & Petrus Collet de legibus cap. 5. art. 2. libertates Gallicanas integras reponunt in jure conſtantiſſimo proſequendi receptos univerſalis Eccleſiæ Canones, & antiquas Regni conſuetudines, contra quod jus Romani Pontifices aliquid in Gallia non aggrediantur, niſi de conſenſu Regis, & Populi. Verum in Gallia nec veteres Canones integros vigere, variaſſe etiam veterem diſciplinam, obteſtarique facile, ac frequenter Romanos Pontifices, ut Canones relaxent, ac peragi pleraque, quæ cum jure veteri communi non concordent, mox evincimus.

Neque vero magis conveniunt Galli tractatores de fonte, & capite, a quo hujuſmodi libertates Gallicanæ profluxerint. Sunt enim, qui a Capitularibus Carolinis eas repetunt. At Capitularia illa majori ex parte a foro, & praxi nunc exulant. Sunt qui a ſanctione Pragmatica S. Ludovici accerſunt. Sed eam pſeudoepigraphis dubio procul adcenſendam fore plurimis oſtendemus par. 2. Vindic. Qui a Conciliis ſive Turonenſi I, ſive Francofordienſi earum uſum primo acceptum referunt, eos exagitat, & explodit Charlaſius lib. 1. cap. 14. eo loci adeundus, ſi aveas. Richerius Gallicanarum libertatum originem appellationibus ab abuſu attribuit, exindeque earumdem exordium auſpicatur. De his alibi erit agendum. Petrus de Marca pro jure Gallico intelligi vult jus ipſum Canonicum a Gratiano compactum. Sed exinde nihil peculiare pro Gallis expiſcari quis probe non perſpicit? Boſſuetius veteribus Canonibus inniti jus Gallicum autumat. Sed id Hiſpanis præſertim pariter commune: Toletani enim II. Concilii Patres æque ſtudioſiſſimos ſe præbuerunt veterum Canonum, adeo ut decreta ſubſcribenda ducerent adjecta ea clauſula: *Salva auctoritate priſcorum Canonum*: quin & veteres Canones loco ut ſtarent integri ſuo, enixe curaſſe, ſategiſſeque conſtat Epiſcopos Concilii Bracarenſis anno 563, nec non Toletani IV. anno 633. celebrati: uti nec Juſtellus ipſe eſt inficiatus. Juſtellus uterque Pater, & Filius libertates Gallicanas revocant ad veterem

rem Codicem Eccleſiæ univerſæ ante collectionem Dionyſii Exigui adornatum; quibus in opinione acceſſit Guillelmus Voellius. At Romanæ Eccleſiæ ignotus erat hujuſmodi Codex: niſi velint pro Codice univerſæ Eccleſiæ obtrudere Codicem Canonum Trullanæ Synodi a Græcis venditatum, quem ab Eccleſia Romana nedum non probatum, ſed potius rejectum non ignorant, id aſſerente Anaſtaſio in vita S. Sergii I. Papæ. Carolus Fevretus opinatur antiquitus in Gallicana Eccleſia duos Canonum Codices uſui extitiſſe, ſcilicet collectionem Dionyſii Abbatis, ac alteram innominatam Eccleſiæ Gallicanæ peculiarem, uſuque frequentiorem. At prior Dionyſii Codex etiam Romanæ Eccleſiæ acceptus, ut ex Caſſiodoro narrat Baronius ad annum 325; in o Eccleſiæ Occidentali univerſæ uſu ſacratus erat, unde non erat peculiaris Eccleſiæ Gallicanæ: ſecundus vero teſte ipſo Fevreto & fatente Sirmondo in præfat. ad Concilia Eccleſiæ Gallicanæ fuit penitus ignotus: commentum igitur iſtud eſt nulla veri vel ſimili conjectura ſubnixum. Itaque anceps, & incertum adhuc, ex quo dimanarint, in quove locandæ demum ſint jactatæ toties Gallicanæ Eccleſiæ libertates. Confer interea Spondanum ad annum 1398. n. 4., ubi propius videtur digitum ad fontem intendiſſe; refudiſſeque in immunitatem ab exactionibus pecuniarum, & reſervationibus Beneficiorum tempore ſchiſmatis introductis.

Ut ut vero eæ ſint, oſtendo ab ejuſmodi libertatibus non arctari intra Canonum veterum cancellos Pontificis Romani poteſtatem, & juriſdictionem. Principio enim pleræque, quæ apud Puteanum pro libertatibus Gallicanis venditantur, (jure ne an injuria non hic moror) nihil cum veteribus Canonibus habent commune: uti quod Regii Officiales excommunicari nequeant, dum ſuo funguntur munere: quod ſupremæ Regni Curiæ delegare Eccleſiaſticas perſonas poſſint, a quibus Cenſuræ relaxentur: quod Regi jus Regaliæ, & quidem in Regnum, quo late patet, competat: Quod ſupremæ Curiæ cognoſcere poſſint in materia poſſeſſorii quoad Beneficia, & decimas; ad eaſque locus ſit appellationibus, quas vocant ab abuſu: quod non impetrata Regis, ſeu Curiæ ſupremæ licentia Indulgentiæ non promulgentur: quod Galliarum Eccleſiæ Breviaria, & Officia divina mutare nequeant abſ-

que litteris Regis patentibus: quod abſque Regio aſſenſu novi Regularium Ordines admitti, aut nova conſtrui Monaſteria nequeant: quod laici conſanguineis Eccleſiaſticis in bonis etiam ex Eccleſiaſticis profectitiis ſuccedant: quod Clerus Regi ſubſidia ordinaria per modum decimæ, aut gratuiti doni præſtet: quod Pontificia reſcripta ſub annulo Piſcatoris data recipiantur; ſecus imaginibus SS. Petri, & Pauli obſignata: quod in cauſſis Eccleſiaſticis mixtis criminalibus Judices laici ſe immiſceant, aliaque hujuſce generis, quæ diffuſe lib. 4. Charlaſius perſequitur, quorum ne ullum quidem in veteribus Canonibus veſtigium occurrit; ſi quod vero veſtigium occurrit, extemplo odii, execrationiſque dicam incurrit. Præterea olim, & nunc Pontifices in Galliis pleraque geſſiſſe, & indulſiſſe, ac nunc gerere, & indulgere, quæ vel cum veteribus Canonibus, vel cum laudatis libertatibus non ſatis cohærent; neque tamen Gallis id male acceptum ire compertum eſt omnibus. Ita olim in Galliis Vicarios ſuos Apoſtolicos degere jubebant, ad quos omnes Eccleſiarum cauſsæ deferebantur judicandæ, quibuſque jus erat integrum cogendi Concilia. Adparet id liquido ex epiſtolis SS. Zoſimi, Leonis, Symmachi, Felicis IV, Vigilii, Pelagii I, Gregorii M., aliorumque ad Epiſcopos Arelatenſes Sedis Apoſtolicæ vices gerentes, quo de argumento par. 2. Vindiciar. agemus. Ita olim ad S. Ludovici Regis preces Alexander IV. Pontifex Maximus anno 1255. S. Inquiſitionis tribunal in Galliis conſtituerat, librumque Guillelmi Sant Amoræi proſcripſit; atque ultro citroque conceſſit ſacra Facultas Pariſienſis a Pontifice in univerſum Orbem conſtitui, ac dirigi poſse qua Confeſsarios chriſtifidelium peccata relaxatum, qua verbi Dei præcones Chriſti Evangelium prædicatum, quod SantAmoræus, inique inficias ibat. Recolenda, qua ſupradedidimus de ſacro Inquiſitionis tribunali in Galliis frequens erecto, deque decretis a S. Congreg. Romæ adverſus pernicioſos libros editis ultro citroque in Galliis admiſſis, pervulgatiſque.

Impræſentiarum ita in Galliis Pontifici jus adſeritur prævention is in conferendis Beneficiis: a Pontifice jus conceſsum agnoſcitur in nominatione ad Beneficia conferenda: a Pontifice ad Regis nominationem Epiſcopatus, & Abbatias conferri: translatio-

tiones fieri Epiſcoporum; Epiſcopatus plures uniri; novoſque inſtitui: Beneficia commendari; atque plura ſimul licite ut retineantur, indulgeri: Pontificis eſſe Monaſteria a juriſdictione Epiſcoporum eximere: Studiorum Univerſitates erigere: novoſque Ordines approbare, etſi eos denuo inſtitui Concilium Lateranenſe vetuiſset: item indulgere, ut Epiſcopi ab Epiſcopis ordinentur; etsi olim eorum Ordinationes a Metropolitanis celebrari Canones juberent: Beneficiorum pluralitatem relaxari a Pontifice, tametſi eam olim reprobaverit præ aliis Concilium Chalcedonenſe: Pontificiæ eſse poteſtatis Reſignationes in favorem ratas habere; penſiones ſuper Beneficia permittere; & Beneficiariis coadjutores indulgere: potem eſſe Pontificem plenarias indulgentias elargiri: reſervare certos caſus, ac ſub certis legibus eorumdem veniam facere: diſpenſare circa ætatem Ordinandorum; circa temporum interſtitia; circa irregularitates; circa Matrimoniorum impedimenta, & gradus vetitos a Conciliis Lateranenſi, & Tridentino: quarum quidem diſpenſationum genus, ſi quod alicubi, in Galliis maxime in deſiderio eſſe, Gallorumque voto, uſuque frequens factum jam nemo ignorat. Mitto innumera, ne ſim præter modum longior: ſed & par. 2. Vindiciar. copioſe de Pontificis Romani juribus agendum erit. Poſtremo etſi generalibus Conciliis ſuprema a Gallis, qui iſthæc obtendunt, poteſtas adjudicetur, nihil tamen ex his libertatibus Gallicanæ Eccleſiæ timent; aut incommodi, aut diſcriminis: neque tamen Conciliorum generalium decreta omnia ad diſciplinam ſpectantia Gallicana Eccleſia vel reſpuit, vel recipit, uti de Conciliorum Baſileenſis, & Tridentini decretis actitatum eſt. Eccur ergo ex aſſerta ſemel Pontificis ſupra Concilium poteſtate, aut ex acceptatione Pontificiarum Conſtitutionum de diſciplina decernentium Gallicanis libertatibus periculum grande imminere, foreque facile, ut illæ peſsum eant, Galli iſti oſores, quam temere, tam tumide, atque ad ravim uſque jactitant? Adiſis Spondanum ad annum ſupra cit., ubi auctor eſt locuples, liquiduſque a libertatum Gallicanarum defenſoribus nunquam exiſtimatum Gallis exinde licere *Agere ſuo libitu, aut a jure communi in aliquo diſcedere, vel debitam ab omni ævo Romanis Pontificibus legitime intrantibus obedientiam denegare.*

Oſten-

Oſtendo 2. eaſdem libertates nihil lædi ab aſſerta ſemel Pontifici infallibilitate. Quemadmodum enim etſi Concilio generali in fide indeficientia adjudicetur, nihil exinde præjudicii Gallicanis libertatibus infertur; ita neque illis quidquam adverſi accidet, Pontificis infallibilitas ſtet, aut cadat: quippe Gallicanas libertates non ad fidei ſummam, ſed ad diſciplinæ caput ſpectare in confeſſo eſt. Quid quod ipſimet Gallicanarum libertatum depravatores, qui libertatum loco cotruptelas, & abuſus invexere Pithæus, Puteanus, Capellus, Hotmannus, Coquilæus, Leſchaſſerius, aliique hujuſce generis peſſimi Scriptores nunquam Gallicanis libertatibus deputaverunt, quod Concilium Pontifici præſtet, aut quod in fidei quæſtionibus non ſit iſte infallibilis? Atqui id eorum exhibitis teſtimoniis oſtendit Thomaſſinus diſſert. 18. in Synodum Romanam. Tantum vero abeſt, ut idem Thomaſſinus, Spondanus, de Marca, Duvalius, Habertus, Fleurius, Charlaſius, Pontaſſius, Contenſonius, Serrius, Langletius, Colletus, aliique inter Gallicanas libertates eas de Pontificis fallibilitate, & infra Concilium facultate adſtruerent, quin potius non adnumerandas docuere, uti de Marca, Fleurius, & Serrius: aut potius Pontificis infallibilitatem, atque ſupra Concilium poteſtatem tota mentis acie, animique contentione defenderint, uti Duvalius, Dartis, Gondeæus, Contenſonius, Thomaſſinus, Charlaſius, Argentræus, Abelly, Langletius, &c., quin propterea libertatum Gallicanarum propugnatores acerrimi eſſe deſiterint: quin imo Romani Pontificis integra privilegia manere jubent, veluti primum, præcipuumque Gallicanarum libertatum fundamentum, ac proinde eos Gallicis rebus non proſpicere, qui pro Gallicanarum libertatum fundamento Concilii generalis poteſtatem ſupra Pontificem collocant, concludunt, uti Pettus de Marca, Johannes de Selva, Spondanus ad annum 1639, Langletius; Cardinales de Biſsy, & de Mailly, Epiſcopi de la Fate, de Fenelon, de S. Albin, aliique Gallicani Antiſtites ſuperiori §. laudati. Quorſum ergo tam moleſte habet Boſſuetius defenſ. par. 2. lib. 11. cap. 15. dictum a Petro de Marca non unam eſſe ex libertatibus Gallicanis, ut Concilium generale ſuperius Romano Pontifice dicatur, habeaturque, ea ratione,

tione, quod ea libertate perinde utantur Galli erga Conciliorum, atque erga Pontificum nova decreta ad caput ſpectantia diſciplinæ? Iccirco quia ita appellationibus a Pontifice ad Concilium aditus intercluderetur? Atqui iſtam unam ex Gallicanis libertatibus volens næ vehementiſſimo in errore verſatur. At de appellationibus par. 2. agemus.

Præſtat interea hactenus diſputata claudere præclaris verbis Caroli Magni in epiſt. ad Elipandum, & ceteros Hiſpaniarum Epiſcopos, quos adhortatur, ut quum pauci ſint, qui in alienam a veritate ſententiam ſe abripi paſſi ſunt, cohorti Patrum ſe adjungant, a qua vel latum unguem deflectere grande ſciant eſſe piaculum. *Nec pigeat*, inquit, *Chriſtianum, ubi hæſitet quærere, nec pudeat, ubi neſciat, diſcere, quoniam pia humilitas diſcendi ſapientiæ intrat ſecreta, & melius eſt diſcipulum eſſe veritatis, quam doctorem exiſtere falſitatis. Ille ad altiora ſemper provehitur; iſte ad inferiora ſemper dilabitur, & inde Magiſter efficitur erroris, unde auditor contempſit eſſe veritatis. Meæ propriæ unanimitatis*, pergit piiſſimus Imperator, *tum iis ſanctiſſimis prædictorum Patrum decretis, & Catholicis ſtatutis conſenſum ſubnexui.... ne paucorum ſubdolis aſſertionibus conſentirem, ſed plurimorum teſtimoniis roboratam fidem firmiter tenerem.... Horum me ſanctiſſimæ multitudini, & probatiſſimæ auctoritati in veræ fidei profeſſione firmiter aſſocians, nec veſtræ me paucitati in conſenſione hujus novæ aſſertionis ſocium admitto*: & poſt pauca: *Vos igitur quia pauci eſtis, unde putatis vos aliquid verius invenire potuiſſe, quam quod ſancta univerſalis toto Orbe diffuſa teneat Eccleſia?* Quam recta ad eam, quæ recens veteri abjecta, eaque quidem a Majoribus accepta, ab exiguo oppido noviter ſapere volentium numero invecta eſt inconſulte ſententia, iſta collineant? Quanto autem probro iis perinde cedere oportet de eorum, quotquot ex gentilibus in Eccleſia Gallicana emicuerunt, inſtituto voluiſſe decedere, eorumque poſtabire veſtigia, quorum nec ad vetuſtatem exacta auctoritas, nec ad veritatem intentus animus, nec ad ſobrietatem compoſita ſcientia, ſed uni indulgentium ingenio, quodque ad hujus conformaretur intemperiem, id unum inſectantium?

Ex-

Ex Theologicarum rationum momentis.

ARTICULUS XII.

VIX ullum eſt alterum Chriſtianæ Religionis caput, in quod impotentiori odii impetu bacchantium efferato, effrenique more ferantur qua ſchiſmatici, qua hæretici, quam in Romani Pontificis Primatum, poteſtatem, in fideque indeficientiam, ut qui ferre non poſſunt ab eodem vel erroris damnari, vel ab Eccleſia abſcindi. Ejus rei cauſſa ut ab Eccleſia unum ſupremumque Caput amoveant, Eccleſiæ unitatem diſcerpere, ejuſque Hierarchiam e medio tollere aggrediuntur; nempe hanc unam in rem nervos, ac vires omnes adhibentes, ut unum ab Eccleſia Monarcham eliminent. Itaque Eccleſiam jure divino unam, ſeu in Eccleſia Hierarchiam a Chriſto Domino inſtitutam inficiantur Calviniſtæ, & Lutherani, ac præſertim Anglo-Presbyteriani, (qui enim Epiſcopales audiunt, noſtræ non admodum repugnant ſententiæ,) e quibus Johannes Paulus Habenſtricius in diſſert. de form. regim. in Eccleſ.; Adam Tribechovius in diſſert. de ordin. ſuper. poteſt.; Franciſcus Budæus lib. 5. inſtit. Theolog. cap. 4; Petrus Juriæus *Sïſteme de l' Egliſe* lib. 1. cap. 7; Claudius Salmaſius in diſſert. de Epiſcopis, & Presbyteris; Georgius Callixtus introduct. ad libellum Cypr. de unitate Eccl., & de Monarch. viſib. Pontif.; Moshemius inſtit. hiſt. Eccleſ. major. ſæcul. I. par. 2; Iohannes Muſæus lib. de Eccleſ. p. 1. diſp. 3, aliique cum antiqui, tum nuperi ejus generis profligatiſſimi homines, quorum pleroſque aliis in locis dinumeravimus, quoſque deſcribit, graphiceque depingit in ſuo Βασιλικοδωρό vel ipſe Jacobus Angliæ Rex pag. 147. ceu homines præcipites, ad unam plebem factos gratioſos, factioſos, unumque furoris præſidium in paritate collocantes, ſine modo ambitioſos, ſine cauſsa maledicos, nec quicquam ſpirantes, niſi ſeditiones; ſuſque deque divina, & humana pervertentes, & perturbantes, atque Eccleſiaſticam poſtquam everterint, contra Civilem pugnant poteſtatem. Eam obrem Eccleſiaſticam Hierarchiam, atque in ea Pontificis Romani Monarchiam, rem eſſe puri

puri putique nominis, ſeu juris dumtaxat humani contendunt. Et quidem in Eccleſia quidam ab Apoſtolis invectam ſuadere nituntur ex S. Anacleti epiſt. 2. pſeudoe-pigrapha; S. Julii I. epiſt. 1; & Canone pariter ſubditicio *Ego Ludovicus* diſt. 62, ubi dicitur Apoſtolos voluiſſe, ut ſibi præeſſet Petrus: juſſiſſe præterea, ut Romana Eccleſia omnium Primatum obtineret; Romanumque Pontificem vices Petri gereret. Ab hac opinione non abfuere Grotius, Leibnitius, & Blondellus de Primatu. Alii autem non ante III. Eccleſiæ ævum Hierarchiam Eccleſiaſticam audiviſſe, in eaque Romanum Pontificem ſupremum appellatum Monarcham: nec imo ante id temporis doctrinam de Eccleſiæ unitate inlaram. Ita Petrus Juriæus, & Georgius Callixtus, quorum opinionem ipſemet Moshemius in diſſert. de Gallorum appellatione ad Concilium refellit, quippe eo tempore antiquiorem eſſe doctrinam, quam tamen ipſe explodit, exiſtimat. Juriæo, & Callixto eo in errore deinde acceſſit Muſæus. Alii a Conciliis ortum ejuſmodi Pontificis in Eccleſia Primatum nactum eſſe malunt. Ita Nilus, & Illyricus in lib. contra Primatum Papæ; id ſe extundere jactantes ex Concilio Chalcedonenſi can. 28. juxta ipſum Nilum, ideſt act. 16. juxta noſtrum Codicem; ubi Romana Eccleſia a Patribus habuiſſe Primatum adſeritur: ex Juſtiniani Novella 100., apud nos autem 131, ubi decernitur, ut Romanus Epiſcopus omnium Sacerdotum ſit primus: & ex epiſt. 301. juxta Illyricum, ſed revera 288. Æneæ Silvii, ubi ait ante Nicænum Concilium, quemque ſibi, prout liberet, vixiſſe, neque ad Romanam Eccleſiam quemquam habitum reſpectum: addere poterant & Synodum IV. ſub S. Symmacho, ubi habetur Apoſtolicæ Sedi ſingularem poteſtatem traditam equidem ob merita B. Petri, ſed a Conciliorum auctoritate. Eos autem egregie refellunt doctiſſimi Bellarminus, Boverius, Petavius, Hallerius, aliique. Alii ab Imperatoribus regiminis Monarchici Eccleſiaſtici rationem, ſive Pontificis Primatum introductum, de quibus diximus art. 9, ubi de Imperatorum, Regumque teſtimoniis egimus. In id peſſimi operis, ut Eccleſiæ Hierarchiam, & Pontificis Primatum labefactarent, incubuere poſtmodum Marcus Antonius de Dominis, & Edmundus Richerius, de quibus

abunde dictum eſt alibi. An non in eaſdem partes deſcendant, qui contra Pontificis ſupremam poteſtatem enituntur, eamque Concilio ſupponere conantur, ipſimet viderint, id plane nobis videtur, ac propterea contra omnes poſt quam S. Scripturæ, & Conciliorum auctoritate, nec non Patrum, & Doctorum teſtimoniis pugnavimus, ratione quoque ut pugnemus, unum eſt reliquum: nam par. 2. Pontificum perinde dictis, geſtis, & juribus erit pro virili parte nobis pugnandum.

Unus Dominus, una Fides, ait Apoſtolus Epheſ. 4, 5: *Deus unus eſt, Eccleſia unitas; non reſpondet uni, niſi unitas*, aiebat S. Auguſtinus ſerm. 2. in Pſal. 101. num. 8; ex quibus ſic inſtauratur argumentum. 1. Religionis unitas infert Regiminis unitatem; atqui in Eccleſia Catholica Romana eſt, eritque unitas Religionis; ergo in ea neceſſe eſt unitatem eſſe Regiminis: ut autem unitas ſit Regiminis unum neceſſe eſt ſummum extare Rectorem, qui omnes regat. Qui pote? Fieri non poteſt, ut Religio ſit una, niſi qui ejuſmodi Religionis nomine cenſentur, in unitatem unius Eccleſiaſtici corporis coaleſcant: at ita coaleſcere in unum corpus nequeunt, niſi adſit unum Caput, quod omnes in officio, & unitate contineat. Quid ad hæc autem, quod Eccleſiam Catholicam ejuſmodi inſtituit Chriſtus Dominus, ut eadem Religio in ævum maneret? Non enim Religionem juxta temporum mutationes voluit mutari: atqui eadem Religio manere in ævum nequit, niſi eadem una ſit. Aliter. Chriſtus Dominus ejuſmodi Eccleſiam conſtituit, ut eadem ſemper eſſet, ejuſque dum viveret, ipſemet Caput exiſteret, ſub quo Chriſtifideles omnes velut in unitate corporis connecterentur: igitur Chriſto Domino poſt aſcenſum in Cælum oportet eodem in officio Capitis aliquem velut ex aſſe ſucceſſiſſe, qui Chriſtifideles veluti membra in uno eodemque corpore unita in extremum uſque ævum contineat: quem S. Petrum utique eſſe, ejuſque Succeſſorem Romanum Pontificem ex Chriſto D. didicimus, & credimus. Enim vero ſi Eccleſias omnes ſingulares in Orbem diffuſas Chriſtus inſtituit conjunctas inter ſe ſe, atque ita quidem ut in unum veluti corpus eſſent jugiter colligatæ: quemadmodum ſibimet veluti capiti eaſdem, dum in vivis ageret, conjunxerat, neceſſe eſt, ut vice ſui unum ſupremum Caput omnium

Eccle-

Eccleſiarum conſtituerit, a quo ſui modo Eccleſiarum omnium unio, & ſocietas, qua monitis, & præceptis, in eos, qui ſocietati nomen dediſsent, agendo conſoveatur; & quum opus fuerit, qua minis, & pœnis in eos, qui ſchiſmata conflare audeant, animadvertendo conſervetur: nam alioqui, niſi auctoritate unius te teræ in officio continerentur, omni ex cauſsa ſchiſmata exorirentur, & exorta modus exterminandi non eſset. Jam vero Caput iſtud Eccleſiarum omnium Romanum eſse Pontificem SS. Patres, qui vel ab Apoſtolis diſciplinam acceperunt, vel horum Diſcipulos audiverunt, vel ab Apoſtolis derivata traditione cognoverunt, tenent, docent, & tradunt. Hinc Romani Pontificis Cathedram *Unitatis Centrum*, uti SS. Cyprianus, & Optatus nuncuparunt; neque id negare eſt auſus Moshemius in diſsert. Theolog. hiſt. de Gallor. appell.: aut *Communionis Eccleſiaſticæ, & Catholicæ Societatis Caput*, uti SS. Hieronymus, & Gregorius Nazianz. hom. de creatione Epiſcopi Doarorum, cujus locum de Romano Pontifice intelligendum faſsus ingenue eſt ipſemet Caſaubonus exercit. 15. cap. 16; & Patres Concilii Chalcedonenſis in Synodica ad S. Leonem ita reapſe intellexerunt. Recole argumentum e ratione Monarchici regiminis petitum, quod tom. 1. propoſitionis fundamentum poſitum fuit, cui diſſertatio dein noſtra ſuperſtructa.

Exinde 2. exſurgit aliud argumentum. Si Romanus Pontifex poſt Chriſtum D., & S. Petrum Regimini Eccleſiaſtico eſt præfectus, ſeu Eccleſiæ Caput, & Rector, ſive Eccleſiaſticæ Communionis Centrum eſt conſtitutum, Eccleſia vero eſt corpus, & Chriſtifidelium ſub eo Capite congregatio, ſeu in eo Centro ſocietas coadunata; itaque Romano Pontifici ab Eccleſia univerſa debetur obedientia, eique officii loco eſse oportet Pontifici Romano obtemperare. Quis id, quæſo, tam impudens eat inficias? Chriſto D. etenim procul dubio ea quoque ratione obedientia debebatur, quod ſupremus eſset Religionis Rector: ejuſque Regiminis ipſa quoque eſt ratio, ut qui ſub Regimine continentur, ſuo Rectori ſive præcipiat, ſive moneat, ſive puniat, ſive minetur, omnes morem gerant. Hinc peſſime apud probos audit Launojus propterea, quod pro ſui ingenii intemperie in epiſtola ad Nicolaum Gattinæum definitionem Eccleſiæ a Bellarmino traditam impu-

gnare non erubuit; ac propugnare, quod deſcribi Eccleſia recte poſſit, non facta mentione Romani Pontificis, a quo regitur: quia nempe ſenſu ſuo ita regi haud indiget, quod ſeipſa ſtare nequeat, in eaque computari, qui Romano Pontifici cæteroqui non pareat, nec conſortio ſacrorum conjungatur. Sed erroris manifeſtiſſimi coarguitur teſtimoniis SS. Cypriani in epiſt. 69. ad Pupienum; Paciani in epiſt. 2. ad Sympron.; Ambroſii de obitu Satyri; Gregorii M. lib. 9. in epiſt. 4. ad Iſacium Hieroſolym.; Eulalii in vita S. Fulgentii; Maximi Mart. tom. 2. pag. 76. oper. edit. Combefiſii anni 1675, aliorumque, de quibus abunde ſuo loco. Hinc cum Romana Eccleſia ceteras omnes convenire oportere: cum eadem ab omnibus Epiſcopis communicandum eſſe: eidemque ab omnibus obediendum docuere, & ſcripſere SS. Irenæus, Cyprianus, Optatus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, aliique a nobis ſuo loco laudati. Hinc Petrus de Marca lib. 1. cap. 2. eam eſſe vim unitatis ajebat, quæ principium, & originem a S. Petri Sede trahit, ut cum ea ſentiendi neceſſitatem ceteris omnino imponat.

Confert huc mos ille a primæva ad hanc uſque devexiorem ætatem integer, religioſeque cuſtoditus, quem niſi in hiſtoria Eccleſiæ valde hoſpes cauſabitur, quo a Pontifice Romano decreta edita ubique ab Eccleſia ultro citroque admiſsa ſunt. Ita decreta S. Victoris in cauſsa Paſchatis contra Aſianos teſtibus Euſebio lib. 5. cap. 24, & Sozomeno lib. 7. cap. 19. S. Zephyrini in cauſsa Mœchorum, contra Montaniſtas, aliiſque in cauſſis contra hæreticos alios teſtibus Tertulliano lib. de pudicitia cap. 1, & S. Optato lib. 1. contra Parmen. S. Stephani in cauſsa anabaptiſſimi contra Africanos, & Orientales teſtibus S. Dionyſio Alexandrino in epiſt. ad SS. Stephanum, & ad Sixtum ejus ſucceſsorem apud Euſebium lib. 7. capp. 5, & 9.; S. Auguſtino lib. de unico baptiſmo contra Petil. cap. 14, & lib. 2. de baptiſ. contra Donatiſt. cap. 4; & S. Hieronymo in dialogo adverſ. Lucifer. S. Dionyſii in cauſsa S. Dionyſii Alexandrini de Sabelii errore ad Apoſtolicam Sedem delati; & contra Pauli Samoſateni hæreſim, uti liquet ex S. Athanaſio in epiſt. de ſententia S. Dionyſii Alexandrini adverſus Arianos, & in lib. de Synodis. S. Melchiadis in cauſſa

cauſsa Cæciliani contra Donatiſtas, ut auctores ſunt S. Optatus lib. 1. contra Parmen.; & S. Auguſtinus epiſt. 162. S. Silveſtri in cauſſa Arii de hæreſi ad ſe delati a S. Alexandro Epiſcopo Alexandrino, ut inferre fas eſt ex ipſo S. Alexandro in epiſt. Synodica ad S. Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopol.; & S. Liberio in epiſt. ad Conſtantinum Imper. apud S. Hilarium in fragmentis. S. Julii in cauſſa S. Athanaſii, Pauli Conſtantinopolitani, Marcelli Ancyrani, Aſclepæ Gazenſis, & Lucii Adrianopolitani, uti referunt S. Athanaſius in apolog. 2; Socrates lib. 2. cap. 15, & Sozomenus lib. 3. cap. 10: item contra Photinum Sirmienſem Epiſcopum de hæreſi accuſatum, ſicut teſtatur S. Hilarius in fragm. de Synodis. S. Damaſi contra Apollinarem, Macedonium, alioſque hæreticos, uti narrant Sozomenus lib. 6. cap. 25; & Theodoretus lib. 5. capp. 10, & 11. S. Siricii contra Rebaptizantes; Jovinianum; & Bonoſum, ut adparet ex ipſius epiſtola ad Himerium, & epiſt. S. Ambroſii ad ipſum: item contra Manichæos, Sabellianos, & Priſcillianiſtas, uti conſtat ex Gennadio lib. 1. de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 14; & S. Leone epiſt. 93, nunc 15. S. Anaſtaſii contra Origenem, ſicut fit manifeſtum ex ipſius epiſt. ad Johannem Hieroſol., Venerium Mediolanenſem, & Chromatium Aquilejenſem Epiſcopos; & S. Hieronymo lib. 2. apolog. adverſus Ruffinum. S. Innocentii in cauſſa S. Chryſoſtomi, ut habent idem S. Innocentius in epiſt. 17, 19, & 31; S. Gelaſius in epiſt. 13; Palladius in dialogo; Theodoretus lib. 5. cap. 34; & Facundus lib. 6: atque contra Pelagium, & Cæleſtium, ſicuti teſtantur S. Auguſtinus in epiſt. 47, nunc 215. ad Valentinum; & epiſt. 116, nunc 186. ad Paulinum; & S. Proſper in carm. de ingratis. S. Zoſimi contra eoſdem Pelagianos, uti legere eſt apud Marium Mercatorem in Commonit.; & Auctorem epiſtolæ ſub S. Cæleſtini nomine ad Epiſcopos Galliar. S. Cæleſtini contra Neſtorium, ſicuti fit perſpicuum ex epiſt. S. Cyrilli ad eumdem. S. Leonis M. contra Eutychianos, Manichæos, & Priſcillianiſtas, uti proſtat in cit. epiſt., in epiſtola ad Flavianum, & epiſt. 2, nunc 8; & apud S. Proſperum in Chron. ad annum 443. Hadriani I. contra Felicem, & Elipandum, ut narrant Eginardus ad annum 782. in annal.; Alcuinus lib. 1. contra Elipandum; & Dungallus in lib. adver-

adverſus Claudium Taurinenſem; exploratumque eſt ex epiſt. 97. ejuſdem Hadriani, quæ extat in Codice Carolino. Sed de his copioſius par. 2. Quocirca appoſite S. Agatho in epiſt. ad Imper. poſtquam Apoſtolicam Sedem a periculo omni errandi pronunciaſſet immunem, ſubdit: *Cujus auctoritatem.... ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & Univerſales Synodi fideliter amplectentes in cunctis ſecutæ ſunt*. Edi vero decreta eo verborum tenore conſueviſſe, ut exertiſſimam poteſtatem, & juris dicundi facultatem oſtentarent, atque ideo parendi neceſſitatem inferrent, obſervavit doctiſſimus Thomaſſinus.

Quo plane argumento petito a Decretis Pontificiis jugiter in Eccleſia receptis adverſus Græcos Schiſmaticos pugnarunt Æneas Pariſienſis, Ratramnus Corbejenſis, Anſelmus Avelburgenſis, Hugo Etherianus, Humbertus Silvæ Candidæ, SS. Petrus Damiani, Thomas, & Bonaventura. Ad hæc Henricus VIII, dum adhuc Catholicus audiret, contra Lutherum, & Lutherus ipſe quin imo ex omnium Chriſtifidelium, qui ubique gentium ſub Pontificis Romani poteſtate degunt, conſenſu extra omnem dubitationis aleam ejuſdem in Eccleſia Principatum eſse poſitum, fierique non potuiſse, ut idem Principatus a Deo non fuerit aut inſtitutus, aut invectus, argumentati ſunt. Hinc Hilarius Pragenſis Eccleſiæ Diaconus, cum Huſſitis Pragæ congreſsus, & Hieronymus Aleander Leonis X. Nuncius in Comitiis Wormatiæ celebratis anno 1521. contra Lutheranos diſputans Romanæ Eccleſiæ Primatum ea ratione potiſſimum defendendum adorſi ſunt, quod niſi id effeciſset & Chriſti D. inſtitutio, & Patrum traditio, effici minime potuiſset, ut homines omnis generis, ceteroquin a ſubjectione maximopere abhorrentes, Romano Pontifici ceu Chriſti Vicario obedientiam exhiberent: expedire etiam quammaxime, ut in Eccleſia Primatum idem Pontifex gereret, cui omnes Epiſcopi faſces ſubmittant: eo namque everſo futurum facile, ut Eccleſiaſtica Hierarchia peſsum eat, aut peſsime cedat: tot enim rerum Eccleſiaſticarum Domini, quot Epiſcopi, evadent: tot ſententiæ, quot homines; quotque ſententiæ, hinc totidem emergerent ſchiſmata. Neque vero in officio a Concilio eoſdem contineri poſse; nam neque iſtud congregari facile, ſemper-

perque poteſt, ac congregatum perſeverat: de jure perinde iſtud congregandi inter Epiſcopos non equidem conveniret; quod juris ſi Imperatori quis deferret, quominus id fieret, ceteri Imperatori haud ſubjecti Reges obluctarentur, & obſiſterent: quo igitur tandem cederet Eccleſiæ unitas? Quis Eccleſiæ leges ſacras, integraſque manere juberet? Quomodo Eccleſiæ ritus, doctrinamque in tuto collocaret? Confer Eminent. Pallavicinum in hiſt. Concil. Trid. lib. 1. cap. 25.

Equidem Gerſonius in tract. de exam. doctrin. conſid. 3. docet Romanorum Pontificum decretis deberi religioſam obedientiam externam, *Ita ut*, inquiens, *obligentur fideles ad non dogmatizandum contrarium*; non etiam deberi obedientiam internam, ita ut *non obligentur fideles ad credendum*. Cur id? Quia ſubdit, *Papa eſt deviabilis a fide, nec poteſtate ſupra Concilium pollet*. Cujuſmodi Gerſonianæ doctrinæ adſtipulantur Auctor operis, cui titulus: *Memoire pour ſervir a l' examen de cette maxime, que le Pape ajant la proviſion, on doit ſe ſoummetre a ſes jugements* an. 1717: Auctor diſſert. *Sur la Conſtitution du 8. Septembre annè 1713., ou l' on examine 1. ſi un grande Egliſe, comme celle de France, eſt obligè d' accepter purement, & ſimplement touttes les Conſtitutions dogmatiques des Papes* anno 1714.: Boſſuetius defenſ. declar. par. 2. lib. 14. cap. 23; & D. Le Gros Canonicus Eccleſiæ Remenſis in libro, cui ea epigraphe: *Renverſement des libertes de l' Egliſe Gallicane dan l' affaire de la Conſtitution* Unigenitus tom. 2. edit. anni 1716. Itaque juxta Gerſonii, eique adhærentium doctrinam internum animi obſequium Pontificiis Conſtitutionibus idcirco non debetur, quod Romani Pontificis auctoritas nec ſuprema omnium ſit, nec infallibilis. Ita plane: unde Boſſuetius ipſe in ſuo cum Miniſtro Claudio colloquio ſolide oſtendit abſolutam, perfectamque obedientiam nonniſi infallibili auctoritati deberi: & Cardinalis Noallius in docum. paſtor. anno 1719. pariter edixit fundamentum, quo nititur fides noſtra, certiſſimum, ac infallibile omni ex parte eſſe debere. Atqui (ita ex adverſo inſtauro argumentum) Pontificiis decretis debetur ab omnibus etiam internum animi obſequium, ſeu interior mentis obedientia; itaque ab adverſo Pontificibus Romanis adſerenda eſt ſuprema auctori-

auctoritas, atque omnimoda infallibilitas. Viden jure proinde dictum a nobis aſserto Pontificis in Eccleſia Primatu, ejuſdem appendices cum infallibilitatem in fide, tum ſupra Concilium auctoritatem fore perinde aſserendas?

Jam vero inreriorem ex animo obedientiam Pontifici eſse præſtandam oſtenditur, quia 1. iſtam obedientiam internam præcipiunt Romani Pontifices; religioſumque ſilentium haud ſufficere declararunt, & contrariam in ſententiam concedentes erroris nota affecerunt, diroque anathemate, uti conſtat ex Conſtit. anni 1665. *Regiminis Apoſtolici* Alexandri VII: ex Brevi Clementis IX. anno 1669. ad quatuor Epiſcopos Andegavenſem, Bellovacenſem, Apamienſem, & Alectenſem, quibus ſuam communionem reſtituit, qua pridem ob denegatam formulario fidei ab Alexandro VII. edito ſubſcriptionem mulctati fuerant, atque formulario ſubſcripſerant, ut eſt apud Berninum tom. 4. ſæculo XVII. cap. 6: ex Brevibus litteris an. 1694, & 1696. ab Innocentio XII. ad Epiſcopos Belgii exaratis; & Conſtitutione an. 1705. *Vineam Domini Sabaoth* Clementis XI. Quia 2. iſtam obedientiam internam Pontificiis decretis ab omnibus deberi docuit Gallicanus Clerus in Comitiis anni 1653, uti liquet ex litteris ad Innocentium X. inſcriptis: in Comitiis anni 1656, ut adparet ex litteris ad Alexandrum VII. adornatis: in Comitiis anni 1663, ut patet ex epiſt. ad eumdem Pontificem exarata: in Comitiis anni 1705, uti legitur in epiſt. ad Clementem XI, in Encyclica ad Galliarum Epiſcopos; ac in Comitiis anni 1714, e quibus cum ad univerſos Regni Epiſcopos, tum ad eumdem Pontificem ſcribens ab ſe non modo Summorum Pontificum decretis dogmaticis omnimodam deberi obedientiam profitetur, ſed etiam omnimodæ hujuſce obedientiæ ſe vadem, & ſponſorem pro tota Eccleſia Gallicana præſtat. Similia ſcripſit idem Clerus e Comitiis anni 1735 ad Clementem XII. pro impetranda B. Franciſci Regis inter Sanctos relatione. Doctrinam haucce nempe hauſerat, velut conjectura aſsequi valeo, ex S. Nicolao I. in epiſtola ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam, qua nedum ſimulata exterius obedientia, ſive obſequioſo ſilentio, ſed imo ex intima animi ſententia cum ſcripta in favorem Photii devoveri, tum ab ſe decretis

tis ſubſcribi jubens, *Alioquin*, inquiebat, *ſtudiis, quibus poſſumus, inſiſtemus, ut inter exanimes computentur, qui in auctoritatem Petri non conſenſerint, imo Dei ordinantis in Petro non intellexerint; ita ut nec iſta, quæ pernicioſe compilata ſunt* (pro defenſione Photii) *defendere, nec his ſimilia, ut non dicam ſcripto tradere, vel in mente volvere quis ulterius audeat.*

Quia 3. iſtam obedientiam internam deberi docuit ſacra Facultas Pariſienſis, quæ eam Antonii Arnaldi propoſitionem, quæ affirmabat abunde id eſſe, ſi circa Pontificum Conſtitutiones religioſum ſervaretur ſilentium, ceu temerariam, ſcandaloſam, & injurioſam ſummo Pontifici anno 1656. nigro calculo notavit. Anno item 1704. celebris Caſus conſcientiæ doctrinam, qua hujuſmodi ſilentium ſufficere dicebatur, confixit: antehac etiam anno 1661. formulario fidei ab Alexandro VII. adornato ſubſcribendum ſanxit: atque demum anno 1705. decreto ſolemni Conſtitutionem *Vineam Domini* Clementis XI. recepit, atque in tabulas retulit. Confer Tournellium de Eccleſ. quæſt. 5. art. 3. Quia 4. iſtam obedientiam internam decretis Pontificiis deberi ultro citroque docuere plerique, iique doctrina præclariſsimi Galliarum Antiſtites Cardinalis Noallius, qui anno 1703. in eum Caſum conſcientiæ, quo ea obedientia interna denegabatur, cenſorium ſtilum diſtrinxit: Boſſuetius ipſe in ſerm. habito ad Conventum Cleri Gallicani anni 1682, cujus verba refert, ſuaque facit Languetius Archiepiſcopus Senonenſis in epiſt. ad Epiſcopum Engoliſmenſem die 2. Februarii anno 1719: Cardinales de Rohan Epiſcopus Argentorat. in mandato paſtor. anno 1708., & de Biſsy in docum. paſtor. anno 1728: D. Abelly Epiſcopus Ruthenenſis in tract. de obedientia debita Romano Pontifici eam obediendi omnimodam neceſſitatem confirmans teſtimonio, exemploque egregio S. Hieronymi in epiſt. ad S. Damaſum ſe paratiſſimum pronunciantis ad ſentiendum, & loquendum, (de una ſcilicet, aut tribus hypoſtaſibus) quomodo ut ſentiret, & loqueretur ipſi præſcripſiſset Pontifex; atque obſervans ex S. Cypriano non aliunde obortas hæreſes, aut enata ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei, (cujus nomine a S. Cypriano S. Cornelium Papam præſignatum contextus ſeries demonſtrat,) nec obtem-

temperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Judex vice Christi cogitatur : D. de Fenelon Archiepiscopus Cameracensis, qui librum suum de Maximis Sanctorum ab Innocentio XII. censura confixum intelligens, ac supra viginti in eo propositiones proscriptas, dicto, & facto obedire se, & obsequi, & quidem ex animo Pontificis judicio palam fecit, & professus est, cujus obsequii, obedientiæque exemplum, & doctrinam Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1700. extulit, & probavit. Mitto ceteros, ne sim longior; sed recole dicta de doctrina Ecclesiæ Gallicanæ.

Ex quibus sic 3. instruitur argumentum. Si Romano Pontifici, quia Caput est Religionis, Sacrorum Præses, Sacerdotiisque cunctis Præpositus, obedire ex animo omnes debent, eidemque de fide edicenti ex intima mentis adhæsione Ecclesia debet adquiescere, igitur Romanus Pontifex Concilio generali, ideste Ecclesia congregata est superior: alioquin enim si Concilio esset inferior, Concilium potius, quam Pontifex, esset unitatis Centrum, & Communionis Ecclesiasticæ vinculum; neque in Pontifice, sed potius in Concilio requiescendum Christifidelibus foret. At id absurdum valde, & absonum. Enim vero, ut id refugii præsto Christifidelibus sit, quandoquidem dubia circa fidem, mores, disciplinamque continuo emergunt, necesse foret utique, ut Concilium aut perenne esset, aut facile posset congregari: utrumque vero desiderare est, ac etiam difficillimum. Interea late, impuneque grassarentur hæreses, atque Christifideles inficiendi omnem haberent modum. Putasne ita incaute provisum, inconsulteque prospectum a Christo D. Ecclesiæ? Fac vero congregandum fore Concilium: id a quo fiet? a Pontifice? At si Pontifex eo inferior sit, potestate coactiva illud cogendi procul dubio caret: congregatum sit tamen: in eo cum Episcoporum, tum Pontificis necessaria est præsentia, cujus quidem defectu incassum pleraque Concilia cessisse perspectum est; neutra autem horum præsentia desideretur, quid tamen si a Pontificis sententia Episcopi discordarent? Quibus horum Christifidelibus erit adhærendum? Neutris sane; non Pontifici, quippe eorum in sententia errori ipsius judicium subjacet; non Episcopis, quandoquidem infirmum plane eorum judicium evadit, si illi Pontificis desit assensus, experientiaque

tiaque exploratum eſt ipſos vel in Concilio congregatos ſæpiſſime in errores prolapſos fuiſſe, atque in fide eclipſim paſſos. Itaque is, cujus intereſſet, vel a Papa ad Concilium, vel a Concilio ad Papam, vel alternatim ad utrumque facile provocaret, prout alterutrius ſententia ſibi non arrideret. Ad hæc quis neſciat Epiſcopos in Conciliis, qua partium ſtudio abreptos, qua propriæ ſententiæ, quam par eſſet, tenaciores perſæpe in adverſas abiiſſe ſententias, & quidem aliquando plenas erroris? Cujuſmodi evaderet ergo Concilium, niſi illi poteſtas quæpiam præeſſet, illoque quidem præpollens, quæ omnes in officio contineret, & quoſdam ad meliorem frugem compelleret, quoſdam vero in recta fide confirmaret? Non ne exinde ſæpius ſchiſmata enaſcerentur, ſcilicet ex Epiſcoporum diſcordia? Quis vero enata ſchiſmata eradicaret, Epiſcopos ad concordiam revocando, niſi omnium potior Pontifex, cujus dicto omnes obedientes eſſe debere dicantur? E contra vero ſi Epiſcoporum unicuique fas fieret (& quidem fieri neceſſe foret, ſi Pontifici Epiſcoporum Concilium præferatur) Pontifici præcipienti impune obſiſtendi, obedientiamque denegandi, opponendo injuſtum eſſe præceptum, ac proinde ad Concilium provocandi, quis non videat latam exinde viam ſchiſmatibus aperiri, & ſterni? Id jampridem obſervatum eſt a Viris doctiſsimis Franciſco Victoria in tract. de auctor. Papæ, & Concilii; Didaco Payva in defenſ. Trident. fidei lib. 1; Andrea Duvallio par. 1. q. 7; & ante ipſos a S. Gregorio Nazianz. ep. 55. ad Procopium, qui propterea ſcripſit *Sine periculo, & offenſione nunquam Sacerdotum haberi conventus*: & iterum: *Ego ſi vera dicere oportet, ita omnia Epiſcoporum Concilia fugio, quoniam nullum Concilii finem lætum, fauſtumque, nec quod depulſionem malorum potius, quam acceſſionem, & incrementum habuerit, vidi*. Et quidem, ut exempla præteream Conciliorum Epheſini, & Ariminenſis, eadem de Conciliis Conſtantienſi, & Baſileenſi, ſuppeditabunt legenti VonderHart, & Lenfantius; ac Pallavicinus de Tridentino ipſo pleraque horum ſimilia referens; ut proinde apertiſſima in re nolim eſſe prolixior.

Hujuſmodi argumento petito ab obedientia Pontifici debita, ſeu adhæſione, qua in Pontifice veluti in unitatis Centro, &

Capite Eccleſiaſticæ communionis conquieſcendum Chriſtifidelibus omnibus eſt, preſſi auctoritatis Pontificiæ Oſores reponunt 1. Concilia equidem œcumenica, atque dumtaxat eadem ſuprema, eaque infallibili auctoritate pollere. Quippe 1. in Conciliis generalibus retractata aliquando ſunt Romanorum Pontificum decreta. Ita retractatæ, & ad incudem, ut ajunt, revocatæ epiſtolæ dogmaticæ S. Cæleſtini in Epheſino; S. Leonis in Chalcedonenſi; SS. Martini I, & Agathonis in Conſtantinopolitano III. 2. Ad Concilia generalia a Pontifice eſt frequentiſſime appellatum; ſtulta vero, & præpoſtera foret, fuiſſetque a ſuperiori ad inferiorem, atque ab eo, qui falli, & fallere nequeat, ad eum, qui poſſit, appellatio. Atque quidem appellationum uſum a S. Siricii tempore invaluiſſe ſcribit pro ſua impudentia Launojus in epiſt. ad Nicolaum Parvipedium: Boſſuetius par. 2. lib. 15. cap. 25. a priſca omnino traditione profectum autumat: Anonymus Lovanienſis de loc. Theolog. tom. 3. diſſert. 5. quæſt. 2. a II. Eccleſiæ ſæculo obtinuiſſe exiſtimat: Natalis, & Tournellius Gerſonium appellationis doctrinam inducentem ſectati ejuſmodi appellationum exempla non altius, quam a Sæculo XIII. repetunt: quorum primum ſit appellatio Philippi Pulchri, Cleri Gallicani, & Academiæ Pariſienſis a Bonifacio VIII. 2. Johannis Dauvet Procuratoris Generalis Caroli VII. Regis a Pio II. Pragmaticam ſactionem irriram eſſe jubente. 3. Academiæ item Pariſienſis a litteris Pauli II. eamdem Pragmaticam ſanctionem reſcindentis. 4. Johannis Nanterre Procuratoris generalis a Sixto IV. ob legationem in Galliam Johanni Baule a Pontifice demandatam, qui libertates Gallicanas invadere ipſi videbatur. 5. Academiæ iterum Pariſienſis ab Innocentio VIII. pro immunitate Cleri Gallicani ab indictione Decimæ a Pontifice imperatæ. 6. Ejuſdem Academiæ pro electionum defenſione a Concordatorum Bononienſium promulgatione, & Pragmaticæ ſanctionis abrogatione facta a Leone X.: addere poterat Natalis exemplum ſuæ, (ſi fides eſt adhibenda Daneſio id referenti,) aliorumque Refractariorum, præſertim quatuor Epiſcoporum Mirapicenſis, Monſpeſſulanenſis, Bolonienſis, & Sanitienſis a Conſtitutione *Unigenitus* Clementis XI, appellationis. Scilicet iſthæc exempla

pla ſunt ejus generis appellationum, quas jure interponi poſſe putat. Nam interjectas a Juliano Eclanenſi Pelagiano homine a SS. Innocentio I, & Zoſimo: a Johanne Hus ab Alexandro V; a Michaele Cæſenate a Johanne XXII; a Luthero a Leone X; a Thadeo Procuratore Friderici II. Imper. ab Innocentio IV; a Sigiſmundo Auſtriaco, & Georgio Heimburgio juriſconſulto a Pio II; a Paulo Voladinuro Poloniæ Regis Oratore a Martino V. temere factas, & jure vacuas pronunciat.

Reponunt 2. Concilia præterea generalia neceſſaria eſſe: quippe 1. ita docuere S. Auguſtinus, dum ſæpe dixit *Implicatam, obſcuramque de baptiſmo hæreticorum quæſtionem plenario totius Orbis judicio finiendam fuiſſe*: Euſebius ajens *Majoris momenti controverſias aliter, quam Synodorum ſententia componi nequire*: S. Innocentius I. ſcribens *Synodali cognitione peropus eſſe, quam dudum cogendam cenſuerat, ut qua ſola talium procellarum motus ſopiri poſſent*: S. Leo M. a Theodoſio Imperatore impenſius efflagitans, ut Concilium intra Italiam contra Eutychetem celebraretur, quamvis Eutychetis hæreſis ab ipſo Pontifice in Romana Synodo jam prædamnata fuiſſet: Synodus quinta generalis, dum in collat. 8. enuntiavit: *SS. Patres, qui per tempora in ſacris quatuor Conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes, communiter de exortis hæreſibus, & quæſtionibus diſpoſuerunt; certo conſtituto, quod in communibus de fide diſputationibus, quum proponuntur ex utraque parte, quæ diſcutienda ſunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii: nec enim poteſt in communibus de fide diſceptationibus aliter veritas manifeſtari*. 2. Cæteroquin non adeo Concilia eſſe neceſſaria, ut alio modo Eccleſiæ neceſſitatibus actutum occurri nequeat, atque ut novæ exſurgenti hæreſi extinguendæ, aut exorto ſchiſmati exterminando continuo ſit Synodus congreganda: nam ad id abunde eſt Pontificis judicium, cui aſſenſum Epiſcopi ſuum exhibeant: exinde enim efficitur, ut error ab Eccleſia univerſali, ſeu ab æquivalenti Concilio auctoritate efficaciter extirpetur. Atque ita frequenter ſacra Facultas Pariſienſis docuit in Cenſuris ſuis tum contra Drovetium anno 1663; tum contra Milleterium anno 1664, qui quum librum evulgaſſet ſub titulo *Le Pacifique veritable*, in eoque ſcripſiſſet Sedis Apoſtolicæ

licæ decreta de fide tum demum infallibilia evadere, ſi in Conciliis œcumenicis fierent, inquibus dumtaxat Eccleſiæ conſenſus explanatur, ſacra Facultas doctrinam hancce, ceu temerariam, Eccleſiæ injurioſam, & hæreticam cenſura inuſſit, eo quod Eccleſiæ univerſali in nullo alio ſtatu, quam in Concilio œcumenico congregatæ, infallibilitatem tribuat, qua frui etiam diſperſam ſacra Facultas docet.

Reſpondeo ad 1., ac quidem 1. ex adnotatis, ubi de iiſdem Conciliis diſſerebam, luce meridiana liquere quidem laudatas epiſtolas a præfatis Conciliis agnitas fuiſſe tamquam ſacræ Scripturæ, & SS. Patrum traditioni apprime conformes; at nequaquam examini fuiſſe ſuppoſitas, quin imo ea, qua par erat, ſumma animorum ſubmiſſione, & obedientia Patres iiſdem ſe ſubjeciſſe, idque obſequii iiſdem Patribus ab illis Pontificibus fuiſſe præſcriptum. Ad hæc adverſarii iſta objicientes ſe ſe confodiunt. Concedunt enim (abſit namque, ut id negare audeant) dogmaticam Romani Pontificis epiſtolam, cui potior Epiſcoporum pars adhæſerit, indubiæ prorſus auctoritatis evadere, ac proinde iterato examini, judicioque citra nefas ſubjici nequire: atqui prælaudatis quatuor Romanorum Pontificum epiſtolis, antequam celebrarentur præfata tria generalia Concilia, jam majoris Epiſcoporum partis conſenſus acceſſerat, uti præ aliis planum fecit Clariſs. Orſius: nam S. Cæleſtini epiſtolæ contra errores Neſtorii, antequam celebraretur Epheſinum Concilium, jam conſenſum præbuerant ſuum Epiſcopi Occidentis, atque ex Oriente permulti Antiſtites, ac præſertim Alexandrini Patriarchatus. S. Leonis adverſus Eutychetem epiſtolæ ante Concilium Chalcedonenſe jam ſyngrapham adjecerant ſuam Epiſcopi omnes, præter nonnullos Palæſtinæ, & Illyrici, quam par eſſet, moroſiores. SS. Martini, & Agathonis epiſtolas adverſus Monothelitas ante Synodum VI. jam Eccleſiarum Præſules fere cuncti æqui, bonique fecerant. Quorſum ergo haſce epiſtolas in laudatis Conciliis examini ſubjectas comminiſcuntur? Demum etſi daremus epiſtolas illas novo examini, novoque judicio ſubmiſsas, inde immerito colligitur Romani Pontificis haud ſupremam eſſe poteſtatem, eamque infallibilem, quandoquidem in Conciliis quoque generali-

ralibus, quibus id privilegii adverſarii attribuunt, præcedentium Conciliorum definitiones plane indubiæ non abſque cauſsæ cognitione, quo ſenſu examini ſubjectæ dici debebunt, confirmatæ fuerunt. Ita Patres Concilii Chalcedonenſis poſt iteratum examen confirmarunt, & tamquam Nicænæ fidei conſonas itera-to approbarunt definitiones Conciliorum Conſtantinopolitani I, & Epheſini. Quemadmodum ab eodem Concilio Chalcedonenſi in poſterioribus actionibus ad regulam traditionis expenſa fuit epiſtola S. Leonis, quæ in primis actionibus nullo prævio examine ab omnibus Epiſcopis jam fuerat recepta. A Concilio Florentino novo examini ſubjecta fuere ea fidei capita, ac plane indubia, quæ Græcorum ſchiſmati dederant occaſionem, jamque in Lugdunenſi finita fuerant. In Tridentino Lutheri errores a Leone X. prædamnati, atque ab Eccleſiis omnibus jam antea proſcripti novo examini, & judicio ſubmiſſi ſunt, ut oſtendit Thomaſſinus diſſert. 12. in Concil. Chalced. Quid quod, ſicuti refert Pallavicinus, non niſi re in deliberationem miſsa, præhabitoque examine ſacrorum Librorum canon, qui in Eccleſia uſu jam venerat, editus eſt? Miſsa facio multa alia, in re enim facili nolo eſse multus.

R. 2. Me parte 2. Vindic. palam facturum viam appellationis viam fuiſse, quam ſoli aperuere hæretici ad eludendam debitam Pontificum decretis obedientiam: Eccleſiam cunctas contra dogmaticas Pontificum definitiones interpoſitas appellationes inficias iviſse, atque execratam eſse; eaſdem quoque prohibitas fuiſse, & quidem ſub pœna excommunicationis tanquam frivolas, & contra ſacros Canones factas, a S. Gelaſio I, Martino V, Callixto III, Pio II, Sixto IV, Julio II, Gregorio XIII. &c.; prout etiam interjecta a quatuor Gallicanis Epiſcopis anno 1717. a Clemente XI. anno 1718. per ſuas litteras incipientes *Paſtoralis officii* proſcripta fuit. Quid autem quod 40., aut 50. Galliar. Epiſcopi, ut narrat auctor biblioth. Janſeniſticæ tom. 1, in mandatis ſuis paſtoralibus ejuſmodi appellationi a 4. Epiſcopis interpoſitæ ſchiſmatis infamiam inflixerunt? Fleurius etiam hiſtor. Eccleſ. auctor a Duce Aurelianenſi Regni adminiſtratore interrogatus aſseveranter reſpondit aliud ejus generis appellationum exem-

exemplum non præexiſtere, niſi quo Julianus, Lutheruſque præluſerunt a dogmaticis Pontificis decretis provocantes. Baſilice porro id a Gallicanis illis Epiſcopis 40, aut 50. factum: atque recte a Fleurio adfirmatum. Nam appellatio fieret, vel a Papa ad Concilium Papæ conjunctum, vel disjunctum? Si poſterius, tunc appellatio fieret ad Concilium acephalum, ideſt illegitimum, & ad Judicem conſequenter haud idoneum: ſi prius, tunc fieret appellatio a Pontifice ad Pontificem, & ita eſset irriſoria. Ita Lutherus primitus appellavit a Cardinali Cajetano ad Papam; deinde a Papa male informato ad Papam melius informandum; tum a Papa ad Concilium, & ubi vidit Concilium Tridentinum congregatum, a Concilio ad ſacram Scripturam; ab hac autem ad ſenſum proprium, ſeu privatam interpretationem, atque ita ad ſemetipſum. Ejuſmodi vero exempla appellationum, vix quatuor eſt in tota retro antiquitate adinvenire, quæ imitati ſubinde ſint Janſeniſtæ, ideſt Juliani Eclanenſis ab SS. Innocentio, & Zoſimo; Johannis Hus ab Alexandro V; Michaelis Cæſenatis a Johanne XXII; & Lutheri a Leone X: exempla enim, quæ attexunt Natalis, & Tournellius, quamquam contra fas, nihil ad rem, quippe quæ ad fidem non faciunt. Quare ex illis perperam Pontificum infallibilitas, & ſuprema poteſtas laceſſitur, atque proinde ex illis perperam exemplum traxere Janſeniſtæ, & Queſnelliani appellandi a Conſtitutione Clementis XI: cujuſmodi exemplum potius in quatuor præfatis hæreticorum hominum appellationibus quærendum fuerat. Itaque jure optimo Petrus de Marca lib. 4. cap. 17. appellationes a Papa ad Concilium a vetere diſciplina prorſus alienas pronunciavit.

Repono ad 2., & quidem 1. quod, ut multis oſtendunt DD. Abelly, & Languetius, S. Auguſtinus nunquam adfirmavit quæſtionem de rebaptizandis hæreticis nonniſi in Concilio plenario finiri potuiſſe. In ſcriptis equidem S. Auguſtini legitur, quod ea quæſtio tandem in Concilio plenario, (de quo viri eruditi diſſentiunt, quibuſdam illud fuiſſe Nicænum ajentibus, aliis pro Arelatenſi pugnantibus,) finita fuerit: at non habetur, quod ad eam finiendam plenarium Concilium congregari fuerit neceſſe; quod ſane eo tempore, quo excitata fuerat ea quæſtio, difficillime

lime cogi potuiſſet. Quod Euſebius loquitur eo loci de Conciliis Provincialibus, quibus juxta obtinentem, inductamque tum temporis diſciplinam, majoris momenti cauſſæ componebantur; hancque diſciplinam religioſe cuſtodiendam voluit Euſebius: quod non impedit, quo minus eo etiam tempore pleræque cauſſæ, quales Montani, Otigenis, Novatiani, Sabellii &c. ſolius Romani Pontificis ſententia terminatæ ſint: conſtantiſſimum enim eſt tempore Euſebii nonniſi Nicænum Concilium congregatum, ante id autem ævi jam pleraſque proſtratas, protritaſque hæreſes fuiſſe plane a Pontificibus. Quod S. Innocentius agit ibidem de magnis Orientalium turbis, quas excitavetat S. Chryſoſtomi depoſitio, & deportatio, ſeu exauctoratio, & exilium; quibus ſedandis Synodum tanquam peropportunam deſiderabat Pontifex, non item ad fidei aliquam dirimendam quæſtionem. Quod S. Leoni M. Concilium equidem in deſiderio fuit, ut judicium contra Eutychetem ſolemne evaderet, non etiam quod exiſtimaret Concilio ad id opus eſſe: eo vel maxime, quod eo in Concilio quid tenendum, quid docendum, quid agendum Patribus ipſe præſcripſerit, ut ibidem oſtendimus. Quod Patres Synodi V. his verbis palam fecerunt, equidem Epiſcopales cœtus, & Eccleſiaſticas collationes utilitatem ad fidei controverſias finiendas conferre quam maximam, quia nempe in illis in utramque partem re diligenter diſcuſſa veritas magis magiſque eluceſcit: at abſit eam iis inſediſſe ſententiam, ut exiſtimarent neceſſaria omnimodis eſſe Concilia ad dogmaticas cauſsas dirimendas.

R. 2. Non inficias me ire ſane eamdem eſſe omnino Eccleſiam, quæ in Orbem diffuſa, & quæ in Concilio coadunata eſt: ideoque diffuſæ judicium æquivalere adfirmo judicio coadunatæ, ideſt ejuſdem ponderis, æquique pretii eſſe ſive in Concilio expreſſe, ſive extra Concilium tacite judicet: *Eccleſia Dei*, ajebat egregie S. Auguſtinus epiſt. 119, nunc 55. cap. 19, *ea, quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit*. At ejuſmodi judicium Eccleſiæ, qua ratione infallibile, notumque fiet? Ex Pontificis Romani definitione procul dubio, non etiam ex ſolo Epiſcopotum conſenſu, ut adverſarii arbitrantur. Nam 1. Pontifici ex Cathedra definienti, ideſt Eccleſiæ univerſæ

dicenti ab Epiſcopis omnibus ſive in Concilio, ſive extra Concilium obedientiam, animique obſequium deberi, oppido multis demonſtratum, opinor, jam eſt: Itaque ne definitioni dubiæ, errorique obnoxiæ obtemperando Eccleſia errori obnoxia ipſa evadat, oportet Pontificis definitionem extra omnem dubitationis aleam eſſe poſitam, proculque abeſſe fidei periculum. 2. Pontificibus ex Cathedra definientibus id ſolemne ſemper, ac frequens fuit, ut editas definitiones ad Eccleſias dirigerent, quibus Epiſcopi omnes, qui Romanæ Eccleſiæ communione nollent carere, ſyngrapham adjicere ſuam deberent. Ita in cauſſa Novati, & Catharorum factitatum a S. Cornelio refert Euſebius lib. 6. cap. 43. In cauſſa Pauli Samoſateni a S. Dionyſio auctores ſunt idem Euſebius lib. 7. cap. 30; S. Cyrillus Alex. in apolog., & Marius Mercator common. edit. Baluzii pag. 178. In cauſſa Donatiſtarum a S. Silveſtro liquet ex Synodica Concilii Arelatenſis. In cauſſa Apollinaris, Macedonii, & Eunomii a S. Damaſo narrat Theodoretus lib. 5. capp. 9, & 11. In cauſſa Joviniani a S. Siricio teſtis eſt locuples S. Ambroſius in epiſt. ad eumdem Pontificem tom. 2. ipſius oper. Similia multa ſuo loco laudabimus.

Ad hæc 3. Epiſcopis equidem errores de novo emergentes proſcribendi jus facimus; proſcriptos vero Epiſcopis omnibus denuntiandi encyclicis datis iiſdem familiare extitiſſe fatemur: at præcipue ad Romanum Pontificem ejuſmodi litteras dirigi conſueviſſe, quatenus ejuſdem præſertim judicio errores proſternerentur, atque ab Eccleſia univerſa penitus eliminarentur, liquido conſtat ex litteris 99. Epiſcoporum Concilii Lambeſitani anno 240. ad S. Fabianum, quibus obſecrant, ut latam in Privatum ſententiam ſuo calculo comprobaret, ut eſt apud S. Cyprianum epiſt. 55. ad S. Cornelium. Ex litteris Patrum Concilii Carthaginenſis anno 251. ad S. Cornelium, quibus deprecantur, ut ejaculatam in Feliciſſimum, & quinque alios Presbyteros ſententiam ſua auctoritate probaret, ut eſt apud eumdem S. Cyprianum epiſt. 42. ad eumdem. Ex litteris S. Dionyſii Alexandrini, quibus ad S. Sixtum Sabellium de hæreſi detulit apud Euſebium lib. 7. cap. 6. Ex litteris Antiſtitum Concilii Antiocheni anno 269, quibus ad eumdem Dionyſium de hæreſi delatus eſt Paulus Samoſatenus

nus apud cit. Euſebium lib. 7. cap. 30. Ex litteris Epiſcoporum Africæ ad S. Melchiadem in cauſſa Donatiſtarum, ut eſt apud S. Auguſtinum epiſt. 162. Ex litteris Patrum Concilii primi Arelatenſis anno 314. ad S. Silveſtrum, quibus ab ſe decreta ad Pontificem confirmanda diriguut, atque ut ab ipſo probata ad ceteras Eccleſias tenenda mitterentur. Ex litteris Epiſcoporum Concilii Antiocheni anno 379. ad S. Damaſum in cauſſa Marcelli Ancyrani, Photini, & Apollinaris, ut eſt apud S. Gregorium Niſſenum in epiſt. ad Olympium Monachum, ſeu in vita S. Macrinæ Sororis. Ex litteris Concilii Italici anno 390, cui adfuit S. Ambroſius, ad S. Siricium in cauſſa Joviniani, ut eſt apud eumdem S. Ambroſium in epiſt. ad citatum Siricium. Ex litteris Præſulum Africæ ad SS. Innocentium, & Zoſimum in cauſſa Pelagii, & Cæleſtii, ut eſt apud S. Auguſtinum epiſt. 47, nunc 215. ad Valentinum; & epiſt. 106, nunc 186. ad Paulinum. Ex litteris S. Cyrilli Alexandrini ad S. Cæleſtinum, quibus obteſtatur, ut de Neſtorio ſententiam dicat, eamque ad Epiſcopos Orientis omnes ſubſcribendam dirigat. Ex litteris apologeticis Johannis Thalajæ Præſulis Alexandrini ad S. Gelaſium contra Pelagianam hæreſim elucubratis, ut eſt apud Photium cod. 54. Ex litteris Epiſcoporum Orientalium ad Johannem II. circa propoſitionem Acæmetarum Monachorum apud Liberatum in breviar. cap. 20. Ex litteris Profuturi Bracarenſis Antiſtitis ad Vigilium pro anabaptiſmo, quem in Hiſpania Ariani, & Priſcillianiſtæ redintegrarant apud Baluzium tom. 1. Collect. Concil., & ne ultra modum longior ſim, ac moram faciam, ex litteris Epiſcoporum Galliæ ad Romanos Pontifices Innocentium X, Alexandrum VII, &c. pro cauſſa Janſenii, Queſnelli, Fenellonii, aliorumque, de quibus jam actum.

Accedit 4. quod Epiſcopos, atque quidem ſive in Concilio, ſive extra Concilium de fidei cauſſis cognoſcentes, ac determinantes indeficientiæ prærogativa haud potiri, niſi eorum ſententia Pontificis Summi calculo comprobetur, innumeris exemplis Eccleſiaſtica hiſtoria nos inſtruit, quorum pleraque parte 2. exhibenda erunt, quæ neque adverſarii in dubium revocare audeant. Eo ergo modo Epiſcoporum de fide judicium infallibile evadit, ſci-

licet ſi Pontifici edicenti pareant ; aut ipſorum judicio aſsenſum ſuum præbeat Pontifex : ita fit , ut fides omnium Epiſcoporum in unam , quam profitetur , de quaque pronunciat Romanus Pontifex , viritim , ac unanimiter coeat ; eoque modo fit , quo fieri Tertullianus lib. de præſcript. cap. 20. animadverterat , dum dixit : *Tot , & tantæ Eccleſiæ , una eſt illa ab Apoſtolis Prima , ex qua omnes . Sic omnes Prima , & Apoſtolicæ , dum una omnes probant unitatem* . Eo etiam modo facile fit , ut definitio fidei Chriſtifidelibus confeſtim innoteſcat, ut continuo a cunctis animi, mentiſque aſsenſum dubitatione omni abjecta extorqueat : eoque modo innoteſcere veritatem animadvertit olim S. Irenæus , dum lib. 3. adverſus hæreſes cap. 4 , poſtquam cap. 3. dixiſset in Eccleſia Romana tradita ab Apoſtolis dogmata ſemper conſervata , atque Romanorum Antiſtitum continua ſucceſſione eadem ad nos dogmata perveniſse , *Hac* , inquiens , *ſucceſſione ea , quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio , & veritatis præconiatio pervenit uſque ad nos* : dixit deinde : *Non oportet apud alios quærere veritatem , quam facile eſt ab Eccleſia* (Romana) *ſumere , quum Apoſtoli quaſi in depoſitorium dives pleniſſime in eam contulerint omnia, quæ ſunt veritatis* . E contra vero , ſi ut Chriſtifideles de fide certi reddantur , ipſis Epiſcoporum judicium expectandum ſit , hærendumque illis interea , donec longo temporis decurſu iſtiuſmodi judicium innotuerit ; quid fiet interea fidei ? Quam late , impuneque ſerpent hæreſes ? Quanta immanitate ſuapte deſævient undique ſchiſmata ? Ad hæc qua ratione Chriſtifidelibus Epiſcoporum conſenſus planus fiet ? Quis certiores faciet de conſenſu Indorum Italos , Americanorum Anglos , Iberorum Hiſpanos , Scytharum Scotos , Gentium omnis genus Gallos , & Germanos ? Quomodo vero certiores facient ? Litteris ne , an Legationibus ? At non id neceſse eſse Gallicani ipſi Antiſtites declaratunt , ſed ſatis eſse Epiſcoporum ſilentium . Sed ex ſilentio Epiſcoporum quis exiſtimet Chriſtifideles majorem partem rudes , ignaros , imperitos rem fidei extra dubium poſitam dignoſcere facile poſse ? Putaſne vero hac peſſima ratione Eccleſiæ ſuæ conſultum a Chriſto D ? At id putare ſummum piaculum: ſed de his jam nimis : recolenda dicta tom. 1. art. 1. de Sacra Scriptura .

Ex

Ex his autem ſic exſufflatis, & ex ſuperius firmatis ſic effotmatur 4. argumentum. Unitas, & infallibilitas Religionis, ſeu Eccleſiæ infert neceſſario Unitatem, & infallibilitatem Magiſterii; ideoque Romanus Pontifex, qui Religionis, ſeu Eccleſiæ Supremus eſt Rector, cui omnes, qui Chriſtiano nomine cenſentur, auſcultare oportet, idem Religionis, ſeu Eccleſiæ infallibilis eſt Magiſter, ſive Doctor, cujus dicto obedientes eſſe omnes debent. Itaque &c. Aliter. Pontifici de fide pronuncianti obedientia debetur ab omnibus: ſeu in Pontificis fide tamquam unitatis, ejuſdemque fidei centro conquieſcendum omnibus eſt, eique ceu capiti ſuo membra adhærere debent: igitur infallibilem eſſe eum neceſſe eſt. Etenim ſi Pontifex a fide deficeret, aut deficere poſſet, Centrum Unitatis, & Communionis Eccleſiaſticæ Caput non eſſet, aut eſſe deſineret, nam ei Chriſtifideles adhærentes a fide quoque deficerent, aut deficere poſſent, atque ita univerſa deciperetur Eccleſia: atqui id maxime abſurdum eſt, & abſonum. Atque ita plane argumentati ſunt Antiſtites Gallicani in memoriali libello anno 1717. Philippo Duci Aurelianenſi, & Regni adminiſtratori oblato; Cardinales de Rohan, & de Biſsy; DD. de Fenelon, de Languet, de Colongue, de S. Albin, & de la Fate in mandatis ſuis paſtotalibus ſæpe laudatis. Ita S. Thomas, qui quodlibeto 9. art. 16. *Certum eſt*, inquit, *judicium Eccleſiæ univerſalis errare in iis, quæ ad fidem pertinent, non poſſe, unde ſtandum eſt ſententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide*. Nempe Eccleſiæ infallibilitatem a Pontificis infallibilitate repetebat. Ita jam pridem ante ipſos S. Gelaſius in epiſt. ad Anaſtaſium Imperat., qua Pontificiæ infallibilitatis illud potiſſimum argumentum exponit, quod ſi Pontifex errorem amplecteretur, tota cum eo prolaberetur turpiter in errorem Eccleſia: *Quid Nos*, inquiens, *de totius Orbis terrarum ſumus univerſitate facturi, ſi, quod abſit, noſtra fuerit perverſitate deceptus?* Atque ita poſt ipſum Innocentius III, qui in ſerm. 2. ſuæ Conſecrationis, *Niſi enim*, ajebat, *Ego ſolidatus eſſem in fide, quomodo poſſem alios in fide firmare, quod ad officium meum noſcitur ſpecialiter pertinere, Domino proteſtante*: Rogavi pro Te &c?

Mirum

Mirum in modum hocce argumento preſſi adverſarii varias evadendi vias excogitarunt. Boſsuetius defenſ. declar. part. 2. lib. 15. cap. 5. *Hæc igitur*, inquit ingenue, *Cathedra, hæc Sedes, hæc Eccleſia eſt, quæ pro ſui Pontificis dignitate uniendæ Eccleſiæ neceſſaria, nunquam a vera Eccleſia, nunquam a vera fide abrumpatur*: & cap. 6. *Cathedra Petri*, ſubnectit, *ſi concidere poſſet, fieretque jam Cathedra non veritatis, ſed erroris, & peſtilentiæ, Eccleſia ipſa Catholica non haberet ſocietatis vinculum, jam ſchiſmatica, ac diſſipata eſſet, quod non eſt poſſibile*. Atque quidem id ſapienter: quis enim recti, bonique æſtimator ſibi ſuadeat eum, qui Eccleſiæ Centrum eſt, & Caput, ac Unitatis Eccleſiaſtica Vinculum ab eadem per errorem poſſe deſciſcere, & qui fidei eſt Magiſter, & Doctor ab eadem per hæreſim poſse deficere? Uno verbo: Eccleſiæ Fundamentum, & fidei Columen poſse concuti, ſubverti, corruere? Conſpiciat is interea, num ſibi cohæreat, æqualiſque ſter, dum poſtea id privilegii non ſingulis Pontificibus, ſed Pontificum ſucceſſioni dumtaxat, ſeu Apoſtolicæ Sedi, quam a Pontifice in ea ſedente inepte diſtinguit, adjudicat. Age vero huic argumento quid alii Pontificiæ infallibilitatis Oſores reponunt? Auctor opuſculi gallice inſcripti: *Dù droit, e de la Canonicità de l' appel. &c.* §§. 5, 6, & 7. pernegat Apoſtolicam Sedem Unitatis exiſtere Centrum, quod ab ipſo in fide conſtituitur. Sed heteroclita hæc ſane; nam ita nempe juxta iſta fides fieret fundamentum fidei. Dupinus, & Natalis id conſilii cœperunt, ut alto ſilentio hoc argumentum præterirent. Tournellius tom. 2. de Eccleſia quæſt. 5. art. 3. reſpondet Sedem Apoſtolicam errare abſolute poſse, licet hactenus non erraverit. Itaque errando deſineret eſſe actu Unitatis Centrum. Igitur in ipſius ſententia Apoſtolica Sedes a Chriſto Servatore non eſt inſtituta Unitatis Centrum immotum, & neceſsarium, cui omnes Chriſti fideles uniri, & communione conſociari neceſse ſit. Sed cohæret ne ſibi Tournellius, qui tom. 1. q. 2. art. 6. de Eccleſia adverſus hæreticos productis SS. Patrum, & Conciliorum congeſtis teſtimoniis docet Apoſtolicam Sedem neceſsarium eſse Unitatis Centrum, ita ut nemo catholico nomine cenſendus ſit, niſi cum ea fidei unitate conjungatur: neceſsariam quin imo eſse cum eadem Apoſtolica

ca Sede internam fidei conjunctionem ; perinde esse propterea a communione Ecclesiæ Catholicæ extorrem abire , atque non consentire Sedi Apostolicæ , eique communionis vinculo conjungi ; extra communionem Romani Pontificis nec posse aliquem veram profiteri fidem , neque sanctitatem adipisci : nullum cogitatu extare casum posse , quo ab Apostolicæ Sedis communione secedere fas sit, ac Petri Cathedræ absque piaculo non inhærere : & tandem unam ex Catholicæ Ecclesiæ notis esse cum Apostolica Sede conjunctionem . Eccur ergo contrariam subinde in sententiam concedit , atque andabatarum more secummet manus conserit ?

Exinde vero ita 5. instituitur argumentum. Subsistens , substructumque Fidei non defecturæ Fundamentum , Ecclesiæ non erraturæ adspectabile Caput, Ecclesiasticæ Unitatis, & Communionis ad diem supremum duraturæ individuum Centrum,&Vinculum a Christo Domino constitutum , cuique Christifideles omnes coadunari debent, necessarium est; ideoque debet esse immotum, constans , & inerrans , juxta illud Tertulliani effatum lib. de virgin. veland. *Regula fidei omnino una est , sola , immobilis , & irreformabilis* . Qui igitur fieri poterit , ut Romano Pontifici de illo priori quidem detrahatur nihil , totum autem istud posterius exinde consequens abjudicetur ? Quis , precor , vel suspicando putet Christum Dominum voluisse quidem unam esse Ecclesiam, eam in ævum duraturam , atque a fide nunquam defecturam ; noluisse vero ejusdem Ecclesiæ Fundamentum, Centrum, & Caput ejusmodi prærogativa gaudere ? Neque prævidisse facile potuisse fieri , ut ab isto errore decepti Christifideles in errorem inducerentur ? Quod si quispiam ejusmodi prærogativam in Concilium generale conferendam fore pugnaret , næ is toto abs veritate abhorreret ostio , atque a præjudicata opinione abreptum se in errorem ostenderet . Nam Concilium generale nequit esse Centrum , seu Fundamentum fidei necessarium ; quippe quamvis Conciliorum generalium necessitatem totis intentis nervis adstruere sint adnixi Tournellius tract. de Eccles. ; Bossuetius lib. 13 ; Dupinus dissert. 5 , & 17 ; Natalis dissert. 4. citata ; Anonymus Lovaniensis tom. 3. dissert. 5 , aliique ; ex adverso Bellarminus , Canus, Sfondratus , Chamlasius lib. 7. cap. 14 ; Thomassinus dissert. 18. in.

in Synodum Rom. ; Orſius lib. 2, & 3 ; Anonymus auctor duplicis diſſert. de Rom. Pontif. , & alii Pontificiarum partium defenſores , Concilia utiliſſima equidem eſſe , quinimo nonnunquam neceſſaria ad conciliandos animos , ſedandas turbas , compeſcenda ſchiſmata , extirpandas hæreſes , nunquam tamen abſolute neceſsaria ad cauſsas fidei definiendas docent .

Non inquam , 1. Concilium generale (ita ego in eorum veſtigia ingredior) fidei fundamentum eſse poteſt , aut communionis Eccleſiaſticæ centrum neceſsarium , atque a Chriſto D. conſtitutum , quia 1. Conciliorum etiam generalium decreta , niſi Pontificis auctoritate firmentur , rata , & fixa non evadunt ; unde innumeris ex hiſtoria Eccleſiaſtica excerptis exemplis par. 1. palam fecimus Pontifices Conciliis ipſis , quæ decernenda eſsent , præſcripſiſse , aliquando vero ab ipſis decreta reprobaſse. Quia 2. a Pontificibus frequentiſſime controverſias fidei in Eccleſia exortas abſque Concilii opera , opeque definitas fuiſse , definitiſque hujuſmodi adquieſcere Eccleſiam officii , religioniſque loco duxiſse, parte 2. oſtendemus. Quia 3 , ſicut optime argumentabatur D. Languetius in epiſt. ad D. Lamoignonium , ſi neceſsaria forent Concilia , mala in Eccleſia perſæpe forent ullo abſque remedio , quum perſæpe Concilia generaliá cogi non poſſint , impedimenta opponentibus aut ſæculi poteſtatibus , aut bellorum , contagiorumque periculis , aut imo intercedentibns Epiſcoporum ipſorum diſſidiis . Atqui ſi res ita ſe habent , Eccleſia profecto trium priorum , & amplius ſæculorum ſpatio , quo Concilia generalia celebrari nequibant , malis ſuis mederi non potuiſset , quum tamen pleraque tum temporis inter Epiſcopos circa doctrinam exarſerint diſſidia , qualia de celebratione Paſchatis , de Baptiſmo hæreticorum , de Lapſorum pœnitentia , ſexcentaque horum ſimillima , quibus quidem non aliud præſentius , facilius , ac paratius reliquum erat remedium , niſi quod a Pontificibus Romanis adhibebatur . Quis autem æqui bonique æſtimator dicat a Deo O. M. de tam neceſsario hinc Eccleſiæ malis remedio , illinc exitu tam difficili haud ſuiſse proſpectum, illudque potius quam in Pontifice, qui præſto , ac præſentiſſimus eſset , in Concilio generali difficillime congregando , ac difficilius conveniendo collocatum ? In Eccleſia enim ,

enim, quis ignoret? frequentiſſima, ne dicam quotidiana, adeſt neceſſitas vulneribus, quæ cum fidei, tum moribus ab viris ſcientiæ profligatæ, aut projectæ conſcientiæ infliguntur, medicam manum adhibendi: non ne igitur divinæ providentiæ erat, intereratque, quæ in neceſſariis non deficit non modo, ſed imo in opportunis dives eſt, *Ut ſine intermiſſione*, ut Boſuetii verba adverſus Calvinianos jaculata uſurpem, *adeſſet in Eccleſia auctoritas ſemper loquens, ſemper manifeſta, ſemper parata ad errorem exterminandum*, a qua Catholicus omnis ſine labore, ac ſine diſcuſſione veritatem dignoſcere poſſit? Inconcuſsum ſtat ergo illud Cleri Gallicani ex Comitiis anni 1728. in epiſt. ad Regem exarata argumentum, quod latine redditum ſic efferri poteſt. Illud nequit eſse medium neceſsarium ad cauſsas fidei finiendas, quod ab una Eccleſiæ Paſtorum auctoritate non pendet; alioquin Eccleſiæ Paſtoribus frequenter liberum non eſset uti medio neceſsario ad hæreſes comprimendas: atqui celebratio generalis Concilii non pendet ab una Eccleſiæ Paſtorum auctoritate, quum ei Principum diſcordiæ, bellorum tempeſtates, aliaque ejus generis incommoda eſse impedimento poſſint: itaque celebratio generalis Concilii nequit eſse medium neceſsarium ad finiendas fidei controverſias. Alioquin, addit, Chriſtus non ſatis Eccleſiæ ſuæ conſuluiſset, ei medium ſedandis ſchiſmatibus, & hæreſibus eliminandis neceſsarium relinquens, quod tamen in Eccleſiæ poteſtate non eſset repoſitum. Non me latet reſponderi ab adverſatiis remedium iſtud repoſitum in conſenſu Epiſcoporum Pontificis definitionibus præſtito: ſed effugium iſtud jam ſatis, opinor, ſupra explosum eſt.

Nequit 2. Concilium generale (atque ita 6. inſtauratur argumentum) nequit, inquam, eſse fidei fundamentum, Eccleſiæ Catholicæ centrum immotum, ſeu immutabile, ideoque in auctoritate ſupremum, atque in fide infallibile, ſi præſcindatur ſcilicet Pontifex: quippe id 1. conſequitur ex dictis: ſi enim neceſsarium non eſt, nec etiam immotum: ſi a Pontifice ſummo confirmari indiget, ut firmum, ratum, & fixum evadat: ſi a Pontificibus ſæpius reprobata Concilia nullius roboris habita ſunt: ergo ejuſmodi characteris, ſcilicet, ut ſit immotum, nota caret;

ideoque ſuprema, infallibilique poteſtate non pollet. Id 2. ſuadetur ex eo, quod uti dicebam, ex diſcordantibus, ac inter ſe dimicantibus Eccleſiis, ſeu Epiſcopis ſive in Concilio, ſive extra Concilium neque conflate unius ſententiæ conſilium eſt, neque unanimem conſenſum extundere: neceſſe eſt igitur Judicem extare immotum, a quo omne procul abſit errandi periculum, qui omnibus abſque errore veritatem planam faciat, quique omnibus Eccleſiis, & Epiſcopis ſive collectim, ſive diviſim præeminens, & præpotens neceſſitatem imponat parendi, inque eam unam coeundi ſententiam, quæ ſibi fuiſſet accepta. Itaque a Conſtantio Imperatore tot in partes diſtractis, ſive potius in errorem pertractis tot Epiſcopis Conciliorum Ariminenſis, & Seleucienſis, unum ſupereſſe, qui malo occurreret, Romanum Pontificem agnovere SS. Athanaſius, & Hilarius. Partiariis qua Meletii, qua Paulini de tribus, aut una hypoſtaſibus in divinis inter ſe digladiantibus, atque ita diverſas in partes diſciſſo Occidente pro una hypoſtaſi iccirco ſtante, quod Latinis hypoſtaſis naturæ nomen ſonaret, & Oriente pro tribus pugnante, eo quod Græcis hypoſtaſis eſſet perſona, unius Pontificis, S. Damaſi ſcilicet, eam componi, finirique controverſiam potuiſſe ſcripſere SS. Baſilius, & Hieronymus. A Dioſcoro in errorem adductis 130. Epiſcopis pſeudo-Synodi Epheſinæ, in eaque Euthychetis hæreſi collaudata, & conſtabilita, tanto malo unum eſſe, qui medicam apponere poſſet manum, Romanum Pontificem, ideſt S. Leonem, perhibuere S. Flavianus, & Euſebius Dorylæus. Deſæviente in SS. Imagines Conſtantino Copronymo, ab eoque pſeudo-Synodo Conſtantinopoli congregata ex 338. Epiſcopis, iiſque eo pertractis, ut ſacrarum Imaginum cultum, veluti idololatricum ſcelus proſcriberent, non alterum præſto adfuiſſe, qui tantorum emendaret errorem, remque Religionis vindicaret, quam Romanum Pontificem, faſsi ſunt SS. Stephanus Junior, & Theodorus Studites. A Photiano Schiſmate tot in partes diſtractis Epiſcopis Orientalibus, ea incommoda eliminare, & procul avertere potuiſſe unum Pontificem ultro citroque affirmaverunt Baſilius Imp., & S. Ignatius Patriarcha: revocatum vero e tumulo a Michaele Cerulario nefarium Schiſma ſedari, & radicitus extir-

tirpari ab uno Romano Pontifice potuiſse Græcorum ipſorum cordatioribus perſpectum, approbeque perſuaſum alio in loco commemoravimus. Mitto pleraque, ne, quam par eſt, ſim longior.

Id 3. ſuadetur ex eo, quod, ut optime argumentatus eſt olim S. Bonaventura in expoſit. ad Regulam noſtram V. *Honorius*, ſi Deus Synagogæ ita priſce conſultum, proſpectumque voluit, ut exorto circa fidem, legemque dubio Pontificem Maximum adiret, ejuſdemque dicto auſcultaret, adeo ut ab ejus ſententia vel latum unguem diſcedere nefas eſſet, ut conſtat ex Deuteron. 17. verſ. 8., & ſeqq., quis ibit inficias id quoque, ac magis a Chriſto Domino ſuæ conſultum, cautumque Eccleſiæ? *Si partibus diſcordantibus*, inquit S. *D.*, *non eſset, qui poſset manum mittere in ambabus, fuiſset Synagoga felicior, quam Eccleſia, quia illa habebat unum Summum Pontificem, qui omnes diſcordias poterat determinare, ut patet in Deuteronomio*. Cujus argumenti vi preſsus Johannes Pariſienſis, etſi Pontificis privilegiis parum æquus, lib. de poteſt. Reg., & Pap. fateri coactus eſt Eccleſiæ unitati, fideique conſervandæ expediens fuiſse, ut unius ſententia, cui omnes in Eccleſia ſubmiſse adquieſcerent, controverſiæ omnes exorituræ dirimerentur: eum autem eſse Pontificem a Chriſto poſt S. Petrum Eccleſiæ Caput, Centrumque conſtitutum: *Poſt corporalem*, inquit, *ſubtractionem Chriſti contingit interdum circa ea, quæ ſunt fidei, quæſtiones moveri, in quibus propter diverſitatem quæſtionum, vel ſententiarum divideretur Eccleſia, quæ ad ſui unitatem requirit fidei unitatem, niſi per unius ſententiam Eccleſiæ unitas ſervaretur. Hic autem Principatum ejuſmodi habens eſt Petrus, Succeſſorque ejus, non quidem Synodali ordinatione, ſed ex ore Domini, qui Eccleſiæ ſuæ noluit deficere in neceſſariis ad ſalutem &c. Ne propter diverſitatem controverſiarum unitas fidei deſtruatur, neceſſe eſt unum eſſe Superiorem in Spiritualibus, per cujus ſententiam controverſiæ terminentur*. Id autem ante ipſum docuerat S. Thomas, qui 22. q. 1. art. 10. agens de Symboli editione hanc pertinere ad auctoritatem Pontificis ea ratione ſcribit, ut Eccleſiæ unitas ſervetur: *Hujus ratio eſt*, ajens, *quia una fides debet eſse totius Eccleſiæ ſecundum illud 1 Corinth. 1.* Id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: *Quod*

ſervari non poſſet, niſi quæſtio de fide exorta determinetur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt, ut ſic ejus ſententia a tota Eccleſia firmiter teneatur. Quæ plane ab Eccleſia firmiter tenenda non foret, niſi Pontifex, a quo fertur, omnino falli, & fallere eſſet neſcius. His non habent, quæ præfidentius, quo frequentius opponant adverſæ opinionis Patroni, quam pleraque ſine delectu excerpta Pontificum errata. Quam vero id falſo, id perperam, id per fraudem, id per injuriam faciant parte 2. Vindiciarum palam faciemus; quo loco a quocumque lapſu liberos abire Pontifices omnino omnes oſtendemus.

Igitur id unum ſupereſt, ut fidei Fundamentum, unitatis, & communionis Centrum, Eccleſiæque Caput, cui cohærere Chriſtifideles omnes oporteat, & quidem neceſsarium, infallibile, immobile, unus a Chriſto Domino conſtitutus Pontifex credatur. Hinc priſcis Eccleſiæ Patribus ad revincendos hæreticos id argumenti adhibere ſolemne erat, quod ex traditione Eccleſiæ Romanæ trahebant, dogmata illis objiciendo, quæ in Romana Eccleſia religioſe obtinerent. Ita Tertullianus lib. de præſcript. cap. 36.; S. Irenæus lib. 3. adv. hær. cap. 3; S. Cyprianus lib. de unit. Eccleſiæ; S. Optatus lib. 1. adv. Parmen.; S. Pacianus epiſt. 2. ad Sympron.; S. Epiphanius, & S. Auguſtinus lib. de hæreſ.; aliique paſſim, ut adnotarunt Doctiſs. Baluzius, Fevardentius, Albaſpinæus, Maſsuetius, aliique in prælaudata SS. PP. loca. Hinc Hæreticis omnibus, nonniſi Romanæ Eccleſiæ doctrinam objicere, qua nihil in Eccleſia antiquius eſſet, utpote quæ ab Apoſtolis accepta, ſarta, & tecta jugiter in ea ſervaretur, Pontificibus MM. in more poſitum erat. Ita Quartadecimanis, Anabaptiſtis, Novatianis, Montaniſtis, Sabellianis, Arianis, Pneumatomachis, Pelagianis, Neſtorianis, Eutychianis, Monothelitis, Iconomachis, horumque ſimilibus Romanæ Eccleſiæ olitanam traditionem, ac religioſe cuſtoditam doctrinam objectarunt SS. Anicetus, & Victor; S. Stephanus; S. Cornelius; SS. Soter, & Zephyrinus; S. Sixtus II; S. Silveſter; S. Damaſus; SS. Innocentius, & Zoſimus; S. Cæleſtinus; S. Leo; Severinus, Johannes IV, Theodorus, S. Martinus, S. Vitalianus, Adeodatus, Donus, S. Agatho; SS. Gregorius II, & Gre-

& Gregorius III, atque Hadrianus. Hinc ſemel ab Apoſtolica Sede de fide ſtatuta, & decreta ne amplius in dubitationem adducerentur, aut examini ſubjicerentur, vel in Synodis, prohibitum a Romanis Pontificibus eſt, uti a SS. Bonifacio I, Cæleſtino I, Leone M., Gelaſio, Agathone, Hadriano II, Clemente IV, & B. Gregorio X. Quæ quid aliud, cedo, ſignificant, niſi fidem ab Apoſtolica Sede cuſtoditam, nullo tempore erroris cujuſpiam periculo patere; eamque Sedem ſupra Eccleſiam univerſam ſive in Concilio congregatam, ſive in Orbem diffuſam poteſtate pollere?

Hoc ego quidem pura mente, affectuque pio, & integro credo, atque ut credant hoc diſcipulis, hoc Fratribus, hoc amicis, hoc omnibus, quibus bene volo, efficaciter ſuadeo: contra obfirmato animo contendentes viribus, quibus potui, pugnavi, idque feci uno ex amore veritatis, & Religionis ſtudio; nihil ex invidia, nihil cum injuria; ſed oculis ſolummodo ad Apoſtolicam Sedem intentis; ſine fuco, ſine fallaciis; animoque a præjudicata opinione, partiumque ſtudio prorſus abſtracto: atque ideo undique accerſitis ex S. Scriptura veteris, & novi teſtamenti; ex Conciliis tam generalibus, quam particularibus; ex conſenſione Eccleſiarum Orientalis, & Occidentalis; ex SS. Patribus cum Græcis, tum Latinis; ex Scriptoribus Eccleſiaſticis, & S. Theologiæ tractatoribus; ex Imperatoribus, & Regibus qua Occidentis, qua Orientis; depromptiſque poſtremo ex rationis penu argumentis, in hacce prima parte id optima in luce ut collocarem, fategi. Res tanta utinam ex ſententia, & voto ſucceſſerit! In 2. perinde parte, quæ ad umbilicum, ut ajunt, uſque perducta jam prælo eſt parata, conquiſitis pariter momentis ex Romanorum Pontificum dictis, geſtis, nominibus, juribus, & quidem quando Concilia congregandi, aut confirmandi, aut reprobandi, & quando Conciliorum Canones recipiendi, aut respuendi, aut relaxandi: appellationes ad Apoſtolicam Sedem a Concilio interjectas admittendi, eaſdem e converſo a Sede Apoſtolica ad Concilium interpoſitas abolendi: Epiſcopos, qua Orientis, qua Occidentis mox juriſdictione donandi, mox in eoſdem jus dicundi: Epiſcopatus etiam alios erigendi, alios amplificandi, alios

alios transferendi : de Eccleſiis ubique gentium dijudicandi , deque Eccleſiaſticis cauſſis cujuslibet generis dignoſcendi : cauſſas præſertim Servorum Dei Beatificationis , & Beatorum Canonizationis peremptorio , velut ajunt, judicio finiendi,Eccleſiæque univerſæ parendi neceſſitatem imponendi : tam de libris finitiva ſententia decernendi , quam definiendi de factis dogmaticis : hinc de Religionis , ac morum re , & regulis controverſias in Eccleſia enatas dirimendi : illinc ſchiſmata ſuborta eliminandi , radicitusque evellendi : qua hæreſes ubique locorum extirpandi : qua hæreticos ubilibet exterminandi : adeo ut nulla ſive antiqua , ſive devexiori Eccleſiæ ætate defuerint unquam ex Heterodoxis , qui modo ad Apoſtolicam Sedem appullerint , modo ad ejuſdem communionem, ſacrorumque conſortium aſpiraverint , modo ad ipſius tribunal confugerint , Reique Chriſtianæ ſummam apud ipſam ſtare confeſſi ſint : nunc fidei puritatem ab utroque Judaiſmi , & Idololatriæ fermento expurgandi: nunc prædicatum Evangelium, propagatumque in Eccleſiam Miſſionarios dirigendi : nunc formas profitendæ fidei tum Græcis , cum Latinis præſcribendi , hiſque ſimilibus jura ſexcenta loco ſtabilire ſtudebo . Interea mea magnopere intereſt , ut omnia abs me dicta , atque dicenda ſummæ Apoſtolicæ Sedis corrigenda , & emendanda judicio ſupponam , meque ea , ſi illa jubeat , & judicet , correcturum , & emendaturum iterum , atque iterum ſpondeam : quod eo magis ex animo nuncupo , quo in ejus me communione vivere , & mori volo, ejuſque juribus ſive vivens , ſive moriens ſtudere .

EXPLICIT

Pars Vindiciarum Prima .

IN-

INDEX

RERUM NOTABILIUM

A

S. Abdas in Perſide Epiſcopus zelo imprudenti quidem, intempeſtivoque *Pyreum* templum a Perſis igni dicatum deſtruxit; quia tamen templum inſtaurare detrectans morti datus eſt, jure in SS. Martyrum cenſum venit p. 168. 169, & ſeq.

Abdiſus, ſive Ebediesù inter Aſsyrios Sacerdotiis præfectus fidei profeſſione emiſsa in Romani Pontificis jus ſe totum tranſdidit p. 235.

Acutiani, ſive Farfenſes Monachi Romanum Pontificem impenſe colendum ſibi proponunt p. 343.

Æthiopes ſummo in honore S. Romanam Eccleſiam habent, ſollicitique quammaxime ſunt de retinenda ejuſdem communione, de inhærendo ejuſdem doctrinæ, & de obedientia exhibenda ejuſdem Antiſtiti: in ejuſmodi ſtudio emicuerunt inter eos Zagazabo Epiſcopus; Nicodemus, Andreas, & Petrus Abbates p. 226; 228, & 232. A Pantaeno primum, dein a Frumentio, qui Æthiopibus, ſive Abyſſinis Salama eſt, fidei Chriſtianæ rudimentis fuerunt imbuti p. 510. Metropolitae nomine unus dumtaxat ipſorum Sacerdotiis præeſt Epiſcopus *ibidem*. Ad Monophyſitarum, ac Monothelitarum hæreſim delapſi ſunt deinde, donec Miſſionariorum præſertim ex Ordine Minor. opera a Romanis Pontificibus de eorum ſalute ſollicitis ſæpius adhibita ad Romanæ Eccleſiæ unitatem regreſſi ſunt: a quo tempore Romani Pontificis dignitatem, ac poteſtatem ſummo habere in pretio cœperunt p. 511, & ſeq.

Africani Præſules de inſtauranda diſciplina ſolliciti potiſſimum a Pontifice inſtructionem capere ſedulo curant p. 315, & 322. Ad Pontificem deferre dirimendas fidei cauſsas, damnandoſque hæreſis nomine hæreticos ſummopere procurant p. 324, 682, & ſeq. Ab ejuſdem devotione, & obedientia divelli nullo ſe modo ferunt p. 340.

Aguirræus Cardinalis recte animadvertit Hiſpaniarum Reges ſumma olim erga Pontifices MM. non modo, ſed etiam Epiſcopos religione affectos. Recaredum Chriſtianorum omnium primum in Hiſpania Regem ab Epiſcopis conſecratum p. 465, & ſeq. A Clero Gallicano editam declarationem in comitiis anni 1682. præfeſtine, præpoſtere, præcipitanter flocci, naucique fecit p. 646.

Albaſpinæus celebrem Tertulliani locum de Romani Pontificis ſuprema poteſtate egregie illuſtravit p. 295. Locum item S. Optati p. 297. Locum inſuper S. Cypriani p. 413. Locum alterum S. Optati p. 419.

Alcuinus nec recte Hiſpanos ob unius immerſionis in Baptiſmo ritum reprehen-

prehendit : nec vere S. Gregorii M. epiſtolam ad S. Leandrum inter apocryphas rejecit *p.* 329, *& ſeq.*

S. Aldhelmus Summum Pontificem, Eccleſiæ Monarcham appellat ; ab eoque diſciplinæ regulas accipiendas probe affirmat *p.* 325.

Alexandri III. partes adverſus Schiſmaticos impenſe adjuvarunt, obedientia, & obſequio ei quammaxime obſtricti quamplures ſcientia, ac ſanctitate præ aliis præclariſſimi Præſules *p.* 358, *& ſeq.*

Alexandrina, & Antiochena Eccleſia, ejuſque Antiſtites. Videſis V. *Eccleſia* ; & V. *Græca Eccleſia*.

Allixius, Albertinus, Blondellus, Clericus, Larroquius, Salmaſius, Tillotſonus, aliique e Proteſtantium grege in ſuorum patrocinium errorum SS. Patres accerſere impudentiſſime præſumentes refelluntur : quin & ipſis repugnant ex Proteſtantibus alii plerique *p.* 109, *& ſeq.*

S. Ambroſius non arbitratus eſt adulterium ante legem Moyſis licuiſſe; ſed imo lege naturali illud vetitum docuit : Polygamiam autem ideo diſſuaſit, ut a pellicatu abſterreret : germana ejuſdem perſuaſio de Abrahamo in conſortium aſſumente Agarrem exponitur ; ac ab aliis calumniis a Barbeyracio impudenter impactis abſtergitur *p.* 159, *& ſeq.* S. Satyri fratris ſui, ſuaque fide jubet Romanum Pontificem a Chriſto D. Eccleſiæ Principem fuiſſe collocatum, ac firmamentum in fide confirmatum : cum eo ab omnibus communicandum ; exinde communionis jura in omnes emanare : ab eo damnatos hæreſis nomine habendos ab omnibus; eoque inconſulto, aut invito nihil eſſe in Eccleſia firmum, fixumque *pag.* 299, *& ſeqq.*

Americæ Reguli, ſive Principes quinque numero ad Sacra Chriſtiana, a noſtris perducti egregii ſui erga Pontificem M. obſequii ſpecimen præbuerunt *p.* 515.

Amort Euſebius ob eximiam, diligentemque, quam ad conficiendam Indulgentiarum hiſtoriam, impendit operam, multo nomine laudandum, laudibuſque multis dignum ſe exhibuit *p.* 77, *& ſeqq.* Indulgentias utiles pro vivis, & defunctis enixe defendit *p.* 108.

S. Anaſtaſius uterque in Antiochena Eccleſia unus alteri e veſtigio ſuccedens S. Gregorio M. obſequio, & obedientia integra ſe devinxit, & devovit *p.* 202. Anaſtaſius, & Guillelmus Bibliothecarii eximiis laudum præconiis Romanum Pontificem extollunt *p.* 334.

Anaſtaſius I. Imperator Vide V. *Zeno*.

Anaſtaſius II. dictus Arthemius fidei ſuæ rationem Pontifici Romano reddere officio duxit *p.* 443, *& ſeq.*

Anatolius, Acacius, Flavita, Euphemius, & Macedonius Conſtantinopolitani Antiſtites, vellent, nollent, Romano Pontifici aſſurgere, faſces ſubmittere, ac morem gerere adacti ſunt. Eumdem Conciliis præſidere; ab eo Conciliorum decreta confirmari debere ; in eoque fidei fundamentum conſtitutum fuiſſe ultro citroque faſſi ſunt *p.* 194, *& ſeq.*

Anchialinus Michael ſuperbia ſua effecit, ne Græci ad unitatem cum Latinis redirent : Latinos per calumniam in culpam abruptæ unionis vocavit audaciſſimus Macarius Ancyranus : Anchialinum vero defendere impudenter aggreſ-

greſsus eſt Oudinus *p.* 248, *& ſeq.*

Andoul Gaſpar quam præſidenter, tam falſo affirmavit V. Innocentium XI. in id unum incubuiſſe, ut e Galliarum Regno jus Regaliæ exterminaret: id autem juris cum extenſione ad totum, quo late patet, Regnum Galliarum Regibus competere agnoviſſe tandem Pontifices, jamque pacifice eodem potiri Reges *p.* 651.

Angelos corpore expertes omnino non eſſe plures ex Patribus ſentire viſi ſunt: quinam ii, & quot *p.* 115, *& ſeq.* Longe plures tamen Angelos prorſus incorporeos habuerunt: ſed & illi priores, qui in oppoſitum ſtare viſi ſunt, multis excuſantur modis *p.* 129.

B. Angelo a Clavaſio, quæ de Romano Pontifice ſupra, an infra Concilium pote, ac in fide infallibili an non, germana inſederit opinio, inquiritur, & approba fuiſſe oſtenditur *p.* 396, *& ſeq.*

Angliæ Regum primus Lucius Romanæ Eccleſiæ nomen dedit; ſe ſuoſque de Romanæ Eccleſiæ dogmatibus, ac ritibus edoceri obnixe deſideravit. Qui id inficiantur, Proteſtantes repelluntur *p.* 466, *& ſeq.* A tempore S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli, ac deinceps Romanæ Eccleſiæ doctrina imbuti erga Romanum Pontificem approbum animum induerunt: ei ſacramento fidei ſe devoventes: Ritibus eidem ſacris ſe coaptantes: Regnum ſuum vectigale facientes: Romanam profectionem frequenter adornantes, aut Romam allegantes, qui ejus doctrina, & diſciplina inſtructi dein regreſſi Anglos inſtruerent *p.* 468, *& ſeq.* Romanæ Eccleſiæ penſum perſolvere diligenter curantes: nulla re ſe magis angi, quam de Pontifici morem gerendo profitentes: Pontifici cauſſas dirimendas permittentes *p.* 470, *& ſeq.* Eccleſiaſticis cauſſis ſemet immiſcere ſummopere caventes: Canones ſacros legibus ſuis ſartos, & tectos ſervare ſtudentes *p.* 471, *& ſeq.* Pontificis auctoritate leges ſuas roborari procurantes: imperatas, impoſitaſque a Pontificibus conditiones religiose, ut par erat, adimplentes *p.* 472, *& ſeq.* Apoſtolica Sede adnuente tum demum amplificare dominium ſibi fas eſſe agnoſcentes, unaque religionis cauſſa, ac ſub accepta conditione illud amplificantes: Pontificis vero dignitatem, auctoritatemque loco ſtabilire ſuo exerto ſtudio adnitentes *p.* 473, *& ſeqq.*

Angliæ adjacentem Inſulam Man Romanæ Eccleſiæ vectigalem reddidit Reginaldus ejus Rex, quam dein in feudum tenendam deinceps recepit *p.* 477, *& ſeq.* Angliæ Rex poſtremus Carolus II, nec non Anna Hyde Duciſſa Romanæ Eccleſiæ communioni ex animo ſe ſe adjunxerunt *p.* 481. Anglos, ſive Britannos primis fidei Chriſtianæ rudimentis a Græcis imbutos fuiſſe Proteſtantes comminiſcuntur: ſed a Romanis fidei lumen accepiſſe inſinuatur *p.* 328, 466, *& ſeq.*, 468, *& ſeq.*

S. Antcharius de Apoſtolica Sede impenſe colenda, & obſervanda apprime ſollicitus fuit *p.* 232.

S. Anſelmus Lucenſis vindicando S. Gregorio VII. a Schiſmaticorum calumniis intentus incubuit. Pontificem Romanum præterea a fide aberrare nullo poſſe modo, ejuſque poteſtate nullam in Eccleſia po-

potiorem esse propugnavit *p.* 343, *& seq.*

S. Anselmus Cantuariensis Apostolicæ Sedis auctoritatem tum ipse summi pendit, tum aliis, ut summi penderent, auctor, & assertor fuit *p.* 345.

S. Antoninus explicate adeo Pontificem supra Concilium extulit, atque infallibilem circa fidem habuit, ut illi aliorsum accipiendo Bossuetius vim apertam intulerit *p.* 394, *& seq.*

Apostoli a Christo D. Traditiones Ecclesiæ concredendas acceperunt: ita ipsimet testantur: ita & contestantur SS. Patres *p.* 7, *& seqq.*

Appellationes a Pontifice ad Concilium quando interponi cœperint: a quibus, & an a decretis dogmaticis interpositæ *p.* 676. Appellationum usum, sed verius abusum, antiquissimum Bossuetius adstruit: a sæculo II. obtinuisse vult de Withe: a S. Siricio cœpisse Launojus obtrudit: sed sæculo XIII. dumtaxat invaluisse autumant Natalis, & Tournellius earum exempla exhibentes *ibidem*, *& seq.* Appellationes hujusmodi solis hæreticis in usu venerunt, quas Ecclesia semper est execrata; Pontifices vero diris cunctis devoverunt; Gallicani Antistites etiam infamia notarunt *p.* 678. Eorum vix quatuor exempla in tota retro antiquitate reperiuntur, qui a dogmaticis Pontificum decretis appellaverint, a quibus frustra, ac frivole appellari palam fit *p.* 679, *& seq.*

Arbitrium in homine etiam post lapsum permanere liberum sive ad bonum, sive ad malum, tam a coactione, quam a necessitate communi testimonio jugi traditioni innixo confirmant SS. Patres qua Græci, qua Latini *p.* 93, *& seqq.* Qui contra pugnant Novatores profligantur *p.* 106, *& seq.*

Arianos ignominiæ causa Porphyrianos appellari Constantinus M., Nestorianos etiam Simonianos eamdem ob causam vocari Theodosius Junior imperarunt *p.* 425.

Armeni in Pontificis jus, potestatemque se se integre dedunt: edoceri ab eo de fide efflictim desiderant: de controversiis exortis illum Judicem deligunt: instrui de rebus dubiis, ritibusque enixe deposcunt *p.* 213, *& seq.* Emicuit inter eos Isacius Catholicus Apostolicæ Sedis eximius cultor, & encomiastes *ibidem*. Sed & alii sæpius Armenorum Patriarchæ, & Antistites suæ erga Apostolicam Sedem observantiæ egregia specimina exhibuerunt, religioni ducentes fidei professionem emittere, quam sibi fuisset ab ea præscripta *p.* 215, *& seq.*; 223, *& seq.*; 235, *& seq.*; 238, *& seq.*; & 241.

Armeniæ Rex Leo, sive Lievo a Romano Pontifice Regem dici ea lege, qua se Romanæ Ecclesiæ fidei sacramento, ac fiduciaria sponsione subjugabat, impetravit aliis imo privilegiis adauctus *p.* 495, *& seq.* Armenorum Reges alii Romano Pontifici addictissimi ritus Romana in Ecclesia sacros amplexati ultro sunt *ibid.* Armenis errores quamplures a Pontifice exprobrati, atque emendandi propositi *p.* 496. Armeniæ, Iberiæ, & Mesopotamiæ Regum Oratores Pontifici fidem desponderunt suam *ibidem*, *& seq.*

Arnaldus Antonius, & de la Lane puri,

puri, putique Janſeniſtæ articulo de Gratia ſufficienti adhærere firmiſſime Theologoa omnes, atque nominatim Alvariſtas, ideſt Thomiſtaa non inficiantur *p.* 92. Arnaldus attamen perperam ſtare pro ſe Thomam Bradvvardinum, & Gregorium Ariminenſem jactat *p.* 93. Propoſitionem, qua affirmabat circa Pontificiaa Conſtitutionea ſufficere religioſum ſilentium cum Facultas Pariſienſia, tum Gallicani Præſules cenſura affecerunt, ac Pontifices Summi proſcripſerunt *p.* 673, *& ſeqq.*

Arndtius Johannes etſi e Proteſtantium grege bonorum operum neceſſitatem egregie tamen propugnavit, contra quem pugnavit quidem, ſed infirme Lucas Oſiander *p.* 97.

Athalaricus in Cleri gratiam ne Clerici ad laica tribunalia traherentur lata lege ſancivit *p.* 457. Aribertus II. Alpes Cottiaa a Longobardia abſtractaa Romanæ Eccleſiæ reſtituit *p.* 458. Aiſtulphum, & Deſiderium inique in Romanam Eccleſiam deſævientes compeſcnere, & delevere Pippinus, & Carolus M. *p.* 458

S. Athanaſio ſupremum ſupra Epiſcopos, & Synodos Romani Pontificis ſtare tribunal perſpectum fuit, approbeque perſuaſum *p.* 184.

Athenagoras ſecundaa nuptias illicitas non habuit: ejus ſententiam nec conjectura aſſecutus eſt audaciſſimus Barbeyracius *p.* 149.

S. Auguſtinum ſuorum errorum participem agere pro impudentia non erubuerunt Calvinus, & Janſenius; ſed horum calumnias expunxerunt Fronto Ducæus; Johannes Martinonus, aliique viri doctiſſimi laudati *p.* 16, *& ſeq.* Dubitare vitus eſt S. Doctor num inſtante vitæ diſcrimine Saræ pudicitia barbari Principis libidini ſupponi abſque culpa potuerit: ſed æquius excuſari poteſt, riteque explicari *p.* 165, *& ſeq.* Approbe docuit, eique adſentitur S. Thomas, neque urgente caſtitatis periculo licere cuique violentas ſibi manus conſciſcere *p.* 167. Qua ratione arbitratus fuerit licitum, ac legitimum Abrahami cum Agarre conjugium; atque ab inflicta a Barbeyracio injuria defenditur *p.* 168, *& ſeq.*

S. Auguſtinus de S. Cypriani cauſſa cum S. Stephano recte dijudicavit *p.* 270, *& ſeqq.* Quod nam fuerit ejus opinione Concilium plenarium, de quo loquutus eſt, an Nicænum, an vero Arelatenſe *p.* 275, *& ſeq.* Vide V. *Concilia*. Apud S. Auguſtinum certiſſimum, & conſtantiſſimum eſt Romani Pontificis utrumque privilegium, ſuprema nempe judiciaria auctoritaa, quæ nulli inferior ſit, ſummaque in fide ſtabilitaa, quæ nunquam ſit defectura *p.* 304, *& ſeqq.* S. Auguſtini teſtimoniis appoſite quidam uſi ſunt adverſus hæreticoa: quidam vero abuſi, & aliorſum intorquere maluerunt *p.* 307, *& ſeqq.*

Aureliano Imperatori etſi Ethnico perſpecta apprime fuerat Romani Pontificis ſumma apud chriſtianos poteſtas *p.* 414.

B

Bailletus, Fleurius, Tillemontiua, Gervaſius, Deſchamps, Gilbertus &c. S. Cypriano præ S. Stephano,

no, quamvis poſterioris hujus potior cauſſa eſſet, complaudentes æqui, bonique æſtimatoribus gravi ſe reprehenſione dignos exhibuerunt; neque, ut oportebat, animadverterunt Proteſtantium veſtigiis ſe ita inſtitiſſe *pag.* 268, *& ſeqq.*

Bajoariæ Duces nonnulli ob egregium ſtudium erga Romanam Eccleſiam celebres evaſerunt, atque a Patribus Tridentinis elogiis celebrati ſunt *p.* 491. Quæ, & quot olim in Bajoaria Epiſcopales Cathedræ erectæ *p.* 571, *& ſeq.*

Ballarinii Fratres doctiſſ. ab enixa opera, qua dogma catholicum de uſuris prorſus vetitis in tuto poſuerunt, ingentes laudes promeriti ſunt *p.* 162. Ob ſimile ſtudium laude dignus Daniel Concina, omnique major Benedictus XIV. P. M. *p.* 165.

Baluzius Orientalium Antiſtitum Ordinationes Romani Pontificis nutu, & ſententia aut ſtare, aut cadere recte adnotavit *p.* 192.

Baptiſmum ſacramentum eſſe a Chriſto D. inſtitutum, gratiam ex opere operato conferre, characterem imprimere, parvulis neceſſarium eſſe, valide a quolibet conferri, & valere quamvis ab hæreticis collatum perenni traditione ad nos derivata docuere SS. Patres, ac Summi Pontifices *p.* 24, *& ſeq.*

Barbeyracius e Proteſtantium grege profligatiſſimus ſycophanta totus in id impie incubuit, ut locum adinveniret lædendi, & laceſſendi SS. Patres, quibus plurimorum errorum tum circa doctrinam, tum circa mores perſonam imponere pro temeritate non deſtitit. Itaque poſt Bernardum, Buddæum, Dallæum, Fabritium, Clericum, Lenfantium, Bayllum, Noodt, Sechendorfium, Dupinum, Fleurium &c. inter alios traduxit Athenagoram; Clementem Alexandrinum; SS. Cyprianum, Baſilium, Gregorium Nazian., Ambroſium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum, Abdam: Origenem, & Tertullianum: SS. Victorem, & Stephanum PP. MM: Theophilum, & Cyrillum Alexandrinum: SS. Juſtinum, & Irenæum: Maximum, & Theophanem: Epiſcopos, & Eccleſiaſticos ſæculi V.; Eccleſiam imo ſequioris ætatis *p.* 118, *& ſeqq.* Sed impudentiſſimus ſycophanta, impoſtorque dignis pro impietate, ac petulantia vapulat; SS. Patrum vero dogmata, ac mores vindicantur, ac in tuto collocantur *p.* 148, *& ſeqq.*

Barlaam Hierapolitanus ad finiendas fidei controverſias Romanæ Eccleſiæ ſententiam ſatis, ſuperque reputavit: qui eidem edicenti non obaudirent, ideo in diverſos, & adverſos errores diſtrahi adſeruit *p.* 222, *& ſeq.*

S. Baſilius homicidio non deputavit cædem ad ſui defenſionem patratam. Matrimonium inter eos, qui mœchati fuiſſent, non improbavit. Neceſſarias lites, ac juramenta legitima illicitis non adcenſuit *p.* 152, *& ſeq.* Excuſandus eſt tamen in eo, quod videtur exiſtimaſſe in cauſſa ſeparationis conjugum, quoad thorum, ob caſum fornicationis, par quidem eſſe conjugis utriuſque jus juxta legem Evangelicam, ſed juxta Eccleſiaſticam virum potiorem, ac ſuperiorem eſſe *ibidem*: quinimo æque, riteque accipi poteſt, ac intelligi *p.* 155. Apoſtolicæ Sedis eſſe

eſſe de *Synodorum* etiam ſententiis dijudicare, eaſque diſſolvere, prout opus aſſoret: controverſias in Eccleſiis ſubortas dirimere, ac peremptorio judicio definire: Synodorum acta proſcribere; Eccleſiis omnibus proſpicere; Hæreſes ubique profligare; in eaque puram, illibatamque fidem permanere tenuit, & docuit *p.* 185, *& ſeq.* Excuſatione vero eſt dignus S. D., ſi de Romana Eccleſia eidem aliquando quidpiam minus decens excidit *ibidem*.

Baſilius Acridanus in Apoſtolica Sede fidei fundamentum ſuperſtructum ſcripſit; quæque de fide illa teneret, & doceret a Græcis pariter doceri, & teneri *p.* 215.

Baſilius Trinonitanus Innocentio III. obedientiæ, ac ſubjectionis omnimodæ juramentum nuncupavit ab ſe, ſucceſſoribus, ac ſuffraganeis ſuis in ævum Apoſtolicæ Sedi exhibendæ *p.* 216.

Baſilius Macedo non ex odio privato, ſicuti comminiſcuntur Græci ſchiſmatici, ſed imo ex amore, ſtudioque faciendi ſatis S. Nicolao I. præcipienti, Photium gradu deturbavit, & S. Ignatium reſtituit *p.* 445. Formulæ fidei a Pontifice M. præſcriptæ ultro citroque ſubſcripſit; Pontifici in Eccleſiaſticis cauſſis, ac in Conciliis primas attribuit partes: a Pontifice diſpenſationes circa canones demiſſe poſtulavit *ibidem*.

Baſnagius quam peſſime, tam perperam effutivit S. Stephanum P. M. in errorem Cyprianico directo oppoſitum fuiſſe prolapſum; atque S. Cypriani opinione in fide erraſſe *p.* 268, *& ſeqq.* Pontificis Romani Primatum a Phoca inductum commentus caſtigatur *p.* 441. Videſis V. *Spanhemius*. Refractarios Conſtitutionis *Unigenitus* eodem in luto hærere, quo Lutherani Conſtitutioni Leonis X. adverſantes; ac principia, quæ Proteſtantes ad elevandam vim Bullæ Leoninæ excogitaverant, eadem adhiberi a Queſnellianis ad vim infringendam Clementinæ Conſtitutionis appoſite obſervavit *p.* 651, *& ſeq.*

Beauſobrius Iſacius quam nefarium, tam ineptum ſyſtema de perenni in Eccleſia Proteſtanti ſucceſſione procudit: tam impie, quam impudenter SS. Patres depravavit, & interpolavit; proque impudentiæ, impietatiſque coronide poſt Hyddæum, & Baylium ſub ſymboli nomine Manicheiſmum inſtauravit *p.* 114.

V. Beda Romanum Pontificem extra omne prorſus errandi periculum habuit, ac præ Concilio auctoritate potiorem *p.* 327, *& ſeq.* Ab impacta autem calumnia ab impudenti Stillingfleeto vindicatur *p.* 328. Apud Bedam idem, ac ipſe ſenſerunt S. Juſtus, & Biſcopus *p.* 331.

Bellum Chriſtianis juſta ex cauſſa licere docuerunt SS. Patres; belloque nomen dediſſe priſci Chriſtifideles paſſim leguntur *p.* 151.

Benedictus XII. P. M. dum adhuc Cardinalis eſſet abs vero aberravit quammaxime, quum dixit SS. Stephanum, & Cyprianum lapſos pariter in errores directo oppoſitos *p.* 267, & 275.

S. Bernardus SS. Patrum Latinæ Eccleſiæ poſtremus quam liquido, tam luculenter Romanum Pontificem ſupra Synodos loco poteſtatis ſupe-

periori, extraque periculum erroris circa fidem omnino posuit, ut de germana ipsius sententia fas non sit suspicari *p.* 350, *& seqq.*

Berno Augiensis S. Henrico sciscitanti a Clero Romano cur symbolum ad Missas non caneret, responsum datum ideo, quod Romana Ecclesia nulla unquam hæresi fuisset fœdata, refert *p.* 340.

Binghamus, Blondellus, Buddæus, Dodvvellus, Fellus, Deilingius, Goulartius, Salmasius &c. per commentum, perque calumniam S. Cypriano errorem affiant, quo existimaverit Episcopos omnes dignitate æquales, gradu Presbyteris non esse superiores; Ecclesiarum singularum Capita esse, & centra, istaque in vice peræque S. Petro fuisse suffectos *p.* 258, *& seqq.*

Blondellus, & Grotius Episcopis gradu æquales Presbyteros ex S. Hieronymi potissimum, aliorumque Patrum opinione agere ausi a viris doctiss. exagitantur *p.* 110.

Bohemorum Rex primus Borzivojus Christo D. nomen dedit *p.* 484. Quinam Reges alii Romanam Ecclesiam impense colendam susceperint: ejusdem ritus in gentem transferre, ac propagare curaverint: qui vectigale Regnum eidem fecerint, & reddiderint; ac insignibus præclaris ob singularia in eamdem merita fuerint exornati *p.* 485.

S. Bonaventura Romani Pontificis divinas prærogativas egregie, enixeque contra Græcos defendit, & Latinos edocuit; proculque a dubitatione omni habuit cum supra Synodos potestate illum pollere, tum in fide falli, & fallere prorsus nescium esse *p.* 379, *& seqq.* Bossuetius Seraphicum D. sinistrorsum interpretatus non audiendus est *p.* 381. S. Doctor ex summo Sacerdote Synagogæ olim præfecto apposite specie assumpta recte descendit deinde ad ostendendum ita a Deo O.M. Ecclesiæ universæ præpositum Romanum Pontificem, qui Ecclesiæ universæ prospiciat, cuique universa Ecclesia pareat *p.* 691.

Bonifacii II. epistola ad Eulalium Alexandrinum commentitia est: non etiam epistola ad homonymum Carthaginensem *p.* 320.

S. Bonifacius Moguntinus tum suadere, & insinuare aliis, tum servare, & exhibere se obedientiam, & obsequium Sedi Apostolicæ sollicitus summopere, ac sedulo studuit *p.* 329. Ita etiam S. Lullus ejus in eadem Sede successor *ibid.* Ita insuper S. Bonifacius Merseburgensis *p.* 340.

Bossuetius quo plus erga S. Cyprianum, eo minus erga S. Stephanum æquus reprehensione dignum se præbuit *p.* 268, *& seqq.* Contendens a S. Cypriano quæstionem de anabaptismo non ad disciplinæ caput, sed ad fidei dogma fuisse revocatam est relinquendus *p.* 281, *& seqq.* Eidem in sententia adhærentes Habert, & Drovinus pariter rejiciuntur *ibid.* S. Augustini loco ad suadendam obedientiam decretis Pontificiis recte aliquando usus est *p.* 307. Insignem tamen alterum S. D. locum opinioni suæ adversum intorquere aliorsum est frustra adnixus *p.* 309. S. Thomæ liquida testimonia de Pontifice auctoritate potiori, ac in fide prorsus infallibili elevare, & elidere conatus exploditur *p.* 374. S. Bo-

naventuram pari cum S. Thoma in perſuaſione verſatum alienum perinde in ſenſum accipiens repellitur *p.* 381 : non ſecus atque S. Antonino apertiſſime Pontificem Concilio præferenti, atque in fide infallibilem propugnanti vim inferens *p.* 394, *& ſeq.*

Boſſuetium Cleri Gallicani ſententiam intimam de Apoſtolicæ Sedis infallibilitate, ac ſuprema poteſtate aliorſum perperam inflexiſſe, ac præpoſtere Apoſtolicam Sedem a Pontifice in eadem ſedente diſcreviſſe ſit planum *p.* 541, *& ſeq.* S. Irenæi illuſtrem locum de Pontificia infallibilitate non eſt inficiatus *p.* 566, *& ſeq.* Pontificiis decretis, auctoritatique infallibili, quam dein Pontifici perperam denegat, obedientiam deberi etiam internam recte docuit *p.* 671, *& 673.* Appellationum a Pontifice ad Concilium antiquiſsimum uſum falſo adſtruit *p.* 676. Apoſtolicam Sedem Eccleſiæ univerſalis neceſſarium vinculum, ac nunquam a fide defecturam approbe affirmat, quam inepte ſubinde a Pontifice ſecernit *p.* 686. Concilium generale ad finiendas fidei controverſias fruſtra neceſſarium ponit *p.* 687. A Deo in Apoſtolica Sede præſentiſſimam Eccleſiæ neceſſitatibus auctoritatem poſitam baſilice dixit *p.* 689. S. Petri miniſterium, ac fidei fundamentum in Pontifice manere, & permanere approbe docuit *p.* 613. Boſſuetii num genuinum ſit opus inſcriptum *Defenſio declarationis &c.* diſcutitur : ei alia opera afficta fuiſſe demonſtratur *p.* 623, *& ſeqq.* Pontificum plurimorum lapſus præter modum exagitat, & exaggerat ; nec ſibi æqualis ſtat *p.* 627, *& ſeqq.* Cardinalis de Tencin egregia de eo opere cenſura *p.* 630. Paullo audacius de Alexandri VII. Conſtitutione anno 1665. edita loquutus eſt. *p.* 642. Non erat, cur moleſte acciperet dictum a Petro de Marca a Pontificis ſuprema poteſtate libertates Gallicanas nihil lædi *p.* 662, *& ſeq.*

Bulgaria quot, qualeſque olim Provincias complecteretur : quando, & a quo in Bulgariam Chriſtiana Religio fuerit invecta, aut amplificata *p.* 491, *& ſeq.* Ex Bulgaris, qui primus Chriſtianis ſacris initiatus fuit, Telericus a Græcis fuit inſtitutus : ſed poſt ipſum Bogoris a Latinis Presbyteris de Romanæ Eccleſiæ ritibus eſt edoctus, ſtatimque Romano Pontifici clientem ſe, & famulum præſtitit, & conſilia præbenti faciles, pronaſque appoſuit aures *p.* 492, *& ſeq.* Qui poſt ipſum Bulgaris Principis nomine præfuere, quinam Pontifici M. fidei ſacramento ſe devoverint ; Regio diademate a Pontifice inſigniri, aliiſque privilegiis adaugeri promeruerint *p.* 493, *& ſeq.* Bulgaros, Cazaros, & Blachos ad ſchiſma deinde delapſos cum Romana Eccleſia redintegrare obnixe curaverunt Ladislaus Walachiæ Princeps, ſed potiſſimum Urbanus V. P. M. *ibidem*.

C

CÆleſtinus III. P.M. majores controverſias ad Apoſtolicam Sedem dirimendas deferre Eccleſiæ univerſæ, ac ſignatim Gallicanæ priſco, ſolemnique in more poſitum fuiſſe perhibet *p* 48. 580.

Cæli-

Cælibatus lex Clericis majoribus, ac Monachis ab Eccleſia impoſita tam ſacra eſt, quam antiqua, cujus teſtes locupletes accedunt SS. Patres *p.* 68, *& ſeq.* Obtinuiſſe, atque obſervatam qua in Oriente, qua in Occidente ſive lato jure, ſive inducta conſuetudine exploratiſſima res eſt *ibidem*. Effronti igitur, effrenique inverecondia ante S. Gregorium VII. Sacerdotibus licitum fuiſſe conjugii uſum affirmavit Piceninus: Cælibatus legem impetivit Juſtus Jonas: Presbyteris conjugii veniam fieri deſideravit perperam Stanislaus Orecovius *p.* 68. Lex eadem laude admodum digna oſtenditur *p.* 149, *& ſeq.*

Cærimoniæ Eccleſiaſtico uſu ſacræ in confectione, & adminiſtratione Sacramentorum in traditione locum habent: ſpeciatim quæ in collatione Baptiſmi, & Confirmationis *p.* 54, *& ſeq.*, & quæ in confectione Euchariſtiæ, ejuſque Communione *p.* 56, *& ſeqq.*

Campanarum, quibus Clerus, populuſque ad cœtum, preceſque congregatur, uſus quatenus invaluerit; inventio a quo occeperit; benedictio quando inducta: ab Occidentali Eccleſia in Orientalem earum uſum tranſvectum conjectura attingi licet *p.* 52, *& ſeq.*

Cappuccini in Orientalibus ſchiſmaticis, & hæreticis ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam, & fidem reducendis egregiam frequenter operam exantlarunt *p.* 240, *& ſeq.*; 498, *& ſeq.*; 506, *& ſeq.*; 513, *& ſeq.*; *&* 515.

Carolus V. exemplo, edictoque Succeſſoribus ſuis auctor extitit obſequii, & obedientiæ, devotionis, ac defenſionis Romanæ Eccleſiæ impendendæ *p.* 455.

Caſſander, & Callixtus quam præſidenter, tam perperam affirmarunt, ille quidem Communionem ſub utraque ſpecie antiquitus ita in uſu fuiſſe ſemper, ut in legem tranſiverit: iſte vero Orientales communicaſſe nunquam ſub una dumtaxat ſpecie: ſed digna Nihuſio dedit *p.* 53.

Caſſianus loco potiſſimo Romanum Pontificem habuit, & tenuit *p.* 312.

Caſſiodorus animo approbe comparatum ſe præbuit capiendi a Pontifice conſilium, inſtitutionemque recta tum credendi, cum agendi *p.* 320, *& ſeq.*: ejus opera Theodatus Rex Gothus vaſa ſacra, quæ S. Agapetus ob expenſas in profectionem Conſtantinopolitanam oppignorare compulſus fuerat, Romanæ Eccleſiæ reſtituit *p.* 457.

Ceylani, & Cochini Reges Pontifici M. fidei ſacramento demiſſe ſe dedunt *p.* 510.

Chamierus, Spanhemius, Piceninus, aliique ex Proteſtantibus Monaſtici inſtituti hoſtes infenſi SS. Patres infeſtos pariter facere haud veriti profligantur *p.* 108.

Characteres ad uſum ſcribentium diverſi olim apud diverſos: ſed & apud eoſdem non ſemper iidem. Latinis alii fuerunt ab Auguſto uſque ad Antoninos; aliique ab Antoninis ac deinceps. Germanis, Gothis, & Græcis diverſi plane ab invicem, & ab aliis uſu venerant: non ſecus Cyrilliani, ac Hieronymiani. Characterum etiam notæ diverſæ pro uſu diverſo, a quo inventæ, & qui de iis tractent *p.* 139.

S. Charibaldus primus fuit Ratiſponenſis Epiſcopus, non autem S. Heimerammus *p.* 571, *& ſeq.*

S. Chry-

S. Chryſoſtomo Pelagii hæreſim, quaſi peccatum originale fuerit inficiatus, afflare non erubuerunt Julianus Eclanenſis olim, ac dein Dallæus: ſed ab horum invidia S. Doctor defenditur *p.* 98. In eo, quod docere viſus eſt Abrahamum in vitæ diſcrimen adductum in Saræ adulterium conſenſiſſe, deſerendum S. Doctorem admonent nonnulli: ſed excuſari commode poteſt *p.* 165, *&* *ſeq.* Pontificis Romani ſupra Synodos ſtare tribunal probe habuit perſuaſum *p.* 187. S. Petro privilegia a Chriſto D. collata, inter quæ infallibilitatem, Romani Pontificis propria facta profeſſus eſt; qua in ſententia Patres alios ſuffragatores habuit *p.* 189.

Chriſtiernus Daniæ Rex tam demiſſo obſequio Sixto IV. P. M. ſe devovit, ut in exemplum devotionis ab Italis Pontifici impendendæ propoſitus fuerit a Cardinali Papienſi *p.* 477.

Chriſtina Sueciæ Regina inſigni virtutis exemplo Regno ſe abdicare maluit, quod cum Religione catholica componere nequiret; ſeque totam in Romanæ Eccleſiæ obedientiam religioſe tranſcripſit *p.* 481.

Clemens Alexandrinus neque Stoicum exegit, nec idolatriam edocuit: id ei per injuriam, nefaſque appinxit Barbeyracius *p.* 149.

Clericus Johannes ſub aſſumpta Pheropponi larva deliteſcens eo devenit temeritatis ſummæ, ut S. Auguſtino pleraque errata affricaret; eumque in S. Scripturæ interpretatione abs vero ſenſu aſſequendo immaniter abfuiſſe effutiret *p.* 100. Iniquiſſimam Clerici impudentiam in vellicandis Patribus caſtigavit etiam Cavæus *p.* 110.

Communio laica ſub una dumtaxat ſpecie licita ſemper fuit, ac in Eccleſia frequentata: traditione etiam accepta ad nos uſque tranſmiſſa *p.* 45, *&* *ſeqq.* Ejus uſum adjuncta varia tum licitum, tum laudabilem reddebant: diſciplina Communionis domeſticæ, de qua quæritur quando in Eccleſia ſive Orientali, ſive Occidentali deſierit: Œconomia, ſeu diſpenſatio cum vitam ſolitariam degentibus: neceſſitas deferendi ad abſentes, & conſervandi pro ægrotis *p.* 47, *&* *ſeqq.* Hinc inductus uſus præbendi Communionem ſub una pacis ſpecie. vel in longinqua peregrinantibus, vel Martyrio propinquantibus, vel ad bellum proficiſcentibus *p.* 50, *&* *ſeq.* Hinc uſu recepta conſuetudo, atque per ſæculaXII. retentaCommunionem ſub una ſpecie tantum largiendi infantibus, obque graves cauſſas ſub una ſpecie panis diſtribuendi in Eccleſia *p.* 50, *&* *ſeqq.* quæ tandem conſuetudo tranſivit in Legem, quam jam violare ſit nefas *p.* 52, *&* *ſeqq.* Videſis V. *Euchariſtia*.

Concilia decretorum ſuorum robur invictum Romano Pontifici acceptum retulerunt ſæpe ſæpius *p.* 184, *&* *ſeq.* Concilia generalia neceſſaria omnino eſſe ad controverſias fidei finiendas nec S. Auguſtinus, nec Euſebius, nec S. Innocentius, nec S. Leo, nec Synodus V. tradiderunt. Quid quod S. Facultas Pariſienſis Conciliorum generalium neceſſitatem frequenter eſt inficiata? *p.* 677, *&* *ſeq.*, 680, *&* *ſeq.* In Conciliis ab Epiſcopis in diverſas, & adverſas ſæpe itum ſententias eſt, ac ſæpius imo in errores: ex Conciliis parum utilita-

tis perſæpe, ac diſcriminis plurimum imminere dixit S. Gregorius Nazian. *p.* 775. A Conciliis Pontificum Conſtitutiones examini nunquam fuerunt ſubjectæ, antequam admitterentur *p.* 676, 678, *& ſeq.* E Conciliis Synodicas ad Pontificem dirigi pro decretorum approbatione, & promulgatione ſolemnis, priſcuſque mos fuit *p.* 682, *& ſeq.* Concilium generale conſtitui nequit pro fidei fundamento, Eccleſiaſticæque communionis capite, & centro *p.* 688, *& ſeqq.* Concilio neceſſaria Pontificis auctoritas eſt, qua Epiſcopi in officio contineantur, aut ab errore revocentur, aut ad unam ſententiam cogantur *p.* 690, *& ſeq.*

Concubinæ nomine antiquitus non ſemper accipiebantur pellices, ſed ſæpius uxores ſecundariæ, quod non eſſent ea dignitate, qua uxores primariæ; nec filios gignerent bonorum paternorum hæredes *p.* 169.

Confirmationis Sacramentum a Chriſto D. fuiſſe inſtitutum, conferre gratiam, characterem imprimere, Ordinarium Miniſtrum eſſe Epiſcopum traditio eſt in Eccleſia retenta, SS. Patrum, Conciliorum, ac Summorum Pontificum teſtimoniis innixa *p.* 25, *& ſeq.*

Congi, & Angolæ Reges, Reginæ, ac Principes ad Romanæ Eccleſiæ ritus colendos, ac Romano Pontifici obedientiam præſtandam a noſtris perducti quanta deinceps Apoſtolicæ Sedi devotione ſtuderent commonſtrarunt ſæpe *p.* 513, *& ſeq.* Quo in ſtudio pares illis effecerunt Reges Borni in Guinæa, Overii in Inſula S. Thomæ, & Bennini *ibidem*.

Conjugia ob adulterium diſſolvi etiam quoad vinculum, & quidem ex parte viri, non etiam uxoris exiſtimaſſe videntur nonnulli veteres Patres, quibus & favent Principum leges. Vero verius eſt tamen neutra ex parte ſive uxoris, ſive viri quoad vinculum conjugia adulterio diſſolvi. Ita Patrum cohors traditita Pontificum auctoritas ſtatuit: ita Conciliorum Canones ſanciunt *p.* 153, *& ſeqq.* Quinimo priſcis quibuſdam perperam attributam oppoſitam opinionem Eruditi oſtendunt: quomodo vero Principum leges accipi debeant declaratur *ibidem*.

Conſtantinus M. Imperatorum primus Chriſtianæ Religioni ſe adjunxit, ſicuti veriſimilius Eruditis videtur *p.* 412. Romani Pontificis dignitatem, ſummamque poteſtatem teſtatus, veneratus, & tuitus ex animo eſt *p.* 414. Ei Donatiſtarum cauſam dijudicandam dimiſit: ab eo appellantes ad ſuum tribunal non admiſit; etſi admiſerit appellantes a Synodo Arelatenſi, ideo tamen ut illis os demum obſtrueret *p.* 415, *& ſeqq.* Aliquanto plus ſibi præter fas juris eccleſiaſtici arrogaſſe arguitur; quinimo æque ac cum orthodoxis, ſanctiſque viris egiſſe, atque cum hæreſi infectis, depravatiſque hominibus; plus æquo præterea hiſce præ illis detuliſſe accuſatur: ſed multo ex capite excuſatione dignus oſtenditur *p.* 417, *& ſeqq.*

Conſtantinus cognomento Pogonatus ſtudio pacis, etſi non probe S. Vitaliani nomen e dypticis expungi permiſit. Patriarchæ Conſtantinopolitano, ut ad Pontificem Synodicam dirigeret de more, auctor fuit.

fuit. Pontifici in cauſſis Eccleſiaſticis primas detulit partes, definire quæſtiones fidei ad eum pertinere faſſus, & profeſsus eſt. Poſtremo Romanam Eccleſiam a penſitatione pecuniæ recens inauguratis Pontificibus impoſitam a Gothis Regibus liberavit; & jus confirmandi electos Pontifices Exarchis Ravennatibus attributum a Græcis ad ſe retraxit, aliquando retinuit, donec tandem dimiſit *p.* 442, *& ſeq.*

Corderius Petrus pſeudo-theologus Pariſienſis quam temere, tam nequiter Gallicanis Epiſcopis ſchiſma, ac ſiniſtram de Romani Pontificis auctoritate opinionem affingere non dubitavit; quinimo eo progreſsus nefarii attentati eſt, ut Daniæ, & Scotiæ Reges a Pontificis legitimi obedientia abſtrahere adniteretur *p.* 600.

Courajerus dum Anglicanæ Eccleſiæ dogmata cum Romana conciliare quam fruſtra, tam nefarie allaboravit, ab Anglis in Miſsa agnoſci adverſus Romanæ Eccleſiæ Theologos veram Sacrificii rationem conſiſtere adhuc, etſi in ea Chriſti D. verum Corpus, veruſque Sanguis non offeratur, cum ob diſſimulatam eorum doctrinam ab Anglis, tum ob deformatam fidem Catholicam ab Orthodoxis peſſime audivit *p.* 43.

S. Cyprianus cælibatum tum laudavit, tum ſervavit: qui id primum ipſi crimini vertit, impuriſſimum ſe manifeſtat; qui id ſecundum inficiantur, uti Baſnagius, uti Fellus, uti Pearſonius, uti Barbeyracius ſe ignaros produnt; quemadmodum impudentiſſimum ſe oſtendit, qui S. Doctori aliorum crimi-num perſonam imponit *p.* 149, *& ſeqq* Quæ S. Cypriano germana infederit de Romani Pontificis divinis prærogativis auctoritate, & infallibilitate perſuaſio *p.* 252, *& ſeqq.* Ea fuit profecto Romanum Pontificem conſtitutum fuiſſe Eccleſiæ fundamentum, & faſtigium, unitatis eccleſiaſticæ caput, & centrum: cum eo communicare Eccleſias ceteras eſſe neceſſe, & cum eo communicantes cum Eccleſia Catholica communione eſſe conjunctos; non communicantes autem, nec conſentientes eſſe ſchiſmaticos, & hæreticos: Hæreticis frequens, ac familiare eſſe ad eum confugere, apud quem tamen perfidia appellere nequit: ejus eſſe partes Eccleſiis proſpicere; in Epiſcopos jus exercere; graves cauſſas ab Eccleſiis ad eum eſſe referendas, & geſtorum rationem a Synodis ei reddendam *p.* 252, *& ſeqq.*

S. Cypriano epiſtolam 67. ad S. Stephanum ſuppoſititiis temere adnumerant Gerbaſius, Launojus, Fellus, & Oudinus; vindicant vero rite Queſnellus, Pearſonius, & Maurini Monachi *p.* 255, *& ſeq.* Inſignem S. D locum ex libro de unitate Eccleſiæ detruncarunt in editionibus Oxonienſi, & Bremenſi Proteſtantes, ſed perperam, fideque peſſima, quem ex melioris notæ codicibus vindicant viri Eruditi *p.* 257, *& ſeqq.* Per calumniam S. Doctori appingunt Proteſtantes errorem, quo exiſtimaverit divina inſtitutione Epiſcopos omnes gradu tum inter ſeſe æquales eſſe; tum nec Presbyteris eſſe poteſtate ſuperiores; ſingulos indiſtinctim ſingularum Eccleſiarum caput eſſe, & centrum, ac in hoc officio S. Petri

tri peræque ſucceſſores : ſed commenta ſunt iſta , & calumniæ, quæ diſpunguntur , & diſpelluntur *p.* 528, *& ſeqq.* S. Stephano de non rebaptizandis baptizatis ab hæreticis admonenti minus, quam par eſſet , æquum ſe præbuit S. Doctor *p.* 264 , *& ſeqq.* Ex iis attamen , quæ ſtilo paullo acerbiori ſcripſit , peſſime , ac perperam anſam arripiunt Proteſtantes Pontificibus MM . oblatrandi , & obſiſtendi *p.* 266, *& ſeqq.*

S. Cypriani vera ſententia Romanus Pontifex nedum Urbis Præſul, ſed & Orbis Primas eſt : Proteſtantes hoc inficiantes profligantur *p.* 276, *& ſeqq.* Nunquam S. Doctor a ſacrorum conſortio cum S. Stephano diſceſſit , aut ab eo dimiſſus eſt *p.* 277. Traditionem, quam objecerat Pontifex, Romanæ Eccleſiæ nedum , ſed univerſalis Eccleſiæ traditionem extitiſſe S. Doctori fuerat exploratum *p.* 278 , *& ſeqq.* Controverſiam illam tamen de anabaptiſmo ad caput diſciplinæ puræ, putaeque retulerant S. Cyprianus, unaque Africani Antiſtites , ſicuti teſtimoniis Scriptorum , validiſque rationum momentis fit evidens *p.* 281 , *& ſeqq.* E contra vero a S. Stephano fuiſſe eamdem controverſiam ad fidei dogmata , uti reapſe attinebat , revocatam verisimilior opinio eſt *p.* 288, *& ſeqq.* S. Cypriano eo in errore conſenſerunt SS. Baſilius , & Amphilochius , ſed excuſandi ſunt : num anteiverint Tertullianus , & S. Dionyſius Alexandrinus; *&* acceſſerint deinde SS. Optatus , Athanaſius , Epiphanius , & Cyrillus a nonnullis dubitatur : adhæſiſſe SS. Innocentium I , Leonem I , Gregorium M., Pelagium II , & Urbanum II. per calumniam fuit confictum *p.* 286.

S. Cyrillo Alexandrino Romani Pontificis infallibilitas explorata , ejuſque ſententia præ Synodicis potiori , ac ſupremo loco erat : ad eum Neſtorii cauſſam , ac in Oriente controverſias excitatas detulit , ab ejuſque dicto nec latum abſcedere unguem duxit *p.* 189, *& ſeq.*

Cyrillus Damaſcenus Patriarcha Romano Pontifici obſervantia ſe totum dedit: fidei profeſſionem nuncupat ; ac de ritibus Eccleſiæ Romanæ inſtruendum ſe integre præſtat *p.* 241.

SS. Cyrillus , & Methodius cum fidei , tum geſtorum ſuorum accuratam rationem Pontifici reddere jubentur , a quo probata fide , acceptoque cum inſtructione mandato Bohemorum , ac Moravorum Apoſtoli conſtituuntur *p.* 484 , *& ſeq.*

D

DAllæus Confeſſionis auricularis uſum toti retro antiquitati inauditum , eumdemque nullam unquam apud gentem præter Latinam fuiſſe inductum tam mendaciter , quam temere effutivit *p.* 60, *& ſeq.* Inſigni etiam mendacio , effrontique temeritate impugnandam ſuſcepit traditionem Eccleſiæ cum Græcæ , tum Latinæ de Sanctorum Reliquiis , & Imaginibus : eo progreſſus ulterius , ut propugnaret tum hanc traditionem Latinorum propriam eſſe , ac ſingularem, tum hujuſce traditionis nullum ex tribus priſcis ævis argumentum ſuppe-

petere *p.* 90. Pelagiani erroris S. Chryſoſtomum inſimulare vir iniquus non eſt veritus; quem tamen ab ipſius inſultibus præliberavit S. Auguſtinus *p.* 98. Perſæpe in ſuorum errorum patrocinium accerſere SS. Patres virum profligatiſſimum non puduit *p.* 107, *& ſeqq.* Ipſius impudentiam in vellicandis Patribus coarguit, & caſtigavit Scrivenerus *p.* 111.

S. Damaſus P. M. immunis prorſus fuit ab eo ſuperbiæ faſtu, quem vitio ipſi vertit poſt Ammianum Marcellinum improbus Barbeyracius *p.* 174.

Daniæ Regum primus Harioldus S. Romanæ Eccleſiæ nomen dedit, ejuſdemque dogmatibus, ritibus, legibus amplificandis in Regno ſuo operam dedit diligentem *p.* 475, *& ſeq.* Qui poſt ipſum eidem Romanæ Eccleſiæ aut peſſime infenſi in ſe ſupremi Numinis iram experti ad ejus obſequium regreſſi ſunt, aut probe affecti ejuſdem clientelæ obſervantia omni ſe dediderunt *p.* 476, *& ſeqq.*

Decio Imperatori ex dignitate Romani Pontificis quatenus propriæ ſplendoris plurimum derogaretur, invidiæ multum, iræque adhæſit *p.* 413. *& ſeq.*

Deilingius. Videſis V. *Binghamus*.

Diocletianæa perſecutione deſæviente oppido, plurimi iique præclariſſimi Martyres effecti ſunt, quemadmodum ethnicis aliis Imperatoribus in Chriſtianos pariter debachantibus: id unus inficiatus Dodvvellus refellitur *p.* 171, *& ſeqq.*

S. Dionyſii Areopagitæ illuſtri nomine libros inſcriptos quinam, genuinos reputent, qui ex adverſo veluti apocryphos rejiciant *p.* 11.

S. Dionyſius Corinthius ſollicitudinis ſummæ, qua Romani Pontifices Chriſtianorum res omnes ſive corporales, ſive ſpirituales curare, & procurare ſolebant, teſtis eſt liquidus, locupleſque *p.* 178.

S. Dionyſius Alexandrinus Romani Pontificis dignitatem potiori, ſupremoque loco poſuit: illius dicto ab omnibus obaudiendum probe intellexit; illique fidei ſuæ rationem fuiſſe reddendam intime perſuaſum habuit; quin etiam ad illum graviores quæſtiones deferendas fore ipſius ſententia dirimendas *p.* 182, *& ſeq.*

Diſciplina Eccleſiaſtica a fidei dogmatibus accurate diſtingui debet: illa fide illæſa varia pro varietate Eccleſiarum, temporum, aliorumque adjunctorum eſſe poteſt: iſta vero ſemper, & ubique eadem *p.* 143. Ad diſcernendum inter ea, quæ ad fidei articulos, & ea, quæ ad diſciplinæ caput attinent, nonnullæ traduntur regulæ; quarum omnium inſtar una Romanæ Eccleſiæ doctrina, & auctoritas eſſe debet *p.* 144, *& ſeq.*

Dodvvellus ex S. Cypriani ſententia affirmare non erubuit Epiſcopos gradu æquales omnes: æqueque S. Petro in officio centri, & capitis eccleſiaſticæ communionis ſucceſſiſſe: ſed commentum iſtud, & calumnia retunditur, & rejicitur *p.* 258, *& ſeqq.* SS. Martyrum etiam ingentem numerum inficiatus eſt, aut imminuit; ſed exploditur, & exſufflatur *p.* 172, *& ſeq.*

Dominicus a SS. Trinitate ex ſententia Gallicanæ Eccleſiæ Romani Pontificis ſupremam ſupra Concilia poteſtatem, ac in fide infallibilitatem rite adſtruxit *p.* 537. A Francorum

corum Imperatoribus Capitularia ex Romani Pontificis aut decretis edita, aut auctoritate evulgata, aut confirmata fuiſſe approbe obſervavit *p.* 552.

Donatiſtarum cauſſa Pontificis Romani judicio finita fuit: finiendam fuiſſe ipſimet faſſi ſunt: ab ipſis ad Imperatoris tribunal interpoſita appellatio non fuit a ſententia Pontificis, ſed a ſententia Synodi Arelatenſis: ſed neque Synodo iſti de eorum cauſſa dignoſcere iterum, ac dijudicare licuit abſque Pontificis licentia *p.* 414, *& ſeqq.*

Dorothei Tyrii Synopſis de vita Prophetarum, & Diſcipulorum Chriſti D. nullo in pretio ob fabulas, quibus undique ſcatet, haberi debet *p.* 492.

Dufour Ludovicus de Longuerrue de Tranſubſtantiationis dogmate ea incautus ſcripſit, & inconſultus, quæ ſcripta referri potuerunt aliquando Petro Allixio *p.* 39.

Du Meſnil S. Firmiliani epiſtolam inter Cyprianicas 75. ſuppoſitionis non rite arguit, nec recte in ſuſpicionem adduxit S. Cypriani opinionem de anabaptiſmo *p.* 271

Dupinus quam invidioſe, tam falſo affirmavit S. Athanaſii abſolutionem non S. Julii I, ſed Synodi judicio eſſe adſcribendam *p.* 184, *& ſeq.* Nec minus ſiniſtre illuſtrem S. Auguſtini locum accepit *p.* 308. S. Ennodium Ticinenſem temere etiam traducens a doctiſſ. Sommier dignis vapulat *p.* 317, *& ſeq.* Perperam interpretatus eſt pariter celebrem S. Irenæi locum *p.* 566, *& ſeq.* Videſis V. *Barbeyracius.*

E

ECcleſia priſcis ævis plurimis equidem improborum hominum vitiis dehoneſtata eſt, ſed neque defuere quamplures ſapientia, ſanctitateque præfulgentes, qui eam abunde a maculis expurgarent, propriiſque virtutibus exornarent *pag.* 170, *& ſeqq.* Eccleſias omnes in Occidente inſtituerunt S. Petrus, aut Succeſſores Romani Pontifices *p.* 530. Eccleſiæ Hierarchiam, ac Monarchiam jure humano dumtaxat inductam, non divino inſtitutam, jure humano, inquam, iſtoque aut civili, aut Eccleſiaſtico pugnantes hæretici profligantur *p.* 409, *& ſeqq.*; 664, *& ſeqq.* Eccleſia poteſtatem habet infligendi pœnas corporales. Qui hanc ei poteſtatem adimunt, Proteſtantes claris S. Scripturæ teſtimoniis, SS. Patrum liquida traditione, Summorum Pontificum ſententiis, Principum ſanctionibus, & hiſtoriæ certis monumentis refutantur, & refelluntur *p.* 556, *& ſeqq.* Eccleſiæ definitionem a Theologis traditam temere Launojus exagitavit *p.* 667, *& ſeq.*

Eccleſiæ Romanæ unitatem, & doctrinam tenere debent, quotquot ad tenendam Catholicæ Eccleſiæ doctrinam, & unitatem adſpirant *p.* 256, *& ſeq.*; 298, *& ſeq.*; 327; 332; 341; 343; 363; 523; 527; 535; 567; 597; 601; 605; 606; 610; 611; 618; 667; 668; 684; & 686.

Eccleſia Græca ſub S. Hormiſda communionem cum Romana redintegravit *p.* 196. Antiochena ſub Michaele

chaele Cerulario integra in Eccleſiæ Romanæ obedientia manſit adhuc: item Armena, & Maronitica p. 213. Eccleſiæ Antiochenæ nomine ejus Orator Eugenio IV. fidei ſacramento ſe obſtrinxit p. 214, & ſeq. Alexandrina, Antiochena, & Hieroſolymitana Romanæ Eccleſiæ fide, & obſervantia ſe ſe adjiciunt, & adſtipulantur p. 230, & ſeq. Antiochena rurſus p. 232, & ſeq. Alexandrina iterum vicem agentibus ejuſdem Patriarchis p. 237, & ſeq. Antiochena denuo Ignatio Patriarcha duce p. 240. Cur Eccleſia Græca ad Romanæ unitatem deinceps non redierit, in cauſſa fuit Græcorum qua Imperatorum, qua Patriarcharum ſuperbia, & faſtus p. 248, & ſeqq.

Eccleſiaſticorum avaritiam Eccleſia ſemper eſt execrata. Id vitii maxime in hæreditatibus appetendis Principum legibus cohiberi SS. Patres haud doluere, ſed imo probavere. Ab hæreditatibus ineundis Eccleſiaſticos equidem arcebant Principes, non etiam Eccleſias p. 420.

S. Ennodius Ticinenſis Romanum Pontificem explicate adeo ſupra quamcumque Synodum extulit, ut de ejus germana ſententia nefas ſit ſuſpicari. Dupinus eumdem temere tra ſucens a Cl. Sommier ſuggillatur p. 317, & ſeq.

S. Epiphanio approbe exploratum erat Pontificis M. potiſſimum jus Epiſcopos omnes ſive abſolvendi, ſive abdicandi p. 187.

Epiſcopi, ut Presbytero recens ordinato Euchariſtiam ſub una panis ſpecie pro dies 40. porrigerent ob memoriam dierum 40, quibus Chriſtus D. poſt reſurrectionem cum Apoſtolis eſt commoratus, alicubi aliquando obtinuerat ritus p. 52. Epiſcoporum juriſdictionem a Pontifice Romano profluere, quinam ex Patribus docuerint p. 190: approbe profeſſi idipſum ſunt Johannes Ravennas p. 324, & 535. S. Cæſarius Arelatenſis p. 571. Petrus Meldenſis p. 597. tres Occitaniæ ordines p. 599. Antonius Godæus Vencienſis Antiſtes p. 606. Epiſcoporum ordinationes in Gallia a Pontifice confirmandæ erant p. 570. Formula fidei, ac fidelitatis Pontifici profitendæ qualis uſu ipſis veniſſet *ibidem*.

Eraſmus pro inſana prurigine, inſolentiaque, qua erga S. Auguſtinum minus reverentem ſe præbuit, S. Doctori imo detrahere impune non puduit, gravi reprehenſione dignum ſe præſtitit p. 100. Quam falſo, tam temere ſcripſit B. Virginem originali peccato opinione Patrum fuiſſe inquinatam. Idipſum effutivere Kemnitius, & Rivetus, ſed refutantur p. 115. Rite tamen illuſtrem S. Hieronymi locum de Primatu Romani Pontificis interpretatus eſt, & ab impacta ipſi a Gerardo calumnia defenditur p. 303

Euchariſtia digne ſuſcipienti gratiam confert: in ejus confectione vino miſcendam modicam aquam ex vetuſta traditione teſtantur Patres, Concilia, & Pontifices p. 26. In Euchariſtia præſentem adeſſe corpore, anima, & divinitate Chriſtum D., ibidemque adorandum ex traditione ad nos uſque nunc tranſmiſſa, ac retenta Eccleſia tenet p. 29, & ſeqq. In eadem veram fieri panis, vinique in Corpus, & Sanguinem Chriſti converſionem, quæ a Græcis *Tranſelementatio*, a Latinis

tinis *Tranſubſtantiatio* denominatur fide tenet Eccleſia, & fidelibus tradit Patrum, Conciliorum, ac Pontificum teſtimoniis edocta p. 33, *& ſeqq.* Quod fidei dogma ex libris ſacris, & liturgicis Eccleſiæ ſive Orientalis, ſive Occidentalis; nec non ex fidei profeſſionibus, ac formulis ab hæreticis, Schiſmaticis, & Catholicis cum Græcis, tum Latinis aut emiſſis, aut exaratis confirmatur, & conficitur p. 35, *& ſeqq.* Qua in doctrina Occidentalibus cohærere, ac conſentire Orientales nec heterodoxorum doctiores inficias eunt p. 37, *& ſeq.* Quinimo eidem dogmati fidem dederunt quamplures hæretici; quorum plerique alii dogmate admiſſo de Chriſti præſentia dogma de Tranſubſtantiatione denegare amplius non licere ultrocitroque affirmarunt p. 38, *& ſeq.*

Euchariſtiæ communicare olim oportebat quotquot Chriſtifideles Miſſæ intereſſent. Communio deinde frequens infra annum præcepta: poſtea ter ſaltem intra annum: poſtremo in anno, ideſt in Paſchate, ſaltem ſemel p. 45. Quænam olim obtinuerit, quando occeperit, quomodo immutata dein diſciplina fuerit circa Communionem; nec non circa Miſſæ celebrationem: quatenus Presbyteri in altari, quo celebraſſet Epiſcopus, celebrare prohiberentur contenti cum Epiſcopo fieri Euchariſtiæ participes: quinimo in eadem Eccleſia unum dumtaxat erigeretur altare; nec in Eccleſia eadem Miſſam reiterare fas fuiſſet *ibidem.* Euchariſtiæ conſervandæ variemoda vaſa adhibebantur antiquitus, nunc Columbæ nunc Turres; mox Capſulæ, mox Tabernacula, mox Pixides: Cuſtodibus vero cura ſumma a ſacris Canonibus demandata, pœnis denunciatis atrocibus in deſides p. 47, *& ſeq.* Videſis V. *Communio*, & V. *Cærimoniæ*. Erroribus ſuis circa Euchariſtiam adſtipulatores agere SS. Patres pro impudentia Proteſtantes auſi ſunt plurimi, contra quos in oppoſitam deſcenderunt partem ex eodem grege plures alii ingenio mitiores p. 109, *& ſeq.*

S. Eugenius Carthaginenſis, qui de fide recta edoceri deſiderat, ad Romanum Pontificem veluti ad Caput confugere admonuit p. 314, *& ſeq.*

S. Eulogius Alexandrinus Pontificis ſummi judicio lucubrationes ſuas ſubmiſit; fidei ſuæ rationem ipſi reddidit; rectèque agendi regulas ab ipſo depopoſcit p. 202.

S. Eulogius Toletanus S. Petrum Eccleſiæ firmiſſimum fundamentum prædicavit p. 334.

Euſebio Cæſareenſi libros de vita Conſtantini fuiſſe ſuppoſitos, eorumque Scriptorem fuiſſe Acacium Luſcum conjectura fecit Pater Fuhrmannus p. 419.

Euſtathio Sebaſteno, aliiſque Orientalibus perſpectum erat, apprimeque perſuaſum Romani Pontificis ſupremas partes eſſe de cauſſis Epiſcoporum dignoſcere, & dijudicare p. 184.

S. Eutychius Conſtantinopolitanus Epiſcopus Pontificiis decretis ſe obligatum dixit: Pontificis eſſe Concilio præeſſe; nec abſque Pontifice Concilium congregare fas eſſe, aut a Concilio decreta tenere p. 201.

Extremam unctionem Sacramentum eſſe, ac ſalutare, atque a Sacerdote

dote dumtaxat, oleoque ab Episcopo utique consecrato administrandum SS. Patrum traditio est perpetua *p.* 72.

F

FEllus Johannes S. Cyprianum Patris loco, & honore habet, & colit *p.* 13. S. Cypriano insignem locum ex libro de unit. Eccl., nec non epistolam 67. ad S. Stephanum perperam abjudicat; quin & gravi affecit injuria, dum auctorem facit turpissimi erroris, quasi docuerit nec Pontificem Episcopis superiorem, nec Pontifice in officio gerendi vices S. Petri Episcopos esse inferiores *p.* 258, *& seqq.*

Fevretus Carolus dignitatem excelsam, ad quam Ecclesia Gallicana assurexit, ab ipsius individua Apostolicæ Sedi adhæsione, recte, vereque auspicatus est *p.* 591.

Fide sola haud justificari hominem, neque solam fidem sufficere ad assequendam salutem, sed insuper necessaria omnino esse opera meritoria dogma est extra omnem dubitationis aleam positum a SS. Patribus, Conciliis, & Pontificibus MM. *p.* 95, *& seqq.* Novatorum plurimi eo progressi temeritatis sunt, ut bonorum operum necessitatem explosam a SS. Patribus efutirent, qui pro commento, & calumnia exagitantur, & exsufflantur *p.* 108.

Firmilianus Cæsareensis vel inobediens, & invitus Romano Pontifici ab omnibus fore obediendum, atque ad obedientiam pœnis a Pontifice omnes adigi posse approbe agnovit *p.* 183. Pontifici, ut fuisset par, parum æquum se præbuit *pag.* 266, *& seqq.*

S. Flavianus Constantinopolitanus Pontificem M. cum in fide prorsus infallibilem habuit, tum potestate supra Synodos potiorem, adeoque ut Pontificis unius sententia ad proscribendas hæreses satis superque sit; nec Synodis absque Pontifice ullum penitus insit robur *pag.* 193.

Fleurius Videsis V. *Baillettus.* S. Gregorii VII. dictatum uti genuinum habuit; ex eoque Romanæ Ecclesiæ divinas prærogativas celebrandi occasionem arripuit; atque Pontifici utrumque privilegium infallibilitatis, potestatisque supremæ attribuendi *p.* 615. Conqueritur juste de corruptoribus, & abusibus potius, quam defensoribus, ac usibus libertatum Gallicanarum *p.* 656. Appellantibus a Constitutione *Unigenitus* pessimo exemplo præluisse Julianum, & Lutherum approbe affirmat *p.* 679, *& seq.*

Fridericus Ænobarbus supremi Numinis iram in se concitatam sentiens Alexandro III. P. M. se submisit non modo, sed & ut se submitteret pariter Manueli Græcorum Imperatori auctor fuit *p* 454, *& seq.*

S. Fulgentio, & Ferrando ejus discipulo non altera de Pontifice insedit opinio, quam quod Ecclesiæ supremum in terris sit ejus tribunal; ac sententia exinde manans ab omni errore sit omnino tuta *pag.* 318, *& seq.*

Fulradus Sandionysianus, & Fulco Remensis obedientia, & obsequio demississime ad Apostolicam Sedem appellunt *p.* 332, *& seq.*

G

GAbriel Alexandrinus Patriarcha Romano Pontifici ea omnia privilegia, quæ S. Petri fuerant propria, attribuit, inque iis poteſtatem omnino potiorem, ac in fide infallibilitatem *pag.* 237, *& ſeq.*

Gallaſius, Blondellus, Clericus, nec non Janſeniſtæ nonnulli illuſtrem S. Irenæi locum de Primatu Romani Pontificis in ſiniſtrum inflectendo ſenſum videntes, & volentes abs veritate aberrant *p.* 180.

Galliarum Antiſtites plerique doctrina præſtantes S. Auguſtini auctoritate approbe uſi ſunt ad ſuadendam Queſnellianis omnimodam, intimamque obedientiam Conſtitutioni Clementinæ *p.* 307, *& ſeq.* S. Doctoris apertiſſimo loco alii ex adverſo vim inferre ſiniſtra interpretatione non ſunt veriti: quorum commenta alii ex S. Auguſtini clara, & præclara ſententia elevant, & elidunt *p.* 309, *& ſeqq.* Qui ex Gallis Epiſcopis, Doctoribus, & Scriptoribus Pontificem ſuprema poteſtate, ac ſupra Synodos potiri, nec de fide docentem periculo errandi obnoxium eſſe ſcripſere, docuere, & tenuere, Æneas Pariſienſis, Ratramnus Corbejenſis Humbertus Tullenſis *p.* 244, *& ſeq.* Jacobus de Vitriaco, SS. Thomas, & Bonaventura *p.* 247, *& ſeq.*; S. Avitus Viennenſis *p.* 315, *& ſeq.*; Alcuinus *p.* 329, *& ſeq.*; Autpertus, Jonas Aurelianenſis *p.* 330, *& ſeq.*; Paſchaſius Radbertus *p.* 333, *& ſeq.*; Hincmarus Remenſis *p.* 335, *& ſeqq.* Herivæus Rem., Abbo Floriacenſis *p.* 338, *& ſeq.*; Ivo Carnotenſis *p.* 345, *& ſeq.*; S. Bernardus *p.* 350, *& ſeqq.*; Hildebertus Turonenſis, Arnulphus Lexovienſis, Petrus Lombardus *p.* 358, *& ſeq.*; Johannes Carn., Petrus Cellenſis *p.* 366, *& ſeq.*; Petrus Bleſenſis, Guillelmus Maniacenſis, Stephanus Tornacenſis *p.* 368, *& ſeq.*; S. Petrus Tarantaſienſis, Alexander Hallenſis *p.* 370, *& ſeq.*; Vincentius Bellovacenſis, Hugo Carenſis, Albertus M. *p.* 372, *& ſeq.*; Guibertus Tornacus, S. Thomas *p.* 373, *& ſeqq.*; Richardus Mediavillanus, Johannes Pariſienſis *p.* 382, *& ſeq.*; Guillelmus Durandus, Durandus a S. Portiano *p.* 384, *& ſeq.*; Guido Elnenſis, Petrus Paludanus *p.* 386, *& ſeq.*; Nicolaus Gorranus, Auguſtinus Triumphus *p.* 388. Thomas Argentinas *p.* 390.

Gallicana Eccleſia de Apoſtolica Sede optime ſemper promerita eſt, eidemque, ejuſque Regibus accepta beneficia plurima frequenter Pontifices retulerunt, atque ab Apoſtolicæ Sedi adhæſione, ſtudio, devotione, exaltatione ejuſdem, & defenſione eximiis præconiis celebrarunt *p.* 517, *& ſeq.*, 580, *& ſeq.*, & 590. Enim vero ab Eccleſia Gallicana Apoſtolicam Sedem habitam loco, & honore poteſtatis potiori, omneque prorſus extra errandi periculum poſitam fit exploratum ex Conciliis ibidem celebratis Arelatenſi anno 314. *p.* 519; Narbonenſi anno 451; Araufícano II. anno 529 *p.* 520; Vaſenſi II. anno eodem; Aurelianenſi IV. anno 541; Aurelianenſi V. anno 549; Arvernenſi II. eodem anno; Turonenſi II. anno 567. *p.* 521; Lugdunenſi I. anno 570; Remenſi

menſi circa annum 625; Liptinenſi anno 743; Francofordienſi an. 794. *p.* 522, & *ſeq.*; Pariſienſi an. 825, cujus Præſules cum in Patres Synodi VII, tum in Pontificem M. equidem parum æquos ſe præbuerunt, Pontificem tamen ſummeꝝ potem, ac infallibilem probe vel inviti patefecerunt *p.* 524, & *ſeqq.* Pariſienſis hujuſce Synodi acta perperam inficiati ſunt Bellarminus, Labbeus, Sirmondus, & Harduinus, ſed uti genuina cum evulgavit Petrus de la Lande, tum habuere Mabillonius, & Pagius *p.* 526. Pariſienſi altero perperam a Baronio, Binio, Sirmondo, aliiſque dicto Turonenſi IV; Aquiſgranenſi anno 860. *p.* 527, & *ſeq.*; Sueſſionenſi III. anno 866; Tricaſſino anno 867. *p.* 528, & *ſeq.*; Senonenſi anno 862; Pontigonenſi anno 876; Trecenſi II. anno 878. *p.* 529, & *ſeq.*; Troslejano anno 909; Remenſi anno 992. *p.* 530, *et ſeq.*; Lemovicenſi II. an. 1031; Remenſi anno 1049. *p.* 531, *et ſeq.*; Bituricenſi anno 1276; Bituricenſi anno 1286; Vaurenſi anno 1368; Narbonenſi anno 1551. *p.* 532, *et ſeq.*

Gallicanæ Eccleſiæ intima, eximiaque perſuaſio de Romano Pontifice falli, & fallere prorſus neſcio, ac præ Synodis potiori auctoritate prædito elucet ex libello oblato Clementi V. adverſus Bonifacium VIII. *p.* 533: ex litteris ad Innocentium II: ex Conventu Melodunenſi anni 1479, & Melodunenſi altero anno 1579. *p.* 534: ex Comitiis Pariſiis habitis anno 1626, 1651, 1653, 1661, & 1663. *p.* 535, & *ſeqq.*: ex actis verbalibus Cœtuum Provinciarum Pariſienſis, Arelatenſis, Bituricenſis, & Remenſis *p.* 537, *et ſeq.*: ex Comitiis Pariſiis celebratis anno 1681; 1700; 1705, & 1713. *p.* 538, *et ſeq.*: ex litteris Card. Noallii, aliorumque 12. Antiſtitum ad Clementem XI. *p.* 539, *et ſeqq.*: ex Clemente XI, & Benedicto XIV. PP. MM. *p.* 542, *et ſeq.* Eamdem Eccleſiam ſententia nunquam inceſſit Pontificias Conſtitutiones non obligare, antequam ab Epiſcopis acceptentur: aut Epiſcoporum fas eſſe illas ad examinis incudem revocare, antequam aſſenſum ſuum adhibeant *p.* 539, *et ſeqq.* Epiſcopi quidam moroſiores, qua ratione Conſtitutioni *Vnigenitus* ſyngrapham apponere ſuamꝝ diſtulerint, diſpiciuntur *p.* 540, *et ſeq.*

Galliarum Regnum quo anno, & a quo occeperit: quæ, & quot Regum ſtirpes, & quando regnandi exordium, finemque fecerint *p.* 544, *et ſeq.* Clodovæus omnium primus chriſtianam Religionem eſt amplexatus *p.* 545. Theodebertus Vigilium P. M. de re diſciplinæ, & Childebertus Pelagium II. de re dogmatica conſuluerunt *ibidem*. Pippinus Romani Pontificis obſervantiæ, & obedientiæ ſe totum devovit, & dedidit; Romanam vero Eccleſiam dominiis adjectis ditavit, & amplificavit *p.* 545, *et ſeq.* Carolus M. Patri inferior non fuit in obſequio Pontifici deferendo, ac temporali ipſius dominio ſive confirmando, ſive adaugendo, ſive defendendo: Pontificis dictis obaudire religioni duxit: Religionis de rebus edicta accipere, de mandatis executioni demandandis ſollicitum ſe præſtitit: Epiſcopis civiles etiam

lites dirimendas permiſit: Leges ſuas ex decretis Pontifici approbatis compegit: Pontificis M. decreta pendenda ſancivit: Epiſcoporum appellantium in cauſſis edita decreta ſervari juſſit: S. Leone III. adnuente Chorepiſcoporum auctoritatem comprefſit, & dignitatem ſuppreſſit: Romanæ Eccleſiæ penſum annum perſolvebat, & Saxoniam vectigalem fecit: Eccleſiæ ejuſdem defenſores tres filios ſuos conſtituit: S. Leonis III. auctoritate teſtamentum ſuum confirmari voluit *p.* 546, *et ſeqq.*, & 663. Ob ſingularia in Eccleſiam merita eximie celebratus eſt a Baronio, & Morainio *p.* 549, *et ſeq.*

Galliarum Reges Ludovicus Pius, & Lotharius Caroli M. exemplo Romanæ Eccleſiæ impenſe ſtuduerunt. Imperatoris nomen aſſumere, antequam a Pontifice inaugurarentur, non ſunt auſi *p.* 550, *et ſeq.* Imperatoribus Francorum ad Romanæ Eccleſiæ defenſionem collata ſunt a Pontificibus Patriciatus inſignia, non autem in dominii partem fuerunt adſciti *ibidem.* Qua legibus Pontificiæ dignitati proſpicere, qua litteris Pontifici obſequium detulerunt iidem Imperatores, ab eoque decreta ſibi ſequenda propoſuerunt *p.* 551, *et ſeq.* Capitularia ſua ex Pontificis conſenſu ediderunt, tum ex ejus decretis exſcripſerunt, tum ab eo confirmari curarunt *p.* 552, *et ſeq.* Carolus Calvus Pontifici monenti, objurganti, & jubenti obſequentem ſe exhibere, ſummoque in honore, locoque ſuo dignitatem, & jura habere religioni duxit *p.* 553. Hugo Capetus, & Robertus filius Pontifici de cauſſis Epiſcoporum dijudicandi jus integrum detulerunt *ibidem, et ſeq.* Ludovicus VII Alexandri III. partes adiuvit, eique ſicuti Paſtori ſupremo ſe, ſubditoſque ſuos ſubeſſe declaravit *p.* 554, *et ſeq.* Philippus I, & II. probe habuere perſuaſum Pontifici ſive minitanti, ſive jubenti, ſive monenti eſſe auſcultandum; a Pontifice jus in Angliæ Regnum in ſe derivari potuiſſe: ac Pontificis judicium ſoli Deo reſervari *p.* 555. S. Ludovicus IX. egregium de Romano Pontifice impenſe colendo monitum Philippo filio dedit *p.* 556. Ludovicus XI, & Franciſcus I. jubentibus Pio II, & Leone X. pragmaticam ſanctionem reſciderunt, ex intima etiam ſententia Apoſtolicam Sedem in honore ſummo habuerunt *p.* 556, *et ſeq.*

Galliarum in Regno S. Inquiſitionis tribunal inſtitutum quando, & a quo fuerit *p.* 557. a SS. Congregationibus Inquiſitionis, & Indicis decreta adverſus libros a Synodis, a Comitiis, a Sorbona admiſſa, evulgata, & obſervata ſunt *ibidem, & ſeq.* Henricus II. edicto lato ſancivit, ut latæ ſententiæ a Judicibus, quos Pontifex deſignaſſet, ſive ab Inquiſitoribus fidei appellatione omni poſthabita executioni demandarentur *ibidem.* A Gallicanis Epiſcopis multoties in Conciliis ſummopere cautum eſt ne Curiæ laicæ cauſſis Eccleſiaſticis ullatenus ſe immiſcerent, aut de cenſuris latis ab Epiſcopis cognoſcere auderent *p.* 558, *& ſeq.* In Gallia quo demum anno promulgatio Bullæ *Cœnæ* prohiberi cœperit: quo perinde anno Pontificiæ Conſtitutiones aut Regia ſyngrapha obſignari, aut a ſupremis Curiis

riis referri in tabulas inceperint *p.* 559, *& ſeq.* Quo tandem anno Romanæ Curiæ reſcripta abſque Regis placito recipi interdictum fuerit *p.* 560. Henricus IV. de fide decernere ad Pontificem attinere, iiſque decretis ſe ingerere nefas eſt arbitratus *ibidem*. Ludovicus XIII, XIV, & XV. ob egregiam curam expurgandi Regnum a Calviniſmi labe; ob demiſſum ſtudium capiendi a Pontifice de rebus fidei conſilium; ob impenſam operam tum comprimendi Janſeniſtas Pontificiis decretis obſiſtentes, tum proſcribendi libros Pontificis dignitati, aut decretis infenſos, ac infeſtos eximiis laudibus dignos ſe præbuerunt, laudibus celebrati a Pontificibus MM. propterea ſunt a vera religione in Deum, & a ſincera devotione erga Romanam Sedem *p.* 561, *& ſeqq.*

Gallicanæ Eccleſiæ Patres, & Doctores Pontificem ſumma poteſtate in Eccleſia potiri, ac ſupra Synodos; in fide perinde falli, & fallere, prorſus neſcium faſſi, & profeſſi ſunt paſſim *p.* 564, *& ſeqq* Emicuerunt inter eos in iſta ſententia S. Irenæus *p.* 565, cujus inſignem locum interpretati ſunt, acceperunteque approbe ex Gallis Præſules, & doctores plurimi *p.* 566, *& ſeq.* S. Hilarius Pictavienſis *p.* 567, *et ſeq.* S. Eucherius Lugdunenſis; Garetius, Salonius, & Veranius Epiſcopi *p.* 568, *et ſeq.* Provinciæ Arelatenſis Antiſtites; Leontius Arel., Ægidius Abbas, & Meſſianus Notarius *p.* 569, *et ſeq.* S. Cæſarius Arelatenſis *p.* 571. Virgilius Arel., Pelagius Turon., Deſiderius Vien., Eutherius Lugd., Syagrius Auguſt., Serenus Maſſil., Apoſtolicæ Sedi addictiſſimi *ibid.* SS. Amandus Trajectenſis, & Heimerammus Pictavienſis ad Pontificem confugientes *ibidem*, *et ſeq.* Fulradus Sandionyſianus, Tilpinus Remenſis, Bertherius Viennenſis *p.* 572. Epiſcopi, ſive qui interfuerunt Synodo Romanæ anno 799; ſive quorum nomine S. Avitus ſcripſit ad Senatores Urbis *ibidem*. Epiſcopi Synodorum Aquiſgranenſis, Silvanectenſis, Sueſſionenſis III, & Trecenſis *ibidem*. S. Aldricus Cenomanenſis, Rothadus Sueſſionenſis, Æneas Pariſienſis, Rotlandus Arelatenſis *p.* 573, *et ſeq.* Hincmarus, & Herivæus Rem. *p.* 574. Nec his officiunt Gerbertus Remenſis, Erchembaldus Turonenſis, Richerius Senonenſis, aliique ſimoniaca labe aſperſi *ibidem*, *& ſeqq.* Multo minus abluſere Rodulphus Turon., Daimbertus Senon., Leothericus Senon., Willelmus S. Benigni Divionenſis, Richardus S. Wintoni Virdunenſis, & Hallinardus Sandionyſianus *p.* 575, *et ſeq.*

Gallicanæ in Eccleſiæ veſtigia ingrediebantur Gervaſius Remen., Ivo Carnot., Goffridus Vindocin., qui Pontificum ut adjuvarent partes, nulli labori, operæque pepercerunt *p.* 577. Robertus Carnot., Rodulphus Turon., Rolandus Dolenſis, Lambertus Arelatenſis, Jozelinus Burdigalenſis, Willelmus Rotomagenſis, Hugo Dienſis, Hugo Lugdunenſis *ibidem*. Pibo Tullenſis, Raynaldus Remenſis, Hildebertus Cenomanenſis, S. Godefredus Ambianenſis *p.* 578. Hugo Rotomag., Hugo Atrebat., Hugo Autiſiod., Gaufridus Carnot., Wlgrinus.

grinus Bitur., Willelmus Sancton., Willelmus Pictav., Euſtorgius Lemovic., Willelmus Petragor. Innocentii II. partibus deditiii, atque adverſus ſchiſmaticos invictiſſime ſtantes *p.* 579. Sugerius Sandionyſianus, Petrus Bituricenſis *ibid.* S. Anthelmus Bellicenſis, Arnulphus Lexov., Guillelmus Senon., Philippus bonæ Spei, Petrus San-Remigianus, Fulco Decanus, Hugo Sueſſ., Henricus Rem., Hugo Senon., Galterius Lingon., Henricus Æduenſis, Alanus Antiſiod., Bernardus Nivernienſis Alexandro III. opera ſua adjectiſſimi: nec non Epiſcopi, & Abbates Concilii Toloſani anni 1161, & Canonici Aurelianenſes *ibidem*. Michael Senon., Odo Pariſ., Johannes Lugd. ad Apoſtolicam Sedem hæreſis cauſſas, ac dubia circa ſacramenta deferentes *p.* 580. Epiſcopi tum ad Innocentium III. adeuntes, tum in Synodo Vaurenſi anno 1213, tum ad Innocentium IV. pro ope adverſus poteſtates laicas Eccleſiaſticæ juriſdictioni infenſas confugientes *p.* 581, *et ſeq.* Epiſcopus Narbonenſis apud Clementem IV. a ſuſpicione hæreſis ſe purgans *ibidem*. Galterus Pictav., Rodulphus Lugd., Hugo Æduenſis *p.* 583. Ægidius Bituricenſis Pontificis judicio ſcripta ſua ſubjiciens, ipſoque jubente nonnulla revocans, & retractans *ibidem*. Stephanus Pariſienſis una cum Guillelmo Viennenſi, Capitulo ſuæ Eccleſiæ, ac Pariſienſi Facultate Pontificio judicio integre deferens *p.* 583, *et ſeq.*

Gallicanorum Antiſtitum inſiſtebat veſtigiis Academia Pariſienſis ſub Bonifacio VIII, Clemente V, & Johanne XXII; in cenſura adverſus Monteſſonium; in alloeutione ad Clementem VII. *p.* 484, *& ſeq.* perſpectam vero habebant, probatamque opinionem genere, & ipſi Galli Clemens V, Johannes XXII, Benedictus XII, Clemens VI, Innocentius VI, Urbanus V, & Gregorius XI. *p.* 585, *& ſeqq.* In eamdem ſententiam ibant ultro citroque Hervæus Natalis, Petrus Paludanus, Vitalis e Furno *p.* 587, *& ſeqq.* Petrus Bertrandus, Jacobus Ciſtercienſis, Anonymus Vaticanus, Epiſcopi Gallicani in epiſtola ad S. Nicolaum I. *p.* 589, *& ſeqq.*

Gallicanam Eccleſiam poſt Epocham Concilii Conſtantienſis, quinimo poſt Comitia anni 1682, non altera plane, quam quæ jampridem ipſius propria fuerat, de Pontificis divinis prærogativis inceſſit perſuaſio *p.* 591, *& ſeqq.* Liquidi, locupleteſque ſunt teſtes Petrus Alliacenſis dein ſecummet pugnans *p.* 592, *& ſeq.*; Gerſonius nec ſibi æqualis ſtans, ſed & Monarchicum Eccleſiæ regimen ob unitatem fidei adſtruens *p.* 593; Almainus; Johannes Major in Gerſonii veſtigia ingreſſi, ac in eaſdem contradictiones incidentes *p.* 594: item Johannes Pariſienſis *p.* 595, *&* 691; Anonymus Sandionyſianus; Academia Pariſienſis *p.* 596; Petrus Meldenſis Gallicanæ Eccleſiæ nomine Eugenium IV. alloquutus Papæ Monarchiam in Eccleſiam neceſſariam prædicans, ac præ Baſileenſi Concilium Florentinum eſferens *p.* 597, *& ſeq.* Tres Occitaniæ Ordines in libello oblato Carolo VII. penes Pontificem Monarchiam ſacram, atque poteſtatis ſacræ ſummam in ceteros derivandæ oſtendentes *p.* 599. Epiſcopi in pro-

in proteſtatione ad Leonem X; Franciſcus Cardinalis Turnonius; Epiſcoporum Conventus Melodunenſis anno 1544, & Nolienſis an. 1548, *p.* 600, *& ſeq.*

Gallicani Cleri approbam de Pontifice perſuaſionem aperuit ſæpe, ſuoque calculo comprobavit, qua ſuprema Pariſienſis Curia, in eaque Procurator D. de Agueſeau; qua Sacra Pariſienſis Facultas in Cenſuris latis adverſus Lutherum, & Calvinum; in declaratione ſua circa Conſtitutiones Pauli III, & Julii III. illos de Pontifice titulos prædicans, quos Galli plerique moroſiores Pontifici tribuere in Concilio Tridentino renuebant; in Cenſura adverſus M. Antonium de Dominis, in decretis aliis de cauſſis editis, ac ſignatim adverſus Richerium, & Arnaldum Eccleſiæ regimen Monarchicum eſſe, ac Papale, Papæ vero obedientiam, etiam internam deberi profeſſa *p.* 602, *& ſeqq.* Fecerunt inſuper planam Facultatis ipſius Doctores plerique decreto adverſus Strigonienſem Antiſtitem adornato contradicentes *p.* 604. Viri alii doctrina, aut dignitate illuſtres Robertus Cenalis, Gilbertus Genebrardus, Nicolaus Coeffetellus, Davydius Perronius, Petrus de Marca, Antonius Goddæus *p.* 605, *& ſeqq.* Ad quos acceſſerunt plerique alii, inter quos Leonardus Coquæus, Johannes Puteanus, Johannes Raguſeus, Johannes a Celaja, ſententiam ſuam SS. Patrum, & Doctorum liquidis teſtimoniis communientes *p.* 607, *& ſeq.*; Andreas Duvallius priſcis Gallicanis Patribus communem ſuam faciens, contrariamque non niſi ab annis 200. inductam, eique occaſionem præbuiſſe, feciſſeque ortum ſchiſmata oſtendens *p.* 608, *& ſeq.*; Michael Mauclerus, Vincentius Contenſonius, Ludovicus Halè, Johannes de Selva, Johannes Dartis, Franciſcus Gondæus, aliique *p.* 610.

Gallicano Clero eamdem intimam inſediſſe ſententiam, aut ſtatim ad veterem rediiſſe, ac recens invectam reſcidiſſe etiam poſt epocham celeberrimæ declarationis an. 1682. argumento ſunt, & auſpicio Gallicani Epiſcopi ejuſdem Cœtus in epiſt. ad V. Innocentium XI, nec non in epiſtola encyclica ad ceteros Galliarum Antiſtites, atque in encyclica e Comitiis anni 1714. exarata *p.* 611, *& ſeq.* Franciſcus Harlæus propria faciens teſtimonia Patrum Concilii Epheſini, & Chalcedonenſis; S. Petri Chryſologi, & S. Agathonis; Ludovicus Abelly ex vetuſtis Patribus Gallicanis doctrinam ſuam confirmans *p.* 612, 613, *&* 673; Boſſuetius ipſe, quem propterea laudant de Languet, & de S. Albin *p.* 613; Fenellonius adverſus Queſnellianos præſertim pugnans *p.* 614; Fleurius S. Gregorii VII. dictatum legitimi loco habens *p.* 615; Argentræus Eccleſiæ infallibilitatem ex Pontificia infallibilitate inferens *p.* 616; DD. de Villeroi, de Caſtellane *ibidem*; de Magrigny, de Rabutin, de Belſunce, de Laſiteau, de la Fare &c. *p.* 617; Cardinales de Mailly, de Biſſy *ibid*; de Janſon, de Tencin *p.* 618; DD. de Colongue, de Languet *ibid.*; Albertus Auguſtæ Salaſſorum Antiſtes; Janſenius imo, Maimburgus quinimo, & Queſnellus *p.* 619, *& ſeqq.*

Galli-

Gallicanæ Eccleſiæ oppoſitam perperam affricuerunt opinionem plerique ; ac pleraque oppoſuerunt Boſſuetius , & Gilbertus de Choyſeul, quæ procul repelluntur p. 622, *& ſeqq*: quomodo refelluntur, quæ ex Facultatis Pariſienſis doctrina proferuntur *p.* 632 , *& ſeqq*: Ejus certe Cenſuras non omnes magnifaciendas , agendi vero rationem , quam aliquoties tenuit , reprehenſione dignam viri docti obſervant *p.* 634, *& ſeqq*: Inique egiſſe erga Conſtitutionem *Vnigenitus* , ſed ei tandem , uti par erat , æquam ſe præbuiſſe obſervatur *p.* 636, *& ſeqq*: Cenſuras ejuſdem nonnullas , ac decreta Pontifices MM. abrogarunt , & reprobarunt *p.* 642. Certo certius eſt Gallicanæ Eccleſiæ religioſo in more poſitum jugiter fuiſſe Pontificias Conſtitutiones nullo præhabito examine amplecti *p.* 645. Ejuſdem declarationes editæ annis 1655 , 1656, & 1682. vel prioribus aliis declarationibus expreſſe contradicunt : vel declaratio poſterior nullius pendit momenti , quia ex præcipiti ſententia proceſſit ; aut ex gravi metu incuſſo fuit extorta ; aut paullo poſt revocata; aut abſque mandato , aſſenſuque aliorum Præſulum fuit procuſa ; aut Præſulum facultatem procul dubio exceſſit *p.* 645, *& ſeqq*. Quinimo ejuſdem confirmatorium edictum retractavit Ludovicus XIV ; eamque declarationem expreſſe reſciderunt Innocentius XI, Alexander VIII, & Innocentius XII, *p.* 648, *& ſeqq*: Quid autem , quod eadem declaratio ſibi non cohæret , nihilque Pontificia privilegia lædit , ac labefactat? *p.* 451, *& ſeqq*. Nihiloſecius viri nonnulli doctiſſimi contra hanc declarationem calamum diſtrinxerunt ; & Baſnagius occaſionem arripuit Refractarios Conſtitutioni Clementinæ exagitandi , & vexandi *p.* 652 , *& ſeq*.

Gallicanis ab Epiſcopis præfata declaratione prætenſus Eccleſiæ aſſenſus, ut Pontificia decreta in fidei dogmata evadant, diſcutitur , nec ſubſiſtere demonſtratur *p.* 653, *& ſeq*. Quin ex præmemorata declaratione Pontificiæ infallibilitati derogatum non fuiſſe Pariſienſes doctores patefecerunt *p.* 654. Cum doctrina de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ non pugnat doctrina de Pontifice infallibili , ac Concilio poriori *p.* 654, *& ſeqq*. Quotuplicis generis libertates iſtæ ſint ; quæ legitimæ , & quæ illegitimæ : qui legitimarum loco illegitimas obtruſerint : quo loco ejuſmodi libertates collocandæ ſint , incertum adhuc, non ſecus ac anceps ex quo fonte defluxerint *p.* 655 , *& ſeqq*. Quædam nullo jure nituntur ; quædam inter libertates non ſunt numerandæ ; quædam abuſus ſunt , corruptelæ , ac ſervitutes *p.* 659 , *& ſeqq*. Qualeſcumque ſint demum a doctrina Pontificiæ infallibilitatis ac poteſtatis ſupra Concilia non infringuntur , & quidem ex ſententia doctorum Gallicanæ Eccleſiæ *p.* 662 , *& ſeq*. Pontificiis Conſtitutionibus deberi nedum externam , ſed internam etiam obedientiam Gallicana Eccleſia tenet , & docet *p.* 672 , *& ſeqq*; a Pontifice ad Concilium provocantibus Gallicani Epiſcopi 40 , aut 50. infamiæ dicam conſcripſerunt *p.* 679.

Gebehardus Salisburgenſis quam optimo erga Apoſtolicam Sedem affectu comparatus eſſet *p.* 342, *& ſeq*.

Ge-

Gennadius Scholarius S. Petri auctoritatem ad Pontifices Romanos pertranſiiſſe, eamque in Eccleſia potiſſimam eſſe, nec fieri poſſe, ut Pontifices a fide excidant, credidit, & edocuit *p.* 227. Jure tamen dubitatur num opus ipſius nomine inſcriptum potius Joſepho Methonenſi ſit adſcribendum: diverſæ ſunt cum de Auctore, tum de opere Eruditorum conjecturæ *p.* 251, *& ſeq.*

Georgiæ Patriarcha Romanum Pontificem, cui ſe integre permittit, eximiis præconiis celebrat: *Orbis totius Judicem, Univerſæ Eccleſiæ Præſidem* nuncupans *p.* 241. Georgiæ olim Iberiæ, ac Colchidis Reges Bachurius primum, ac dein Tzantius, & Gurgenes ad Chriſtiana ſacra converſi omnium primi leguntur *p.* 497. Poſtea gentes iſtæ in Græcorum ſchiſma, & errores delapſæ ſunt *p.* 498. Deveniori tamen ætate Reges, ac Reginæ non defuere, quas ardens deſiderium inceſſerit ad unitatem cum Romana Eccleſia redeundi; atque reapſe obedientia Romano Pontifici demiſſe, integreque ſe dederint *ibidem, & ſeq.*

Germaniæ Principes, virique plurimi civili dignitate conſpicui ab hæreticorum caſtris ad S. Romanæ Eccleſiæ communionem convolantes ab obſequio, & devotione erga eamdem celebre nomen ſuum reddiderunt *p.* 491.

Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha Romano Pontifici, ut ut ficte fecerit, Primatum tamen detulit, & ad unionem cum Romana Eccleſia Græcos ſuos redintegrare deſideravit *p.* 216.

Germanus II. hujus nominis quominus Græci ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam regrederentur faſtum, ſuperbiamque ſuam pro vero impedimento oppoſuit; falſas autem querelas de tyrannide a Latinis exercita attexuit *p.* 249. Germani querelas calumniis adauxit Pariſius, aut verius Pariſii opus calumniis iſtis editor Londinenſis infarſit, quas dein præfracta impudentia defendit Oudinus, diſpungunt autem viri docti *p.* 250.

Gerſonius, Arnaldus, le Gros, & Anonymi duo Galli Pontificis decretis obedientiam deberi externam dumtaxat, non etiam internam, quæ uni auctoritati infallibili, omninoque ſupremæ debetur, quaque Pontificem expoliant penitus, erronee docentes explodantur *p.* 671, *& ſeqq.*

Gervaſius S. Cypriani vitam deſcribens ſe dignum præbuit, qui multis vapulet, dum S. Cypriano præ S. Stephano applaudit, ac dum S. Auguſtinum deceptum, ignarumque traducere audet temere *p.* 279, *& ſeq.*

Gilbertus de Choyſeul ad infringendam Pontificis infallibilitatem, poteſtatemque ſupra Concilia non alia protulit momenta, quam quæ Richerius, Launojus, Maimburgus, Dupinus, Boſſuetius &c. procuſerant; quæque paucis everſuntur *p.* 631. *& ſeq.*

Goulartius Videſis V. *Bingbamus*, & V. *Fellus* S. Cypriani opinione Pontificem M. in fide periclitari poſſe, quinimo reapſe fuiſſe periclitatum falſo jactavit *p.* 276.

Grabius Erneſtus de S. Papia egregie, digneque exiſtimat, uno dempto Millenariorum errore, eruditumque eumdem contra Valeſium oſten-

oſtendere enititur p. 10, & ſeq.
Gratiam Dei neceſſariam eſſe, & ſufficientem ſaltem a Deo conferri ad fugiendum malum, & faciendum bonum catholicæ fidei conſtantiſſimum dogma eſt a SS. Patribus, a Conciliis, a Pontificibus MM. uno ore traditum p. 90, & ſeqq. Gratiæ divinæ neceſſitati SS. Patres infenſos traducentes Novatores pro temeritate caſtigantur p. 107.
Gratianus Imperator Videſis V. *Theodoſius*, & *Valentinianus*.
Græci anterioris ætatis Romani Pontificis divinis prærogativis tantum abeſt, ut inviderent, ut potius eximiis præconiis exornarint, & prædicarint p. 176, & ſeqq. In cauſſis Eccleſiarum, ac ſignatim Epiſcoporum ſupra Synodos etiam ſtare Pontificis ſummi tribunal probe habuere perſuaſum p. 187, & ſeqq: Epiſcoporum caput Pontificem eſſe, S. Petro in ſede & ſententia ſucceſsiſſe; eidem ab omnibus obaudiendum agnoſcunt: ab eo a cenſuris abſolvi, in ſuam communionem admitti obſecrant: ejuſdem ſententiis obſtringi ſe, nec ab ejus doctrina abſcedendum ſibi affirmant p. 194, & ſeqq., 198, & 200. Pontificem ab hæreſi tutum prædicant, quinimo Pontifici datum a Chriſto in devia raptos ad frugem revocandi, obfirmatoque animo in hæreſis luto hærentes diris curetis devovendi fatentur, & profitentur p. 200, & ſeq. Græcorum, aliorumque Orientalium in libris Eccleſiaſticis, & liturgicis S. Petri, ac Pontificis Romani præconia, ac privilegia paſſim celebrantur p. 210. A Græcis vel ſchiſmate affiatis, multoque magis ab hac labe puris magnifacta, penſaque eſt Pontificis utraque prærogativa infallibilitatis in fide, ac potioris in Eccleſia poteſtatis p. 211, & ſeqq.
Græcæ Eccleſiæ nomine Oratores miſſi Innocentio IV, & Alexandro IV. communione conjungi exoptant, & expoſcunt; articulos autem a Pontificibus propoſitos approbant, & amplectuntur p. 217, & ſeq. Græcis, ut Symbolum abſque additamento particulæ *Filioque* canerent, dummodo in dogmate convenirent, iidem Pontifices indulſerunt p. 218. Græci Epiſcopi vel perſemet, vel per Oratores ſuos accepta a Pontifice fidei profeſſione, ac Pontificis divinas prærogativas profitendo Romanæ Eccleſiæ ſacrorum conſortio, fideique ſacramento ſæpe ſe obſtrinxerunt, & obligarunt p. 218, & ſeqq., 220, & ſeqq., 225, & ſeqq. Quæ in veſtigia ingreſſi ſunt pariter Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus Patriarchæ *ibidem*, 230, & ſeqq. Græcorum iterum ſapientiores, graduque illuſtriores Pontificem quidem ſuprema potiri in Eccleſia poteſtate, a fide quoque deflectere nullo poſſe modo tenuerunt, ſcripſerunt, docuerunt p. 228, & ſeqq., 251, & ſeq., 360, & ſeq.
Græcis excidium, & internecionem triennium infra vaticinatus eſt poſt S. Birgittam Nicolaus V, niſi ad Romanæ Eccleſiæ fidem regrederentur p. 230. Græcanici ritus, genereque illuſtres homines Sedi Apoſtolicæ obſequio ſe, obedientiaque mancipant p. 332, & ſeq., & 336. Græcos ſchiſmaticos inter, ac Latinos exorta quæſtio non obverſabatur circa Primatum Romani Pontificis, ſed circa Primatui adnexas

præ-

prærogativas *p.* 242, & *ſeqq.* E Græcis fuere quidem, qui & Primatum inficiari cœperunt, ſed eorum ſapientiores Primatus appendicem dumtaxat in dubium adducebant; ita Theophylactus, Nechites, & Cabaſillas *p.* 243, & *ſeqq.* ita Latini quotquot contra Græcos decertarunt hanc dumtaxat græcanici ſchiſmatis cauſam allegantes, Æneas Pariſienſis; Ratramnus, Humbertus; S. Petrus Damiani; S. Anſelmus; Hugo Etherianus; Anſelmus Havelburgenſis; Jacobus de Vitriaco; SS. Thomas, & Bonaventura *p.* 244, & *ſeqq.* Quare commenta ſunt, & calumniæ, quas Græci Schiſmatici ad ſchiſma ſuum obducendum excuſationes obtendunt *p.* 248, & *ſeqq.* S. Petrum, ejuſque in perſona Romanum Pontificem a potiſſima auctoritate, & infallibilitate maximis præconiis celebrarunt *p.* 353, & *ſeqq.*

Gregorii IV. epiſtolam ad Germaniæ, & Galliæ Epiſcopos perperam ſubditiam autumat Cointius, genuinam enim probant Baronius, Pagius, Sirmondus, Harduinus *p.* 572.

S. Gregorio VII. obedientia, & obſequio deditiſſimi qui, & quot illuſtres Antiſtites: quot, & quinam imo opera ſua eidem defendendo non defuerint *p.* 344, & *ſeq.* S. Gregorius de Regibus S. Romanæ Eccleſiæ feudatariis multis in locis agit *p.* 478.

S. Gregorius Nazianzenus nullo fuerat modo ab audaciſſimo Barbeyracio carpendus, iccirco, quod docuerit prohibendos fore hæreticorum conventus *p.* 15. Romanum Pontificem totius Orbis Præſidem S. Doctor prædicavit: a toto Orbe cum Pontifice fore in fide communicandum, & conveniendum: ac in totum Orbem Pontificis poteſtatem extendi, & exerceri *p.* 187.

S. Gregorio Niſſeno intime perſuaſum erat a S. Petro, ac ſubinde ab ipſius Succeſſoribus Romanis Pontificibus in Epiſcopos omnes ſubjectos poteſtatem dimanare *p.* 190.

Grotius Hugo Rivetum traditiones pernegantem rite perſtringit, efficaciterque exagitat *p.* 9, & 111; nec non Proteſtantes in S. Scripturæ interpretatione traditionem temere rejicientes *ibidem*. Ipſe tamen S. Auguſtinum pro intemperanti ſuo ingenio quam ſuperbe, tam falſo arguens culpæ in interpretatione unius, alteriuſve loci S. Scripturæ, multo nomine criminationis, & audaciæ crimine ſe irretivit *p.* 110. Eodem peccati genere ſe polluit Gerardus Voſſius *ibidem*. Præterea Grotius, Leibnitius, & Blondellus Eccleſiaſticam Monarchiam, hoc eſt Pontificis Primatum lege Eccleſiaſtica, non divina obtinuiſſe obgannientes doctis ſe irridendos, & caſtigandos propinant *p.* 665.

Guigo Carthuſianus, illuſtriſque ejuſdem inſtituti Monachi Summum Pontificem ſummo honore, ſupremoque loco habent *p.* 348, & *ſeq.*

H

HÆretici plerique commenti e pravo ingenio ſuo ſunt Apoſtolos omnia prorſus a Chriſto D. oretenus accepta litteris demandaſſe, nec quidquam ab his ſola traditione Eccleſiæ commendatum *pag.* 9, & *ſeq* SS. Patrum catalogum ultra Sæculum VI. Eccleſiæ protrahen-

dum non eſſe quam impudenter, tam falſo pugnant *p.* 15. Ab hacce ætate, ac deinceps Patres a vera doctrina immaniter deviaſſe impie perinde obganniunt *ibidem*, & *ſeq.* In SS. Patres imo primævæ Eccleſiæ inſane deſæviunt, iniqueque debacchantur *p.* 16; quum nempe ſuis erroribus infenſos illoa experiuntur; quum vero ſibi propitios fingunt, præconiis excipiunt: hinc inde horum, & illorum ſpecimina exhibentur *ibidem*. S. Scripturæ divinam auctoritatem traditione obtinere, tenerique ab ſe iſtam traditionem fatentur, & profitentur *p.* 22, *& ſeq.* Sacramentorum numerum mox contrahunt, mox extendunt *p.* 24. In Euchariſtiæ dogmate adſtruendo cum Occidentalibus convenire Orientales utroeitroque concedunt ex iis eruditiores Cruſiua, Sandius, Grotius, Forbeſius, Danavertius, Allixius, de Vigne, Bootius, Schroderus, Olearius, Ricautius &c.; quorum potior fides, quam Spanhemii, & Smithæi habenda eſt *p.* 37. Quid imo, quod plerique, ut Johannea Hus, ut Hieronymua Pragenſis, ut Melancthon, ut Mornæus in Euchariſtia tranſubſtantiationem fieri non inficiantur, aut inficiari non poſſe ſaltem admiſſa Chriſti præſentia in Euchariſtia pugnant, uti Zuvinglius, uti Beza, uti Lutherus, uti Urſinus? *p.* 38.

Hæreticos non niſi pro impietate ingenium inceſſit abrogandi Miſſam privatam, atque pro impudentia pertrahendi eum pariter in errorem SS. Patres, hoc Luthero, Calvino, Zuvinglio, Kemnitio &c. apprime ad ſaporem fecit *p.* 24. Commentantur, & calumniantur, dum veterem ſemper retentum fingunt uſum communicandi laicos ſub utraque ſpecie, ut exinde Romanam Eccleſiam in invidiam vocent, quod laicis eum uſum deinceps interdixerit *p.* 53. Ex S. Scriptura ſuſque deque verſa in ſuorum patrocinium errorum teſtimonia quærere familiare ipſia, frequenſque fuit *p.* 100, & 105. Hæreticos traditione potiſſimum aut profligarunt, aut profligandos SS. Patres docuerunt, & demonſtrarunt *ibidem*. Ex hæreticis plerique traditione oppreſſi victas dederunt manus, plerique ex adverſo traditione hæreſes ſuas confirmare non erubuerunt. Ita Manichæi, Pelagiani, Lutherani, Calviniſtæ, Sociniani, Iconomachi, Janſeniſtæ &c. *p.* 106, *& ſeqq.* Alii dogmata multa traditione dumtaxat obtinere, eademque ab ſe admitti confeſſi ſunt. Ita Smithaeus, Baſnagius, Druſius, Grotiua, Piceninus &c. *p.* 112. Alii Patrum traditionem non facile poſthabendam faſſi ſunt. Ita Lutherus, Calvinus, Melancthon, Brentius, Chamierus, Zanchius, Kemnitius, Marloratua &c. *ibidem*, & *ſeq.*

Hæreticis promiſcui generis peſtilentiſſimi qua veteribus, qua recentioribus, quibus in hæreſis luto hærere lubuit, SS. Patrum doctrinæ obſiſtere ſolemne fuit ſemper *p.* 113, & *ſeq.* Iis pœnas infligendi in poteſtate Eccleſiæ eſt, illoſque imo poteſtati laicæ capitali pœna plectendos contradere: probatur id ex S. Scripturæ locis, ex SS. Patrum traditione, ex Pontificum MM. teſtimoniis, ex Principum legibus, ex hiſtoriæ monumen-

mentis, ex hæreticorum imo aſſertionibus: ex quibus, qui hoc præfracte inficias eunt, profligantur *p.* 156, & *ſeqq.* Per commentum, & per calumniam nonnullos errores S. Cypriano appingunt, atque ex Cypriano quam temere, tam perperam occaſionem arripiunt Pontificibus Summis invidiam, injuriamque inferendi *p.* 257, & *ſeqq.*, 267, & *ſeqq.*

Hæreticorum quinam, & quot ſive ex antiquis, ſive ex novatoribus Primatum Romani Pontificis aut divino ure inſtitutum inique inficientur; aut a ſæculi Poteſtatibus inductum commenti ſint; aut penes ſæculares Poteſtates integrum ſtare contendant: quinam ex adverſo ex Proteſtantibus contra ipſos pugnent *p.* 409, *& ſeqq.* Quinam incumbant in id, ut Eccleſiæ Hierarchiam, & Monarchiam aut ſubruant, aut ſuadeant non jure divino, ſed inſtitutione dumtaxat humana, eaque eccleſiaſtica, aut civili, atque ſero ſane invaluiſſe *p.* 664, *& ſeqq.* Haſce peſtes graphice deſcripſit Jacobus Rex Angliæ *ibidem.* Haſce peſtes ad oppugnandas, non ſecus ac Schiſmaticos unde potiora arma deſumpſerint Theologi noſtrates *p.* 670, *& ſeq.* Haſce peſtes pro officio nullo non tempore proſcripſerunt Romani Pontifices, poſt quorum judicium Eccleſia univerſa execrata ſemper eſt *p.* 668, *& ſeq.*; 682, *& ſeq.*

Hatto Moguntinus, & Theotmarus Juvavenſis Romanum Pontificem ſummo in pretio habent, & ſummis præconiis ejuſdem poteſtatem celebrant *p.* 338.

S. Hegeſippus cum Epiſcopos conſilii cauſſa Romam proficiſcentes collaudabat, tum ipſemet, ut de Romanæ Eccleſiæ doctrina edoceretur, Romam aliquando contendit *p.* 178.

Henricus I. Auceps denominatus a ſtudio Religionis amplificandæ, & Romanæ Eccleſiæ exaltandæ dictus eſt jure *Decus Religionis Chriſtianæ p.* 451.

S. Henricus II. Benedictum VIII. P. M. tyrannice gradu, & Urbe depulſum, Urbi, & gradui redintegravit; ei ſacramenti religione ſe devovit, ac dominia a ſuis deceſſoribus tradita confirmavit *p.* 452. Pari officio pietatis cum Benedicto IX. defunctus eſt Conradus II. *ibidem*.

Henricus III. Clero Romano auctor fuit, ut Clementem II. eligeret, a quo ipſe dein Imperiali diademate redimiretur *p.* 453.

Henricus IV. Pontifici jubenti parendi ſibi onus incumbere, factorum ſuorum, ac fidei reddendi rationem intellexit. Inveſtituras non modo, ſed & Imperii inſignia ad ipſius juſſum dimiſit *p.* 453, *& ſeq.* Ita etiam Henricus V. *ibidem*.

Henricus VIII. Rex Angliæ dum adhuc recta ſaperet, egregie adeo adverſus Lutherum Romani Pontificis dignitatem, Primatumque defendit libro adornato, ut *Defenſoris fidei* illuſtri titulo a Leone X. fuerit exornatus *p.* 474, *& ſeq.*, ac 670.

Hieremiæ textum cap. 1. verſ. 10. poteſtati Romani Pontificis quinam accomodaverint *p.* 371.

S. Hieronymus ab impacto impudentiſſime a Blondello, Salmaſio, & Grotio errore de æqualitate Epiſcopi, & Presbyteri vindicatur *p.* 110. Nunquam jurandum eſſe

S. D.

S. D. non docuit: id injuria ipſi Barbeyracius affricuit *p.* 166. Dum tamen docere viſus eſt urgente caſtitatis diſcrimine licere ſibi mortem conſciſcere, deſerendus eſt, aut verius rite explicandus *p.* 167. Sua ſententia Romanæ Eccleſiæ fides immobilis, & illibata manebit, & permanebit: in Romani Pontificis communione, & ſententia ſtandum, & perſtandum: Pontificis judicium inconcuſſum conſiſtit, Epiſcoporum ceterorum ipſo jubente conſiſtit, aut cadit *p.* 301, *& ſeqq.*

Hieroſolymitana Eccleſia Videſis V. *Eccleſia, & Græca Eccleſia.*

S. Hilarium Arelatenſem ad morem gerendum S. Leoni M. lege lata, adegit Valentinianus III. S. Hilarii hiſtoriam ab hæreticis confictam Baronius, aliique docti oſtendunt *p.* 427, *& ſeq.* S. Hilarium præ S. Leone potiorem cauſſa fuiſſe, jureque præpotem Queſnellus falſo affirmat, recte Papebrochius negat *ibidem.*

Hilarius Pragenſis, et Hieronymus Aleander ſive adverſus Huſſitas, ſive adverſus Lutheranos invictiſſimis momentis Primatum Romani Pontificis adſtruunt *p.* 670, *& ſeq.*

S. Hippolyto Martyri libellus de 72. Diſcipulis Chriſti D. attributus dubiæ admodum auctoritatis eſt *p.* 492.

Hiſpaniarum, ac Portugalliæ Reges Sedi Apoſtolicæ ſpeciali devotione ſe dediderunt *p.* 461, *& ſeqq.* Qui eorum primus Romanæ Eccleſiæ nomen dederit; qui eidem Regnum ſuum vectigale fecerint *p.* 462. Qui ſancitum cenſum perſolverint, detrectantes vero ad perſolvendum fuerint compulſi; qui leges ſuas ad Romani Pontificis oracula compoſuerint, placitos ei ritus in ſuum Regnum transferre curaverint; fidei ſacramento ei ſpeciatim ſe obligaverint, ac regio diademate redimiri impetraverint *ibidem.* Qui ob crimina cenſuris irretiti Pontifici facere ſatis obnixe ſtuduerint; loco ſuo a Pontifice fuerint confirmati; illiſque dominia ampliſicandi, & adaugendi facta facultas *p.* 463, *& ſeqq.* Quo ſtudio in novas regiones dominiis ſuis adjectas cum Religione chriſtiana ſummam erga Romanam Eccleſiam devotionem ingerere adlaboraverint *p.* 465. Quanta imo erga Epiſcopos devotione, ac demiſſione ferrentur *ibidem.* Quinam eorum primus ab Epiſcopis Rex conſecratus fuerit *p.* 466.

Honorius Imperator erga Pontifices MM. devotione, & obſervantia quammaxime affectum ſe præbuit. Illorum decreta maximi faciebat, atque ut a cunctis fierent maximi enixe ſatagebat. Ab Epiſcopis omnibus ut decreta illa ſubſcriberentur, primus juſſione ſacra, exemploque ſuo auctor fuit. Quod ſi erga S. Bonifacium minus æquum aliquando ſe præſtitit, excuſandus profecto, quia deceptus; quippe deceptione comperta, religioſe ad officium rediit. Denique ut Illyricum Pontificiæ juriſdictioni reſtitueretur, Theodoſio, qui illud abſtraxerat, fuit auctor *p.* 422, *& ſeqq.*

Hugo Victorinus ea de Romani Pontificis prærogativis, adeoque liquida adſtruit, ut Pontificem Concilio auctoritate præſtare, atque a fide deflectere non poſſe ex ejus ſententia ſit conſequens *p.* 349, *& ſeq.*

Hun-

Hungariæ Rex S. Stephanus omnium primus Chriſtianis ſacris inſtitutus nihil habuit antiquius, quam ad Romanæ Eccleſiæ ritus colendos gentem univerſam adducere *p.* 481. A Romano Pontifice ea propter diademate regio inſignitus eſt, aliiſque privilegiis, & inſignibus adauctus *p.* 482. Hungariæ Regnum in Romanæ Eccleſiæ clientelam fuit tranſcriptum, factumque vectigale. Quinam ex Regibus hiſce ſpecialiori obſervantia Romanæ Eccleſiæ ſtuduerint, viceque mutua eidem acceptiſſimi evaſerint *ibidem*, *& ſeq.*

I

JAcobitæ, ipſorumque Patriarchæ quammaxime in Romani Pontificis communionem, fidem, & obedientiam ſe ſe traſcribere officio, religionique habent *pag.* 217, 218, 225, 228, 233, 237, 239, & 240.

Jacobus IV. Rex Scotiæ ob egregiam operam ad Wicleſianæ hæreſis reliquias e Regno eliminandas exantlantatam a Julio II. illuſtri titulo *Protectoris fidei* fuit inſignitus *p.* 480. Jacobus II. Stuartus ab invicta fide, ac fortitudine, qua Romanæ Eccleſiæ Religioni poſt poſuit Regnum eximiis laudibus a V. Innocentio XI. fuit exornatus *ibid.*, *& ſeq.* Commenta, & calumniæ ſunt autem, quæ in eum nequiter ejacularunt Thoyraſſus, & Burnetius *ibidem*.

Jameſius Thomas perperam ſuadere enixus eſt SS. Patrum textus fuiſſe interpolatos: interpolandos potius duxerunt Duplexius Mornæus; Jacobus Hailbronerus &c. *p.* 114.

Janſenius ex S. Scriptura, & Traditione utrumque Romani Pontificis privilegium, ſupremam ſcilicet poteſtatem, ac in fide infallibilitate baſilice adſtruit *p.* 619.

Japoniæ regiones S. Franciſci Xaverii, ac Miſſionariorum Soc. J. potiſſimum opera Evangelicam lucem adſpexerunt; atque tres earum Reges ad Romani Pontificis obedientiam, obſequiumque adducti; de quo plane ipſis perſuaſio quam approba fuerat inſpirata *p.* 508, *& ſeqq.*

S. Ignatii Martyris epiſtolæ quænam genuinæ, & quæ pſeudo-epigraphæ: quaſnam inficias eant Proteſtantes, & quas orthodoxi vindicent *p.* 10, 176, *& ſeq.* Inſignis ex eodem locus de Romana Eccleſia expromitur *ibidem*.

S. Ignatius Conſtantinopolitanus Romanum Pontificem in S. Petri perſona a Chriſto D. conſtitutum fuiſſe indeficientis fidei vindicem, & aſſertorem, hæreſum vero interemptorem, & exterminatorem fatetur, & profitetur *p.* 209.

Illyrici Eccleſiæ ad Pontificis jus Patriarchicum olim pertinebant *p.* 199.

Illyricus Flaccus Videſis V. *Nilus*.

Imagines Sanctorum loco Reliquiarum, quibus carerent, ſufficere priſcis Chriſtifidelibus ſolemne erat *p.* 87, *& ſeqq.* Imagines Dei, & SSmæ Trinitatis uſu vetuſtiſſimo, etſi minus frequentato certas ob cauſſas: item Chriſti D. ſub varia ſpecie, uſuque frequentiori: Synodorum generalium etiam, geſtorumque aliorum in Eccleſia celebriorum picturis, ac muſivis exprimi conſuebant *p.* 88, *& ſeqq.* In his inſigniores habentur Imagines

nes Conciliorum in Romanis Baſilicis deſignatæ *ibidem*: nec non diverſæ Chriſti D. Imagines cum Romæ, tum alibi ſervatæ *p.* 89. Novatorum plerique SS. Imaginum religioni infenſos, infeſtoſque agere SS. Patrum quamplurimos non veriti dignis pro temeritate vapulant *p.* 107, *& ſeq.* Videſis V. *Reliquiæ*.

Imperatores qua Orientis, qua Occidentis nihil antiquius habuere, majorique in pretio, quam Romani Pontificis dignitatem, ſummamque poteſtatem defendere, & colere; fidei dogmata ab eo edita ſubmiſſe amplecti, juriſdictionem in Eccleſia integram eidem dimittere, officioque omni obſervantiæ, obſequiique eidem ſe dedere *p.* 413, *& ſeqq.* Quid imo quod Græcorum Imperatores poſt ſchiſma a Cerulario inſtauratum ſæpe ſæpius ad Romanæ Eccleſiæ communionem adſpirarunt, Romanoque Pontifici æquas accomodarunt aures, aut fidei ſacramento dederunt ſe ſe? *p.* 448, *& ſeqq.* Quid autem quod Latinorum Imperatores, antequam inaugurarentur, Romano Pontifici fidei profeſſione devovere ſe ſe debebant, atque ad defenſionem Pontificiæ dignitatis paratiſſimos exhibere? *p.* 452, *& ſeqq.*

Imperium Occidentale quo anno ab Auguſto fuerit inſtitutum, quove in Auguſtulo demum defecerit. Orientale vero quo anno inchoatum a Conſtantino M., & quo ſub Conſtantino Palælogo deſierit. Occidentale inſtauravit deinde S. Leo III. P.M. in Carolo M. Apud Francorum gentem quot annis permanſerit; & quando ad Germanos tandem pertranſiverit *p.* 450, *& ſeq.*

Indulgentiæ ſub dèvexiori ætate inductæ non ſunt, ſed quam Eccleſia, tam antiquæ *p.* 72, *& ſeqq.* Earum ſpecimina elucent ex diſciplina Eccleſiæ remittendi pœnas, ac relaxandi pœnitentias ad preces Martyrum, aut condonandi graviſſimas ob cauſſas, aut commutandi in alia opera pia, cogita peregrinationes, eleemoſynas, ſuffragia, miſſas, ſtationes, expeditiones ſacras adverſus Turcas, ſchiſmaticos, hæreticos *p.* 73, *& ſeqq.* Particulares ſæculo VIII. in uſu magis venerunt: pro Defunctis ſæculo IX. largiri conſueverunt *p.* 74. Plenariæ ſæculo XI. concedi cœperunt *p.* 75. Stationibus Romanis quando, & a quo adfixæ: quæ, & quot olim apocryphæ *ibidem*. Epiſcoporum in poteſtate olim poſitum erat indulgentias elargiri, quæ poſtea circa ſæculum XIII. coarctari intra orbitam occepit *p.* 76, *& ſeq.*

Indulgentiarum loco venerunt ſubinde Cruciatæ, quarum exordium in ſæculum XII. conjicitur, elenchus vero exhibetur *p.* 77. Inter Indulgentias locum illuſtriorem obtinent Jubilæa, quorum inſtitutio Bonifacio VIII. debetur accepta, brevis autem ſeries attexitur, non ſecus atque earum, quas Pontifices MM. Locis ſacris, Religioſis Ordinibus, aliaſque ob cauſſas largiti leguntur, quemadmodum a Conciliis etiam conceſſæ commemorantur *ibidem*. De Indulgentiis doctrina illibata quidem apud Orientales permanſit, ſed minus frequens earumdem uſus, qui poſtea turpem in abuſum tranſivit *p.* 78. Pontifices Romani a Proteſtantibus ſacrilegii circa Indulgentias

tias inſimulati vindicantur *ibidem.*
Indulgentiis, ut vivis proſint, adnectere oportet alia peculiaria ſatisfactionis opera; quod multis, ſolidiſque momentis ſuadet, oſtenditque doctiſſ. Amort *p.* 79, *& ſeq.* Defunctis autem indulgentias prodeſſe quidem per modum deprecationis, non etiam per modum abſolutionis non minori eruditione idem auctor demonſtrat *p.* 80, *& ſeq.* Applicari defunctis a Pontifice an poſſint Theologi nonnulli haud rite dubitarunt: pendere vero ab acceptatione Dei arbitraria docent illuſtriores Theologi *p.* 81, *& ſeq.* Indulgentias inutiles temere traduxerunt Novatores, imo ex orthodoxis non nemo; ſed ii nullo audiendi modo ſunt *p.* 108.
Innocentius III. Bulgariæ Principem dici delnceps Regem indulſit, inſignibus aliis cohoneſtavit, non ſecus atque Trinonitanum Archiepiſcopum, acceptis viciſſim Archiepiſcopi, & Regis fidelitatis ſacramento, ac Regno in clientarem ſponſionem *p.* 493; *& ſeq.* Armeniæ Regem ſimili honore, aliiſque inſignibus, ſed ſub eadem lege illuſtravit *p.* 495.
Johannes II. P. M. in controverſia Acæmetas inter, & Scythas agitata ab Orientalibus de judicio expoſtulatus ſupremo jure dijudicat, & decernit *p.* 321, *& ſeq.* Illius reſcriptum ad Juſtinianum ab illo inſertum Cod. de Sum. Trinit. a Juriſperitis nonnullis, ac nominatim ab Othomanno Calviniſta ſuppoſititiis adcenſitum, tanquam legitimum rite ab aliis defenditur *p.* 438.
Johannes Conſtantinopolitanus hujus nominis II, Epiphanius ipſius ſuceſſor, Johannes Nicopolitanus, necnon in Epiro Epiſcopi officio ducunt Pontifici M. fidei ſuæ rationem reddere, ſacrorum conſortio conjungi, ab eo gradum ſibi confirmari obſecrare, ejuſdem mandatis religioſe obaudire, de fide edoceri petere, ipſius fidem loco indefectibilis ponere, eique obedientia, & obſervantia devovere ſe, & devincire *p.* 196, *& ſeqq.*
Johannes dictus Jejunator, nec non Cyriacus ejus in Conſtantinopolitana Sede ſucceſſor Apoſtolicæ Sedi cum appellandi jus integrum dimittunt, tum fidei ſuæ rationem ſubmiſſe deferunt *p.* 202.
Johannes VI. Conſtantinopolitanus Patriarcha, quem Monothelitica labe una cum Andrea Cretenſi, & Germano Cyziceno perperam aſpergunt nonnulli, Pontifici fidei ſuæ, geſtorumque accuratam rationem reddit, veniam exorat, & communionem exoptat: ſupremas partes defert, ac in fide ceteros confirmandi munus *p.* 205, *& ſeq.*
Jonas Secuſienſis abſque ſchiſmatis nota ab Apoſtolica Sede deſciſcere nemini licere quam liquido, tam recte docet *p.* 325.
S. Irenæus Romam profectus SS. Martyrum Lugdunenſium nomine S. Eleutherum P. M. de cauſſa Cataphrygum conſuluit; de ſtatu Eccleſiæ Lugdunenſis, & Viennenſis commonefecit: Romanæ Eccleſiæ Primatum ſuper alias detulit; ab ea in ſubjectas omnes poteſtatem exerceri dignovit; cum eadem Eccleſias ceteras communicare, & convenire debere dixit; in eademque fidem integram, intemeratamque manſiſſe, & permanſiſſe, exindeque in Eccleſiam omnem mana-

re, & promanare docuit p. 179, & ſeq. Qui alienum in ſenſum illuſtrem S. Irenæi locum inflectunt, repelluntur, celebrantur e contra, qui recta eumdem locum accipiunt p. 180, 564, & ſeqq.

Iſacius Hieroſolymitanus, Baronio Heſychius, S. Gregorio M. deditium ſe effecit, edoctuſque ab eo factus eſt de neceſſitate cum Romana Eccleſia communicandi, & conſentiendi p. 202.

Iſajas Hieroſolymitanus ſummiſſo obedientiæ, obſequiique animo erga Pontificem erat affectus p. 225.

S. Iſidorus Hiſpalenſis ſicuti S. Petrum Apoſtolis prælatum, Eccleſiæque Primatem, ſic Romanum Pontificem Epiſcopis omnibus gradu præminere, ac Conciliis auctoritate præſtare ſenſit, & ſcripſit; eique probe in ſententia par fuit S. Leander frater p. 322, & ſeq.

Jurandi falſo, perperam, ex levitate animi, ob res leves, per creatas res, per falſa Numina, per homines, per ſemetipſum occaſionem omnem a priſcis chriſtianis amoliri veteres Patres enixe curabant p. 166.

Juriæus, Callixtus, & Muſæus e Proteſtantium grege Eccleſiaſticam Hierarchiam, ac Monarchiam Pontificis ſæculo III. dumtaxat inductam blaterant p. 665.

Juſtinus Imperatorum primus a Romano Pontifice diademate redimitus legitur. Pontificiæ curæ eſſe afflictas Eccleſiarum rebus proſpicere agnovit. Pontificem ſupremo jure ſupra Patriarchas potiri; fideique quæſtionibus finem imponere ad eum pertinere: Pontificiæ dignitati ſubmittendos Imperatorios faſces fore: Pontificia decreta adverſus hæreticos ſarta, & tecta ſervanda p. 434, & ſeqq. Chriſtianam rem apud Perſas, Saracenos, Homeritas, & Colchos egregie procuravit. Analphabetus fuit, non autem Juſtinianus, ut Baronius autumavit p. 435, & ſeq.

Juſtinianus Imperator non nihil in Pontifices MM., & Eccleſiaſticas regulas, ac perſonas deliquit. In hæreſi Aphtardocetarum obiit, quod inficiatus eſt perperam Crachantorpius p. 436, & ſeq. Pontificem nihiloſecius ſupremo poteſtatis gradu in Eccleſia habuit, eoque ipſius fidem loco, quo decidere nullo poſſet modo; ideoque ipſi de fide edocenti omnino obediendum fore, fidei ſuæ rationem ab omnibus reddendam, fideique quæſtiones omnes ab ipſo dirimendas p. 437, & ſeqq. Ab Othomanno temere traductus violatæ religionis, quod Pontificiæ poteſtati fuiſſet infenſus; ab aliis vero inſimulatus uſurpati juris, quod de rebus, ac perſonis Eccleſiaſticis pluribus legibus ſanxiſſet, excuſatur: quo vero ſenſu dixerit Eccleſiam Conſtantinopolitanam Eccleſiarum caput explicatur: a ſtudio demum amplificandæ rei chriſtianæ apud Herulos, Hunnos, & Abaſgos commendatur p. 440, & ſeq.

Juſtinianus Junior vel in eo, quod inique contra Pontifices egit, quanti pretii auctoritas Pontificis eſſet, palam fecit; dum videlicet per vim a S. Sergio I. Trullanis Canonibus aſſenſum ut adhiberet, voluit extorquere p. 443. Canonum illorum confirmationem, qui Romanæ Eccleſiæ ritibus non eſſent contrarii, a Conſtantino Papa impetraſſe dein-

deinde conjicit Chriſtianus Lupus *ibidem*.

L

LActantius bellum Chriſtianis haud licere non docuit *p.* 151 : nec docuit Chriſtiano neu licere mercaturam exercere, aut accuſare alterum crimine capitali *p.* 152. In Lactantium parum æquos ſe præbuerunt Barbeyracius, & Salmaſius; Petavius, & Natalis *ibid.*

Ladislaus poſthumus Hungariæ Rex Pontificem M. eximiis laudum præconiis affatus eſt; a quo poſtmodum ſi ad appellationem interponendam ſe pronum oſtendit, non ex propria, ſed ex peſſima aliena perperam *id* egit perſuaſione *p.* 483, *& ſeq.*

Ladislaus Walachiæ Princeps redintegrare cum Romana Eccleſia Bulgaros, Cazaros, & Blachos obnixe ſtuduit *p.* 495.

S. Lanfranci intima perſuaſione Romani Pontificis auctoritas potiſſima eſt in Eccleſia; nec ejuſdem fides poteſt deficere *p.* 343.

Latini generis Doctores, Scriptores Eccleſiaſtici, ac Theologi ſcholaſtici a S. Bernardi ætate, ac deinceps ingenti numero Romano Pontifici in perſona S. Petri primas in Eccleſia partes ſupra Synodos, atque dum Eccleſiæ de fide edicit, in fide infallibilitatem ultrocitroque detulerunt *p.* 353. *& ſeqq.* Poſt SS. Patres eminent inter eos V. Petrus Cluniacenſis; Auctor altercationis ſynagogæ, & Eccleſiæ *p.* 357. *& ſeq.* Petrus Lombardus; Anſelmus Havelburgenſis *p.* 359, *& ſeq.*; Potho Prumienſis; S. Hildegardis *p.* 361, *& ſeq.* S. Ælredus Rievellenſis; Hugo Etherianus *p.* 363, *& ſeq.* S. Thomas Cantuarienſis; Johannes Saresberienſis *p.* 365, *& ſeq.* Godefridus Viterbienſis *p.* 367. Eskilus Lundenſis; Abſalon Roſcildenſis, Guillelmus Maniacenſis *p.* 369. S. Petrus Tarantaſienſis; Joachimus Abbas; Johannes Servecha *p.* 370. *& ſeq.* Albertus M., S. Richardus Ciceſtrenſis, Henricus Hoſtienſis, Pantaleon *p.* 372, *& ſeq.* S. Thomas *p.* 374. *& ſeqq.* Johannes Tarentinus *p.* 376. S. Bonaventura *p.* 379, *& ſeqq.*

Latinis hiſce pares in ſententia ſteterunt S. Raymundus de Pennafort; Reynerus Piſanus *p.* 382, *& ſeq.* Anonymi duo apud Raynaldum *p.* 385, *& ſeq.* Nicolaus Lyranus; B. Petrus Thomas Carmelita *p.* 386, *& ſeq.* Johannes a Neapoli; Alexander a S. Elpidio *p.* 388, *& ſeq.* Lupoldus Bambergenſis; Alvarus Pelagius *p.* 389. Thomas Argentinas; Baldus de Ubaldis; Johannes Hildesheimenſis *p.* 390, *& ſeq.* Thomas Bradvvardinus; Nicolaus Æymericus; Johannes de Turrecremata; Johannes de Montenigro; Franciſcus Picus *p.* 391. S. Laurentius Juſtinianus; Nicolaus Cuſanus; Dionyſius Carthuſianus *p.* 392. S. Johannes a Capiſtrano; S. Bernardinus Senenſis *p.* 393. S. Antoninus *p.* 394. B. Angelus a Clavaſio *p.* 396, *& ſeq.* Hilarius Pragenſis, S. Vincentius de Pauli *p.* 397. *& ſeq.* Ad quos accedunt Scriptores alii in jure ſive theologico, ſive canonico, ac doctrina, aut dignitate conſpicui innumeri, quorum exhibetur elenchus *p.* 398, *& ſeqq.* Ex quibus plerique adverſam opinionem diverſis ignominiæ

notis afficere non dubitarunt *p.* 407, *& ſeq.*

Launojus, Dupinus, & Lombertus SS. Cyprianum, & Stephanum P. M. in errores directo oppoſitos pariter fuiſſe prolapſos, ac S. Cypriani opinione S. Stephanum in fide erraſſe commenti, ac calumniati refutantur, & refelluntur *p.* 268, *& ſeqq.* S. Thomam pro Pontificis ſuprema poteſtate, ac infallibilitate ſtetiſſe faſſus eſt quidem, ſed perinde S. Doctorem opere ſubdititio S. Cyrilli deceptum cauſari non veritus caſtigatur *p.* 375. Ex facto Donatiſtarum perperam inferens a Pontifice ad Concilium poſſe appellari corripitur *p.* 419. Eccleſiæ definitionem a Bellarmino traditam temere exagitans redarguitur *p.* 667, *& ſeq.*

S. Leander. Videſis V. *S. Iſidorus*.

Leibnitius. Vide V. *Grotius*.

Leo Imperator Pontificis eſſe de fide quæſtiones definire, e re vero ſua a Pontifice latas leges executioni demandare probe habuit perſpectum *p.* 430, *et ſeq.*

Leo Iſaurus S. Gregorio II. fidei ſuæ profeſſionem nuncupat. Eodem in SS. Imagines deſæviente de ope, operaque petenda a Romano Pontifice conſilium captum a S. Gregorio Decapolitano eſt, delecto ad id officii obeundi S. Joſepho hymnographo *p.* 444. Pontificem M. ex adverſo in partes ſuas pertrahere e re ſua ſummopere exiſtimant, atque Imaginibus, ſi fieri poſſet, facere infenſos fruſtra enixi ſunt Michael Balbus, & Michael III. Imperatores *ibidem*.

Leo Sapiens precibus accumulati Styliani Neocæſareenſis Antiſtiti Canonum relaxationem a Stephano V. obnixe deprecatur; quam poſtea veniam certis ſub legibus fecit Formoſus. S. Petrum, ejuſque in perſona Romanum Pontificem vice Chriſti D. in Eccleſia Principem, ac fidei Magiſtrum poſitum egregie prædicat *p.* 446, *et ſeq.*

L'Herminier Nicolaus eo proceſſit audaciæ ut a S. Auguſtino locum productum ex S. Scriptura SS. Patum traditioni adverſum affirmaret; quomodo ſe graviſſima reprehenſione dignum exhibuit *p.* 100.

Liberati ſententia Pontificis Romani partes in Synodis, ac præ Synodis potiores longe ſunt; ſupremumque jus eſt in cauſſis ſive ad Epiſcoporum judicia, ſive ad fidei articulos attinentibus *p.* 321, *et ſeq.*

Litaniæ, proceſſiones, aliæque publicæ Eccleſiæ preces a Majoribus noſtris magno cum fructu frequentabantur. Ex Litaniis aliæ olim denominabantur ternariæ, quinariæ, & ſeptenariæ, prout ter, quinquies, & ſepties a Choris diſtinctim repetebantur *p.* 61, *& ſeq.*

Lithuanorum Dux Mindanus ſacris noſtris expiatus extemplo S. Romanæ Eccleſiæ cultui ſe demiſit, eique dominium ſuum clientare dedit *p.* 487.

Lotharius II. non antea Imperium inire voluit, quam ab Innocentio I. juberetur *p.* 454.

SS. Lucæ, & Matthæi illuſtria loca de S. Petro de Romano Pontifice pariter acceperunt SS. Patres *p.* 189, 605, *& ſeqq.* 610, *et ſeqq.*

Luitprandus Papam in toto Orbe Eccleſiarum, & Sacerdotum omnium Caput lata lege declaravit: ad S. Gregorii II. pedes demiſſus ſe abjecit *p.* 458.

Lupus Chriſtianus ſcite obſervavit per-

perrarum fuiſſe olim apud Orientales Indulgentiarum uſum ; poſt Turcicam vero captivitatem ab Orientalibus paſſim in abuſum converti occepiſſe *p.* 78. Utiles pro vivis, & defunctis egregie defendit *p.* 108. Ex quodam loco S. Cypriani de Decio Imperatore Romani Pontificis dignitatem illuſtrandi apposite occaſionem aſſumpſit *p.* 413.

Lutherus primum a Nuncio ad Papam, deinde a Papa ad Papam, poſt a Papa ad Concilium, præterea a Concilio ad ſacram Scripturam, ab hac ad proprium ſenſum, ſic ad ſeipſum circumeumdo appellavit *p.* 680.

Lyſerus. Videſis V. *Thomaſius.*

M

Mabillonius, ſive Mabilio, ſicuti pronunciari ex gallicæ linguæ inflectione jubet Papebrochius, coarguendum ſe præbet, dum ſcribit ſe ante ſæculum XIV. non legiſſe exempla Presbyterorum, quia ſua confiterentur peccata *p.* 60. Quando Indulgentiæ particulares obtinere cœperint, ac pro Defunctis concedi recte obſervat *p.* 74. Cum Muſantio certas Eccleſias viſitantibus conceſſas Indulgentias ante Sæculum XI, imo Sæculo IX. oſtendit *p.* 76.

Mahometes Deum Holosphyron impie affirmabat, hoc eſt nec genuiſſe, nec genitum. Anathema in Deum Mahometis a Græcis deſcriptum ex tabulis catecheticis expungi volebat Manuel Comnenus; ſed Græcis repugnantibus cauſſam ad Romanum Pontificem referendam duxit *p.* 448.

Maimburgus celebrem S. Auguſtini locum de ſuprema, ac irreformabili Sedis Apoſtolicæ ſententia quam perperam, tam peſſime interpretatus eſt. Nec ab eo multum abludunt de Withe, aliique Anonymi *p.* 308, *& ſeqq.* Ex Gallicanæ Eccleſiæ veteri perſuaſione rite affirmavit Pontificem Concilio ſuperiorem *p.* 620.

Mamachius vir doctiſs. ob egregiam operam vindicando SS. Virginum, ac Martyrum honori, cui vulnus non leve inflixerat P. Martinus Bened., impenſam præconiis multis dignum ſe præſtitit *p.* 167.

Marcianus Imperator Conciliorum indicendorum jus ad Pontificem attinere, inque iis finitivam proferre ſententiam, aut prolatam confirmare profeſſus eſt. A Valentiniano latam legem Eccleſiaſticæ libertati incommodam abrogavit. Epheſinam pſeudo-Synodum, ac Theodoſii legem ejuſdem approbatricem devovit. De Eccleſiaſticis cauſſis dignoſcere, ac dijudicare Epiſcoporum eſſe affirmavit *p.* 428, *& ſeqq.*

Marianus, aliique Monachorum Archimandritæ Pontifici M. poteſtatem abdicandi Patriarchas, hæreticos abjiciendi, univerſæque Eccleſiæ proſpiciendi attribuunt *p.* 200, *&* 205.

Maronitæ, ſive Monachi ſecundæ Syriæ in præconia quam vera, tam ſincere effuſi Pontificis Romani divinas prærogativas expromunt, & efferunt *p.* 198, *& ſeq.* Maronitarum Patriarchæ Romanis Pontificibus obſequio, & obedientia ſeſe mancipare officio, religionique ducunt *p.* 213, 216, 218, 224, 225, 226, 229, 231, 232, 235, 238, 239, & 241.

SS. Mar-

SS. Martyres innumeri, & illuſtres paſſionibus ſuis, ſub perſecutoribus Eccleſiam exornarunt; quorum numerum imminuere temere auſus eſt Dodvvellus: ſed viris doctis juſtas pœnas dedit *p.* 171. *& ſeq.*

Matrimonium in Evangelica lege ad Sacramenti gradum a Chriſto D. fuit evectum. Ratum, non conſummatum religioſa profeſſione diſſolvitur. Ipſius impedimenta jampridem ab Eccleſia inducta ſunt. Clandeſtina olim etiam improbata. Sacerdotis benedictio antiquitus item adhibita. *p.* 28, *& ſeq.* Matrimonii juribus, ac legi naturæ haud adverſari ſive concubinatum, ſive polygamiam obtrudentes impuriſſimi Proteſtantes næ vehementi in errore verſantur *ibid.*

Maurorum Reges, ſive Saracenorum Soldani, ac Turcarum Principes aliquot de re Chriſtiana a Romano Pontifice inſtrui obſecrarunt, eidemque obedientia, & fide ſe obſtrinxerunt, imo Religioſis Ordinibus nomen dederunt *p.* 499, *& ſeq.*

S. Maximianus Conſtantinopolitanus Antiſtes Romanum Pontificem loco potiori auctoritatis, ac infallibilem prorſus habuit *p.* 191.

S. Maximus Abbas, & Martyr Apoſtolicæ Sedis auctoritate potiſſimum adverſus Monothelitas decertat. Ejuſdem Sedis una ſententia fidei cauſſas finiri docet: nec eadem inconſulta, aut invita Concilium indicere licere, ac legitime celebrare: eamdem denique in errorem labi, ac incidere in hæreſim nequire omnino dicit; qua in ſententia pariter hæſit Anaſtaſius ipſius diſcipulus *p.* 202, *& ſeq.*

Meletius cognomento Pegas ſuperbia, faſtuque ſuo in cauſſa fuit, ne Rutheni ad ſacra noſtra remearent *p.* 250. Ob id laudibus exornatus eſt a Lutheranis, & Calviniſtis: a Calviniſmi tamen labe ipſi impacta a Claudio, & Hottingero abſtergunt Allatius, & Bandurus *p.* 251.

Miſſa verum, ac proprium Sacrificium eſt, atque latreuticum, & euchariſticum non modo, ſed etiam propitiatorium, & impetratorium; ideoque jure, meritoque Deo offertur tam pro vivis, quam pro defunctis, ſicuti Jugi, unanimique tradunt ſententia SS. Patres qua Græci, qua Latini *p.* 39, *& ſeqq.* Miſſas privatas olim frequentatas fuiſſe liquido adparet ex veterum teſtimoniis, & exemplis, ex Eccleſiarum vetuſto uſu, & ritu vario, nec non ex hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis *p.* 43, *& ſeq.* Videſis V. *Communio* & V. *Euchariſtia.*

Miſſorius Raymundus S. Cyprianum ab errore anabaptiſmi omnino abſolvit, eique epiſtolas omnes errore iſto aſperſas abjudicat, idipſum de Firmiliano affirmans. Laude dignum ipſius quidem ſtudium eſt, nec contemnendæ prorſus conjecturæ; veritatem attamen propius attigiſſe non videtur *p.* 270, *& ſeqq.* Miſſorio in ſententia anteivit Tourneminius, adhæſit deinde du Meſnil *ibidem.*

Molinæus Petrus S. Cyprianum Anabaptiſtis adnumerare pro temeritate auſus eſt ſumma, ſed acerrimam calumniæ reprehenſionem meruit vel a Salmaſio, Caſaubono, & Fello *p.* 111.

Monaſtici inſtituti origo Apoſtolicæ traditioni accepta eſt referenda: id ex vetuſtis monumentis, ac veterum

rum teſtimoniis cumulatiſſimis ſit conſtantiſſimum *p.* 64, *ſeqq.* Monachos attamen in cœtum non conveniſſe ante ævum III. Eccleſiæ veriſimilius eſt *p.* 66. Monachis tranſigendæ religioſæ vitæ regulas omnium primi conſcripſerunt Sæculo IV. SS. Antonius, Hilarion, Pachomius, Ammonius, Oreſius, Macarius uterque, Baſilius &c. *ibid.* Monachi diverſis olim nominibus audiebant Cœnobitæ, Anachoretæ, & Aſcetæ *ibidem*.

Monaſticum inſtitutum ex Oriente, ubi occeperat, actutum in Occidentem tranſvexum eſt, invectumque in Italiam a SS. Ambroſio, & Euſebio Vercellenſi; in Gallias a SS. Martino, Honorato &c., atque longe, lateque propagatum dein a S. Benedicto *p.* 66, *et ſeq.* Clericali vitæ Monaſtica inſtitutio conjuncta olim fuerat, in Oriente quidem a S. Athanaſio &c., in Occidente vero a SS. Euſebio, Ambroſio, Auguſtino, Martino, Auguſtino Cantuarienſi &c. Monaſtici inſtituti hoſtes Proteſtantes, ex hiſque Chamierus, Spanhemius, & Piceninus eo progreſſi impudentiæ ſunt, ut hoſtes etiam facerent SS. Patres; ſed profligatiſſimi ſycophantæ poſthabentur *p.* 108. Videſis V. *Caelibatus*, & V. *Sanctimoniales*.

Monomotapæ Rex de re Chriſtiana inſtructus a Romano Pontifice viros idoneos, qui de Romanæ Eccleſiæ dogmatibus gentem imbuerent ſuam, mitti depoposcit *p.* 515.

Mortonius Thomas quam perverſe, tam perperam Tertulliani locum inſignem de Romano Pontifice in Eccleſia ſummopere pote elevare, ac Rhenani interpretationem intorquens, ac interpolans elidere enixus eſt *p.* 295, *et ſeqq.*

Moſchi, ſive Rutheni a Græcis equidem, ſed Romanæ Eccleſiæ adhuc conjunctis Chriſtianæ fidei rudimenta primitus acceperunt; ſed in Græcorum ſchiſma non niſi longe poſt & ipſi prolapſi ſunt *p.* 489. Qui ex Moſchis Principibus primus Chriſti nomen dedit, Spendoblus dicitur: qui apud Moſchos Chriſtianam rem amplificare ſtuduit, Wolodemirus audit *ibidem*. Qui ex iis Romano Pontifici reverenter aſſurrexerint, & auſcultarint, ac ad Romanæ Eccleſiæ unionem, & fidem aſpiraverint *p.* 490.

Muſæus. Videſis V. *Jurianus*.

N

NAtalis Alexander circa ſingulare Romani Pontificis privilegium de fidei controverſiis judicandi multa commiſcet, turbatque nec vera, nec recta *p.* 199. Nec magis rectam, ac veram illuſtri S. Auſtini loco de ſuprema Pontificis ſententia in cauſſis fidei interpretationem adhibuit *p.* 208, *et ſeqq.* S. Thomæ pariter apertiſſima teſtimonia de Pontifice ſupra Concilium pote, ac in fide prorſus indefectibili ſiniſtrorſum inflexit *p.* 374. Abs vero toto oſtio aberravit, dum autumavit Donatiſtas a S. Melchiade P. M. ad Conſtantinum Imperatorem appellaſſe *p.* 415, *et ſeq.* S. Irenæo perinde vim intulit, quum aliorſum liquidum ipſius locum accepit *p.* 566.

Neſtorianis, qui Patriarchæ nomine præerant, cum ſuæ, tum gentis fidei ſponſores ad Romanæ Eccleſiæ

ſiæ communionem ſe recipientes ejuſdem fidem profitentur, obedientiaque ſemet obſtringunt. *p.* 216, *et ſeqq.* 223, 225, 233, *et ſeqq.*; 238, *et ſeqq.*; ac 242.

S. Nicephoro Conſtantinopolitano Patriarchæ nihil accidebat antiquius, quam Romani Pontificis de fide dictis obaudire, fidei ſuæ profeſſionem illi exhibere, ſe ſeque de fide edocendum integre dedere *p.* 207.

Nicetas Pectoratus a Legatis S. Leonis IX. diſputatione ſuperatus, victas ſubmiſſe manus dedit, ac Pontifici M. eadem privilegia, quæ a Latinis attribuuntur, ultro citroque & ipſe deferre officio duxit *p.* 212, *et ſeq.*

S. Nicolaus I Pontificiis decretis deberi obedientiam etiam internam ex animo declaravit, ac denegantes diris cunctis devovit *p.* 672, *et ſeq.*

Nicolaus V. Græcis Urbis, & Imperii excidium vaticinatus eſt, niſi ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam redirent: idipſum prædixerat S. Birgitta *p.* 230.

Nicolaus Cardinalis Cuſanus ex S. Optati ſententia appoſite docet in Cathedra Pontificis Romani conſtitutum fuiſſe a Chriſto D. Principatum Eccleſiæ; Eccleſiamque univerſam eidem Cathedræ ſacrorum conſortio conjungi oportere *p.* 298.

Nilus, & Illyricus Pontifici Romano Primatum fuiſſe a Conciliis delatum, non autem jure divino inſtitutum de prava ſua comminiſcentes ſententia repelluntur *p.* 665.

Noriſius S. Baſilii intimam ſententiam circa Canonem VIII. Nicænum rite attigit, Tillemontius non ita *p.* 292.

O

Obedientiam nedum externam, ſimulatam, ſed internam etiam ac ſinceram Apoſtolicæ Sedis decretis deberi ex Summorum Pontificum auctoritate, & Gallicanæ Eccleſiæ doctrina demonſtratur *p.* 671, *& ſeqq.*

Opinionis de Pontifice haud infallibili, Concilioque generali inferiori Epocha in Concilium Conſtantienſe, ante quod oppoſita omnino obtinebat, recte conjicitur a Duvalio, Tappero, Bannezio, & Maimburgo *p.* 608, *& ſeq.*

S. Optatus Milevitanus Cathedram Romani Pontificis Eccleſiaſticæ communionis Caput, & Centrum, nec non Catholicæ Eccleſiæ notam eſſe docebat: cum ea convenire omnes oportere: ab eadem ſententiam enuntiatam irreformabilem eſſe, ac in omnes auctoritatis copiam emanare: Schiſmaticum eſſe, & hæreticum, qui ab ejus obedientia, & doctrina abſcedit, & diſſentit *p.* 297, *& ſeqq.* Librum 7. ipſius fœtum eſſe inficiantur Dupinus, & Rivetus, genuinum e contra pugnant Balduinus, & Tillemontius *ibidem.* Quo ſenſu dixerit a Synodo Romana ſub S. Melchiade Donatiſtas appellaſſe ad Conſtantinum *p.* 416.

Ordinationem ſacram, ſive Ordinem, veluti vocant, Sacramentum eſſe a Servatore inſtitutum ex traditione recte credimus. Ordinis varios eſſe gradus, in hiſque Presbyteris ſuperiores Epiſcopos eſſe traditione etiam tenemus *p.* 27, *& ſeq.*

Orientales. Videſis V. *Græci*.

Origenes Pelagii errorem circa gratiam

tiam præformavit equidem, non etiam errorem circa peccatum originale. Per calumniam itaque hunc errorem illi affricant Coccus, & Hottingerus; perque injuriam abjudicant illi homilias in Leviticum *p.* 98. Romanam Eccleſiam potiſſimo loco habnit, ac Romano Pontifici fidei ſuæ rationem fuiſſe reddendam approbe perſuaſum eidem fuerat *p.* 181, *& ſeq.*

Originali peccato omne hominum genus (demptis Chriſto D., ac Deipara) infectum fuiſſe traditio eſt in Eccleſia retenta, cujus teſtes liquidi, locupleteſque accedunt SS. Patres ſive Græci, ſive Latini *p.* 97, *& ſeqq.* Origenis, & S. Chryſoſtomi recta hocce de dogmate ſententia defenditur *p.* 981. Dogmatis autem iſtius defenſor, & adſertor S. Auguſtinus ab hæreticorum calumniis abſtergitur *p.* 100, *& ſeq.*

Oſtrogothorum in Italia Regnum quando, & a quo cœperit; in quo, & quando defecerit *p.* 456, *& ſeq.*

S. Otho Bambergenſis Religionis fundamentum, ac firmamentum in S. Petro, ejuſque Succeſſore Romano Pontifice a Chriſto D. conſtitutum fuiſſe, ac conſtabilitum, a quo reflectere nefas foret, perſpectum, perſuaſumque intime habuit *p.* 346, *& ſeq.* Ei in ſententia æquales ſteterunt Antiſtites alii cum ſcientia, tum ſanctitate conſpicui *ibidem*.

Otho Magnus Imperator Romanę Eccleſiæ donationes a Regibus Francorum factas confirmavit, nova dominia adjecit, ac ſacramento obedientiæ ſemet obſtrinxit *p.* 451, *& ſeq.*

Otho III. Gregorio V. P. M. adverſus Tyrannum auxilio præſto fuit, neque obſequio defuit *p.* 452.

Oudinus. Videſis V. *Anchialinus*; & V. *Germanus*.

P

PAchymerus Georgius Pontifici Romano Primatum non denegat; ad eumque appellandi jus non inficiatur: cui in opinione cohæſit Nicephorus Gregoras, etſi uterque ſchiſmate afflatus *pag.* 212.

Pagius pleraque utilia valde, dignaque ſcitu obſervavit circa indulgentias, puta, apocryphas, particulares, ſpecificas, plenarias &c. *p.* 76. S. Thomæ ſummam ab invidia Launoii egregie liberat *p.* 372. Donatiſtas a S. Melchiade P.M. appellaſſe ad Conſtantini tribunal minus vere autumat *p.* 415, *& ſeq.* Papebrochio contra Queſnellum affirmanti potius S. Hilarium, quam S. Leonem M. exceſſiſſe, ac S. Leoni præ S. Honorato fidem adhibendam, recte ſententiam adjudicat *p.* 428. Romanæ Urbis dominium cum Francorum Imperatoribus partitos fuiſſe Pontifices non recte affirmat *p.* 550, *& ſeq.*

Pallavicinus Cardinalis a Proteſtantium invidia, qua coarguuntur ſacrilegæ nundinationis, quaſi venales fecerint Indulgentias, Romanos Pontifices tam vere, quam egregie vindicat, & defendit *p.* 78.

Papebrochius ſententiam ſuam, qua dixerat ante ſæculum XI. non inveniri ſpecificatam Indulgentiam, rite, jureque retraxit, & emendavit *p.* 76. S. Leoni M. potius quam S. Honorato Arelatenſi fidem apponendam fore, ac præ S. Leone S. Hilarium in culpam eſ-

ſe vocandum recte affirmat *p.* 428.
Patarenſis Antiſtes Pontifice Romano in Eccleſia gradu potiorem non eſſe approbe dixit *p.* 201.
SS. Patres, qui minus, quam par eſſet, in honore habuerunt, aut religionis erga illos officio defuerunt, Cajetanus, Simonius, Eraſmus, Launojus, Thyerrius, Dupinus, Bailettus vapulant juremerito a doctiſſ. Viris *p.* 105. SS. Patribus errores quamplures affricare hæretici non erubeſcunt, à quibus illos expurgare penitus, aut excuſare quam facile, tam pium eſt, & æquum *p.* 114, *et ſeqq.* SS. Patrum opera plurima interjerunt: alia vero peſſime interpolata ſunt *p.* 116, *et ſeq.* SS. Patrum brevis exhibetur elenchus, eorumque principalium operum ſcopus: Scriptores etiam indicantur, qui in eorumdem operum editiones incubuerunt, eaque illuſtrarunt, expurgarunt, adjumentaque alia ad illorum aſſequendam intelligentiam adjunxerunt *p.* 130, *et ſeqq.*
SS. Patrum alii rem Chriſtianam adverſus Paganos apologiis defendunt; alii adverſus Judæos vindicant: quidam pro Eccleſiæ unitate decertant adverſus Schiſmaticos; quidam de fidei dogmatibus adverſus hæreticos diſputant: quidam pro fidelium, aut Catechumenorum inſtructione de fidei articulis ſingillatim agunt *p.* 141, *et ſeqq.* Videſis V. *Traditio*. Ad Patrum attingendum germanum, intimumque ſenſum aliquot, planæque regulæ traduntur, quas ſi probe teneas, omnis prorſus amovebitur in lectione Patrum mora, fideſque Patrum omnino liberabitur *p.* 144, *et ſeqq.*
S. Paulinus Aquilejenſis fidei controverſias vel in Synodis, vel a Synodis ſuprema Pontificis ſententia aut dirimi, aut Pontifici dirimendas dimitti debere docuit *p.* 330.
Pelagius Romani Pontificis cum ſupremam poteſtatem, cui omnes obnoxii ſint, tum in fide infallibilitatem, quin errori ullatenus ſit obnoxia, faſſus eſt, & profeſſus *p.* 303, *et ſeq.* Symboli expoſitionem ejus nomine inſcriptam interpolatam putat Launojus, repugnat Garnerius *p.* 304. Pelagio reſtitui debet locus illuſtris S. Hieronymo tributus *p.* 315, *et ſeq.*
Pereyrus Iſaacus Præadamitarum ſyſtemate cum Calvini ſecta ejurato, Alexandro VII. obedientia, fideque ſe obſtrinxit *p.* 111.
Perronius, & Harlæus Synodicam a Concilio Arelatenſi ad S. Silveſtrum directam reſtituunt, & ab Eduardi Stilingfleeti obtrectationibus vindicant *p.* 519.
Petavius Patres Ante Nicænos re, aut loquendi modo ab Arianis non multum abluſiſſe dum autumat, toto abs veritate oſtio abſcedit *p.* 112: quippe Patres illos ab eo errore prorſus immunes demonſtrat vel ipſe Georgius Bullus *ibidem*.
Petitdidierus Matthæus appoſite obſervat, & comprobat Græcos ſchiſmatis occaſionem non arripuiſſe ex Pontificii Primatus adſertione, ſed ex prærogativis dumtaxat Primatui adjunctis, quas præ ſuperbia, & faſtu inficiari, & deſpicatui habere deinde cœperunt *p.* 242, & *ſeqq.*
S. Petrum, inque ipſius perſona Romanum Pontificem SS. Patres, Scriptoreſque qua Græci, qua Latini mox *Petram Eccleſiæ*; mox

Immobile fundamentum, ac *Inconcuſſum firmamentum* vocant: nunc *Verticem*, *Caput*, & *Principem*; nunc *Magiſtrum*, *Doctorem*, *ac Paſtorem*; quibus in fide plane infallibilem, ac potiſſima in Eccleſia præditum auctoritate deſignant, & prædicant *p.* 353, *& ſeqq.*

S. Petri Chryſologi ſententia Pontifex in S. Petri perſona fidei eſt fundamentum, Eccleſiæ Petra, & Princeps; in cauſſis fidei nec fallere, nec falli poteſt; deque iiſdem illo inſcio, aut invito Epiſcopis fas non eſt dignoſcere, & dijudicare *p.* 312, *& ſeq.*

S. Petrus Damiani de S. Romana Eccleſia optime ſæpe promeritus eſt ob egregiam operam, qua divinas ejuſdem prærogativas a ſchiſmaticis oppugnatas in libertatem, bonamque lucem aſſeruit *p.* 341, *& ſeq.* Ita pariter apud ipſum S. Arialdus Mediolanenſis *p* 342.

Petrus Antiochenus S. Leoni IX. fide ſe devinxit, fidei ſuæ profeſſionem direxit, confirmarique ſibi gradum obnixe depopoſcit *p.* 213.

Petrus de Marca unitatis Eccleſiaſticæ vinculum, & centrum in Apoſtolica Sede conſtitutum recte affirmat; exindeque neceſſitatem impoſitam Eccleſiis omnibus cum eadem communicandi, et conſentiendi infert *p.* 299, *& 668.* Pontificem denique ex ſua, & communi ſententia infallibilem, Concilioque ſuperiorem adſtruit *p.* 605, *& ſeq.* Neque unam ex libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ eſſe, quod Pontifex Concilio ſit inferior, approbe aſſerit *p.* 662, *& ſeq.*

Philippi utriuſque Patris, et Filii Imperatorum Chriſtianæ Religionis profeſſio, etſi aliis veterum auctoritati innixis accepta ſit, attamen ſuſpecta admodum Eruditis multis evadit, atque ex veteribus etiam monumentis exploditur *p.* 411, *& ſeq.*

Philippus, et Paſchaſinus Apoſtolicæ Sedis Apocriſarii in Conciliis Epheſino, et Chalcedonenſi Pontificem M. *Fidei* & *Eccleſiæ* Caput ſupremum prædicaverunt *p.* 312.

Philotheus Alexandrinus Patriarcha erga Pontificem affectu obſequii, fidei, obedientiæque optime comparatus erat *p.* 226.

Phocas ad Bonifacii III. P. M. expoſtulata, ſicuti Pagius, & Lupus recte obſervant, non autem ex odio proprio in Cyriacum, uti Baronius, Binnius, & Brietius autumant, lege lata ſancivit, ut Conſtantinopolitani Antiſtites deinceps ab Œcumenici titulo abſtinerent. A Phoca Pontificis Romani Primatum obtruſum ogganiunt poſt Lutherum, Calvinum, & Centuriatores Molinæus, Othomanus, & Baſnagius, quos depexit Baronius *p.* 441. S. Bonifacio IV. idem Phocas dedit Pantheon celebre delubrum a Marco Agrippa ædificatum *ibidem*, *& ſeq.*

Piceninus Videſis V. *Chamierus*.

S. Scripturæ libros traditione in Eccleſia obtinuiſſe, eique ſubſcribi ab ſe non negat *p.* 112.

Pilgrinus Lauriacenſis, & S. Heribertus Colonienſis Apoſtolicæ Sedi animum appoſuere approbe affectum *p.* 339, *& ſeq.*

Pœnitentiam, prout Sacramentum, divinæ inſtitutionis eſſe, ex opere operato gratiam conferre, & tribus partibus conſtare dogma eſt jugi doctrinæ Patrum, Conciliorum, ac Pontificum innixum *p.* 26,

& ſeq. In Sacramento pœnitentiæ confeſſionem peccatorum debere eſſe integram ex traditione ſit exploratum *p.* 58. Confeſſionem privatam, quam veluti auricularem vocamus, fuiſſe olim, ac jugiter frequentatam exemplis innumeris, ac teſtimoniis invictiſſimis confirmatur *p.* 58, *& ſeqq.* Catechumeni, antequam baptiſmo ablucrentur, aut peccata confeſſi, aut de confitendis peccatis admoniti leguntur aliquando *p.* 60. In re Confeſſionis cum Occidentali ſemper convenit Eccleſia Orientalis; etſi ab eo ritu aliquantum deſciverint deinde Orientales nonnulli ſchiſmate, aut hæreſi afflati, uti Copti, uti Neſtoriani, uti Jacobitæ *p.* 61. Doctrina de certorum caſuum reſervatione aut ab Epiſcopis, aut a Pontificibus ſibi facta in veteri praxi, ac traditione Patrum fundamentum obtinet *ibidem*. Pœnitentiæ Sacramentum vel Patrum teſtimoniis impugnare audaciſſime adorſus Dallæus diſpellitur *p.* 109. De pœnitentia pro peccatis vide V. *Indulgentiæ*.

Poloniæ Ducum primus Micislaus chriſtianam Religionem amplexatus Romano Pontifici actutum obſequio, & obedientia ſe obligavit *p.* 486. Qui ex Ducibus Regiam dignitatem affectaverint, & conferri a Pontifice obnixe expoſtulaverint: quibus denegata, quibus elargita, quibus adempta *ibidem*. Poloniæ Regnum Eccleſiæ Romanæ ſubmiſſum fuit, ac clientare factum *ibidem, & ſeq.* Polonos inter Principes controverſiæ exortæ ad Pontificem dirimendæ delatæ *p.* 487. Romano Pontifici qui impenſe ſe devoverint, obedientia ſe dederint, ipſius dignitatem, ac jura defenderint *ibidem, & ſeq.*

S. Polycarpus Romam ad S. Anicetum profectus eſt Pontificem conſulturus de Paſchatis controverſia: qui ſi plene Pontifici non adquievit, in cauſſa fuit perſuaſio cum de traditione a S. Johanne Evangeliſta in Aſia accepta, tum de re agi ad diſciplinæ caput attinente *p.* 177. Valeſius hancce de Paſchate quæſtionem Romanæ profectioni a S. Polycarpo adornatæ cauſſam præbuiſſe inficiatus repellitur *p.* 178.

Polygamia vetuſtis Patriarchis indulta, ac licita erat: ita enim docent, & tradunt SS. Patres nec doctrina minus pendendi, nec numero oppido pauci *p.* 169.

S. Pontii Martyris Cimellenſis acta commentitiis adcenſentur a viris eruditis conjecturis validis certe ſubnixis *p.* 413.

Pontifex Romanus, dum profectionem adornaret, Euchariſtiam ad collum appendere conſuebat; cui veteri mori ſubrogatus ſubinde is eſt Euchariſtiam ante eum deferendi. Indultum id etiam Galliarum Regibus Roberto, & S. Ludovico legitur *p.* 50. Pontifices plerique a Luthero, a Germanis, a Paulo Sarpio impudentiſſime accuſati ſacrilegæ, turpiſque nundinationis, qua venales fecerint indulgentias, vindicantur *p.* 78. Pontificibus ſolemne fuit ſemper ſollicitudine ſumma Chriſtianorum ubique res ſive corporales, ſive ſpirituales curare, & procurare *p.* 178, *& ſeq.* De controverſiis Eccleſiaſticis decernentibus obaudire, & obedire Epiſcopi, & Eccleſiæ religionis, officiique loco habuerunt *p.* 181. A Pontifice decreta

creta ſua robur invictum accipere Synodis ipſis approbe fuit perſuaſum *p.* 184, *& ſeq.* Quo, & quanto in pretio Romani Pontificis cum poteſtas, tum de fide doctrina a SS. Patribus Græcis habita fuerit *p.* 176, *& ſeqq.* Quæ de S. Petro loca habentur Lucæ 22, et Matthæi 16, de Romano Pontifice pariter acceperunt SS. Patres *p.* 189.

Pontificem in fide prorſus infallibilem, ac potiſſima in Eccleſia præditum auctoritate Græci Epiſcopi, et Scriptores, antequam ſchiſmate afflarentur, unanimi ſententia tenuerunt ſemper; quinimo ex ſchiſmaticis ipſis quamplurimi doctiores, ingenioque mitiores *p.* 211, *& ſeqq.* Pontifices MM. ſæpiſſime Græcos de Apoſtolicæ Sedis primatu, adnexiſque prærogativis edocuere, emittendæque fidei profeſſionis formulam eiſdem præſcripſere *p.* 218, *& ſeqq.* Qui, et quot in hoc ſtudii, curæ, ac ſollicitudinis genere ſpeciatim emicuerint, ſchiſmaticiſque ad frugem reducendis intenti incubuerint *p.* 220, *et ſeqq.* Pontifices ſæpius de ſententia ab Orientalibus expoſtulati controverſias fidei ſupremo jure definivere *p.* 321, *et ſeq.* In cauſſis dubiis etiam ad diſciplinam attinentibus ſententiam a Pontifice accipere Epiſcopi officio ducunt *p.* 323, *et ſeq.* In fidei cauſſis ex Pontificis ſententia procedendum a Synodis etiam eſt *p.* 330. Quatenus Pontificem utroque privilegio infallibilitatis in fide, ac poteſtatis Concilio potioris a Deo donatum ultrocitroque faſſi, et profeſſi ſint Scriptores qua Græci, qua Latini Videſis V. *Græci*, et V. *Latini*.

Pontificis Romani Primatum, adnexaſque prærogativas adſtruere, ac defendere nullo non tempore obnixe ſtuduerunt Doctores innumeri in jure ſive Theologico, ſive Canonico peritiſſimi tum ſcriptis exaratis, tum etiam ſanguine effuſo, quorum brevis exhibetur elenchus *p.* 398, *& ſeqq.* Pontificis Primatum ex adverſo divino jure inſtitutum quinam ex hæreticis aut veteribus, aut novatoribus inficias eant: qui a ſæculi Poteſtatibus inductum ogganiant *p.* 409, *& ſeq.*; qui ſæculares apud Poteſtates integrum ſtare opinentur *p.* 410, *& ſeq.* Qui contra pugnent, atque ex Catholicis non modo viri doctiſſimi, ſed imo ex Proteſtantibus *ibidem*. Pontificum decreta adverſus ſchiſmaticos, hæreticos, & refractarios edita executioni demandari, obſervarique chriſtiani Imperatores religioſe, obnixeque curarunt *p.* 419, *& ſeqq.* Græcorum Imperatores poſt conflatum a Cerulario ſchiſma ad communionem cum Romano Pontifice redintegrandam quinam adſpiraverint, quantaque animi demiſſione Pontificibus integros permiſerint ſe ſe, ac profeſſionem fidei ab ipſis præſcriptam ambabus ulnis ſint amplexati *p.* 447, *& ſeqq.*

Pontifices MM. Francorum Imperatoribus Patriciatus inſignia ad defenſionem Romanæ Eccleſiæ contulerunt quidem, non etiam Urbis dominium cum eiſdem partiti ſunt, aut jus cudendæ monetæ iiſdem conceſſerunt, ſicuti ex Nummis nonnullis id non recte intulerunt Pagius, & le Blanc: non enim Imperatorii ii erant, ut ipſis viſum eſt, ſed Pontificii, uti Pagius Ju-

Junior, & Gentilis rite obſervarunt *p.* 550, *& ſeq.* Formulas fidei, ac fidelitatis Apoſtolicæ Sedi nuncupandæ, in iiſque de Pontificis divinis prærogativis expreſſe profitendis qua Occidentalibus, qua Orientalibus præſcribere Romanis Pontificibus in more poſitum erat *p.* 585, *& ſeqq.*

Pontificis Monarchia, ſive Primatus jure divino, non humana inſtitutione ſive civili, ſive eccleſiaſtica obtinuit *p.* 664, *& ſeqq.* Pontificum decreta adverſus hæreſes, aut circa fidem ab univerſa Eccleſia ulla abſque dubitatione, aut cunctatione actutum fuiſſe ſemper admiſſa multis exemplis fit manifeſtum *p.* 668, *& ſeqq.* Exinde contra ſchiſmaticos, & hæreticos acriter diſputandi argumentum deſumptum a Latinis Doctoribus approbe eſt *p* 670, *& ſeq.* Pontificiis Conſtitutionibus deberi obedientiam dumtaxat externam docuere Gerſonius, Arnaldus, Gallique alii; ſed deberi etiam internam declaratum a Pontificibus eſt, atque ex doctrina Gallicanæ Eccleſiæ demonſtratur *p.* 671, *& ſeqq.* Pontificum epiſtolæ dogmaticæ nunquam a Conciliis ad examinis incudem ſunt revocatæ; qui hoc obtrudunt, contra ſemet pugnare oſtenduntur *p.* 678, *& ſeq.* Ab Apoſtolica Sede ad Concilium appellantes a Pontificibus MM. anathemate damnantur, & a Gallicanis Antiſtitibus infamiæ nota infliguntur *p.* 679, *& ſeq.*

Poſſeſſor, & Eulalius Africani Epiſcopi ab Apoſtolica Sede de fide exquirendum fore, ejuſdemque fidei adquieſcendum ratum, inſitumque habebant *p.* 319, *& ſeq.*

S. Proſper Romanum Pontificem loco præ Conciliis potiori tenuit, ideſt infallibilis prorſus, jurisque potiſſimi: ei vero æquales in ſententia plerique alii Patres ſteterunt *p.* 313, *& ſeq.*

Pſalmodiæ divinæ ritum ex traditione deſcendere SS. Patrum, ac Scriptorum ſacrorum teſtimoniis multis demonſtravit doctiſſ. Cardinalis Bona *p.* 63, *& ſeq.* Pſalmodiæ perennis uſus apud Monachos viguit: a quibus inductus, & apud quoſnam invaluerit *p.* 64.

Purgatorium extare, ubi torqueantur, qui peccatorum reliquiis non expiati penitus fato ſuo conceſſerunt, ibique extantes Chriſtifidelium ſuffragiis adjuvari jugis in Eccleſia ſive Orientali, ſive Occidentali retenta traditio eſt *p.* 101, *& ſeqq.* Quamquidem traditionem confirmant Liturgiæ, librique Eccleſiaſtici Latini, & Græci; perpetuaque praxis Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ. Quinimo dogmati huic de Purgatorio teſtimonium perhibent Hebræi, ac Novatorum multi, Æthiopes, ſive Copti *p.* 103. Qui contra refragantur, dignis pro temeritate vapulant *p.* 106.

Q

Quadrageſimæ, aliorumque temporum Jejunium inſtitutionem ex traditione trahit, cui teſtimonium perhibent SS. Patres, obſervantiam confirmant Concilia, retinendamque conſuetudinem jubent Pontifices MM. *pag.* 69, *& ſeqq.* Dominicis diebus non jejunandum antiquus eſt ritus: jejunatum olim feriis 4, & 6; alicubi in

bi in Sabbátho juxta variam Eccleſiarum diſciplinam memoriæ demandatum eſt *p.* 70. Jejunii tempore abſtinendum a delectis cibis; ab eſu carnium, ab uſu caſei, & ovorum: abſtentum imo alicubi a vino, ab oleo, a piſcibus monumentis litterarum proditum eſt *p.* 71. Circa horam ſolvendi jejunium diverſa lex, ac diſciplina pro diverſitate locorum, temporum, & jejuniorum *ibidem*. Quid quod priſcis Chriſtifidelibus prandere non ante horam 6. in more poſitum erat in diebus etiam jejunio non dicatis? *ibidem*, *& ſeq.* Quid imo, quod Chriſtifideles bene morati, ac ferventiores ſemel in die dumtaxat ad veſperam, aut Nonam, aut Sextam cibo refici conſueſcebant? De cœnula, ſive refectiuncula, quæ hodie collatio dicitur, quid dicendum de origine, & abuſu? *p.* 72. Jejunii Eccleſiaſtici infeſti hoſtes hæretici, imo infenſos facere Patres pro impudentia non erubeſcentes profligantur *p.* 108, *& ſeq.*

Queſnellus S. Hilarium cum S. Leone M. commiſſum abſolvens, cauſſaque, ac jure potiorem affirmans a Papebrochio, & Pagio explodituſ *p.* 428. Eccleſiæ tribunal ſupremum eminere in Romana, ac Romanæ Eccleſiæ traditiones ab univerſa ſemper in honore habitas, iiſque fidei fundamentum ſuperſtructum rite, vereque ſcripſit, etſi ſuo more deinde ſibi æqualis haud ſteterit *p.* 621, *& ſeq.*

R

RAbanus Maurus S. Petro judiciariæ poteſtatis ſummam, ac Principatum tribuit; in fide firmatum a Chriſto D. tradit; ideoque in ipſius fide cunctos conquieſcere oportere: quæ dein privilegia Romani Pontificis propria facit *pag.* 332.

Radberti Paſchaſii librum de Corpore, & Sanguine Domini depravavit pro ingenio Proteſtantium proprio Hiobus Gaſtus: ſed hujus impoſturas detexit, diluitque Mamertus Lucemburgenſis *p.* 41.

Ratherius Veronenſis, quæ Romana Eccleſia reciperet, aut reprobaret, dogmata recipienda, aut reprobanda omnino fore affirmabat *p.* 338, *& ſeq.*

Rationum Theologicarum invictia momentis Pontificis Romani Primatus, ſupra Concilia poteſtas, ac in fide infallibilitas ſuadetur, & perſuadetur *p.* 664, *& ſeqq.* Potiſſimum ex Religionis unitate, ac Regiminis Monarchici ratione *p.* 666, *et ſeqq.* Præterea ex obedientia etiam interna Pontificiis decretis debita *p.* 671, *et ſeqq.* Poſtremo ex communione, & conſenſione cum Pontifice circa fidei dogmata ab omnibus tenenda *p.* 685, *et ſeqq.*

Raynaldus Pariſii commenta, & calumnias de Roberto Lincolnienſi depexuit, & diſpunxit *p.* 373.

Reges, virique Principes Occidentis Romano Pontifici obſervantia, & obſequio ſpeciatim addicti quinam, & quot *p.* 456, *& ſeqq.* Regum chriſtianorum primus ab Epi-

Epiſcopis unctione ſacra inauguratus fuit Recaredus Hiſpaniarum Rex, non Clodoveus Rex Francorum. Ex Francis primus Rex conſecratus, ac bis quidem, primo nimirum a S. Bonifacio Epiſcopo, ac deinde a Stephano III. P.M. fuit Pippinus *p.* 466. Reges Romanæ Eccleſiæ vectigales S. Gregorii VII. teſtimonio erant Reges Ruſſiæ, Hiſpaniæ, Hungariæ, Sardiniæ, Bohemiæ, Aragoniæ, Angliæ, Daniæ, Caſtellæ, Succiæ, Poloniæ, &c. *p.* 478.

Reges, aliique Orientis Principes Romanum Pontificem impenſe colere, jubenti morem gerere, edocenti pronas apponere aures ſibi propoſuere, ejuſque fidei integre ſe permiſcere *p.* 491, *& ſeqq.* Regibus quotquot, qui Romano Pontifici devotos ſe præbuerunt, res divinæ, humanæque optime ſemper ceſſerunt *p.* 515, *& ſeq.*

Regino Prumienſis Apoſtolicam Sedem ab hæreſi omnino tutam tenuit *p.* 338.

Reliquias, Imagineſque Sanctorum in honore, pretioque habendas concors eſt SS. Patrum traditio *p.* 83, *& ſeqq.* Ejuſmodi erga Sanctorum Reliquias, Imagineſque religio olim ethnicis, & hæreticis odio erat, quibus propterea frequens, quibus poſſent modis, in ſacras exuvias, reliquias, imagineſque deſævire, ſupprimere, & diſperdere, adulterare, & profanare *p.* 85.

Reliquias, & Imagines e converſo priſci Chriſtifideles tanto proſequebantur religionis affectu, ut nihil eorum prætermitterent, quibus Sanctorum patrocinium, ac ſuffragium promererent *p.* 85, *& ſeqq.* Hinc inductus varius, multiplexque modus, rituſque colendi, religionique habendi Reliquias, & Imagines *ibidem*. Hinc devotionis ardor ille profectus adeo perinde excreverat, ut paullatim in abuſus quoſdam exceſſerit, quibus propterea ab utraque poteſtate laica, & Eccleſiaſtica ut proſpiceretur, operæ pretium fuit *ibidem*. Videſis V. *Imagines*.

Rhenani vera cujuſdam Tertulliani loci illuſtris de poteſtate Romani Pontificis interpretatio exponitur, atque a Mortonii calumnia vindicatur *p.* 296, *& ſeq.*

Richeliæus Cardinalis ampliſſimus Gallicanæ Eccleſiæ gloriæ, laudique deputavit eximium, enixumque ſtudium, quo Apoſtolicæ Sedi ſemper adhæſit, ejuſque Conſtitutiones excipere, venerari, & obſervare religioni, officioque jugiter duxit *p.* 560.

Rodulphus I. Imperator B. Gregorio X. obedientia, obſequioque ſe devovit, devinxitque. Invidia, injuriaque in eum egit Hippolythus a Lapide homo Lutheranus, dum ob munificentiam erga Romanam Eccleſiam exercitam in culpam vocavit *p.* 455.

Ruffinus Aquilejenſis poſt Origenem Pelagii errori circa gratiam equidem adhæſit, non etiam hæreſi circa peccatum originale *p.* 98. Recta, & proba ſenſit, & tenuit de privilegiis Romani Pontificis *p.* 303.

Ruperto Tuitienſi de Romano Pontifice auctoritate ſuprema prædito, ac in fide falli, & fallere prorſus neſcio optima inſedit opinio *p.* 347, *& ſeq.* Liber de divinis officiis a nonnullis ipſi abjudicatus, ceu genuinum

nuinum ipſius opus defenditur, ipſique reſtituitur *ibidem*.

Rutheni græcanico ſchiſmate, erroribuſque ejuratis Romanæ Eccleſiæ reconciliati ſæpe obedientiam ei polliciti ſunt, ejuſque doctrinam profeſſi. Emicuerunt inter eos Epiſcopali dignitate inſignes 9. viri ſuo, gentiliumque ſuorum nomine iſtiuſmodi officium impendentes. Nonniſi igitur calumniando, & commentando Ruthenam irreconciliabilem cum Romana Eccleſia adſtruxit Buddæus *ibidem*. Cur Rutheni deinceps ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam non ſint reverſi, impedimento fuit, ſuperbiaque ſua fecit Meletius Pegas *p.* 250.

S

SAbaudiæ Duces, nunc Reges Sardiniæ nullo non tempore ſuæ erga Apoſtolicam Sedem eximiæ devotionis ſpecimina illuſtria dederunt *pag.* 459, *& ſeqq.* Ob hæc egregiis laudum elogiis Auguſtam Domum Sabaudiæ extulit Paulus III; inſignibus autem privilegiis cumularunt alii Pontifices *p.* 461.

Sacramenta duo dumtaxat Calvinus admiſit: Lutherus mox unum, mox duo, mox tria. Septem omnino tum ex traditione divina, tum ex S. Scriptura edocta admittit Eccleſia *p.* 24, *& ſeqq.* Videſis V. *Traditio*.

Salmaſius Epiſcopis gradu æquales Presbyteros, & quidem S. Cypriani opinione, facere præſumpſit, ſed profligatur *p.* 258, *& ſeq.*

Sanctimonialium inſtitutio iiſdemmet, qui Monachorum inſtitutum inter viros induxerunt, ortum ſuum debet, ac ſignatim SS. Antonio, Athanaſio, Pachomio, Baſilio, Benedicto, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino &c. *p.* 67. Deo dicatarum Virginum velum quadruplici in ſpecie olim erat, profeſſionis, conſecrationis, prælationis, & ordinationis; quorum imponendorum uſus, & ritus varius *ibidem*, *& ſeq.*

Sanctorum cultum, & invocationem ex traditione deſcendere unanimi conſenſione docent SS. Patres, Concilia, & Pontifices MM. *p.* 82, *et ſeq.* Sanctorum, ac Martyrum maxime notitiam ex una ad Eccleſiam alteram, ex Græca ad Latinam, viceque verſa per Encyclicas deferre veteri in more poſitum erat *p.* 87. Videſis V. *Imagines, et Reliquiæ*.

Sarpius Paulus, ſive Suavis Polanus impudentiſſimo mendacio poſt Lutherum, alioſque Proteſtantes Romanis Pontificibus, quaſi Indulgentias venu expoſuiſſent, ſacrilegæ nundinationis turpiſſimam maculam affricuit *p.* 78.

Saxoniæ Dux Georgius cum ſui laude ob enixum, quo Pontificem M. proſequebatur, ſtudium a Luthero *Diaboli Apoſtolus* dictus eſt *p.* 488. Fridericus Auguſtus Poloniæ deinde Rex ad Eccleſiæ Romanæ unitatem regreſſus, eique ſacramento religionis obſtrictus ab Innocentio XII. elogiis eſt exornatus *ibidem*.

Sclavorum, ſive Serviæ Rex Stephanus ad Romanæ Eccleſiæ fidem converſus actutum ejus rem amplificare in Regno, Regnum vero in ejus clientelam tranſcribere, Bulgaros etiam ad ejuſdem obedientiam redintegrare obnixe curavit, & pro-

& procuravit *p.* 494, *& ſeq.*
Scotiæ Regum primus Donaldus Romanæ Eccleſiæ ſacris vix initiatus ſtatim iiſdem Scotos ſuos imbui ſtuduit *p.* 478, *et ſeq.* Scotorum Regnum quo anno inſtitutum; quot Reges uſque ad Mariam Reginam S. Romanæ Eccleſiæ impenſe ſtuduerint; quis eorum ſacris primus fuerit Epiſcopi nomine præfectus; quinam præ aliis Reges in obſequio, & obſervantia erga Romanam Eccleſiam ſpeciatim emicuerint *p.* 479, *et ſeqq.*
Scripturæ Sacræ teſtimoniis abuti in ſuorum errorum defenſionem ſolemne hæreticis ſemper fuit: quin imo eo impudentiæ ſummæ devenerunt plerique ſæpe, ut SS. Patribus S. Scripturæ abuſum exprobarent. Celebrata ſunt ejuſmodi temeritatis exempla in Pelagianis, & Socinianis, in Eraſmo, & Clerico, in Grotio, & Voſſio, qui ad unum omnes vapulant *p.* 100. Niſi Traditione duce legitimus S. Scripturæ ſenſus aſſequi nequit *p.* 104. Ideo ab hæreticis jugiter in diverſas, & adverſas itum eſt ſententias *p.* 105. S. Scripturæ Canon non ſemper idem Orientali, qui Occidentali, nec idem Syris, qui Latinis uſu olim venerat *p.* 117.
Siciliæ Reges regalibus inſignibus, ac regnandi jure a Romanis Pontificibus donati, & adornati ſunt *p.* 459. Siculæ Monarchiæ nomine quid venerit; quid privilegii obtentum ſit; a quo Pontifice indultum, & ad quem uſum denique redactum *ibidem.*
S. Sixti III. P. M. ſtupri accuſati hiſtoria, nec non acta Romanæ Synodi hac de cauſſa habitæ ſuſpectæ admodum fidei ſunt *p.* 428.
Soardus vir doctiſs. ab egregio ſtudio, operaque diligenti, quibus SS. Cypriani & Stephani cauſſam pertractavit, laudum præconiis celebratur *p.* 280, *& ſeq.* Item ab opera haud abſimili, qua S. Auguſtini de Apoſtolica Sede claram, & præclaram ſententiam in aprico poſuit *p.* 312.
Socratis, & Sozomeni expreſſa ſententia abſque Pontificis auctoritate Synodus nulla obtinet: Synodorum acta, & ſententiæ abſque robore abeunt; Romano Pontifici ab omnibus in fide conſentiendum, ac præcipienti obtemperandum eſt *p.* 191, *et ſeqq.*
Sommier Dupinum in S. Ennodium parum æquum perſtringit, digniſque pro impudentia afficit *p.* 317, *et ſeq.*
S. Sophronius Hieroſolymitanus, Sergius Cyprius, & Stephanus Dorenſis ad Apoſtolicam Sedem, tanquam ad ſupremum in terris tribunal, idque in fide infallibile, Monothelitas hæreſis nomine deferunt; atque a Pontifice fidei catholicæ dogmata in tuto collocari obnixe depoſcunt *p.* 203, *et ſeq.*
Spanhemius Fridericus, & Thomas Smith Græcorum fidem circa Euchariſtiam elevare non veriti; Cophtorum Salmaſius; Æthiopum Ludolphus; Neſtorianorum Crouzæus; Armenorum Salmaſius iterum, & Smithæus dignis pro temeritate vapulant a Clariſs. Renaudotio, Simonio, Aſſemano, Echellenſi, Arnaldo, Brunio &c. imo ab ſuis ſymmiſtis Schrodero, Oleario, Ricautio &c. *p.* 37. Nulla ſatis ſolida conjectura Spanhemius, & Baſnagius negant Lucium Regem ex Britannis primum Religioni

ni christianæ dediſſe nomen *p.* 467.
Stationes Romanæ, iiſque adfixæ Indulgentiæ a quo, & quando inceperint. Videſis V. *Indulgentiæ.*
S. Stephanus I. P. M. rebaptizantibus baptizatos ab hæreticis minas intentavit: ne ultra minas exiliret obſecratus a S. Dionyſio Alexandrino eſt: num autem jus in illos diſtrinxerit, ac ſacrorum conſortio interdixerit, lis eſt inter eruditos; contendentibus aliis ex jure egiſſe illum cum Firmiliano, & Aſianis, non item cum S. Cypriano, & Afris; aliis æque cum utriſque; aliiſque cum neutris *p.* 265, *et ſeq.* S. Stephanus hæreticorum Baptiſmum non admiſit quemcumque; per calumniam hunc ipſi errorem appingunt maleferiati homines, nec uti pugnant, S. Cypriani opinione in fide erravit; quemadmodum ad oculum viri doctiſſimi oſtendunt *p.* 267, *et ſeqq.* Videſis V. *S. Cyprianus.*
S. Stephanus Junior dictus, ac Martyr citra conſcientiam Romani Pontificis Concilium peragi nefas eſt arbitratus *p.* 207.
Stillingfleetus Eduardus cum V. Bedæ, tum Anonymi a Spelmanno editi auctoritate Pontificis Romani Primatum ſubruere enixus a Cl. Scheleſtratio, & Pagio erroris, & calumniæ manifeſtiſſimæ coarguitur, & revincitur *p.* 328. Spelmannus ipſe de Anonymi illius auctoritate, & ætate dubitat *ibidem*, & *p.* 519. A Scheleſtratio item ob intortum ſiniſtrorſum locum Concilii Arelatenſis in epiſtola Synodica ad S. Silveſtrum redarguitur *p.* 519.
Sulacha Neſtorianorum in Syria Patriarcha ſuo, ſuorumque nomine Romam profectus Pontifici fidem nuncupavit, ſummo ipſum ſe habere poteſtatis gradu, graduque fidei, ex quo decidere nullo poſſet modo, profeſſus *p.* 233, *et ſeq.*
Synodici libelli auctor quis, an S. Cyrillus Hieroſolymitanus, an S. Germanus Conſtantinopolitanus, an, veriſimilius uti videtur, Anonymus Scriptor IX. Sæculi? *p.* 181.
Syropolus Silveſter injuria egit adverſus Joſephum Patriarcham, utpote quod fœderi in Concilio Florentino ſancito ſubſcripſerit. Syropolum impudenter laudat Creygthonus, ſed utrumque pro meritis caſtigant Allatius, Labbeus, & alii *p.* 251.

T

TArtarorum Reges nonnulli diverſis temporibus Religionis chriſtianæ Sacramentis imbuti de Romano Pontifice impenſe colendo, de Chriſtianæ fidei dogmatibus eidem edocenti auſcultando ſtudium, ac ſollicitudinem induerunt *p.* 501, *et ſeqq.* Rem chriſtianam nullo non tempore apud Tartaros FF. Minorum opera potiſſimum curarunt, ac procurarunt Romani Pontifices, quorum dignitas maximo in pretio a Tartarorum Principibus habita eſt *ibidem.* Tartaros circa mediam Eccleſiæ ætatem ad Neſtorianorum errores delapſos conjicit nonnemo *p.* 504. Tartaris, qui Principis nomine præfuiſſe legitur Presbyter Johannes Romanæ Eccleſiæ fidem, rituſque amplexus eſt. De ejuſdem nomenclatura, ac Regni ſitu variæ Eruditorum conjecturæ: veriſimilior

lior eſt illorum, qui non in Africa, ſed in Aſia illius Imperium collocant p. 505. Homorymus alter priori illi in obſequio Pontifici deferendo, ſeque ipſius doctrinæ permittendo integre par fuit *ibidem*, *et ſeq.*

Tertulliani inſignis locus quominus dogmati de Chriſti D. præſentia in Euchariſtia infenſus ſit, recte exponi poteſt p. 33, & *ſeq.* Locus ipſius alter liquidus de Romani Pontificis ſuprema poteſtate illuſtratur, atque a Mortonii ſiniſtra interpretatione vindicatur p. 294, & *ſeqq.*

S. Tharaſius Conſtantinopolitanus Antiſtes Pontificis M. de fide judicio adquieſcere integre, demiſſeque officio duxit, eumdemque ſuperiori in Eccleſia loco habere p. 206, & *ſeq.*

Theodoretus partes non minus quam ſupra Synodos, ac in Eccleſia ſupremas, prærogativam etiam de fide irreformabilem ferendi ſententiam Romano Pontifici approbe defert p. 193, & *ſeq.*

Theodoricus Gothorum Rex Odoacro occiſo Regnum Italiæ invaſit: Laurentium adverſus S. Symmachum inſurgentem compeſcuit, legitimum vero Pontificem loco ſtare ſuo juſſit, ipſiuſque cauſſam Synodo integram detulit p. 456.

S. Theodorus Studites Pontificiæ ſupremæ poteſtatis, ac a fide indefectibilitatis aſſertorem, ac vindicem acerrimum non ſemel ſe exhibuit p. 207, & *ſeq.*

Theodoſius Echinienſis Stephani Lariſſenſis ad Apoſtolicam Sedem interpoſitam appellationem perſequitur, geminumque in Pontifice jus approbe diſtinguit Primatis, & Patriarchæ p. 199.

Theodoſius, Gratianus, & Valentinianus Romanum Pontificem ſacrorum in Eccleſia ſumma potiri, Sacerdotiis chriſtianis præfectum, poteſtate ſuprema præditum agnoſcunt, ac Religionem, quam ipſe profiteretur, ſubditis ſuis ut profiterentur, ſacra juſſione ſunt auctores p. 422.

Theodoſius Junior Romanæ Eccleſiæ abſtractum jus in Illyricum religioſe reſtituit: Epiſcopis jus in cauſſas Eccleſiaſticas nedum intactum, reſervavit, ſed etiam in civiles detulit: a Pontificibus decreta obſervari, executionique demandari ſedulo curavit p. 425. Nonnihil labis tamen exinde contraxit, quod parum æquum ſe præbuit Epheſinæ legitimæ Synodo; & pluſquam æquo favorem pſeudo-Epheſino Concilio impenderit: ſed obreptum ei fuiſſe, ac proinde excuſatione dignus oſtenditur p. 426.

Therapeutæ, quorum celebre apud Philonem nomen, an Chriſtiani, an Monachi, an Judæi, an Eſſeni eſſent, haud levis inter Eruditos lis eſt. Veriſimilius videtur nec Monachos, nec imo Chriſtianos exegiſſe, ſed bene moratos quidem, puros tamen putoſque hebræos de Eſſenorum ſecta p. 69.

Theophilus Cæſareenſis ad Romani Pontificis nutum, ac Romanæ Eccleſiæ ritum in Eccleſiaſticis controverſiis ſe ſe componere religioni, officioque habuit p. 181.

Theophylactus S. Petrum poſt Chriſtum D. Eccleſiæ petram, & fundamentum, officioque præditum in fide confirmandi Chriſtifideles adſtruit p. 209, & *ſeq.* Conſentanea his habent Theophanes, Pſellus, Euthymius, & Balſamon p. 211.

Thi-

Thibeti, Regionumque finitimarum Reges magna de Romano Pontifice, ejuſque poteſtate exiſtimatio inceſſit, a noſtris nempe ingeſta; magnamque ſpem feçerunt fore, ut Chriſtiana ſacra amplectereutur *p.* 506, *& ſeqq.*

S. Thomas Cantuarienſis erga Romanam Eccleſiam obſequio, & obſervantia approbe affectus alioquin excuſandus eſt, ſi contra Romanam Curiam in querelas paullo acerbiores aliquando ſe effudit *p.* 365, *& ſeq.*

S. Thomæ Aquinati Summam egregie vindicat Pagius, atque ab invidia Launoji defendit *p.* 372. S. Thomas quam perpetuus, tam perſpicuus eſt in docendo Pontificem Concilio auctoritate præcellere, atque infallibilitatis prærogativa eſſe præditum *p.* 374, *& ſeqq.* Qui aliorſum S. Doctoris teſtimonia intorquere enituntur, procul repelluntur *ibidem*. S. Thomæ intimum ſenſum attigit quidem Launojus, ſed cauſatus interea ſuppoſitio S. Cyrilli opere S. Doctorem deceptum refellitur *p.* 375.

Thomaſius Chriſtianus, & Johannes Lyſerus ambo e Proteſtantium grege quam impure, tam impudenter affirmantes ſive legi naturæ, ſive connubii juribus non opponi ſive concubinatum, ſive polygamiam reprehendendi ſunt, ac procul repellendi *p.* 29.

Thomaſſinus egregie locum quemdam ex epiſtola Synodica Concilii Arelatenſis ad S. Silveſtrum illuſtravit, ex eoque Pontificis ſummam poteſtatem appoſite commendavit *p.* 519, *& ſeq.* Benedicto IX. epiſtolam ad Stephanum Claromontanum attribuit, quæ potius Johanni XX. tribuenda fuerat *p.* 531.

Tillemontius Videſis V. *Baillettus*. Abs vero abeſt, quod adnotavit a S. Baſilio fuiſſe ignoratum Canonem 8. Concilii Nicæni *p.* 292.

Tourneminius Vide V. *Miſſorius*.

Tonſura olim alia clericalis, alia laica; iſta inducta circa Sæculum VIII, illa ab initio Eccleſiæ: item alia S. Pauli, quæ Orientalium propria, alia S. Petri, quæ peculiaris Occidentalium ſemper fuit *p.* 325, *& ſeq.*

Tournellius S. Auguſtini locum illuſtrem de finitivo Pontificis judicio, aut rite non eſt aſſequutus, aut inepte aliorſum inflexit *p.* 309. Difficillimum fore ex SS. Patrum traditione non agnoſcere Pontificis ſupra Concilia poteſtatem, ac in fide infallibilitatem confeſſus ingenue eſt *p.* 353. Ineptum eſt, quod excogitavit, effigium de Pontifice tum infallibili, quando fundamentum Eccleſiæ indivulſum eſt, non quando fundamentum eſt ab Eccleſia diviſum; nec ſibi æqualis ſtetit *p.* 543, *et ſeq.* Ejuſdem ſenſu ideo ut dogma obliget quempiam, ſufficit acceptatio Eccleſiæ, in qua ipſe exigit *ibidem*.

Traditio quid nomine ſuo præferat; circa quæ obverſetur, quorumnam teſtimoniis innitatur, quibuſve regulis dignoſcatur *p.* 2, *et ſeqq.* Poſt Deiverbum ſcriptum ſecundum obtinet auctoritatis locum: id Scriptura, id Traditio ipſa, id Eccleſia, id ratio evincunt *p.* 4, *et ſeqq.* Traditio Judæis eſt lex oralis, Pentateuchus lex ſcripta: lex oralis, ſi ipſis fides, ideſt Miſna ab anno 292. ante Chriſtum occepit: abſque ipſa lex ſcripta obſervari nequit *p.* 5, *et ſeq.* S. Eſdræ legem oralem acceptam referunt Judæi: a Rabbi

Haccadosh in libros digeſtam, adornatumque circa annum 150. poſt Chriſtum Miſna: in id commentaria elucubrata duo præſertim, ideſt Gemmara: ex Gemmara vero, & Miſna conflata duo Thalmuda Hieroſolymitanum, & Babylonicum *p.* 6, *et ſeq.*

Traditiones a Chriſto D. accepiſſe Apoſtolos Eccleſiæ concredendas teſtantur ipſimet Apoſtoli, & tradunt SS. Patres *p.* 7, *& ſeqq.* Traditiones contra Rivetum vindicat Grotius *p.* 9. Contra hæreticos defendunt SS. Patres *p.* 10, *& ſeqq.* Traditione Eccleſia cum in Conciliis, tum extra Concilia hæreſes conterere conſuevit *p.* 19, *& ſeq.* Traditione controverſias definire Romanis Pontificibus ſolemne extitit *p.* 21, *& ſeqq.* Traditione multa in Eccleſia dogmata obtinent *p.* 22, *et ſeqq.* In his Canon S. Scripturæ *p.* 22, *et ſeq.* S. Scripturæ ſenſus *ibidem*. SSmæ Trinitatis Myſterium *p.* 23. Nomina Ingeniti, & Conſubſtantialis de Patre, & Filio: Spiritus S. Divinitas: a Filio proceſſio, & cum ipſo coæqualitas *ibidem*. Doctrina de Verbi Incarnatione, deque duabus in Chriſto naturis, voluntatibus, & operationibus *ibidem*, *et ſeq.* Chriſti deſcenſus ad inferos: Dominicæ Crucis ſignum *ibidem*. B. Virginis divina Maternitas *p.* 24: perpetua virginitas, atque immunitas ab omni peccato: ejuſdem Aſſumptio in Cælum anima, & corpore *ibidem*.

Traditioni acceptus refertur ſeptenarius Sacramentorum numerus; ac traditione edocta Eccleſia eſt de eorumdem materia, forma, effectibus, & cærimoniis *p.* 25. Traditioni innititur doctrina de Baptiſmi gratia, & charactere, neceſſitate etiam in parvulis, ac validitate etſi collati ab hæreticis *ibidem*. De Confirmationis Sacramento, charactere, et Miniſtro *p.* 25, *& ſeq.* De Euchariſtia, & gratia ab ea collata *p.* 26. De Pœnitentia, ejuſque partibus *ibidem*, *& ſeq.* De extrema Unctione *p.* 26. De Ordine, ac diverſis gradibus *ibidem*, *& ſeq.* De Matrimonio, ejuſque impedimentis *p.* 28, *& ſeq.* De Chriſti D. præſentia in Euchariſtia *p.* 29, *& ſeqq.* De Tranſubſtantiatione *p.* 33. De Sacrificio Miſſæ *p.* 39, *& ſeqq.* De Miſſa privata *p.* 43, *& ſeqq.* De Communione laica, ac ſub una ſpecie tantum *p.* 44, *& ſeqq.*

Traditione celebratæ evaſerunt cærimoniæ in Sacramentorum confectione *p.* 54, *& ſeqq.* Baptiſmi *ibidem*; Confirmationis *p.* 55; Euchariſtiæ *p.* 56, *& ſeq.* Lex confitendi peccata *p.* 58, *& ſeqq.* Publicarum Eccleſiæ precum uſus *p.* 61, *et ſeq.* Pſalmodiæ ritus *p.* 63, *et ſeq.* Inſtitutum Monachorum *p.* 64, *et ſeqq.* Sacra cælibatus lex Monachis, & Clericis impoſita *p.* 68, *et ſeq.* Jejunii Quadrageſimalis, aliorumque temporum inductio *p.* 69, *et ſeqq.* Indulgentiarum elargitiones *p.* 72, *et ſeq.* De cultu, & invocatione Sanctorum doctrina *p.* 82, *et ſeq.* De eorum item Reliquiis, & Imaginibus *p.* 83, *et ſeqq.* Dogma de divina gratia *p.* 90, *et ſeqq.* De libero arbitrio *p.* 93, *et ſeqq.* De juſtificatione *p.* 95, *et ſeqq.* De peccato originali *p.* 97, *et ſeqq.* De Purgatorio *p.* 101, *et ſeqq.*

Traditione duce S. Scriptura rite intelli-

telligitur, & exponitur *p.* 104. Traditione SS. Patres adverſus hæreticos dimicarunt, dimicandumque docuerunt *p.* 105. Traditioni hæretici quamplures victas dederunt manus *p.* 106.; quamplures vero Traditionem in ſuorum errorum defenſionem accerſere non erubuerunt *ibidem*, *et ſeqq.* Traditioni generatim refragantur hæretici qua veteres, qua novatores, qui ad unum omnes vapulant *p.* 113, *et ſeqq.* Traditiones non unius generis ſunt omnes; ſed aliæ ſpectant ad fidem, aliæ ad mores, aliæ ad diſciplinam; juxta quæ Traditiones aliæ Divinæ, aliæ Apoſtolicæ, aliæ Eccleſiaſticæ denominantur *p.* 145.

V

VAlentinianus Imperator cauſſis Eccleſiaſticis ſe ingerere religioſe abſtinuit. Decreta a Pontificibus MM. executioni demandare ſedulo adlaboravit *pag.* 419, *et ſeq.* Ejuſdem veſtigiis inſiſterunt Gratianus, Valentinianus II, & Theodoſius *p.* 420, *et ſeqq.* Valentinianus III. *p.* 426, *et ſeq.*

Valeſius ad Pontifices Romam appulliſſe cum S. Polycarpum ob cauſſam Paſchatis, tum S. Irenæum SS. Martyrum Lugdunenſium vice, legationeque defungentem non erat cur inficias iret, cauſſamque itineris alteram comminiſceretur *p.* 178. Conſtantinum M. uſurpati juris Eccleſiaſtici coarguit; ſed Imperator excuſatione dignus multo ex capite oſtenditur *p.* 417, *et ſeq.*

Veccus Johannes Conſtantinopolitanus Patriarcha Latino nomini pridem ſubinfenſus perlectis Nicephori Blemmidæ ſcriptis, ejuratis cum ſchiſmate erroribus, veritati manus victas dedit, Romanæ Eccleſiæ doctrinæ, unitati, & communioni ſe devinxit, Romanumque Pontificem ceu ſupremum ſacrorum Principem, auctoritate in Eccleſia potiſſimum, ac in fide prorſus infallibilem colere cœpit *p.* 222. Ejuſdem veſtigiis inhæſerunt deinde Græcorum alii doctrina, ac dignitate conſpicui *ibidem*.

S. Victor P. M. an Aſianos in celebrando Paſchate a ritu Eccleſiæ Romanæ ſacro abſcedentes anathemate inuſſerit, diſſentiunt viri docti. Veriſimilior eorum, qui affirmant, opinio videtur *p.* 130, *et ſeq.*

Victor Carthaginenſis Pontificis officio deputat fidei puritati proſpicere, hæreſam peſtes profligare, & Eccleſiarum ubique unitatem procurare: cui in ſententia pares adhæſerunt Columbus, Stephanus, & Reparatus Africani item Antiſtites *p.* 324.

Vincentii Lirinenſis aureæ regulæ ad dignoſcenda, quæ revera inter fidei dogmata ſint deputanda, proponuntur, atque ad propoſitum doctrinæ circa Romani Pontificis divinas prærogativas aptantur *p.* 408.

B. Virgini Mariæ omni laude digniſſimæ levem aliquam culpam aliquando tribuiſſe viſi ſunt aliqui Patres *p.* 114, *et ſeq.* Eidem culpæ originalis labem aſperſam fuiſſe a nonnullis SS. Patribus temere, ac falſo jactant Kemnitius, Rivetus, & Eraſmus *p.* 115. Ejuſdem Deiparæ immunitas ab omni vel levi, vel originali culpa adſtruitur, & defenditur *p.* 123, *et ſeqq.*

Virgi-

Virgines christianæ ingenti olim numero Martyrio affectæ fuerunt, quin antea pudicitiæ honos illis fuisset ademptus, contra quam temere, injuriaque existimavit P. Martinus *p.* 167. Virgines etiam nonnullæ extitere, quæ speciali Spiritus S. afflatu, ne pudicitiæ jacturam paterentur vel invitæ, ultrocitroque sibi mortem consciscerunt *ibidem*, *et seq.*

Vossius Gerardus dum affirmavit a S. Cypriano, & Africanis non omnium indiscriminatim hæreticorum baptismum fuisse reprobatum, toto ipse ostio abs veritate aberravit *p.* 272, *et seq.* Nec minus aberravit, dum præterea ex S. Cypriani sententia Pontificem M. de fide periclitatum fuisse adseruit *p.* 276, *et seqq.*

Urbanus IV, Clemens IV, aliique Pontifices MM. Græcis, aliisque schismaticis ad unitatem, fidem, & obedientiam, revocandis diligentem navaverunt operam, in id signatim incumbentes, ut Apostolicæ Sedi divinitus collatas prærogativas illis colendas, locoque habendas potissimo demonstrarent *p.* 218, *et seqq.*

Urbanus V. Bulgaros, Cazaros, & Blachos ut reduceret ad frugem, enixe sategit *p.* 495.

Ursinus Romanus S. Stephanum I. ab invidia omnino liberat, atque ab iusta calumnia abstergit. Cujus ætatis, cujusve instituti scriptor ille fuerit, inquiritur, & conjecturis efficitur *p.* 174, *et seq.*

Usserius recte in eos suis ex symmistis invehitur, qui SS. Patribus, minus, quam par esset, æquos se præbent *p.* 111.

Usuras licitas non existimasse veteres Christianos res certo certior est, in confesso posita a SS. Patribus *p.* 160, *et seqq.* Qui usuras licitas docuere, primi non fuerunt Græci schismatici, bene vero Cathari nuperi, sive Patareni, ac eum ipsis Calvinus, Carolus Molinæus, Salmasius, Launojus, Thierrius, Broedersenius, Jansenistæ &c., contra quos pugnant vel ex Protestantibus ipsis Beza, Cloppenburgius, Amæsius, Grotius, Puffendorfius, Noodt, Placetæus, Buddæus, Spanhemius &c. in eo peccantes tamen, quod moderatas usuras licere, modo non exigantur ab egenis, & immoderatas dumtaxat illicitas esse effutiunt *p.* 161, *et seq.* At illicitas esse usuras omnino omnes jure naturali, divino, & ecclesiastico demonstratur ex S. Scriptura, Traditione, Ecclesiasticis legibus, & rationum momentis *p.* 162, *et seqq.*

Walafridus Strabo a Romano Pontifice Monarchiam Ecclesiæ geri; ad eumdem Ecclesiarum causas undique deferri; ab eodem decreta a cunctis observari debere; eumque in loco ab errore omnino tuto collocatum esse approbe affirmat *p.* 333.

Wesselus Johannes Indulgentias inutiles pro vivis, & defunctis temere dixit: inutiles pro defunctis denuntiavit etiam Johannes Chimiensis; quodque pejus, errorem Patrum sententia comprobare non erubuerunt, qui propterea jure optimo a Lupo, & Amort vapulant *p.* 108.

Withe S. Augustini celebrem locum de irreformabili Pontificis judicio alienum in sensum detorquere inepte studet *p.* 308.

Zeno

Z

ZEno Imperator volens, nolensque cognovit Pontificem Romanum poteſtate ſupra Concilia eſſe collocatum: poteſtatis hujuſce particulam eſſe diſpenſare circa Canones Conciliorum: ac Pontifici præcipienti obaudiendum, obtemperandumque etiam a Conciliis *pag.* 431, *& ſeq.* Zenonis autem Henoticum non obtinere, donec Pontificis calculo probaretur, Anaſtaſius etiam agnovit; non ſecus atque ſe a Pontifice anathemate potuiſſe percelli; a Pontifice fidei quæſtiones definiri debere; in B. Petro fidei fundamentum poſitum fuiſſe, Eccleſiæque fortitudinem firmatam, ideoque de fide a Pontifice decretis ab omnibus obſequendum, & adquieſcendum *pag.* 432, *& ſeqq.*

			ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 29	Lin.	36	adeſſe adeſſe	adeſſe
35		43	tranſubſtatiationem	Tranſubſtantiationem
36		40	Antiochene	Antiocheno
38		6	Grabriel	Gabriel
58		30	iu	in
61		26	Crodegundum	Chrodogangium
64		3	Turouenſe	Turonenſe
65		32	Maxims	Maximus
71		30	Hiernymo	Hieronymo
73		35	Zephirini	Zephyrini
74		21	Eleemoſinis	Eleemoſynis
81		1	viribns	viribus
82		21	Maximino	Maximo
85		42	Juvenco	Juventino
89		1	Rreliquiis	Reliquiis
90		28	Spiritus S.	Spiritus S., ſi ejus tamen eſt
123		29	Tragedia	Tragœdia
127		9	Symbo	Symbolo
135		8	Johannes	Johannis
179		13	Conſeſſorum	Confeſſorum
ead.		17	Pontificum	Pontificum
ead.		24	ſentia	ſententia
201		13	tanta	tantæ
202		3	Synodi	Synodicam
205		24	Ciziceno	Cyziceno
227		4	peracta	peractæ
250		7	Wandingus	Wadingus
269		3	præviſſe	præviiſſe
273		26	collatum	collatus
319		4	atqua	atque
332		8	lege-ſis	lege-ſis
339		28	quood	quod
341		10	vobs	vobis
343		6	unus	ullus
353		14	indeficicientiæ	indeficientiæ
366		22	proſſequitur	proſequitur
387		23	ejndem	ejuſdem
431		1	cclebrari	celebrari
432		17	quam	qua
456		13	excitatas	excitatis
ead.		ibid.	turbas	turbis
458		7	eoque	eaque
482		36	pallo	paullo

Pag. 484



			ERRATA:	CORRIGE.
Pag.484	Lin.	30	Succoſſore	Succeſſore
504		16	adhorttus	adhortatus
505		24	dictns	dictus
506		16	viriſimilius	veriſimilius
523		31	comdennavit	condemnavit
548		36	Baronim	Baronium
563		10	fuiſſet	fuiſſet
566		7	ætalem	ætatem
ead.		25	Glaſſio	Gallaſſio
571		10	obſtingere	obſtringere
582		33	ſolumodo	ſolummodo
601		34	aucturitatem	auctoritatem
608		7	Urbannm	Urbanum
627		9	Trinita	Trinitate
632		8	minns	minus
638		15	Academiam	Academia
639		35	illis	illi
669		27	116	106
673		tit.	ARTICULUS XI. §. II.	ARTICULUS XII.
677		ibid.	ARTICULUS XI. §. II.	ARTICULUS XII.

MAG 712

Digitized by Google

Digitized by Google